


136 IZ7

~~286 622~~


Biblioteca Universitaria	
GRANADA	
Sala	A
Estante	4
Tabla	1
Número	286

ET SA

Commentaria p[er] 21



SVPL
ROMAE L
M D



136 IZ7


~~286~~

Biblioteca Universitaria	
GRANADA	
Sala	A
Estante	4
Tabla	1
Número	286

ET SA

17 Jo 5 27

Comentarios p. 21



SVPL
ROMAE I
M D

Del Colegio de la comp. de Jesus de granada.

B. R/7170

PII SECUNDI


PONTIFICIS MAX. COMMENTARII

Rerum memorabilium, quæ temporibus suis con-
tigerunt, à R. D. Joanne Gobellino vicario Bonnen.
iamdiu compositi, & à R. P. D. Francisco Band.
Piccolomineo Archiepiscopo Senensi ex
vetusto originali recogniti.

ET SANCTISS. D. N. GREGORIO XIII.
PONT. MAX. DICATI,

*Eiusdem Pij dum Cardinalis esset responsio ad Martinum Mayer
pro defensione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.*

Omnia his temporibus utilissima, nunc primum in lucem edita
cum privilegio.




SVPERIORVM PERMISSV.

ROMÆ Ex Typographia Dominici Bafæ

M D LXXVIII.

GREGORIUS PAPA XIII.

Venerabili Fratri Francisco Archi-
episcopo Senensi.



Venerabilis Frater salutem & Apostolicam Benedictionem.
C V M, sicut nobis nuper exponi fecisti, Tu ad commune
bonum commentaria rerum memorabilium, quae tempori-
bus se. re. Pij. Papae secundi praedecessoris nostri toto ter-
rarum orbe contigerunt, à quondam Ioanne Gobellino Vi-
cario Bonnen. & ipsius praedecessoris à secretis composita ex vetusto vi-
delicet originali recognita cum alijs rebus ibidem de nouo additis & nõ-
dum in lucem editis proprijs tuis impensis per dilectum filium Domini-
cũ Basam & socios Urbis Typographos typis curi facere decreueris, du-
bites tamen ne postquam ipsa commentaria impressa fuerint, ab alijs biblio-
polis absq. tua licentia in diuersis locis imprimantur, quod in maximum
tuum damnũ vergeret & prauidicium. Quare nobis humiliter supplica-
ri fecisti, quatenus tibi in praemissis opportune prouidere de benignitate
Apostolica dignaremur. Nos igitur tua indemnitati consulere, teq. spe-
cialis gratiae fauore prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus incli-
nati, tibi ut ne quis commentaria praefata in toto vel in parte per decem
annos proximos sine tuo, aut ius seu causam à te habentium expressa li-
centia imprimere vel imprimi facere, aut impressa vendere vel venalia
tenere possit, Apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus &
indulgemus. Necnon vniuersis & singulis librorum impressoribus, ac bi-
bliopolis quibuscumq. tam in Vrbe, quam alijs ubiq. locorum tam in Ita-
lia, quam extra Italiam in statu ecclesiastico & terris Sanctae Romanae
Ecclesiae mediate vel immediate subiectis sub excommunicationis latae
sententiae, ac etiam quingentorum ducatorum auri de Camera, pro vna
Camera Apostolica seu Fisco, nostro, & altera medietatibus tibi appli-
candorum, & insuper amissionis suorum librorum & aliorũ ut supra ap-
plicandorũ pœnis toties quoties per contrauenientes ipsa facto incurren-
dis, ne dicta commentaria modo quo ipse Dominicus ea imprimet, aut alijs
in toto vel parte quouis quaesito colore causa vel occasione, infra dictos
decem annos proximos imprimere seu imprimi facere, vel venalia tenere
aut proponere possit districtius inhihemus & interdiciamus: Mandantes
praeterea dilectis filijs Camerario ac Vicario dictae Urbis, necnon Guber-
natori, & Senatori, ac Camerae Apostolicae generali Auditori, alijsq. Urbis
iudici-

inducibus, Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Potestatibus terrarum, locorum et Ciuitatum S. Romana Ecclesia mediate, vel immediate subiectorum: eorumque locatenentibus, Barisellis, executoribus, alijsque ministris quibuscumque, Necnon Venerabilibus fratribus Archiepiscopis & Episcopis, eorumque Vicarijs & officialibus in toto orbe Christiano nunc & pro tempore existentibus Quotiens à te vel tuis heredibus & successoribus ac ab eis ius & causam habentibus, vel eorum nominibus requisiti fuerint, tibi seu heredibus, & alijs predictis efficacis defensionis presidio assistentes, ac in praemissis omnibus & singulis contra inobedientes, & contrauenientes ad executionem censurarum & poenarum predictarum omni & quacumque appellatione remota, & absque aliqua desuper facienda declaratione, ac omni mora cessante, de facto procedant, & quilibet eorum procedat, innocato etiam ad hoc si opus fuerit, brachij secularis auxilio. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrarijs quibuscunque. Et insuper quia difficile foret presentes litteras ad qualibet loca deferri, Volumus & dicta Apostolica auctoritate decernimus, quod ipsarum litterarum exemplis & commentarijs prefatis per impressorem praefigendis plena & eadem prorsus fides ubique tam in iudicio, quam extra adhibeatur qua eisdem litteris adhiberetur si exhibita & ostensa forent. Datum Tusculi sub Annulo Piscatoris Die prima Octobris MDLXXIII. Pontific. Nostri Anna Duodecima.

Alexander Peregrinus.

A. Stephaneus.

BEATISSIMO PATRI, ET
DOMINO D. GREGORIO XIII.

PONT. OPT. MAX.

Franciscus Band. Picolomineus Archiepiscopus
Senensis perpetuam felicitatem.

no. 22



V M Ioannes Picolomineus Cardinalis Senensis, Ostiensisque episcopus humanissimus auunculus meus, apud quem perbenigne educatus sum, in me Archiepiscopatum Senensem transtulisset, opesque mihi praeterea non paucas dedisset, addidit etiam suam bibliothecam instructam plurimis & optimis codicibus ad omnes hominis ingenui studio dignas artes pertinentibus, quarum ipse peritissimus erat. Qui quidem codices mihi pergrati fuerunt; sed vnus longe gratissimus inter eos inuentus accuratissime manuscriptus, & delineatus in membranis, quo res gestae temporibus Pij Papae secundi, qui ipsius Cardinalis Senensis auus fuerat, continebantur à quodam Ioanne Gobellino ipsius Pij secundi familiari satis luculenter, ut ea erant tempora, in commentarium relatae, atque descriptae. Hunc ego dum essem iuuenis per sepe legi; multaque in eo, ne dicam omnia non commendatione solum, sed admiratione digna iudicavi: cumque iam pridem in animo haberem eum librarijs publice describendum dare ad publicam vtilitatem, multa acciderunt, quae me à suscepto consilio retardarunt: verum cum interea animaduertere multa ipsorum commentariorum fragmenta varijs scatenis erroribus passim legi; haberi que à nonnullis libros manuscriptos sub titulo commentariorum Pij Papae secundi, qui adulterina multa, & falsa continerent; dolui equidem vehementer, tum quod ipsius Pij res praclarissime gestas ita turpiter foedari aegre ferre, tum quod

veterer

inducibus, Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Potestatibus terrarum, Locorum et Civitatum S. Romana Ecclesia mediate, vel immediate subiectorum: eorumque locatentibus, Barisellis, executoribus, alijsque ministris quibuscunque, Necnon Venerabilibus fratribus Archiepiscopis & Episcopis, eorumque Vicarijs & officialibus in toto orbe Christiano nunc & pro tempore existentibus Quotiens a te vel tuis heredibus & successoribus ac ab eis ius & causam habentibus, vel eorum nominibus requisiti fuerint, tibi seu heredibus, & alijs predictis efficacis defensionis presidio assistentes, ac in premissis omnibus & singulis contra inobedientes, & contrauenientes ad executionem censurarum & pœnarum predictarum omni & quacunq; appellatione remota, & absque aliqua desuper facienda declaratione, ac omni mora cessante, de facto procedant, & quilibet eorum procedat, innocato etiam ad hoc si opus fuerit, brachij secularis auxilio. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrarijs quibuscunque. Et insuper quia difficile foret presentes litteras ad qualibet loca deferri, Volumus & dicta Apostolica auctoritate decernimus, quod ipsarum litterarum exemplis & commentarijs prefatis per impressorem prefingendis plena & eadem prorsus fides ubique tam in iudicio, quam extra adhibeatur qua eisdem litteris adhiberetur si exhibita & ostensa forent. Datum Tusculi sub Annulo Piscatoris Die prima Octobris M D LXXIII. Pontific. Nostri Anna Duodecimo.

Alexander Peregrinus.

A. Stephanelius.

BEATISSIMO PATRI, ET
DOMINO D. GREGORIO XIII.
PONT. OPT. MAX.

Franciscus Band. Picolomineus Archiepiscopus
Senensis perpetuam felicitatem.

2022



V M Ioannes Picolomineus Cardinalis Senensis, Ostiensisq; episcopus humanissimus auunculus meus, apud quem perbenigne educatus sum, in me Archiepiscopatum Senensem transtulisset, opesq; mihi præterea non paucas dedisset, addidit etiam suam bibliothecam instructam plurimis & optimis codicibus ad omnes hominis ingenui studio dignas artes pertinentibus, quarum ipse peritissimus erat. Qui quidem codices mihi pergrati fuerunt; sed vnus longe gratissimus inter eos inuentus accuratissime manuscriptus, & delineatus in membranis, quo res gestæ temporibus Pij Papæ secundi, qui ipsius Cardinalis Senensis auus fuerat, continebantur à quodam Ioanne Gobellino ipsius Pij secundi familiari satis luculenter, vt ea erant tempora, in commentarium relatæ, atq; descriptæ Hunc ego dum essem iuuenis per sepe legi; multaq; in eo, ne dicam omnia non commendatione solum, sed admiratione digna iudicavi: cumq; iam pridem in animo haberem eum librarijs publice describendum dare ad publicam vtilitatem, multa acciderunt, quæ me à suscepto consilio retardarunt: verum cum interea animaduertere multa ipsorum commentariorum fragmenta varijs scæntia erroribus passim legi; haberiq; à nonnullis libros manuscriptos sub titulo commentariorum Pij Papæ secundi, qui adulterina multa, & falsa continerent; dolui equidem vehementer, tum quod ipsius Pij res præclarissime gestas ita turpiter scædari ægre ferrè, tum quod

vererer

vereretur ne ab hæreticis in deteriore parte omnia accipien-
 tibus, recta deprauantibus, sincera corrumpentibus tam tur-
 piter mutatus, & à se ipso diuersus diulgaretur. Hæ itaque,
 atq. aliæ causæ me, vt dixi, iam pridem cupientem impulerunt,
 vt quamprimum liber hic suo proprio nitore ornatus, & pu-
 ræ veritati consentiens prælo subijceretur: idq; eò libentius
 feci, quòd cum Dei Opt. Max. auxilio ad hæc vestra Sanctissi-
 me Pater, felicia tempora sustentatus fuerim, in quibus am-
 plissimus datus est Vestra liberalitate omnibus virtutibus
 campus, licet illum excellentibus Typographis, quorum in-
 gens numerus in Urbem maximis à Beatitudine Vestra præ-
 mijs excitatus conuenit, nouo & venusto caractere impri-
 mendum tradere; sicuti permulti ad omne genus honestarum
 artium pertinentes libri Vestræ Sanctitatis sumptibus ab ijs-
 dem imprimuntur, vt facilius iuuenes & Latini, & Græci, &
 Hebræi quoq; in tot amplissimis collegijs à Beatitudine Ve-
 stra ædificatis cõmorantes puram, ac veram doctrinam hau-
 riri queant, habeantq; Vestro beneficio templa, & monastè-
 ria eadè Vestra liberalitate constructa, atq. dotata, vbi meritas
 Deo Opt. Max. laudes quotidie cõcinant. Vobis itaq; Pater
 Sanctissime pio in primis, & in omne hominum genus be-
 nefico Pontifici, Pij Pontificis commentariorum librũ dica-
 re volui vt sub tanti successoris nomine tutus haberi & legi
 possit. Huc accedit, quòd cum ego à Sanctitate Vestra tot gra-
 tijs, & beneficijs affectus fuerim, nec meæ vires eæ sint, ex
 quibus aliquid Vestro nomine dignum Vobis offerri queat;
 hoc saltem signo mei deuoti animi obseruantiam, & benefi-
 ciorum memoriam ostendere volui. Sanctitatẽ itaq; Vestram
 supplex oro, vt munus quaecunq; est, ipsius Pij Vestræ Bea-
 titudinis prædecessoris exemplo, qui à pastore lac vasculo li-
 gneo inclusum blande & comiter accepit, grato animo acci-
 pere ne dedignetur. Beneualeat & diutissime viuat Christia-
 næ reipublicæ decus, ac cõlumen. Romæ. VIII. Cal.
 Martias. M D LXXXIV.

COMMENTARIORVM PII II.
 PONTIFICIS MAXIMI
 P R A E F A T I O.




I perit morte animus (vt falso cen-
 suit Epicurus) nihil habet fama quod
 ei conferat : sin viuit corporea mole
 dimissa, aut miseram accipit sortem,
 aut felicibus commiscetur spiritibus.
 Miseria nulla inest voluptas, vel fa-
 ma cõsolatio; & beatorum plena felicitas nec laude mor-
 talium augetur, nec vituperio comminuitur. Quid est
 igitur quod tantopere boni nominis gloriam quarimus?
 fortasse qui purgantur animi dulcedinem aliquam hau-
 riunt relicta in terris fama? At dicant contentiosi quic-
 quid velint, dum viuẽtes oblectari gloria, quæ adest, &
 quæ post obitum futura speratur, minime negent. Hac est
 enim, quæ clarissimas alit mentes, & ultra spem vitæ
 caelestis, quæ cum aduenerit, numquam finietur, huma-
 num fouet, ac recreat animum. Magnopere vero interest
 boni principis de sua fama esse sollicitum, quem in terra
 viuẽtem, (vt mortalium felicitas comitem habere solet
 inuidiam) plerunq; omnium fere lingua vituperant,
 at pereunte cum vita simul inuidia, mortuum laudant:
 maxime vero Ro. Pontificem, quem summo loco consti-
 tutum pro suo quisq; liuore dijudicat. Martinum quin-
 tum vidi, & Eugenium quartum, & Nicolaum item
 quintum, & Calistum tertium, quos dum vixere dam-
 nauit

nauit populus, fato defunctos magnis extulit praconijs.
 Sequuntur Vicarij suum Dominum saluatorem Chri-
 stum, quem dum vixit inter homines, demonium habe-
 re dixerunt, pendentem in cruce mortuum filium Dei
 recognouerunt. Non est seruus maior domino suo, non
 parcat Pio secundo Pontifici Max. lingua dolosa, quae
 tot Christi Vicarijs, & ipsi Christo non pepercit. Cessabit
 inuidia post obitum, & sublati qui iudicia peruertunt
 priuatis affectibus, verare surget fama, Piumq. inter
 claros Pontifices collaudabit. Interea nos de Pontifica-
 tu suo historiam conscribemus: in cuius fronte non ab-
 re fuerit pauca de origine sua familia, atq. de his quae
 ante Apostolatam ab eo gesta fuere, quae breuissime
 praemittere, ut intelligant posteri quo modo Ae-
 neas Siluius antea dictus ad beati Petri
 cathedram peruenerit, & Pij secun-
 di nomen assumpserit. Tu
 qui haec aliquando lege-
 ris, ita demum
 boni
 consule, ut mentienti
 nihil igno-
 scas.



SANCTISS. D. N. GREGORIO. XIII.
 PONTIFICI. MAXIMO



M. Antonius Muretus.



Vi tibi ab Eo repetitas littore conchas,
 Diuitis aut auri pondera multa ferat,
 Illum ego scire negem, quae tu, Pater optime, dona
 Longe auro & gemmis anteferenda putes.
 Vna tibi virtus, virtus in amoribus vna est,

Verae & virtutis gloria vera comes.
 Ergo ut amans tabulis dominae referentibus ora
 Gaudet, & ante oculos semper habere cupit:
 Sic te expressa iuuat verae virtutis imago:
 Nec tabula est oculis gratior vlla tuis.
 Tale igitur munus tibi nunc Picolominus offert
 Senensis praesul gloria magna soli:
 Bisseno Aeneae conclusa volumine facta
 Pontificis vere nomine reg. Pij.
 Qui virtute olim sedem prouectus ad istam,
 Ad quam eadem virtus te Pater alma tulit.
 Ingentes toto compestuit orbe tumultus,
 Et placido reges foedere composuit,
 Hortatus bellum Christi conuertere in hostes
 Atque Asiam illorum faucibus eripere.
 Ad quae se accingens magno molimine coepta,
 Multa bonis frustra flentibus, occubuit.
 Forsan & hanc Christus, Princeps ter maxime, laudem
 Seruatam in tempus distulit usque tuum:
 Thracius ut tandem, posita feritate, tyrannus
 Collatus ultro subiiciat pedibus.
 Ota sit: cumuletq. tuas haec gloria laudes:
 Gregorij hic titulis adijciatur honos.
 Interea haec placido vultu cape munera: eiq.
 Qui tibi summissus porrigit illa, faue.
 Ille Pij, ut nosti, genus alto a sanguine ducit:
 Nec vixit priscis insitandus auis.
 Plurima sed tractans, & maxima munera, semper
 Se culpis expertem omnibus exhibuit.
 Nunc exacta aetate illud sibi postulat vnum,
 Ut se haud ingratum sentiat esse tibi.

DE PII SECUNDI PONT. MAX. COMMENT.
 ab Illustris. & Reuerendis. D. Francisco Ban. Picolomineo
 Archiepiscopo Senen. in lucem editis Caesaris
 Maluicini Viterbien. V. I. doct. carmen
 artificio contextum.

FRANCISCVS DIVINAPI IDECRETA SECUNDI
 REDDITVNCORBINOTVMPIETATEVOLVMEN
 ANTEANONREGTSCONSULTINEVETRIBYNAL
 NOVITVELATVMNEBVLOSANOCTISAMICTV
 CANDIDEDVXVATVMDICTABISTALIADONEC
 IYNGATEVMDIVISAETERNAEGLORIAFAMAE
 SEROISPROPATRIAE NEXV VOTOQSVPREMVM
 CLARIOPV SINSOLIS META SEDYXITABORCO
 VIRSAPIENS CVRISQBONISVNAPOTIORSVB
 SPESOLANSDEAMITISPACBASPERAMENTIS
 PRAESTETDEVINOMOTVPIACOPIAPOSTHAC
 IISLVCEMLIBRISSITLVXDVRABILISORTV
 ACVELVTIECAELOLVNAECVMLVCEFFERATVR
 DEBETEOPFELIXNOSTRIPROTEMPORESECLI
 ORATORMANEVTSOLEXORIENTECATHEDRAS
 NOMENREVIVAXORNARECOLORIBVSAVREIS
 ABSINTCOCTIENORONASCENTIAINAESTV
 PRONAVTSICOMERIVISAEVICEDEATEDACIS
 IMONSELETHESHACREINGVRGBITEMERGAT
 INFELIXDVRVMQIVGVMCRCVCEMLITEMOTV
 NAVIGIIDEMATCOLLOGRAIVMOBVIVSEXVL
 VINDEXOLIMGRAEGIAEVTOCITVTORAVITI
 DEVICTOVIVIRESEXCVTITARMAQFRANGIT
 AHDVXLVCISOVANSEREBITVNVBILAPELLB
 TVVOTAHISTORIISETNOMENDAFORREELIX
 ALMAPIISANCTOPIETASEPECTOREFVLSIT
 SAEVAPEREVROPAEFINESDVMBELLAFFVERE
 ETRVITIMPERIINOTVMVISTVRCICANOMEN
 CENTVMREXVREBESCEPITIAMMOENIATVTAE
 VIDITETITALIAEATDVRISCONFIDEREB.
 NONEAROMAVALETBELLIVISIMPIAFERTVR
 DEBESERGOPIOILLIDEINQVITALIACAELI
 INLVCEMEXCAECIS EDYXITIVRETENEBRIS

Idyllium CIO CLXXXIX est contextum litteris, Tria enim & triginta sunt carmina, quae primum se legentium oculis offerunt; quattuor vero latent: sed quodlibet tres & triginta litteras continet. Ex primis & ultimis litteris singulorum carminum a sumo, ad imum simul iunctis duo colliguntur ex interiore spatio: vbi possunt insignia Pontificis apponi vnu a nono vsq; ad xvij. alterum a xix. vsq; ad xxvj. Ea sunt. Bis potuit Lunas triplex ornare corona: Acte iugum collo Graeciae vt excuteret. Nam ex hac familia duo fuerunt Pontifices. Quarum litterarum omnium numerus si disponetur in perfecti quadrati speciem cum insignibus in medio sinu expressis, facile quivis vno coniectu oculorum intelliget.

COM.

COMMENTARIORVM
 PII. II. PONT. MAX.

LIBER PRIMVS

De origine Picolominea domus, & Pij Maioribus.



BAMILIA Picolomineorum ex Roma in Senas translata, inter vetustiores & nobiliores ciuitatis habita, dum optimates reipublicae praefuerat, & litteris & armis claruit, pluresq; arces & castella obtinuit, sed a nobilibus in plebem deriuato regimine, sicut & ceterae nobilium, sic & Picolominea domus humiliata est. Superfuit tamen auo Aeneae Siluio non tenue patrimonium, ex quo potuit vitam honestam ducere: sed iuuenis immatura morte decessit, relicta Montanina vxore praegnanate, ex qua natus est Siluius posthumus, quo pupillo bona eius sub tutoribus & actoribus dissipata sunt. Hic tamen educatus ingenue litteris ediscendis traditus est, qui liberalibus artibus eruditus, vbi adoleuit, in militia profectus, varijsq; casibus actus, tandem domum redijt, vendicataq; patrimonij tenui portione, Victoriā ex domo Forteguerrarū, qui patroni sunt ecclesiae Senensis, quamuis nobilem virginem, tamen pauperem duxit vxorem, quae adeo foecunda fuit, vt saepe gemellos pepererit. Ex ea Siluius duodeuiginti liberos sustulit, non tamen vltra decem simul aggregauit: quos vrgente inopia Corfiniani, quod est oppidum vallis Vrciae, nutriuit: sed omnes tamen iniqua lues extinxit, duabus tantum sororibus Laudomia, & Catherina cum Aenea superstitibus.

Aeneas etiam patris Siluij nomen accepit: & ob reuerentiam Apostoli, quem Indorum barbari decoriarunt, Bartholomaei, (tritonimus enim fuit) Aeneas Siluius Bartholomaeus appellatus: editus autem est in lucem ipsa luce sancti Euangelistae Lucae, xiiii. Kal. Nouembris, anno salutis quinto supra millesimū, & quadringentesimum. Hic in pueritia trium annorum, dum ludit inter aequales, muro lapsus alto, & in saxum allisus, in-

Aeneae ortus & puerilia discrimina, ac rudimenta, & progressus etatis.

A gens

gens capitis vulnus accepit, quod præter spem, & opinionem A parentum Nicolaus Monticulanus, qui eum de sacro fonte leua uerat, sine litteris medicus (vt dicunt) empiricus breui curauit. Annum agens octauum in bouem cornupetam cum incidisset percussus, & in altum iactus, diuino magis auxilio, quam ope humana mortis periculum euasit. Exinde cum diu apud patrē ciuili exercitatione quæuis officia ruris, animi leuandi causa, prout à nobilibus fieri solet, obiisset, annos iam duodeuiginti natus in urbem migravit, exceptusq. apud necessarios, qui bonæ fragis adolecentē minime relinquendū existimabant, audire grammaticos cœpit, deinde poetas, & oratores auide sectatus, postremo ad ius ciuile se contulit: cuius professores cum aliquot annos audiuisset, exorto inter Senenses, ac Florentinos graui bello, & litterarum studia intermittere, & patriæ dulce solum relinquere coactus est. Fortefortuna tunc affuit Dominicus Capranicus, quem Martinus Papa Quintus ad cardinalatus honorem vocauerat, successor Eugenius Quartus repudiauerat.

Aeneas Firmani secretarius, profectus cum eo in Basileam, & reditus in Italiã cū Bartholomæo Episcopo Nouariensi, eius que Oratio in schola Papiensi.

Concilium eo tempore apud Basileam Heluetiæ urbem Rhe no adiacentem indictum, cœptumque fuit: Dominico, qui Romæ contemnebatur, Basileæ suam dignitatem vindicare propositum erat. Ab hoc Aeneas in secretarium receptus, Plumbinum, quod Populinum alij vocant, ex Populoniæ ruinis ædificatum, cum eo venit. Ibi, cum Dominicus, quia terra non patebat, iter per mare Ligusticum Genuam petere instituisset, iamq. nauis in cōspectu esset, qua traicere animus erat, Iacobus Appianus tyrannus loci, quamuis amicum se fingeret, Dominicum, ne quod ueheret nauigium, inhibuit: at ille ybi dolosensit, egressus oppidum vno tantum comite ad littus profugit: atq. ibi lembum nactus, ad nauim, quæ in alto pelago vagabatur, excurrit. Quo intellecto, ceteris, qui de familia Dominici fuerunt, data est nauigandi facultas: nec enim plumas tyrannus insequendas putauit, qui carnes amisisset. Sequenti die Aeneas, & Petrus Noxetanus, qui etiam Dominici secretarius fuit, omnesq. domestici, qui noctem in Ilua insula sub diuo pergelidam duxerant, in nauim ad Dominicum peruenerunt. At cum Genuam tenderent, ingentibus iactati procellis in conspectum Libyæ delati sunt, timentibus admodū nautis, ne barbaris portibus redderentur: quamuis mirabile dictu, & auditu prope incredi-

A credibile, certum tamen est eos vna die, ac nocte ab Italia soluentes inter Iluam, & Corsicam in Africam propulsos: rursus mutatis ventis retrouectos inter Corsicam, & Sardiniam fluctuantes magis quam nauigantes ad Italiam reuersos portum Veneris appulisse: vbi recepta triremi felici nauigatione Genuam, atque inde Mediolanum terrestri itinere petierunt: ibi magnum illum Ducem, & fama clarum Philippum Mariam viderunt: nec diu morati per alpes quas sancti Gothardi appellāt, niue glacieque rigentes, ac ræruptos & cælo vicinos montes Basileam venere. Sigismundus Imperator per id tempus Parmæ hiemabat, Romam ætate sequenti concessurus. In Basileâ Dominicus apud synodum cardinalatus causam mouit, atque Aenea procuratore restitutus est dignitati. At cum Dominicum paupertas premeret, quia prohibente Eugenio nil ei propinqui ministrabant, Aeneas ad Nicodemū Scaligerum episcopum Frisigensem, cuius pater apud Veronam tyrannidem obtinuerat, & illo ex Basileâ recedente ad Bartholomæum vicecomitem episcopum Nouariensem sese recepit, ab utroque dictandi, atque signandi epistolas officio præpositus. Cum Nicodemo ad Principes electores, qui Frankfordiæ conuenerant, profectus est: cum Bartholomæo in Italiam redijt: diuq. apud Philippum ducem Mediolani, cui Bartholomæus seruebat, versatus est. In eius senatu cum duo de rectoratu scholæ Papiensis contenderent, alter Mediolanensis, genere clarus, ex domo Crottiadū, alter Nouariensis, humili familia natus, & Mediolanensi pars maior vniuersitatis, faueret, qui iam magistratus insignia assumpserat, ac duos patruos in consilio principis admodum potentes habebat, Aloisium, & Lanzellottum, Aeneas Nouariensis partes accepit, tantūq. sua oratione contendit, vt crepta Mediolanensi dignitas Nouariensi traderetur.

D Interiecto deinde tempore ad Eugenium, qui Florentiæ sedebat, cum Bartholomæo perrexit: inde ad Nicolaum Piccininū clarum illius ætatis & præcipuum belli ducem, apud balneas Senenses lauantem, non paruis de causis diuertit, ac tum primum suos necessarios, & amicos reuisit veteres, dies quinque apud eos manens. At cum redijisset Florentiam, comperit Bartholomæum apud Eugenium magnis de rebus accusatum capitali iudicio laborantem: ob quam causam ad Nicolaum cardinalem sanctæ Crucis probatissimum, & laudatissimum patrem

Fit Aeneas Secretarius cardinalis Sanctæ Crucis, cum quo in Franciã proficiscitur, ab eodemq. postea in Scotiam mittitur.

confugit, qui & ipsum in secretarium accepit, & Bartholomæum **A** è manibus Eugenij liberavit. Thoma Sarezano magistro domus, qui postea summi Pontificis cathedram ascendit, Nicolaus Papa Quintus appellatus, ac Petro Noxetano, cuius supra mentio facta est, fauentibus, atque optantibus, cardinalis sanctæ Crucis eo tempore legatus in Franciam designatus erat, inter Carolum Francorum, & Henricum Anglorum reges pacem compositurus: cum eo Aeneas tertio Mediolanum, & vrbis ducem vidit, atque inde montem Iouis, quem sancti Bernardi melius hodie vocitant, ad Amedeum Sabaudia ducem, qui tunc spreto sæculo in eremo apud Thononium supra lacum Lem- **B** num magis voluptuosam quam pænitentialem cum sex viris equestris ordinis, qui secum penulam, & baculum assumpserat, vt mos est eremitis, vitam degebat: credo, quod post annis octo secutum est, expectans ad summi Pontificatus cathedram per patres, qui Basileæ conuenerant, euocari: nam & tunc rumor increbruerat Amedeum Papam futurum. Eo salutato Cardinalis Basileam venit, atque inde per Rhenum Coloniam Agrippinam nauigauit: vbi rursus equis conscensis per Aquisgranum, Leodiumque, atque Louanium, Duacum, & Tornacum in **C** Atrebatem descendit, vbi conuentus totius Gallia, & Anglia cardinalis morabatur. Dux Burgundorum Philippus per id temporis aduersus regem Francia, qui patrem eius occiderat, Anglicorum parti fauebat. Cardinalis primum pacem vniuersalem componere studuit: id vbi successit, Philippum, qui regni Anglia tamquam regnum Francia ad eum pertineret, fidem dederat, iuramento absolutum Regi Francia reconciliauit: tum quoque de bono pacis Aeneas ad Philippum epistolam versu conscripsit. Prius autem quam Philippus ab Anglicis deficeret, cardinalis Aeneam in Scotiam misit, qui prælatum quendam in regis gratiam reduceret.

Alphonfi captiuitas, & Aeneæ in itineribus graui pericula marisq. procellæ, & Anglia mirabilia.

D Per id temporis rex Aragonum Alfonso cum fratribus, & omni nobilitate regnorum suorum per Genuenses, sub auspicijs Philippi ducis Mediolani, maritimo bello victus, & captus est. Aeneas, vt Calesum venit, quod est oppidum continentis in Oceani ripa obiectum, Anglis mox quasi suspectus, apud hospitem commendatus, neque progredi, neque regredi permissus: auxilio fuit cardinalis Vintoniensis, qui ex Atrebato rediens dimitti eum iussit. At cum venisset Aeneas ad regem Anglia,

A glia, litterasq. peteret, quibus in Scotiam tutus iret, retrocedere iussus est, timentibus Anglicis ne apud regem Scotia hostem suum contra se aliquid moliretur, quem constabat cardinalis sanctæ Crucis esse secretarium: & illum Anglici singularibus inimicijs insectabantur, qui ab eis Burgundorum ducem alienasset, quæ res penitus Aeneam latebant, grauis sibi, sed necessarius reditus fuit, quo frustra se maris periculo commisisset: placuit tamen, quia populosas ditissimasque Londonia vidit, & sancti Pauli nobile templum, regumque mirificas sepulturas, & Themisiam fluuium non tam velocius euntem, quam **B** redeuntem, pontemq. instar vrbis, & villam in qua nasci caudatos homines fama prædicat, & (quod omnibus nomē aufert) aureum diui Thomæ Cantuariensis mausoleum adamantibus, vnionibus, atque carbunculis tectum, ad quod materiam argento viliores nefas offerre ducunt. Remenso igitur mari, ad oppidum, quod Bruggis vocant, se contulit, atque inde Clufas petijt, vbi portus est totius Occidentis frequentissimus: vbi nauem ingressus, dum Scotiam petit, in Noruegiam propellitur, duabus maximis iactatus tempestatibus, quarum altera quatuordecim horas mortis metum incussit, altera duabus noctibus, **C** & vna die nauim concussit, atque in fundo perfregit, adeoque in Oceanum, & Septentrionem nauis excurrit, vt nulla iam cæli signa nauæ cognoscentes spem omnem salutis amitterent: sed affuit diuina pietas, quæ suscitatis aquilonibus nauim ad continentem repulit, ac duodecimo tandem die terram Scotiam patefecit: vbi apprehenso portu Aeneas ex voto decem millia passuum ad beatam Virginem, quam de Alba ecclesia vocitant, nudis pedibus profectus, cum illic horis duabus quieuisset, assurgens moueri loco non poterat debilitatis atq. obstupefactis hie mali frigore pedibus. Saluti fuit nihil edendum illic inuenisse, **D** atque in aliud rus migrandum fuisse: quo dum famulorum ope magis portatur, quam ducitur, pedetentim terram quatiens calefactis pedibus ex insperato sanitate recepta ambulare cepit. Ad regis denique præsentiam intromissus, nihil non impetrauit ex his, quæ petitum venerat: sumptus ei viarum restituti sunt, & in reditum quinquaginta nobilia, ac duo equi quos gradarios appellant, dono dati.

De Scotia hæc relatu digna inuenit. Insulam esse Anglia cōiunctam, in septentrionem portentam ducenta millia passuum

Scotorum mores varij, & quæ apud eos nascuntur, & Aeneæ contentia eisq. diuina ope sublatum periculum, ac per Angliam vaferrimus transitus.

longitudinis, quinquaginta latitudinis habentem, terram frigidam, paucarum frugum feracem, magna ex parte arboribus carentem: subterraneum ibi esse lapidem sulphureum, quem ignis causa defodiunt: ciuitates nullos habere muros, domos magna ex parte sine calce constructas, villarum tecta de cespitibus facta, hostia rusticana corio bouum claudi: vulgus pauper, & incultum, carnes, & pisces ad saturitatem, panem pro obsonio comedere: viros statura paruos, & audaces, feminas albas, & venustas, atque in venerem procliuēs: basiationes feminarum minoris illic esse, quàm manus in Italia tractationes: vinum non haberi nisi importatum, equos natura gradarios omnes, paruique corporis inueniri, paucis pro femine seruatis reliquos castrari solitos, neque fricari equos ferro, aut ligno pecti, neque frænis regi: ostrea illic maiora quàm in Anglia reperiri: ex Scotia in Flandriam corium, lanam, pisces falsos, margaritasque ferri: nihil Scotos audire libentius quàm vituperationes Anglorum: Scotiam duplicem dici, alteram cultam, alteram siluestrem, agro carentem: siluestres Scotos lingua vti diuersa, & arborum cortices nonnumquam habere pro cibo: in Scotia non inueniri lupos: Cornicem nouam esse, atque idcirco arborem, in qua nidificauerit, regio fisco cedere: hiemali solstitio (tunc enim illic fuit) diem non vltra quatuor horas in Scotia protendi. Peractis rebus cum redeundum esset, è vestigio magister nauis, qui eum vexerat, ad Aeneam accedens locum redeunti in nauis obtulit, quem prius habuerat: cui Aeneas nõ tam futuri præsciis, quàm præteriti periculi memor, Si frustra Neptunum, inquit, accusat, qui bis periculum incidit, quid in eum dicere oportet, qui tertio naufragium patitur? hominum ego quàm maris experiri misericordiam malo: dimissoque nauta, iter sibi per Angliam delegit. Nec mora, soluens à portu, nauis in conspectu omnium tempestate vexata collisa & submersa est, magistro, qui rediturus in Flandriam nuptias cum noua sponsa celebraturus erat, & omnibus alijs voragine maris absortis, præter quatuor, qui arreptis quibusdam tabulis nantes euasere. Tunc se diuino nutu, beneficioque seruatum Aeneas intelligens, dissimulato habitu sub specie mercatoris per Scotiam trāsiiit in Angliam. Fluuius est, qui ex alto monte diffusus vtramque terram determinat: hunc cum nauigio transmeasset, atque in villam magnam circa solis occasum declinasset, in domum rusticanam descendit, atque

atque ibi coenam cum sacerdote loci, & hospite fecit: multa ibi pulmentaria, & gallinæ, & anseres afferebantur in esum, sed neque vini, neque panis quicquam aderat, & omnes tum feminae vtrique villæ, quasi ad rem nouam accurrerant: atque vt nostri vel Aethiopes, vel Indos mirari solent, sic Aeneam stupentes intuebantur, quærentes ex sacerdote cuias esset, quid nam facturus venisset, Christianam ne fidem saperet. Edoctus autem Aeneas itineris defectum, apud monasterium quoddam panes aliquot, & vini rubei metretam receperat, quibus expositis maior admiratio barbaros tenuit, qui neque vinum, neque panem album viderant. Appropinquabant autem mensæ prægnantes feminae, earumque viri attrectantes panem, & vinum odorantes portionem petebant, inter quos totum erogare necessum fuit. Cumque in secundam noctis horam coena protraheretur, sacerdos, & hospes cum liberis, virisque omnibus Aenea dimisso abire festinantes, dixerunt se ad turrim quandam longo spatio remotam metu Scotorum fugere, qui fluuio maris refluxu crescente noctu transire, prædarique soleant, neque secum Aeneam multis orantem precibus quoquo pacto adducere voluerunt, neque feminarum quampiam, quamuis adolescentulam, & matronam formosam cõplures essent: nihil enim his mali facturos hostes credunt, qui stuprum inter mala non ducunt. Mansit ergo illic solus Aeneas cum duobus famulis, & vno itineris duce inter centum feminas, quæ corona facta medium claudentes ignem, cannabumque mundantes, noctem insomnem ducebant, plurimaque cum interprete fabulabantur. Postquam autem multum noctis transierat, latrantibus canibus, & anseribus strepitibus ingens clamor factus est: tumque omnes feminae in diuersum prolapsæ, dux quoque itineris diffugit, & quasi hostes adessent, omnia tumultu completa. At Aeneæ potior sententia visa est in cubiculo, id enim stabulum fuit, rei euentum expectare, ne si foras curreret ignarus itineris, cui primum obuissset, ei se prædam daret: nec mora, reuersæ mulieres cum interprete nihil mali esse nuntiant, atque amicos, non hostes venisse. Qui vbi dies illuxit, itineri se commisit, atque ad Nouum castellum peruenit, quod Cæsaris opus dicunt: ibi primum figuram orbis, & habitabilem terræ faciem visus est reuifere: nam terra Scotia, & Angliæ pars vicina Scotis, nihil simile nostræ habitationis habet, horrida, inculta, atque hiemali sole inaccessa. Exinde de

Dunelmiam venit, vbi sepulchrum venerabilis Bedę presbyteri A sancti viri hodie visitur, quod accolę regionis deuota religione colunt. In Eborachum quoque descēdit, magnam, & populosā urbem, vbi templum est & opere & magnitudine toto orbe memorandum, & sacellum lucidissimum, cuius parietes vitrei inter columnas ad medium tenuissimas colligati tenentur. Inter equitandum comes ei vnus ex iudicibus Anglię factus est, qui tunc Lundonias ad iudicium properabat, hic omnia quę apud Atrebatum gesta erant, quasi ignaro Aeneę referebat: multa q. in cardinalem sanctę Crucis maledicta iactabat, quem lupum ouina pelle vestitum appellabat. Quis non eiusmodi fortunę B casus demiretur? Is Aeneam vsque Lundonias securum perduxit, qui si nouisset hominem, mox in carcerē coniecisset. In Lundonijs autem comperit Aeneas interdictum regis esse, ne quis peregrinus absque litteris regis insula exiret, neque illas petere tutū videbatur. Corrupti igitur pecunia custodes portus, quod apud id genus hominum minime arduum est, quibus nihil est auro dulcius. Ex Dubla igitur Daleium nauigauit, atque inde Basileam petijt, & itinere continuate Mediolanum: vbi certior factus cardinalem sanctę Crucis ex Florentia missum per vallem Atheſis, & montes, quos Arelatenſes appellant, Basiliense C concilium adire, ad eum superatis alpibus, quas Brigę vocitant, per vallem Seduni profectus est.

De gestis Aeneę in concilio Basiliensi, & eius beneficijs, & morbo apud Mediolanum grauiſſimo.

Referam nunc paucis, quę in Basiliensi concilio Aeneę obtigerunt, & quę illic ab eo cum laude gesta sunt. Agebatur eo tempore de translatione concilij in alium locum, ad quem Gręci venturi putarentur: quatuorq. in electionem loca dabantur, quę pecuniam ad rem Gręcorum necessariam offerebant, Florentia, Vtinum, Papię, & Auennio: cumq. in laudem cuiusque loci in auditorio maximo copiose peroratum fuisset, solique Papię commendationes defuissent, quod Isidorus Rosatensis, quem Philippus Maria dux Mediolani ad eam rem miserat, inepte atque insulse verba faciens, quiescere iussus erat: Motus Aeneas & urbis egregię, & principis eius contemptu, conscripta per noctē oratione sequenti die ad conuentum veniens, obtenta ex auctoritate Iuliani legati copia dicendi, orationem duabus horis cum omnium singulari attentione & admiratione perorauit, cuius exemplar omnes, qui aderant, edi postmodum sibi curauerunt. Abhinc Aeneę & concilium gratius,

&

A & dux Mediolanensium fauentissimus fuit: namque quamuis solo psalmistatus caractere insignitus esset, tamen & scriptoris, & abbreviatoris officium assecutus est, in duodecimuiratu sæpe fuit, quod munus quamuis trimestre, tamen magni ponderis erat, nihil enim deputationes deliberare poterant, nisi materiam à duodecimuiris accepissent: neque ad concilium quicumquam admittebatur absque horum decreto. In deputatione sua, cui fidei nomen erat, sæpe præfedit. Clauis plumbi, quo Synodales litterę signabantur, frequenter in eius custodia fuerunt: inter scriptores nemo ad Rescribendarium sæpius electus B est: inter Abbreviatores parci maioris locum habuit: quoties è nationibus aliqui ad res singulares delecti sunt, raro is vnus non fuit: legationes synodales ei ad Argentinam tres, ad Constantiam duę, ad Frankfordiam vna, ad Sabaudium vna demandatę sunt, atque omnes feliciter obiuit. Cum præpositus sancti Laurentij Mediolanensis basilicę diem claudisset extremum, Franciscus Mediolanensium pontifex ingenti & doctrina & sanctimonia commendatissimus, mox approbante concilio Aeneam illi suffecit, quamuis essent complures & doctores, & magni viri natione Mediolanenses, qui se promotos optabant. C At cum in concione generali res ageretur, Isidorus Rosatensis æmulus Aeneę, quod in laudanda Papię se inaudito fuisset auditus, Quid agitis patres? inquit: electiuam præposituram Aeneę homini extero committitis? vbi decretum vestrū quod tantopere seruari præcipitis? beneficia in terra Mediolanensi absque scitu, & voluntate principis de vobis optime meriti confertis? ciues, & doctores spernitis? alienos eligitis? nisi capitulum in suo iure dimittitis, ruent conatus vestri, ridebiturq. prouisio. Tum Aeneas, Vehementer, inquit, admiror, patres optimi, Isidorum aduersum me verba facere, qui nuper ex Mediolano reuerſus litteras Philippi ducis ad me detulit, quibus ille princeps gratias mihi agit, quod eius causam hoc in loco peroraue- rim: atque ob eam rem gratum sibi esse affirmat in eius territorio quodcunque beneficium me acceptare, cuius libenti animo possessionem sit mihi daturus. Non igitur ille me extraneum habet: neque noua res est, vnus regionis homines in altera dignitates habere, si modo linguam norint: nam & archiepiscopus ex Bononia Mediolanum venit. Neque mouere quemquam debet, quod de decreto electionis obijcitur: inferiores enim, non concil-

concilium obligat: illis insuper capitulis electio dimittenda est, A
 quę plures graues canonicos, non quę duos tresve habent & le-
 ues, & indoctos, vt in ecclesia sancti Laurentij, de qua nunc agi-
 mus, qui tales sunt, vt habentes eligendi potestatem non eligat
 quidem, nisi iussi hunc aut illum eligere. Vos patres agetis vt
 libebit: nihil peto, quod vestro sit honori aduersum: quod si mi-
 hi prouidendum duxeritis, voluntatem vestram sine possessio-
 ne electioni capitulari cum possessione prætulim. Ad quæ
 cū Isidorus responsurus assurgeret, vniuersę concionis clamore
 correctus obticuit. At Aeneas Mediolanum profectus, nobilem
 quendam ex magna domo Landrianorum iussu ducis per capi- B
 tulum ad eam præposituram vocatum, & in possessionem ad-
 ductum inuenit, quem sibi mox cedere compulit, tantum Aeneę
 & princeps, & curia fauit. Sed obtenta præpositura, lectum egri-
 tudinis incidit, ingenti febre correptus, ad quem Philippus suū
 medicū doctū & letū virum Philippū Bononiensem, qui postea
 Nicolao Papæ seruiuit, singulis diebus mittebat. In hac egritu-
 dine cum pharmacum accepisset, neq. id quicquam operatum
 esset, potionemq. alteram sequenti nocte sumendam medicus
 præparasset, ipsa hora, qua ministrari secundum pharmacum
 debuit, moueri venter coepit, atque adeo vexauit hominem, vt C
 nonaginta vicibus assurgere cogeretur: ob quam rem mente
 alienatus ad portas (vt aiunt) mortis vsque cucurrit: quod si po-
 tionem alteram ebibisset, animam proculdio extenuatus atque
 consumptus exhalasset: quod certissimum Dei beneficium in-
 telligens, quamuis quinque & septuaginta dies continuo febris
 ardore quateretur, nunquam tamen adduci potuit, vt incanta-
 tores auscultaret, quamuis homo ad se adduceretur, quem no-
 uissime in castris Nicolai Piccinini duo millia virorum ex fe-
 bribus liberasse diceretur. Sed Deo fidens, cuius ope seruatus in
 vita fuerat, adhuc febricitans iter arripiens, inter equitandum D
 liberatus, Basileam reuersus est: vbi cum solemnitas ageretur
 diui Ambrosij Mediolanensis, inuitante archiepiscopo sermo-
 nem de laudibus sancti patris ad synodum habuit, quamuis
 theologi restitissent, qui sibi id muneris expetebant: sed prælatus
 cunctis Aeneas incredibili attentione ab omnibus auditus est.
 Interea mortuo Sigismundo Cæsare, atque Alberto in eius
 locum subrogato, missus ad eum Bartholomęus Nouariensis
 episcopus à Philippo duce Mediolani, cum Basileam venisset,
 Aeneas

De Sigismun-
 di Cæsaris
 morte, & Al-
 berti suffe-
 ctione, Aeneas
 pestilenti
 morbo, & mi-
 rabili cura.

A Aeneas vt in Austriam sibi comes iret, non paruis precibus im-
 petrauit. Nondum Albertus imperium acceptauerat, aduersan-
 tibus Hungaris, qui ea conditione susceptum Hungarię regnū
 dicebant, ne vel oblatum imperium assumeret: incertus autem
 quid ageret Albertus, legatos principum, qui aderant, consulen-
 dos censuit, tempusq. deliberantibus indulfit. Interim Bartho-
 lomęus rationes ab Aenea conscriptas accepit, quibus & impe-
 rium acceptandum, & Hungari ad consentiendum induci posse
 videbatur. Quas cū in concilio recitasset, gratiæ ei publicæ actæ
 sunt: & Albertus non consentientibus modo, sed vltro suadenti-
 bus Hungaris, imperatorem se dixit. At Aeneas Austrię mori-
 bus offensus, quos nondum plane norat, dimisso apud Viennā
 Bartholomęo, cum Ludouico patriarcha Aquilegiensi, homi-
 ne nobili ex ducibus Deck, Basileam redijt, nescius quod ma-
 gnæ vitæ partem in Austria postmodum esset acturus: nulli,
 hæc non ibo, dicere licet: prudens premit Deus caliginosa no-
 cte futurum. Hic annus apud Germanos neque vini, neque tri-
 tici ferax fuit. In Baioaria pueri passim, innuptæque puellæ ex
 transeuntibus panem petebant, atque vt inter canes ossa proie-
 cta, sic inter illos buccellæ panis iactatæ litem mouebat: nec diu
 C post affecuta est acerbissima lues, quæ totam Alemaniam infe-
 cit: hæc in Basilea Ludouicum patriarcham, Ludouicumque
 protonotarium Romanū, quem dicebant iuris lumen, extinxit:
 admodum multos prælatos morti dedit, infinitam plebem pro-
 strauit: tantaque rabies morbi fuit, vt amplius quàm trecenta
 cadauera vna dies sepelierit, tumque carissimos amicos Aeneas
 amisit, Iulianum Romanum, & Arnoldum Theutonicum,
 quibus agrotantibus vsque ad animæ transitum comes in-
 trepidus astitit. Sed neque ipsi pestis ignouit, qui vt se tactum
 intellexit, vocatis comitibus vt abirent suasit, ne sibi morituro
 D astantes inficerentur. Ex his Iacobus Ceruierus territus ex Basi-
 lea recessit: Andreas Panigalius constantioris amicitie socius,
 etiam si mori oporteret abiturum se negauit: Ioannes Steyno-
 sius Theutonicus tunc illi seruebat: ac Petrus Iuliani Roma-
 nus cum his habito de medicis consilio, cum accepisset duos
 esse in ciuitate celebres, alterum Parisiensem, & doctum, sed ir-
 religiosum, alterum Theutonicum indoctum, sed pium, Aeneas
 pietatem scientiæ prætulit: quia morbi pestiferi incertam
 esse curam sciebat. Curatio hæc fuit. Quoniam sinistrum
 inguen

inguen læsum erat, sinistri pedis vena aperta est: tum die tota, **A** & in partem noctis prohibitus somnus, exin pulvis quidam ebitus, cuius materiam reuelare medicus noluit: vlceri, & loco læso nūc rafani viridis succi pleni incisæ portiones, nunc madidæ cretæ frustra supponebantur. Inter hæc aucta febris ingentem capitis dolorem, ac salutis desperationem adduxit: quibus ex rebus vocari ad se sacerdotem Aeneas iussit, atque mox confessus, communicatus, atque inunctus est, nec diu post mente alienatus, interrogantibus aliena respondit. Tumq. fama vulgata est Aeneam mortuum esse, quæ res illi Mediolanensem præpositurâ abstulit, altero in possessione recepto, qui propter **B** diuisionem Ecclesiæ repelli non potuit. Sed miserante diuina pietate, post sex dies Aeneas conualuit, qui cum sex aureos medico in mercedem offerret (mira fides, bonitasq. viri, atque in medico forsitan inaudita) indignum se tanto præmio medicum existimans, Si hoc, inquit, auri me vis accipere, sex pauperes sine pretio ægrotos curabo, idq. facturum iureiurando se astrinxit. Exin vacantibus per obitum Ioannis Andreae Poloni canonicatu, & præbenda ecclesiæ Tridentinæ, concilium illos Aeneæ summo fauore contulit, quamuis competitors essent non pauci, neque contemnendi homines: ad quorum possessionem **C** capiendam profectus, Vilichinum quendam Theutonicum litigiosum, & versutum hominem, qui se ex auctoritate capituli in illis intruserat, placatis canonicis, & in suum fauorem adductis extrusit.

Depositio Eugenij in Concilio, & Felicis creatio, eiusq. Secretarius Aeneas.

Hoc tempore Basilienses Eugenium Papam suis decretis è summo pontificatu temere deiecerant, ac de includendo aliquo pro successore solliciti, ex qualibet natione octo viros assumpserant, ita vt essent duo & triginta, quibus eligendi Romani pontificis potestatem concesserant: cumque Italicos nominarent, Aeneam vocabant: & quia nondum sacris ordinibus initiatus **D** incapax eius officij videbatur, litteras ei dedere, quarum vigore vna die extra tempora à iure statuta subdiaconatum, & diaconatum cum minoribus ordinibus assumere posset: sed noluit Aeneas eam ob causam sacris se imbuere: conclaue tamen velut cæremoniarum clericus intrauit, viditq. cæremonias omnes, quibus vsi sunt Basilienses in electione Amedei ducis Sabaudie, quem Felicem Quintum Papam appellauerunt: ad quem Aeneas adhuc cretum colentem perrexit, atq. ab eo in scriniarium

rece-

A receptus, & in Ripalia, & in Thononio, & in Gebennis, & in Laufana, & in Basilea tãdiu ei seruiuit, donec Federicus tertius Romanorum rex, qui Alberto defuncto successerat, Frankfordiam, & Alemaniam partes inferiores petens, apud Aquisgranum regni coronam accepit: ad quem cū Felix legatos mitteret, Aeneam quoque iussit eo pergere: qui cum consiliarios Federici sæpius alloquitur, in amicitiam grauis & docti viri Siluestri Chiemensis episcopi recipitur.

Deinde Iacobi Treuerensis archipontificis, & electoris imperij, hominis, qui nobilitate cum virtute coniunxerat, in notitiã familiaritatemq. venit: atq. ab his in gratiã Cæsaris adductus, ac **B** laurea corona, poetarumque priuilegijs donatus, ei vt seruiret, suamq. curiam sequi vellet rogatus est: cui Aeneas cum nulli iustius quàm imperatori seruiturū responderet, quia tamen apud Felicem secretarij locū tenebat, indignum existimauit, iniussu eius in alterius domini potestatem transire: sed ait Basileã se reuersurum, Felicisq. voluntate quæsiturū: quã si assequi posset, non inuitum Cæsaris curiã secuturum. Cæsari, qui Basilea transiturus erat, non ingratum responsum fuit. At Aeneas cum ad Felicem rediisset, neque suo opte ingenio abeundi potestatem obtinere posset: interpositis tandem amicis ægre dimissus est: qui **C** ad Federicum transiens, cum is ex Burgundia reuersus Basileã petiisset, in secretarium admissus, in Romana cancellaria protonotarij locum obtinuit: iusiurandum apud Briscinam Cæsari præstitit: nam & ibi Gaspar Slichius cancellariam accepit, quã prius apud Sigismundum, & Albertum Cæsares obtinuerat, nobilis eques, ingenio prompto, & facundia grata, cui vel inaudita, vel rara laus obtigit, vt trium Cæsarum cancellarius fieret. Is, cum legatum Cæsaris apud Nurembergam ageret, regimẽ cancellariæ Vuilhelmo Taz homini Baioario, & Italicis nominis hosti cõmisit, à quo miris modis Aeneas afflictus est: qui cum statuisset malum in bono vincere, auriculas declinavit, vt iniquæ mentis asellus, cum grauius dorso subit onus: atque ita, licet vltimus omnium haberetur, neque in mensa, neque in cubiculo dignum se locum haberet, ac inuisus, vt hostis sperneretur, irridereturque, æquo animo tulit omnia: vnus tamen inter confecretarios fuit, qui cum mansuetiores amaret musas, & studia sectaretur humanitatis, Aeneam bene sperare iubebat, quia redeunte cancellario meliorem conditionem inueniret: **D**

Aeneas poetæ laurea corona donatus, ab Imperatore Protonotarius efficitur, eiusq. summa patientia, & legationes variæ.

neque

neque mentitus est: nam cum rediisset Gaspar, atque quid Aeneas valeret, nunc vna, nunc altera in re tentaret, cum reperiret ingeniosum, industrium, & laboris patientem hominem, magnificere, & præferre eum cœpit. Ad hæc accessit, quia cum Senis ageret Gaspar, eo tempore quo Sigismundus Imperator illic erat apud Nicolaum Lollium spectatum virum, eiusque coniugem nobilem matronam Bartholomæam Ptolemæam, Aeneæ amitam hospitium habuit, ac nepotem eius ex Margarita natum sacro de fonte leuauit, quem suo ex nomine Gasparem vocauit: ob quas res carior Gaspari factus, cum iterum ille in legationem abiisset, gubernationi cancellariæ præfectus est, eamque rexit quotiens Gaspar abfuit. At Vuilhelmus, qui primum Aeneam conculcabat, vereri eum coactus est, vt intelligerent omnes humilitatem facile tolli sursum, superbiam facilius deorsum ruere. Vuilhelmus tamen inuidiæ succumbens, imperialem curiam paulo post reliquit, ceteri in gratiam cum Aenea redierunt: qui apud Cæsarem in dies crescens, ad res magnas, & arduas vocatus, in consilium secretius tandem receptus est. Prima ei legatio apud Tergestinos fuit, quos Cæsari fidelitatem iurare suasisit, atque ab eis iusiurandum recepit. Exinde cum apud Nurembergam imperator, & principes electores ad sublationem controuersiæ intenderent, quæ inter Eugenium Quartum, & Felicem Quintum vigeat, placuissetque vt imperator quatuor viros eligeret, elector quilibet duos, & alius quiuis princeps vnum, qui auditis Eugenij, ac Felicis oratoribus prouiderent, ne quid respublica Christiana detrimenti pateretur: Federicus Cæsar hos nominauit, Siluestrum Chiemensem episcopum, Thomam Haselbachium theologum, Vlricum Sonnebergium, & Aeneam.

Sarantanae
Vallis descriptio,
& incolarum mores.

Interim Aeneas Sarantanae vallis parochialem ecclesiam fauore Cæsaris affecutus est, quæ aureos ei sexaginta quotannis reddidit: sita in alpibus, quæ Germaniam ab Italia determinant. Ea vallis vno tantum aditu, eoque altissimo, & perdifficili, patens niuibus, & asperrima glacie tribus anni partibus oblecta rigescit. Loci accolæ totas hiemes domi se continent, cistas, & quæ sunt opera carpentariorum solerter agentes, quæ per æstatem Bulzani, Tridentiq. vendunt: scaccorum, ac alçarum ludo temporis plurimum terunt, illumque mirum in modum callent: nullos hos belli metus occupat, neque honoris cupido cruciat, neque

A neque auri magna fames atterit: horum opes pecora sunt, quæ per hiemem fœno nutriunt, hisque viuunt: inter quos & homines inuenire est, quos nunquam bibisse constat, quibus pro potu est cibus lacteus. Qui procul ab ecclesia degunt, corpora hiemis tempore defuncta sub diuo reponunt, atque astricta gelu in æstatem feruant: tunc plebanus parochiam circumiens longum funeris ordinem ducit: dicensque nouissima verba, in cœmeteriū plura simul cadauera recipit, illi siccis genis exequias prosequuntur. Felicissimi mortalium sua si bona cognoscentes, libidini frænum ponerent: sed diu noctuque commensati, stupra & adulteria passim admittunt, neque virgo apud eos nubit. Verū hanc ecclesiam Aeneas breui dimisit, meliorem affecutus in Baioaria sanctæ Mariæ Aspacensis non longe ab Aeno flumine, quam sibi Leonardus Patauensis episcopus genere, atque magnificentia æque nobilis vltro contulit: litterisque ei sine pretio ad Stiriam missis.

Post hæc cum iam Basilienses conditiones pacis refutassent, Aeneas ad Eugenium missus est: qui cum Senas venisset, vnanimi propinquorum voce prohibebatur Romam petere, qui Basiliæ infensus Eugenio fuisset. Contra Aeneas oratorem Cæsaris non arbitrari sese aiebat Romæ non tutum: onus legationis à se receptum aut absoluendum esse, aut sibi moriendum, atque parentibus inuitis & flentibus Romam perrexit. Gerardus Ladrrianus cardinalis Cumanus, cum quo sibi vetus familiaritas erat, rectus pater, & amicitia tenax, ad Eugenij præsentiam ipsum introduxit. Libet hic coram summo sacerdote quibus verbis Aeneas fuerit vsus referre: nam pauca sunt, & memoratu digna. Duo cardinales pontifici astabant, Cumanus, & Morinensis, qui prius auctoritate apostolica ab omnibus censuris Aeneam absoluerant, quas fauendo Basiliensibus inciderat. In conspectu ergo cum Eugenij venisset Aeneas, ad osculum pedis, manus, & oris ab eo receptus, restitutusque litteris iussus fuisset dicere, Prius, inquit, sanctissime præsul, quam Cæsaris mandata referam, de me ipso pauca dicam. Scio multa de me tuis auribus inculcata esse neque bona, neque digna relatu: sed neque mentiti sunt, qui me tibi detulerunt. Plurima ego dū Basileæ fui, dixi, scripsi, & feci, nihil inficior: at non tā tibi nocere, quam Dei Ecclesiæ ptodesse mēs mea fuit. Erraui: quis neget? sed neque cum paucis, neque cum paruis hominibus: Iulianum sancti Angeli cardi-

Aeneæ legatio ad Pontificem Eugenium, & cū eo recōciliatio, & Thomæ Sarezanæ amicitia.

cardinalem, Nicolaum archiepiscopum Panhormitanum, Ludouicum Pontanum tuæ sedis notarium sum secutus, qui iuris oculi, & veritatis magistri credebantur. Quid vniuersitates, & alia orbis gymnasia referam, quorum pleraque aduersum te sentiebant? quis cum tantis hominibus non errauerit? verum ego vbi errorem deprehendi Basiliensium, fateor, non statim ad te conuolauit, quod plerique fecerunt: sed veritus ne ab errore in errorem prolaberer, vt sæpe in Scyllam incidunt cupientes vitare Charybdim, ad eos me contuli, qui neutrales habebantur, vt ab altero duorum extremorum ad alterum non sine consultatione, ac mora transirem. Mansi ergo apud Cæsarem tribus annis: vbi dum magis ac magis contentiones audio, quæ inter Basilienses, & tuos legatos fiunt, nihil mihi dubij relictum est, quin te penes sit veritas. Atque hinc factum est, vt cupienti Cæsari ad tuam me clementiam viam facere, non inuitus paruerim: Sic enim me tuam in gratiã redire posse sum ratus. Nunc apud te sum, & quia ignorans peccaui, mihi vt ignoscas oro: deinde causam Cæsaris explicabo. Cui Eugenius, Scimus te, inquit, cum multis deliquisse: sed erratũ fatenti non possumus non ignoscere. Ecclesia namq. pia mater neganti debitum nunquã remittit, fatenti nunquã retinet. Tu iam veritatẽ tenes, caue ne relinquantur, atq. bonis operibus diuinam gratiam quærito: eo in loco iam degis, vbi & veritatem tueri possis, & ecclesiæ prodesse: nos iniuriarũ posthac præteritarũ oblitus, te bene ambulantem bene amabimus. Atq. his dictis, ad res ecclesiæ ventum est, super quibus Eugenius deliberandi tempus accipit. Medio tempore dum cardinalem Aquilegiensem Aeneas peteret, Thomam Sarezaneũ tunc episcopum Bononiensem sorte fortuna obuium habuit, quem cum pro veteri beneuolentia salutandum adiret, inuitum, ac se fugientem & horrentem offendit, vt qui Aeneam Basiliensibus adhuc rebus fauentem coniectabatur, quas ille singulari odio insectabatur. Quod miratus Aeneas, ac paululum indignatus substitit, neque illius vltra quæsiuit alloquium: at cum interiectis deinde paucis diebus apud Iulianum Barattum veterem, & Basiliensem amicum Aeneas decumberet iliorum graui dolore oppressus, commiseratus Thomas Martinum Hispanum fidum & probatum familiarem ad eũ misit, qui consolaretur ægrotum, atq. in medicos offerret pecuniã. Ioannes Caruaiales, qui sæpe apud imperatorem legatus fuerat, ac postea cardina-

A dinalatum obtinuit, nulla non die visitauit Aeneam: cardinales quoque ad eum mittebant: sed & summus Pontifex Ioannem Papiensem spectatum virum misit, qui Aeneæ cuncta polliceretur, ad quærendam sanitatem necessaria. Ingens illa ægritudo fuit, tantaque vis doloris, vt duodecim diebus quibus Aeneas decubuit, nulla non hora mortem optauerit. Sed restitutus denique, responso ab Eugenio recepto, qui se missurum ad Cæsarem dixit, Senas repetijt: & consolatus patrem, quẽ postea nunquã vidit, salutatisq. propinquis omnibus, in Alemaniam redijt. In via autẽ apud sanctum Cassianum Thomæ episcopo Bononiensi, qui Romam ibat, datus obuiam gratias egit, quod sui ægrotantis memor Romæ fuisset, atque ibi combibentes pristinam beneuolentiam integrarunt. Non tamen adhuc vera hæc reconciliatio visa est Thomæ: nam cum interiecto deinde tempore legatus ad Cæsarem proficisceretur, Petrum Noxetanũ familiarem & propinquum suum, atque Aeneæ verum & antiquum amicum interpellauit, sibi vt litteras commendatorias ad eum daret: sed minime his opus erat. Aeneas enim nullius rei consuevit, quam inimicitiarum facilius obliuisci: receptis tamen Petri litteris in omne officium Thomæ præstandum tanto sese magis voluntariũ exhibuit, quãto duarum amicitiarũ quam vnus est solidior nexu: quibus ex rebus deterfa est omnis rubigo simultatis, & amicitia, quam olim fuit, eo maior innouata est.

Venit & Thomæ comes, qui paulo ante à Cæsare recesserat, Ioannes Caruaiales, atque is litteris Eugenij ad Aeneam detulit, quæ secretariatus apostolici sibi officium demandabant, cuius postea iuramentum Romæ præbuit, magnum, vt mihi videtur, & singulare viri præconium: nec scio an alteri vniquam contigerit, eo gratiam Dei vnum efferre hominẽ, vt apud duos Romanos pontifices, vnum imperatorem, & vnum antipapã, secretariatu potiri posset. Nam hoc Aeneas muneris cum Felice primum, deinde Federico Cæsare, postea cum Eugenio, & demũ cum Nicolao, non solum nomine, sed re quoque obtinuit. Per idem temporis electores imperij apud Frankfordiã conuenientes ob depositionem Coloniensis, & Iacobi Treuerensis archiepiscopi ab Eugenio factam commoti, occultum inter se foedus percusserunt, nisi Eugenius irritam depositionem hanc decerneret, nationis onera tolleret, & auctoritatem conciliorum, vt Constantiæ declarata fuerat, profiteretur, se suam depositionem in

Fit Aeneas Eugenij secretarius, et eius singularis cum virtute fortuna, & electorum Imperij aduersus Pontificem coniuratio.

Basilea factam amplexuros : legatosq. ad Cæsarem miserunt, **A** qui hæc ei soli, & sex iuratis consiliarijs exponentes, vt foederi se adiungerent, atque cum eis mitterent Romam, orarent. Cæsar vt audiuit electorum mentem, missurum se ad Eugenium dixit, rogaturumque, vt eorū petitionibus morem gereret. Foedus autem spreuit, indignum atque impium dicens, nisi Papa, quæ petuntur concesserit, ab eo descire. Misit igitur Aeneam ad Eugenium, vt suaderet ei ne principes electores contemneret : maxime vero, vt depositis archiepiscopis pristinam ei redderet dignitatem. Sic enim futurum, vt Germani omnes deposita neutralitate ad eius gremium redirent. Quod si durior in sententia **B** perseveraret, timendum esse ne scandalum perpetuæ diuisionis oriretur: quicquid autē electores inter se concluderant, iniuratus Cæsar aperuit Aeneæ, atque vt Papæ referret imperauit. Et quia rursus Calendis Septembris apud Frankfordiā electores habituri conuentū erant, vt audito responso Papæ secundum foedus neutralitatem exuerent, Aeneam monuit, vt recta via Frankfordiam peteret, vbi legatos alios conuenturus, animum Eugenij eis notum efficeret. Legati inter hæc Apostolici quid rerum principes electores Frankfordia conclusissent, quid ex Cæsare peterent, quid Romam mitterent, cum diu quæsisset, nec certum aliquid excudere possent, vt alter eorum Romam pergeret, **C** decreuerunt. Et quia Ioannes Caruaiales languens apud veterem hospitem suum Ioannem Gers mordacem, & inuidæ mentis hominem, acutis incensus febribus iacebat, Thomæ Bononiensi episcopo hæc prouincia cessit, qui Aeneam itineris comitem accepit. Tempus tunc vernale fuit, in quo tanta cælo pluuia cecidit, vt omnes in Carinthia pontes ruperit, & secum flumine tulerit : ob quam rem per altissimos & inuios montes, atque abruptas & niuosas petras, monstrantibus accolis, triduanum iter coacti sunt pergere.

Aeneas Eugenium conuenit, egrotatio eius, & Thomæ, ac Aeneæ singularis prudentia in dissoluedo Frankfordiensi conuentu, & neutralitate deponenda.

D Cum Romā venissent, Eugenius, admonente Thomæ, prius Aeneam quam legatos electorū audiuit, facturumq. omnia promisit, quæ Cæsar suasit: atque inde Thomam ad Philippū Burgundorū ducē direxit, cōsensum vt archiepiscoporū restitutioni præberet, quod nepos eius in Coloniësis, & frater eius naturalis in Treuerensis locū vocatus esset: itaq. non videbatur illo incōsulto restitutio promittenda. Mandatū autē Thomæ fuit, post quā Philippi voluntatē intellexisset, vt Frankfordiam se confer-

ret:

A ret: sed cum is in expediendis litteris cunctatior videretur, Aeneas, qui secum vsque Parmam iturum se dixerat, præcedendū existimauit: atque cum Senas se apud suos recepisset, è vestigio calculi egritudinem incidit, ad quem lectulo decumbentem postridie Thomas venit, & quia festinandum erat, eo salutato recessit: neque Aeneas vinci morbo voluit, sequenti die nondum sanus eum secutus apud Carthusiam Florentinorum apprehendit, atque cum eo Pistorium, Lucamq. profectus est. Aeneas tamen Florentiam intrauit: Thomas ingredi prohibitus. Apud Lucam cum Petro Noxetano diem morati sunt, qui eos per vallem Carfanianæ comitatus est, donec ad Catherinam Thomæ sororem venerunt. Ea Cæsaris nobilis hominis, & in valle potentis vxor erat, quæ fratrem iam longo tempore non visum, incredibili amore, & ingenti honore suscepit: vbi relicto Petro per altos & asperrimos Sillani montes Parmam petierunt. Illic Thomas itinere pedestri fatigatus, & quia noctes apud rusticanos hospites insomnes duxerat, acutissimas in febres cecidit: qui mox Aenea vocato, flens rogauit iter suum pergeret, ne rebus agendis sua mora impedimento esset, eiq. litteras apostolicas ad Ioannem Caruaialem dedit, dicens se, nisi breui conualesceret, scripturū Eugenio, alium vt suo loco sufficeret. Aeneas inuitus ægotum dimisit, intelligens tamen necessitatem itineri sese dedit, ac per Brixellum traiecto Pado Mantuam, & inde Veronam venit, ac per vallem Tridentinam, & montes Brixinenses Sigismundum Austriæ ducem in Eni valle morantem visit: quo cum venationem ingressus, id spectaculo & relatu dignum animaduertit, quod ceruus miræ magnitudinis diu canibus agitatus, tandem coactus est in flumen se deijcere, ac viuū in coquinam reddere principis. Illinc Aeneas discedens, per Nazareth, & vallem, quam infernalem vocant, superato non paruo montis dorso, ad Campidenā, & Mamingam, Vlmamq. penetrauit: neque vltius progredi poterat, latronibus omnes aditus versus Frankfordiam obsidentibus. Anxius igitur, ac incertus animi, dum quid agat consilium querit, quasi ex industria dies illic dicta ad conueniendum fuisset, mox præcursores applicant, qui nocte futura Petrum Augustensem, Siluestrum Chiemensem episcopos, atque Gasparem cancellarium, candidas animas, legatos Cæsaris affuturos nuntiant. Nihil tum Aeneæ gratius contingere potuit, cum propter notitiam hominum, tū

B 2 pro-

propter securitatē itineris. Mox simul omnes Frankfordiam petiere, ad quos inter dies paucos Iacobus Badensis, & Albertus Brandenburgensis marchiones in legatione coniuncti sunt. Thomas cum decem diebus ægrotasset, tandem conualecens iter continuauit, ac per Sabaudiam incognitus ad ducem Burgundorum transiit, impetratisque petitionibus, circa finem conuentus ad Frankfordiam diuertit. Interea Ioannes Caruaiales, & Nicolaus Cusa cum litteris, quas Aeneas attulerat, principibus satisfacere nitebantur: sed frustra erant omnes conatus, cum legati principum, qui Romę fuerant, Eugenium durissime sibi respondisse referrent. Itaque desperata res Eugenij videbatur, quia solus imperator aduersus omnes electores declarationem facere non audebat. In eo conuentu egregium facinus Aeneas ausus est, quod negligere nulla ratione possum. Maguntinus, qui fœderi aliorum electorum & pro se, & pro Federico Brandenburgensi sigillum appenderat, rogantibus oratoribus Cęsaribus, ut sententiam mutaret, non erat inuitus, id si certa posset ratione tueri, ne promissi violator videretur. Tunc Aeneas bono animo collegas esse iussit, quod Maguntino facile satisficeret: noctem ipse insomnem duxit, atque ex notulis principum secundum quas Eugenium litteras dare volebant, alias notulas composuit, omni expresso veneno, quod Eugenius abhorrebat, sententiasque omnes extendit, per quas & nationi prouideretur, & archiepiscopi restituerentur. Quibus peractis eas ostendi Maguntino iussit, sibi que dici voluntatem Cęsaribus esse secundum eas notulas: Eugenium nationi prouidere: neque dubitandum esse, quin illa ex eius sanctitate possent impetrari, si rursus ad eum mitterentur oratores. Visa est res Maguntino & sufficiens & iusta: moxque cum imperialibus, & archiepiscoporum Magdeburgensis, Bremensis, & Salburgensis, & Federici marchionis, multorumque aliorum principum legatis fœdus iniit, ut notulę, quas Aeneas confecerat, sigillis omnium munirentur, mitterenturque Romam. Quod sentientes electores, ceterique principes, animo consternati, non sunt ausi contra niti: nationis enim pars maior notulas sequebatur Aeneę. Ludouicus cardinalis Arelatensis, ubi spe deiectum se nouit, accersito Aenea, qui sibi Basileę notus, & inter familiares dilectus fuerat, mutatam eius sententiam multis verbis accusauit. Cui Aeneas non se mutatum, sed Basilienses non esse dicebat, qui olim fuerant: qui

cum

A cum primo pacis causa transferre concilium ex Basilea in alterum locum promississent, postea negauissent, tanquam extra Basilienses muros veritatem tueri nequirent. Ioannes quoque Lysura vir prudens, & iure pontificio consultissimus, obuius Aeneę apud Ioannem Caruaialē datus, Et tu, inquit, ex vrbe Senensi daturus legem Theutonicis aduenisti? utinam domi mansisses, & nos nostrā regere terrā dimisisses. Cui Aeneas trāsfiens nihil responsi reddidit, inuidiam ne sibi maiorem pararet.

B Finito conuentu Thomas Bononiensis antistes, & Ioannes Caruaiales per nouam ciuitatem Austrię transeuntes, actis Cęsari ingentibus gratijs, qui magnos & fideles legatos ad Fränkfordiam miserat, dum Romam pergunt, ut qui res bene feliciterque gessissent, ad cardinalatus eminentiā prouecti sunt. Cęsar paucis post diebus Aeneam, & nobilem equitem Procopium Rabensteynum Bohemum ad Romanam curiam legatos instituit, hisque potestatem dedit, si Eugenius notulas in Frankfordia conclusas acceptaret, concurrente præsule Moguntino, & Brandenburgensi marchione, neutralitatem deponerent, ac nationis nomine sanctę sedis apostolicę obedientiam restituerent. Interea Ioannes Lysura, ut res suam non sequi mentem animaduertit, rebus mentem aptauit, summittenque se Maguntino archiepiscopo, legationem eius ad Eugenium obtinuit, quem cum pluribus alijs oratoribus principum apud Senas legati Cęsaribus inuenerunt, atque simul Romam euntes, ad primum lapidem familiam Papę & cardinalium, & vniuersos curię prælatos obuiam habuere: ac veluti duces recipi solent, cum victis hostibus domum repetunt, in urbem sunt intromissi. Tertia die ad Eugenium vocati in consistorio secreto auditi sunt, quo in loco nomine omnium Aeneas orauit: quem cum Patrum cardinales mirum in modum laudauerunt: at Eugenius ea ipsa die correptus ægritudine in lectum se dedit: cardinalibusque rem tractandam commisit. Cum iam res ad calcem deducta esset, plerique ex Theutonicis pedem retrahebant, obedientiamque Pōtifici, medicorum iudicio infra decimam diem morituro, præstandā negabant: quibus Aeneas magnis rationibus aduersabatur, multumque nationi conducere affirmabat, accelerari declarationem debere, cum Eugenius iam voluntati principum beneuolus esset: nam quod ipse fecisset, successorem eius gratum habiturum. Quod si ante moreretur Eugenius, quam declaratio

B 3 fieret,

ioannes Caruaiales, & Thomas sūt cardinales, Aeneas Romam legatus proficiscitur, & cum omnium admiratione perorat, Germanorum obedientiā præstans.

fieret, timendum esse ne successor nationi durus inueniretur, quamuis siue asper, siue mollis successor ei daretur, nihil cum eo tractari posse, quorum mandata in Eugenium sonarent: ab Vrbe vero si rebus infectis decederent, omne foedus principum solui, nationemq. nunc maiori ex parte concordem in magnas diuisiones, contentionesq. dari: quodq. grauissimum videri deberet, ad solidandum roborandumque schisma periculosissimum, in ecclesia viam, quam plæcluserant, aperiri. Nec Ioannes Lyfura alterius sententię fuit, qui tantopere faciendā declarationē suadebat, vt mortuis omnibus Eugenij membris satis esse diceret, si vel digitus sinistri pedis minimus viueret. Ob quam rē persuasis omnibus collegis, cum iam notulas omnes Eugenius approbasset, atque litteras super his decreuisset, ad cubiculum eius omnes legati intromissi sunt, qui iacenti Pontifici obedientiam præstiterunt. Ille confestim bullas apostolicas in manus Aeneæ dedit: nec mora, rursus in consistorio publico præsentibus cardinalibus publicatis Cæsaris & aliorū principum mandatis repetitæ sunt cæmonia. Inde tota vrbe ob publicam lætitiā ignes facti, & campanæ, tubæq. sine modo sonuerunt: sequenti die iustitium indictum, superisq. rogationes decretæ: cardinales, ceteriq. prælati cum populo in ordine procedentes, Siluestri coronam, Ioānis Baptistę caput, præcipuasq. sanctorū reliquias, ex templo sancti Marci Lateranum detulerunt, ibiq. sacrificatum, atque de Federici, Eugenijque laudibus habitus est non breuis, neq. inornatus sermo.

Dum hæc agerentur, rumor fuit Nicolaum episcopum Tergestinum mortem obiisse, idque primus cardinalium Thomas Bononiensis decanus Aquilegiensis ei narrauerat, qui ecclesiam illam ambiens, cardinalis opem experiuerat. At cardinalis re cognita Ioannem sancti Angeli eiusdem ordinis parua cedula certiozem facit, dicens iam tempus datum, quo possent Aeneam prouehere. Is forte apud Ioannem coenatus, diuersa ex more fabulabatur, cui Ioannes cedulam legendam porrigens, quid sibi videretur percunctatus est. Ad quē Aeneas, Dignitatem, inquit, imparem meis meritis non petam, at vltro datam non recusabo. Sequenti die cum Ludouicus cardinalis Aquilegiensis ecclesiam Tergestinam decano suo, alij alijs peterent, omnes ab Eugenio repulsi sunt, qui pontificatum ipsum Aeneæ sese commissurum constanter affirmavit, sed cum certitudo

Aeneas ab Eugenio eligitur episcopus Tergestinus, quo non succedente, fit subdiaconus. Mors Eugenij, successioq. Nicolai. Aeneas secretari⁹ & verus Tergestinus.

A A tudo vacationis exquiretetur, vanum fuisse rumorem confititur: Aeneas tamen in subdiaconum apostolicum assumptus est. Eugenius vero post obedientiam Germanorum receptam, diebus sexdecim cum morbis ac morte pugnauit, victusq. tandem infesto, quod Petri cathedram vocant, naturæ concessit, anno salutis M. ccccxlviij. Exequijs per nouem dies actis, cardinales ad electionem successoris ingressi, Aeneam, atq. Procopium cū ceteris legatis regum ad custodiā conclauis delegerunt: vbi cum duas noctes vigilassent, Thomas cardinalis Bononiensis in summum pontificem assumptus est, dictus Nicolaus Quintus ob memoriam, vt multi arbitrantur, Nicolai cardinalis sanctæ Crucis, qui magister eius fuerat: papatumq. perdidisse defuncto Martino, dum legatum ageret in Francia, credebatur. Is vt ædes sancti Petri primum ascendit, Aenea ad se accersito secretariatū ei, subdiaconatumq. confirmavit, atq. in die coronationis ante se Crucem deferendam commisit. Vt autem Aeneas ex vrbe recessit, post dies viginti certum nuntium de morte pontificis Tergestini maximus pontifex Nicolaus accepit, qui nullum cardinalem in dicto consistorio consulens, paludatus, mitratuq. in collegium venit, & admirantibus primum, deinde fauentibus sacri Senatus vniuersis patribus, Aeneam episcopum Tergestinum pronuntiauit, litterasq. absque pecunia expeditas ad eum misit. Federicus quoq. Cæsar, vt eius vacationem ecclesiæ cognouit, hanc, inquit, Aeneæ impetrabimus, quæ nostri est domini naturalis: litterasq. Pontifici in ea re iam se ignaro peracta conscripsit, atq. sic nescius Aeneas cum rediisset ad Cæsarem, ad episcopatū & Papæ, & Cæsaris voto sese vocatum inuenit: neq. ciues Tergestini, qui omnibus exteris infesti esse consueuerunt, Aeneæ resisterunt: sed cum primum ciuem decanum suum canonici elegissent, filere illum iussere, possessionemq. vel absentem Aeneæ concordibus animis tradiderunt.

D Inter hæc imperator apud Asciasburgium, quod est oppidū Maguntinensis ecclesiæ supra Moganum, conuentum prælatorum, & principum indixerat, eoq. cum Hartungo iurisconsulto Aeneam misit, qui Maguntinum præfulem, & alios Frankfordienses participes foederis in obedientia Nicolai Papæ confirmarent, atq. ad eam rem traherent Ludouicum comitem Palatinum Rheni, & Coloniensem archiepiscopum: neq. incassum labor cessit, in conuentu decreta sunt, quæ Cæsar optauit: in-

Conuentus apud Asciasburgium, & Germanorū obediētia ad nouum Pontificem. Philippi Mariæ nunciis mors, ac Aeneæ legatio ad Mediolanenses, deinde ad nuntios.

terq. sacrificandū Nicolaus Pontifex maximus declaratus est, A Deoq. pro sua salute supplicatum. Palatinus, etsi Felicis filiam uxorem habebat, in reuerentiam tamen, deuotionemq. Nicolai descendit. Coloniensis archiepiscopus eo tempore aduersus Sufatenses ecclesiæ suæ rebelles bellum gerebat: cumq. insegurum ad eum iter esset inter dissonas gentes, Aeneas Colonię manens litteris secum egit, & is facturum se omnia spondit, quę optauit: atq. aurum expensarum, quas viginti diebus Agrippinę Colonię Aeneas fecerat, ultro ei ad Viennam misit. Dū hæc aguntur, Philippus Maria dux Mediolani ventris profluuiio vitam reliquit, Alfonso rege Aragonum herede palā nuncupato. Ideo B Federicus Cæsar Aeneam Mediolanum misit, & cum eo Federicum episcopum Secouientem, Gasparem Slichium cancellarium, Ioannem magistrum cameræ, Iacobum Landronium physicum: & Pancratium Rinzatem nobiles equites, vt principatum imperio deuolutum vendicarent. Vno itaq. tempore dominiū potentis vrbs, & Federici Cæsaris, & Alfonsi regis Aragonum, & Caroli ducis Aurelianensis expetebant: nam & hic se ius habere dicebat ex foedere inter suos & Philippi maiores matrimonij causa percusso. At Mediolanenses libertatis auidi, senatum ex primoribus vrbs delegerant, ac magistratus assum C pferant, qui rempublicam administrarent: cumq. regem, ducēq. spernerent, audito Aenea, qui Cæsaris nomine verba fecit, imperatorem suum dominum fassi sunt: sed habere se priuilegia dixerunt, quibus ciuitatem regere possent. Tandem vero Federicum modo certo dominantem admissuri erant: quę res, etsi non debito respondebat, Aeneæ tamen tempus consideranti nō aliena videbatur. At collegæ Theutones dum plurima volunt, omnia perdiderunt. Aeneas autem Viennā reuersus, astante Ioanne cardinale sancti Angeli apostolicæ sedis legato, consecrationis munus accepit, atq. inde Tergestum profectus, à ciuibus cu D pite susceptus, rem primo diuinam fecit. Nec diu moratus in Histriam iussus ire, de finibus inter Cæsarem, & Venetos composuit litem, quamuis postea rursus excitata sit. Cum redisset Tergestum, comperit Ropertum Vualscum bellū aduersus Tergestinos agere, in quo sua potissimum ecclesia læsa est, cuius coloni ex agro pulsi, & abacta pecora sunt: ob quam rem cum Cæsari questum iret, Roperti, qui eum capere magnopere studebat, sola celeritate vitauit insidias. Interea Gaspar Slichius apud

A apud Cæsarem falso delatus, ecclesiam Frizingensem, quam fratri obtinuerat, dimittere compulsus est, qui cum esset in dies magis inuisus Cæsari, Aeneam quoque propter amicitiam & consuetudinem pene assiduam suspectum reddebat: itaq. conditio Aeneæ deterior fieri videbatur: sed vsus ipse temperamento, ne vel hinc amicitiam, vel inde dominum offenderet, rursus in gratiam redijt, atque parochialem ecclesiam in castro Vindelico admodum insignem, ex munere sibi Cæsaris commendatam accepit.

Per idem tempus Franciscus Sfortia vicecomes Mediolanum B vrbs obsidebat: ciues autem exanimati Cæsaris opem petebant: eo rursus proficisci Aeneas iussus est, & Artongus iuriscōsultus, qui obsessis ciuibus auxilium promitterent, si se Cæsari subderent. In eo itinere multa his aduersa fuere: nam cum visitato Sigismundo duce apud Eni pontem, & ad rem Mediolanensem persuaso, per altissimas alpes Vormij in vallem Tellinam descendissent, diuisum populum, alios ciuitati Mediolanensi, alios Francisco Sfortiæ fauentes, lacum Comanum in potestate hostium magna ex parte, nihil tutum inuenere. Itaq. modo noctu per aquam, modo die per abruptos & deuios montes viā C fecere: vbi Comum venerunt, octo & decem dies moram facere oportuit, quoniam inter Mediolanum, & Comum omnia hostis tenebat: qui postquam legatos Cæsaris aduenisse didicit, aditus custodiri iussit, legatosque, si comprehendi possent, ad se victos deduci. At illi susceptis equitibus, ac peditibus admodū ducentis, cum viarum gnaros tris, quos guidas vocant, fideles inuenissent, circa solis occasum ex Como recedunt Mediolanū petentes: sed cū horis forte duabus iter fecissent, iamq. nox obscurissima superuenisset, equitatus inter tenebras retrofugit: aderant & legati ducis Sabaudia, & plures ciues Mediolanenses, qui negotiati per Alemaniam domum redibant. Hi vbi fugam equitum cognouere, insidias veriti, trementesq. admodum retrocedendum aiebant: Aeneas vero vocatis peditatus ducibus, vbi eos constantes inuenit, & alterum eorum Senensem ex loquela cognouit, versus ad negotiatores, Nolite, inquit, timere: angustias montium prætergressi patentes in campos venimus, insidias iam euasimus, quas in arcis locis instruunt: nunc mille se nobis offerunt semitæ: in manus hostium solum nos infortunium ducere potest, id bonitas summi Dei auferet: ite mecum,

vos

Aeneæ altera legatio ad Mediolanenses, atque opera pro Imperatoria dignitate. Franciscus Sfortia post obsidionē à Mediolanensibus. casu legato Veneto, ciuitati Dux præficitur.

vos hac nocte laribus vestris saluos reddam. Sic profecti ad horam decimam paulo post solis ortum Mediolanum ingressi, magna totius populi festiuitate recepti sunt. Sed iam regimen ciuitatis ex populo Romani nominis amante, dum Comi legati manserunt, in paucorum potentia erat deductum, qui Francisci Sfortiæ clam partes fouebant: eam ob causam rogauit senatum Aeneas, sibi vt populi copia fieret, cui Cæsaris verba referret. Guarnerius Castillioneus iurifconsultus genere ac facundia nobilissimus primum in senatu locum tenebat, Sfortiæ occultus amicus. Is per leges ciuitatis vocationem populi prohibitam dicebat, tumultum timendum in ciuitate obsessa, potestatem populi omnem habere senatum, huic dicenda quæcumq. mandaret Cæsar. Contra Aeneas imperatoris iussum legibus non teneri aiebat, quæ ab ipso robur haberent: eius mandata quietis esse, non seditionis altricis: obsessum, fatigatumq. longo bello populum imperatoris legatione leuandum, mirum videri si domini sui vocem noluerit audire: atq. sic inuito Guarnerio senatus populi vocationem decreuit. Is cum postera die in curiam frequens conuenisset, & oblatis lectisq. publice Cæsaris litteris, Aeneas in hanc sententiam orauit. Ait enim Philippo mortuo Cæsarem ad eos misisse legatos, qui gubernationem ciuitatis exposcerent, neq. auditum, quamuis æqua peteret: sed Mediolanenses ipsos noua libertate gaudentes, magistratus sibi constituisse, qui rempublicam administrarent, idq. factum esse in eâ vltima die, Cæsare pro sua mansuetudine quâuis indigne spreto, nihil tamen irato: venisse interim Franciscum Sfortiam vicecomitem ex amico factum hostem, municipia in potestatem suam redigisse, ciuitatem obsessam magnas pati calamitates, milites ad Franciscum defecisse, inopia frumenti premi populum, ex vicinis principibus neminem ferre opem, solum autem Cæsarem eorum commiserari fortunam, omnis repulsæ oblitum. Quod si iam tandem sacro imperio parere velint, dominumq. Cæsarem recognoscere, paratum eum auxilium ferre. Iamq. cum Sigismundo duce patrueli suo vicino Insubribus res orditas, breui magnam manum superatis alpibus in eorum agrum descensuram cogitarent, ne sibi ipsis frustra confiderent, neq. sic libertatem amissuros putarēt, Cæsaris dominatum recipiētes: nā iustis & naturalibus dominis seruire, eum demum veram esse libertatem: in ciuitatibus, quæ populi nomine reguntur, inueniri semper

per

A per aliquos, qui plebi iugum imponunt: deinde aduerterent Cæsarem sibi, an Sfortiam imperare mallent: quoniam nisi Cæsari se subijciant, sic res deductas esse, vt dominatum Sfortiæ nequeant euadere. Cæsarem, si ab eis recipiatur, singulares gratias, magna priuilegia daturum suis ciuibus, quos in Alemania libere negotiaturos, auream ciuitatem facturos, & Italiæ caput aiebat. Post hæc, cum Guarnerius de libertatis dulcedine differuisset, eligendos tamen ait ex populo viros primores, qui cum legatis de mandatis Cæsaris agerent. At dum res penderet, post aliquot noctes tres ciuitatis portæ (sic enim partes vocitant) sumptis armis dominum Cæsarem vocauere. Sex portæ in vrbe sunt, atq. ad earum numerum distributus est populus: quod quatuor portarum plebibus placet, id ratum esse oportet: cum ergo iam tres vitam imperio peterent, senatores audito tumultu, prius quam portæ quartæ multitudo assurgeret obequitantes urbem, silere plebem, ac positis armis domum petere iubebant, quoniam & ipsi dominatum Cæsari saluo ciuitatis honore admissuri essent, idq. cum legatis agitent sedulo. Post hæc viri delecti, qui cum legatis in hanc sententiam loquebantur, si Cæsar opem ferret aduersus Sfortiam, in has leges venturos sese aiebant. In Mediolano qui ius diceret Theutonicum, in alijs ciuitatibus, quem vellet Cæsar, gubernatorem poneret: appellationes quæ ab alijs gubernatoribus interponerentur, Mediolanensis audiret, ab eo prouocationi locum non esse: vectigalia ciuitatum, quæ Mediolanensibus seruirent, ad Cæsarem, & Mediolanenses æquo iure pertinere: ex Mediolano quotannis auri quinquaginta millia Cæsari, feuda ecclesiarum & nobilium collationi Cæsaris remanere: vassallos omnes & imperatori & ciuitati fidem iurare, si quod amplius oppidum, aut dominium Mediolanenses armis acquirerent, id à Cæsare sub decenti censu in feudum debere peti. Interea Carolus Gonzaga, qui tū forte vnica Mediolanensium spes videbatur, magnanimus belli dux, Aeneam intempesta nocte accessit: & Artongo vocato, iterum populi vocationem vt peterent, suadebat, spondens se illo venturum, incitaturumq. plebem, quæ sibi maxime credebat, imperatorem dominum petere: nihil se dubitare, quin deiectis magistratibus, mox legatis Cæsaris regimen ciuitatis committeretur, donec aut veniret Cæsar, aut vicarium mitteret, idq. iam se prouidisse apud aliquos in vrbe potētes aiebat. Hoc quâuis erat verisimile, tū discriminis plenum Aeneam videbatur: & licet

licet magnū facinus, & memorabile nō fieri sine periculo sciret, tamen sacerdoti sibi eam rem minime ratus conuenire, quod Cæsar imperauerat, à se factum dixit, audiuisse populum Cæsaris voluntatem, posset iam si vellet parere: vim facere, neq. factu facile, neque mandatum Carolum amandum: Cæsari, qui ea cogitauerat, relaturumq. suam fidem. Ille tamen post hæc Aeneam Sfortiæ fauentem prædicabat: vt nihil sit, quod non sinisterorsum malæ mentes interpretentur. At Aeneas, & Arton-gus vbi aliud ex Mediolanensibus exculpere non potuerunt, obtentis Sfortiæ litteris, ad eum in castra venerunt, qui se admōdum mirari aiebat, quo pacto Mediolanum intrassent, suas excubias euadentes. Plura igitur cum eo Venetorum & Florentinorum legatis præsentibus fabulati sunt. Deinde amotis omnibus soli cum eo ad horam mansere, mentem sibi Cæsaris exponentes, atq. honorati ab eo dimissi sunt: qui redeuntes in Alemariam, Cæsarem apud sanctum Vitum, quod est Carentanæ oppidum, inuenerunt. Placebant Cæsari, quæ Mediolanenses promiserant: verum illi dum mensibus duobus responsum expectant, veriti ne Sfortiæ viribus opprimerentur, occiso Galeotto Toscano, pulsisque ceteris Senatoribus, foedus cum Venetis percussere: atque cum ij quoque parcius subuenirent, trucidato per tumultum Leonardo Venerio, qui legatus Venetorū apud eos agebat, Francisco Sfortiæ portas aperuere, eique, vt est insania populi, ducatu insignia contulerunt.

Aeneæ legatio ad Alfonso regem de matrimonio contrahendo cum imperatore & Leonora, & eius opera conclusio. Aeneas eligitur Senensis Episcopus absens.

Aeneas inter hæc ad ecclesiam Tergestinam cum se recepisset, in anno iubilæi reuocatus ad Cæsarem cum Gregorio de Populosa, & Michael de Plenauilla, Alfonso regem Aragonū, & Siciliæ iussus est petere matrimonium Cæsaris nomine cum Leonora regis Portugalliæ sorore, vt ibi contraheret: nam legati Portugallenses eo conuenerant. Quam rem diebus quadraginta tractatam, cum denique conclusissent, coram rege, cardinali Morinensi apostolico legato, Cliensi, Calabriæ, Suesse, Slesieque ducibus, & magna prælatorum, comitumq. multitudine, in curia noui castri Neapolitani, de nobilitate, virtuteque contrahentium orationem habuit, quæ postmodum à multis conscripta est. Hinc ad summum pontificem reuersus, circa finem iubilæi, in consistorio publico contractum coniugium manifestauit: sequenti anno Cæsarem ad coronationem venturum dixit: Concilium quod Galli petebant, in Francia dissuasit, præsentem

Alberto

A Alberto Austria duci imperatoris germano, qui natiuitatis dominicæ nocte apostolico gladio donatus fuit, quamuis duci Cliuensi antea promisso, dicente Pontifice promissionem suam, nisi dignior aduenisset, intelligendam fuisse. Neque in hac via defuerunt pericula. Ligula flumen est apud Volscos altum, & vndique cinctum siluis, quarum arbores aquam conteguunt, potestque plurimos faciunt: naues ibi admodum parvæ sunt, quas cum Aeneas, socijq. conscendissent, nautarum peruicacia decepti, noctuq. nauigare compulsi, sæpius in ramos arborum impegerunt, demumq. ingenti hærentes trunco, cum essent tenebræ densissimæ, duabus horis periclitati sunt, ibiq. paulo post naus vna submersa est, & homines vndecim periire: neque procul à Cumis, cum flumen aliud prope littus maris transituri essent, nauisq. famulos veheret, cum nimium oneris accepisset, euoluta homines & equos in fundum proiecit, sed viri funem quandam manu tenentes, equi nantes euasere. Verum vt aduersa retulimus, sic etiam secunda referre par est. Inter eūdem, cum Ferrariam Aeneas appulisset, Iacobum Tholomæum fratrem suum patrualem inuenit, insignem iurisperitum, & curiæ Ferrariensis iudicem, quem postea Cæsar sacri palatii Lateranensis comitem creauit. Hic se litteris vxoris instructum ait, Nerium episcopum Senensem naturæ fecisse satis, atque Aeneam sibi suspectum dici, quod postea Bononia verum esse ex legato didicit: ea res sic gesta est. Mortuo Nerio, Senenses bonum quendam virū nomine Comitem abbatem monasterij sancti Galgani conciuem suum, regentibus acceptum, summis precibus apostolicæ sedi commendauerunt: atque vnum hunc esse dixerunt, quem præfulem cuperent: cardinales alij alios prouehabant. At summus Pontifex solus Aeneæ memor absentis, eum sacro collegio nominauit, persuasitque ab ecclesia Tergestina in patriam transferendum: Senensibus autem egregium se pontificem dedisse respondit: qui vbi nominatum Aeneam agnouerunt, ingētes apostolico culmini gratias reddidere, quia nobilem, doctumque virum, conciuem suum, quod minime sperauerant, in patriam rediturum intelligebant: atque cum Senis haberet Aeneas transitum, non expectatis litteris apostolicis, in episcopali eum palatio recipere festinabant, rerumque omnium ei possessionem offerebant: ipse autem expectandas litteras ait. Igitur cum Romā ex Neapoli redijisset, relatis summo Pontifici gratijs, litteris ex aposto-

apostolica camera gratis redemptis, urbem Senam, patriamque domum repetens, obuiante cleri & populi processione, sub umbella exceptus aurea, tanto in urbem ciuium plausu, tantoque honore intromissus est, quantum antea nulli episcoporum delatum aiunt. In hoc quoque itinere apud Nicolaum pontificem egit, ut sanctum virum Ioannē Capistraneum diui Bernardini discipulum in Germaniam mitteret, exactam tota Germania beati Francisci regulam denuo plantaturum, quem postea Viennæ prædicantem audiuit, gratum populis, & miraculorum effectorem creditum. Verum Aeneas in Austriam reuersus, non solum matrimonij contractum imperatori gratum retulit: sed Romanum præfulem, Senenses, Florentinos, Bononienses, marchionem Estensem, Venetosque ad coronationem transeunti Cæsari trāquillum iter daturus affirmauit, quod apud eos omnes ex sententia transegerat.

Aeneas Cæsaris legatus ad Bohemos, eorumque reconciliatio, & hæresis.

Interea Bohemi cum sæpe Ladislaum regem petentes non obtinuisent, conuentum regni apud Pragam indixerant, rebus ut suis consulere: quod nisi Alberti filius, heresque regni ad se mitteretur, alium sese regem assumpturos minabantur: ad eos igitur Aeneas, & alij proceres missi sunt. Verum peste apud Pragam mirum in modum grassante, conuentus in villam translatus est, quæ Benedicti appellatur. Ibi ergo cum Aeneas publica mandata Cæsaris exposuisset, pupillumque regem gubernationis egentem, in nulla melius, quam in Cæsaris manu esse, eosque breue post tempus voti futuros compotes affirmasset, feroces mentes leniuit, nec alium se postea vocaturos regem dixere. Multa illic cum Georgio regni gubernatore de bono pacis, & vnionis ecclesiæ scite locutus, hominem magis dominandi cupiditate, quam hæresis errore deceptum existimauit: idque plerisque Bohemis insitum est, quibus dominari hæreticis, quam seruire fidelibus antiquius esse videtur. In hac legatione bis Thaboritas adijt hæreticos, qui Bohemiam incolunt, omnium pessimos, cumque his acerrime de fide differuit. Sed quoniam mores Thaboritarum, urbis situm, gentis errores, & omnem suam disputationem cardinalis sancti Angeli clarissimo viro Aeneas scripsit, de quibus his rebus extat epistola, quam nos cum alijs in vno volumine inseruimus: his prætermisissis ad alia festinabimus.

Annus, qui sequebatur is erat, quo Leonora imperatrix ex Portugallia nauibus ad Thalamonis portum Senensis agri ex-

Apparat^o Leonoræ & Aeneas cura in comitatibus perquirendis, & Senarum conditio, atque Italiae metus, & imperatrix ab Aenea deducta.

condicto adduci, Italiamque Federicus Cæsar intrare, atque Romæ coronam imperij suscipere debuit. Studium autem illud erat, simul ut ambo Romam petentes, ex manibus summi pontificis diademata tollerent. Delectæ sunt igitur matronæ nobiles, & innuptæ puellæ duodecim, quæ sponsam regiam in portu reciperent feriturae: nominati quoque barones duo, equites duo, qui eas comitarentur. Tum Aeneas, & Michael Fulendorfius secretarius additi, qui legationis onera sustinerent: his autem commissum est, Imperatricem apud Thalamonem postquam salu tassent, Senas uti deducerent, ibique Cæsaris præstolarentur aduentum, verum Aeneas, Michaelique amplius mandatum erat. Italiæ communitatibus, atque principibus, maxime vero summo sacerdoti Cæsaris aduentum, qui iam dubius videbatur, ut certum ad festum Martini renuntiarent, transitum peterent, comitatibus æqua pretia statuerent, atque ad eam rem litteræ præmissæ sunt. Quibus cognitis Italiæ potentes trepidare, sperare tenues, nutare principes, impleri omnia rumoribus, timeri motus, quos in aduentu Cæsaris excitatus vetustas nouerat: maxime vero Senenses timor inuasit, quod Aeneam ex magna, & nobili familia natum, ciuitatis episcopum, apud Imperatorem auditum, magnoque loco habitum, nouarum rerum cupidum arbitrabantur. Vrbs autem Senarum in Hetruria prima post Florentiam habetur, quæ pluribus & ambitiosis oppidis dominatur, latumque agrum possidet: in ea primum nobiles rerum potiti sunt. His inter se diuisis, & sua sponte cedentibus, regimen in populum deriuatum est, in eo quoque, ut fit, excellentiores alijs alij potentiam adepti rempublicam per vices inuasere, atque horum alij Nouem, alij Duodecim, quamuis numerosi essent, quia totidem priores inter se dominantes instituerunt, vocati sunt: alijs, cum ciuitatis leges in suo regimine, murosque reformassent, Reformatorem nomen indictum est. Ex his Duodecim qui vocantur (sunt autem admodum quingenti viri) quamuis negotiatores opulenti, abiecti tamen habentur, atque omni imperio abdicati, vitam pene similem ducunt: Nouem, & Reformatores munera ciuitatis æquo iure cum Populo partiti, nobilibus certam officiorum portionem, precario quodammodo tribuunt. Quibus ex rebus existimabant Senenses Aeneam natu nobilem in aduentu Cæsaris aliquid moliturum, quo suam familiam ad pristinam dignitatem, potentiamque reduceret. Cui igitur

igitur Venetijs, Ferrariæ, Bononiæ, Florentiæque mandata Cæsaris expleuisset, ad se venientem eum timere, obseruare quidnam ageret, & prohibere vulgo ad eum irent, quosdam etiam, vt est populi mos, incessere maledictis, odiosum regentes habere. Ridendus est mundi cursus, in quo nihil stabile, nihil securum inuenitur. Anno, qui præcesserat, nemo satis Aeneam intuere potuit, nemo satis commendare: nunc inuisus omnibus cum urbem intraret, honoris causa nullum obuium habuit: domi a paucis salutatus est, in plateis maledicere sibi plerosq. animaduertit: sed omnia moderate tulit, risitque secum fortunæ mutationem. Accedens ergo urbis senatum, postquam Cæsaris legationem absoluit, rogauit magistrum, ne quid de se male sentiret, se pluribus beneficijs ab eorū regimine cumulatū nullā habere causam cur ei officere vellet, se primum in vrbe honoratum, qui pontifex esset, pacem cupere, motus omnes horrere, familiam Picolomineam, de qua sibi origo esset, inter alios nobiles a regentibus semper honestius habitam, Gregorium Lollium nobilem iurisconsultum inter primos gubernatores urbis ex Bartholomæa sorore patris sui natum fratrem suum esse, sorores suas in regimine nuptas, illarum liberos heredes sibi futuros: nihil demum inueniri, quod se regentibus infestum reddere posset: Cæsarem præterea Italiam non regnaturum, sed coronam accepturum petere: comites habere, principes nobilissimos, potentes proceres, quietis amatores, amicos omnes venire non hostes: nihil ab eis esse timendum, qui solo transitu contenti essent: Cæsari numquam seditiones cordi fuisse, stabilem eius fidem, inconcussam, quod promitteret: sic pacatis aliquantisper animis, tutior apud eos mansit. Inter hæc Michael Fullendorfius eius collega, & amicus in primis carus febre correptus, magnum, & illustrem spiritum exhalauit, corpus illius Aeneas in æde beatæ Virginis magnifice sepeliuit. Inde vt inuidiæ cederet, & quia non deerant Senis murmurantes, Thalamonem quāto cyus se cum collegis contulit, ibi vt aduentantem imperatricem maneret: & ne Senis inueniri posset, si Cæsar interim proficisceretur. Romanum autem Pontificem adire nō potuit, ne dū Romæ teneretur, imperatrix portum applicaret, cuius receptio sibi potissimum commissa fuerat. Pontifex, cui Romanorum mores cogniti erāt, quiq. multos nouitatis auidos intellexerat, timens populi motum iam Cæsari nuntiauerat, & comea-

tuum

A tuum penuriam causatus, aduentum suum in ætatem vt differret, Aeneæ vero vt ad se quāto cyus iret, imperauit. Ipse autem cum se litteris excusatum fecisset, quoniam quæ Cæsari nūtiata fuerant, non ignorabat; mirari se se ait mutationem apostolicam, neque videri honestum Romani Pontificis dictum indictū fieri; memoriæ se tenere Pontificem maximum dixisse sibi Cæsari, si venire Romā vellet, hiemale tempus eligendū, quod salubrius esset, rebusq. victui necessarijs magis abundaret, præstoq. esse ad coronationem omnia: vltro petitum aduentum: nunc mandari cōtraria indignum esse, quando & is accinctus itineri, & coniux eius propedem littus Italicum appulsura sciretur: accepisse se maximo Pontifici metum iniectum, timerique Romæ Cæsarem, & timorem vanum, scire Cæsarem iustum, Nicolai amantem, nil æque odisse quam turbas, moriturumq. prius quam fidem falleret, comitatum habere nobilissimum, quietis cupidum, religioni & ecclesiæ fauentem. Quibus verbis Nicolaus motus litteras ad Cæsarem scripsit, suo ex arbitrio iter vt faceret; easque ad Aeneam primum direxit, vt si sibi videretur, illas ad Cæsarem mitteret. Placuit Aeneæ scriptum apostolicū, moxque tabellarium ad Cæsarem direxit. Verum interea motus in Austria excitatus, dies plurimos aduentum Cæsaris retardauit: Imperatricem venti contrarij, & horridæ tempestates diu retinuerunt. Itaque sexaginta diebus apud Thalamonem Aeneas, non sine magno suo & collegarum tædio, demoratus est: vidit tamen interea montem Argentarium, & non obscurum Herculis portum, & non indignam visu Lanfedoniam; cuius & si diruta sunt ædificia, moenia tamen adhuc extant ex quadratis, sectisque lapidibus ingentis magnitudinis, sine cemento, mirabili iunctura connexis, in colle, qui mari Tusco imminens ad Chartaginem respicit. Verum, mirabile dictu est, cum Cæsar ex Alemania in Italiam descendisset, iterque celeri cursu perageret, diuino quodam flatu factum est, quo is die Florentiam intrauit, eodem imperatrix Liburni portum applicuit: Aeneas quoque simul die vna, & imperatoris, & imperatricis litteras accepit, quæ se, suosque collegas propere Pisas petere iuebāt: parens cum collegis, ac dominabus per Grossetum, & Scarlinum, ac per agrum Volterranum impigre Pisas venit. Iam Cæsar Ioannem episcopum Ratisponensem, Vanconem Sclesiæ ducem consanguineum suum, Michaelē comitem Magdebur-

C gensem,

genssem, Ioannem magistrum cameræ, Vlricum Sonnenbergium Auftriæ cancellarium, Vlricum Montisfortis, Iacobum Laandroniū physicum, & nobiles equites ad Imperatricem miserat, nihil tamen adhuc conclusum erat. Ibi ergo cum diu de consignanda, mittendaque Cæsari sponsa tractaretur, tandem marchio Portugalenfis, qui Leonoram a fratre receperat, imperatori tradendam, postquam de ceteris rebus transactum est, vocatis oratoribus; & qui Pisus erant, viris nobilitate claris, rogatis tabellionibus, imperatricem dextera manu apprehendens, ad manus Aeneæ consignauit: eam ut ad Cæsarem transduceret, quæ res Vanconi duci admodum molesta fuit, qui sibi hoc honoris iure sanguinis, quo Cæsari propinquabat, deberi putauit: sed Portugalenfibus, ceterisque legatis Cæsaris aliter uisum fuit.

Florentinorum metus, Aduetus Cæsaris, & Leonoræ Italiam, primusque congressus, ac nuptrimonium Senis euectum, & Cæsaris de Aeneæ uarietiam. Accineæ orō apud pontificem ac pontificis, & Cæsaris somnia.

Dum Pisus hæc agerentur, Florentini, qui ciuitatem duro imperio premunt, Pisanosque omnes suspectos habent, tot aduentasse illic exteros, tantamque moram facere, iniqua mente ferebant; uerbis tamen Aeneæ, qui eis notior erat, indiesque recessum spondebat, ne quid nouitatis agerent, retenti sunt. Imperator interea Senas uenerat, ibique sponsam manebat, quam postquam properare cognouit, emissis primum ciuibus obuiam, deinde Alberto germano duce Auftriæ, post Ladislao patruale, Vngariæ, ac Bohemiæ rege, quarto loco cum reliquijs sanctorum, clero postremum, & ipse medius inter duos legatos apostolicos, sanctæ Susannæ Nicolai Pontificis germanum, & sancti Angeli cardinales, intra secundam, & tertiam urbis portam egressus, coniugem expectauit: ibique ambo ex equis descendentes, in spatio, & patenti loco sese mutuis amplexibus exceperunt. Verba nomine Cæsaris Henricus Leubin pontificij iuris interpretes fecit, Imperatricis uice loquutus est Aeneas, atque ibi paulo post Senenses marmoream columnam erexerunt, memoriale diuturnum, quo posthac, Imperatorem ab oriente, Imperatricem ab occidua solis parte uenientes, illic sese primum uidisse posterius cognoscant. Inter hæc Senenses omnes, qui ferre arma poterant, ex ordinibus duodecim, ac nobilibus extra urbem relegauere, maxime uero cognatos Aeneæ Picolomineos: At ubi Cæsaris clementiam, atque mansuetudinem intellexerunt, Aeneamque uera locutum rursum in eam admirationem conuersi, bonum eum, & patrem, & ciuem prædicauere, reuocatisque cognatis

Atis eius, suspicari desiuerunt, ac legatum Aeneam ad summum Pontificem designarunt. Cum Cimini montis iugum, qui Viturui imminet, ascendisset Imperator; accersito inter equitandum Aeneas, Ecce (inquit) Romam petimus, uidere uideor te Cardinalem futurum, neque hic tua fortuna conquiescet, altius eueheris, beati Petri te cathedra manet, caue ne me contempseris ubi hoc honoris assecutus sis. Cui Aeneas, Nec Pontificatum Maximum mihi arrogo, neque cardinalatum. At ego, subintulit Cæsar, hoc ita futurum uideo. Aeneas tamquam iocantis uerba suscepit, & Romam cum eo profectus, primus inter prælatos eius fuit, salutantibusque cardinalibus, & urbis primoribus, qui obuierunt, responsa pro Cæsare dedit. Cumque Cæsar nocte extra moenia urbis remansisset, Aeneas ad Pontificem lectulo cubantem uocatus, bonam, fixamque Cæsaris mentem esse ostendit, admiratumque sese ait, tanti principis fidem in dubium potuisse uenire. Cui Pontifex cum uerba multorum exposuisset, minus (inquit) timentis error, quam fidentis nocet. Cum uero Cæsar urbem intrasset, atque ante fores basilicæ sancti Petri, sacros summi Pontificis pedes exoscularetur: Aeneas Imperatoris iussu sermonem habuit, ei quoque in petitione Mediolanensis coronæ, quæ Longobardorum dicitur in benedictione sponsalium, cum sacro maximi præfulis ore Leonora Federico iungeretur. In coronatione demum Cæsarea apud aram sancti Petri imperatorio nomine, quæ fierent uerba commissa sunt, inter Papam & Imperatorem secretas res multas absoluit. Neque hic unum prætereundum arbitror, quod de somnijs memoratu dignum uidetur. Sequenti post coronationem die, Cæsar cum tribus Cōsiliarijs, inter quos Aeneas fuit, Nicolaum Pontificem adiit: ubi sermone ad longum producto, Meministi Pater (inquit) dicturum me tibi somnium, postquam coronam accepissem, id huiusmodi est. Ex Viēna cum recessisti a me ultimo, uidi per quietem nocte proxima, me Romam uenisse, tuisque manibus meo capiti coronam imponi mirabar: inter dormiendum, neque me legitime coronatum putabam, quem non Romanus, sed Bononiensis episcopus coronasset; euigilans autem contempsi uisum: at postquam te cardinalem creatum, deinde Papam assumptum, Aeneæ primū litteris intellexi, e uestigio ratū credidi, quod secutum est tuis me manibus coronandum. Tum Nicolaus sæpe uerum somniant qui præsunt populis. Ego quoque

que (inquit) nocte, quæ mortem Eugenij præcessit, sopori deditus, in hoc me cubiculum vidisse videbar, quod tunc, ut tu nosti Aenea, bipartitum fuit. Eugenius pallium, deinde tunicam exuens, illis me induit, mitramque longam, qualē gestare Pontifices solent suo capiti, demens imposuit meo: postremo manu me apprehendens, ostensaque hac sella: sede hic inquit, ego ad sanctum Petrum pergam: sic ille in crastinū mortuus in Aedem sancti Petri delatus est, forsitan & anima gloriosi prædecessoris consortio gaudet, mihi post duodecim dies summus Apostolatus commissus est.

Pōtificis promissio de cardinalatu Aeneæ, qui tamē legatus de latere factus. Fuga Ladislai Ducatus Borsij, & Aeneæ oratio.

Dum hæc agerentur, frequens opinio fuit Aeneam in Cardinalatus ordinem recipiendum, qui Papæ carus, Cæsarique videbatur, neque ab re: promiserat enim imperatori Nicolaus inter primos, quos creaturus esset cardinales Aeneam primo loco nominatum iri, neque mentitus est nullo deinde ad cardinalatum assumpto, mortuus. Post hæc Imperator Neapolim profectus, Aeneas paulisper ægrotans Romæ remansit, Ladislaique regis impuberis cum alijs curam gessit. Interim relatum est Papæ: regem fugam meditatam, nisi custodiatur, domum exiturum. Tū Pontifex quinta eius noctis hora, quæ ad fugam electa ferebatur, Aeneam ad se accersuit, iussitque regis domum diligenter custodiri. Aeneas regis ædes ingressus, custodes eius admonuit, ne malis infidijs locum darent, redeuntique Cæsari pignus saluum restituerent: verum eius rei nulla postmodum certa indicia reperta sunt, quamuis pædagogus regis apud Florentiam maius flagitium tentauerit. Redeunte Cæsare, conspectuique Maximi Præsulis, ac sacri senatus, se restituentem, vice sua Aeneas duas orationes in auditorio publico recitavit, in altera gratias egit summo sacerdoti atq. cardinalibus pro maximis, quæ Cæsari præstiterant beneficijs: in altera, ut generale passagium aduersus Christiani nominis inimicos indiceretur, atq. instrueretur; Papam hortatus est, ne Christicolæ per Græciam, & orientem amplius vexarentur. Postremo cum Cæsare ab Vrbe recedens Aeneas, orator apostolicæ sedis cum potestate legati de latere per Bohemiam, Slesiam, Austriam, Morauiam, Stiriam, Carinthiam, Carniolamque missus est; nec diu post legationem eius, instante Cæsare, Romanus Præsul ad Hungariæ regnum extendit. Cum Senas rediisset, timeretque Cæsar Florentia transitum facere, quia suspectam eius morā apud Neapolim

A polim Florentinis existimabat; Aeneas ad eos præmissus iter Cæsari tutum reddidit, innouata publica fide. Legati Hungariæ, & Austriæ ibi Cæsarem expectabant, qui Gasparem pædagogum Ladislai regis ad colloquium vocantes, persuaferunt ei regem ut ex potestate Cæsaris raperet, cuius rei hunc ordinem dederant. Instigandum puerum aiebant, ut postquā Cæsarem abeūtem ad portas vrbis secutus esset, velle se Florentiæ immorari dies aliquot diceret, atque petita venia retrouerteret equum, datus se apud magistratus vrbis operam Cæsarem, si puero vim velit inferre, præsto viros in armis habeant, qui resistent. Sed tantum flagitium senatus Florentinus exhorruit, atque honesti tenacior, increpatis internuntijs, libere, atque magnifice honoratum Cæsarem a se dimisit. Qui postquam Ferrariam venit, animo repetens Borsij magnificentiam, qua fuerat receptus, quæ recipiebatur, ac generosum animum, ditionis amplitudinē, Estensium nobilitatem, a consiliarijs suis, præsertim ab Aenea rationibus suafusus, ex agro Mutinæ, & regij ducatum crexit, ac Borsium ducem creauit, quod bene factum, bene locatum omnis Italia dixit. Cum nouellus dux insignibus ex more publico donaretur, de Cæsaris beneficentia, de laudibus domus Estensis, de virtute Borsij, deque dignitatis eminentia, dicendi partes ad Aeneam delatæ sunt. At neque ventum Venetias postquam est, de rebus magnis, apud senatum, ducemque reipublicæ, aliusquam Aeneas ex imperio Cæsaris loquendi prouinciā accepit. Postremo cum Cæsar in patriam se recepisset, Austrialesque magnum exercitum aduersus eum duxissent, atque ipsum diebus nonnullis apud Nouam ciuitatem obsedissent, bombardis, & alijs belli machinis quatientes muros, intrepidus Cæsari comes adhæsit, factisque inducijs, emissio rege Ladislao, conuentu apud Viennam indicto, in quo de pace transigeretur, cum plurimos, atque præstantes oratores eo Cæsar misisset, Aeneas primus omnium fuit, apud quem legati totius Alemanniæ, magni prælati, clari comites, insignes barones, conuenerunt: bis illic apud primores Hungariæ, qui ex toto regno aderant, semel apud Bohemos, Cæsaris nomine verba fecit: Ladillaum iā regnantem, bis salutatum adiit. Per hoc tempus inter Albertum marchionem Brandeburgensem, & ciuitatē Naremburgensem in curia Cæsaris, de rebus arduis, graue iudicium magnis cōtentionibus agebatur, quod solos diffinire principes oportebat.

Bellum Austriacū & Aeneæ legatio promotuque ad principatū imperij, eiusque oratio, & confectio pacis.

Cumque Albertus vnum Auftrię, duos Baioarię, vnum Saxonię, duos Sclesię duces, & plerofque alios principes, vt eloquentia potens, & industria folers, in suam ſententiam adduxiſſet, coactus iam Cęſar videbatur iniquam ferre ſententiam, niſi Aeneas interueniſſet, qui iam pridem poſt Senęſis eccleſię delatã dignitatem, inter principes imperij per Cęſarem aſſumptus fuerat. Hic enim poſtquam ſententiam rogatus eſt dicere, honorem Cęſaris ante omnia tenendum ait, cuius nomine ſententia promulgaretur, illum vero ſaluari non poſſe, niſi iuſte iudicaret, qui ſuſpecti nominabantur, quique belli participes fuerãt, quod Albertus contra Nurembergenses geſſerat, his iudicium minime conuenire, reliquos, qui Cęſari aſſiderent, iuuenes inexpertos eſſe, paucosque qui rem tantam dirimeret, ſibi, neque iuſtitię, neque animę ſaluti detrahendum eſſe, vtileque illud videri conſilium, ſi res in aliud tempus protraheretur, in quo Cęſar plures principes cauſę non affectos, ſibi aſſidentes habere poſſet. Quibus dictis Ioannes Eyſtetensis epiſcopus; vbi ſe tangi animaduertit: (nam, & is bellum Nurembergensibus intulerat,) ad conſcientiam reuerſus, in ſententiam Aeneę conceſſit, idemque Ratiſponensis pontifex, & Carolus marchio Badensis: qui etſi Alberti ſororem, vxorem duxerat; aſſinitatem tamẽ iuſtitię ſe minime pręlatum ait, dignus cui populi pareant, & paternę virtutis ſectator adoleſcens. Ceteri Eyſtetensis epiſcopi verbis, quę haud bene intellexerunt, ducti fuere; ſic res in aliud tempus ſuſpenſa eſt, Cęſarque turpi nota liberatus, quam ſine culpa pene inciderat, iniquam ſententiam, iudicio principum, qui aſtabant, & factione laturus. Poſt hęc cum legati Ladislai regis ad tractandam pacem, de qua Viennę deſperatum erat, ad Federicum Cęſarem ueniſſent, Aeneas his publice reſpondit, deinde tractatu durante, parum tamen ſpei prę ſe ferente, hortantibus conſiliarijs, cubicularijsque pluribus, Aeneas, vocato Vlrico Sonnembergio Cęſarem adiit, eamque pacem magnis rationibus, & honeſtam, & recipiendam oſtendit, quę ſequenti die concluſa eſt.

Constantino
polis captiui-
tas, Conuen-
tus Ratiſpo-
nensis, Burgū-
di aduentus,
& Aeneę ad
Pontificem
legatio atque
Oratio.

Turcę dum hęc aguntur, iam pridem minoris Aſię, & maioris Gręcię partis domini, Constantinopolim Orientalis Imperij ſedem, quę ſola in terra Thracia Mahumetis iugum obtreſtabat, ingentibus copijs, terra, marique obſident, & tredecim oppugnata diebus, expugnant, capiunt, diripiunt, Imperatorẽ

gentis

A gentis Constantinum interficiunt, & omnem fere nobilitatem obruncant, plebem in ſeruitutem redigunt, nobiliſſimumque ſanctę Sophię templum, cunctasque Regię vrbs basilicas ſpurcitijs foedant Maumeteis. Triste id nuntium Chriſtianiſ fuit, maxime vero Nicolao Quinto Põtifici Maximo, et Federico tertio Imperatori, quod ipſorũ temporibus hoc tantũ Chriſtiane religioni opprobrium accidiffet. Imperator apud Ratiſponam Baioarię urbem, quę Danubio adiacet, iubet Germanos aſſe, eoque Philippum Burgūdię Ducem vocat, clarum, & cõpetentem principem, qui mox relictis Flandrię motibus, ad quos comprimendos ierat, receptis imperialibus litteris, longiſſimo itinere Ratiſponam ſe contulit: vnus enim Chriſtianorũ erat principum, qui Turcarum nomini infeſtiſſimum ſe ſe oſtendebat, ſiue patrem vlturus, quẽ Turcę olim captum multo auro vendiderant, ſiue religionis amore, quod hac potiffimum via æternam vitam quæreret, ſiue rumores hinc populi venaretur, cui mortaliũ pars maxima inſeruit, multum in eius aduentum auctoritatis acceſſit Ratiſponenſi cõcilio. Nam & Baioarię Dux Ludouicus, & Albertus Marchio Brãdeburgēſis, & alij cõplures principes, audita Burgundi proſeſione excitati, Ratiſponã petiere, qui alioquin domi remaniſſent. Imperator quãuis ſpem fecerat ſui aduentus non tenuem: mutato tamẽ conſilio, in Aſtria commoratus eſt: veritus ne vicina Hungarię flãma ſuã demũ incenderet. Gilles, & Hantrauter latronum principes per id temporis Aſtrię, Stirięque proximi Hungariam vaſtabant, aduerſus quos Ioannes Hunnates regni gubernator propediem conſicturus exiſtimabatur, vt victor quiſquis eſſet, Imperatori timẽdus erat, qui more hominum res proprias per ſe ipſum, communes per legatos curare ſtatuit. Miſit igitur Ratiſponam egregios ex curia ſua oratores, barones duos, epiſcopos duos, quorum alter Vlricus Gurgensis, alter Aeneas Senensis fuit, & his adiunctus eſt Nicolaus ſancti Petri cardinalis, qui tum apud Eccleſiam ſuam Brixinenſem morabatur. Nicolaus Pontifex Maximus Ioannem epiſcopũ Papienſem eo tranſmiſit, qui tuitionem fidei Catholice cõcilio comendaret, & opem ſuam offerret. Conuentu iam pleno, cum pręlati eccleſiarum, & principes Chriſtiani multi aſſent, concione in prætorio ciuitatis vocata, Aeneas vice Imperatoris verba fecit, quibus in expugnatione Constantinopolitana, quantum detri-

C 4 menti

menti Christiana respublica accepisset, & quantum instaret periculum, nisi Turcharum conatibus occurreretur, plane, dilucideque monstravit, capiendaque publice arma pro communitate suasit, excusato Imperatore, qui domi necessario remansisset, quamquam manca omnis ratio videbatur. Habuit & orationem Apostolico nomine Ioannes episcopus Papiensis, & pro Burgundo locutus est Ioannes Tullensis episcopus, quem postea Pius secundus ad Tornacensem transfudit ecclesiam. Cardinalis quoque sancti Petri non nihil ad persuasionem belli effatus est, & alij non pauci pro suo quisque captu perorarunt, ut affolet in multitudine congregata. Philippus cum audisset Aeneam, Quid opus est, inquit, multis verbis? satis Aeneas ostendit, quæ nobis incumbunt: dicant de se ceteri, quæ volunt; ego de me ipso loquar. Noui in quo discrimine Christiana res est: si fidem nostram, si libertatem, si vitam retinere volumus, necesse est obuiam Turcis ire, eorumque vires opprimere, priusquam amplius inualecant: cui rei neque corpus meum, neque facultates negabo: modo princeps alius ad eam rem idoneus se se accingat, cui possim comes ire. Laudatus est a toto conuentu Philippus, & vnus omnium iudicatus aptus, dignusque, qui rempublicam administraret. Exin sententijs cunctorum dictis, in verba Aeneæ decretum factum est, nec quisquam fuit, qui non expeditionem in Turcas ducendam censeret. Placuit tamen auxilia Francorum exquirere, qui equites expeditioni adiungerent, & Italicorum, qui classem validam in Græciam, Asiamque traderent, ac Turcarum præcipuas infestarent sedes. Germanorum vero alium conuentum esse cogendum apud Frâkfordiam Mogano adiacentem, qui Rhenum e regione Maguntia influit: ut ibi delectus militum fieret, & altrices bello pecuniæ perquirerentur. Hæc & alia pleraque Germanorum propria Ratisponæ acta.

Alius conuentus Frankfordiæ celebratur, & per Aeneam ad bellum contra infideles accensus.

Dissoluto concilio, Aeneas ad Imperatorem reuersus, Italiã reuifere statuerat, atque in patria, quod vite supererat, viuere, quod cum peteret à Cæsare, non impetrauit, retentus est, ad Frâkfordiense concilium, vicem ibi ut Imperatoris ageret; quando is vnus esse videbatur in palatio de tuenda religione curiosissimus, & qui dicendo persuadere aliquid posset. Adueniente concilij die, & sibi, & Gurgensi antistiti, & Brandeburgensi, Badensique marchionibus, hæc prouincia demandata est, qui Frankfordiam accedentes, admodum paucos ibi conuenerunt, & eos

ipfos

A ipsos Imperatori, atque Papæ infensos. Post dies aliquot affuerunt Theodoricus Maguntinus, & Iacobus Treuerensis Archiepiscopi, & legati ex tota fere Germania, ex Italia Pōtifex Maximus, & duo Marchiones, Estensis, & Mantuanus oratores misere. Alphonfus Rex Siciliae, & Veneti tardiores fuere, quorum legati iam dimisso conuentu Germaniam ingressi sunt. Hungari, & Burgundi affuere, illi petentes auxilium, hi offerentes. Aderat & Ioannes Capistranus ordinis Minorum professor, vitæ sanctimonia, & assidua verbi Dei prædicatione clarus, quem populi velut prophetam habebant, quamuis in bello contra Turcas suadendo paucum proficeret. Mutati erant Theutonum animi; nec cuiquam placebat expeditionem in Turcas fieri: infectæ veluti venenis quibusdam aures, neque Imperatoris nomen, neque Romani præfulis ferre poterant, dicebantque eos corrodere aurum velle, non bellum gerere: sed alium futurum concilij exitum, quem sibi persuasissent; nec pecuniam collatos Germaniæ populos; nec in militiam duros nomina, atque in eam sententiam persuasi omnes, Imperatori, & Papæ maledicere, legatos eorum contemnere, Burgundos irridere, qui proni ad expeditionem videbantur, Hungaris durissima verba dare, qui, cum suum regnum tueri nequiuissent, nunc Germaniã suis calamitatibus inuoluere vellēt; nec vlla spes reliqua erat rei bene gerendæ, cum decretum Ratisponense prorsus rejiceretur: At cum in concionem itum est, locuto Aenea, omnium repente animi in priorem belli gerendi ardorem rediere. Orauit ille duabus ferme horis, ita intentis animis auditus, ut nemo vnquam expuerit, nemo ab orantis vultu oculos suos auerterit, nemo non breuem eius orationem existimauerit, nemo non inuitus finem acceperit: fuerunt & alij quamplures auditi, verum tædio, & irrisione, orationem Aeneæ ab omnibus laudatam multi transcribere, & secundum eam Ratisponense decretum de bello gerendo innouatum est, & Hungaris auxilium promissum equitum decem milliū, peditum trigintaduo, statutumque ut ad Cæsare electores Imperij ceterique Germaniæ principes festo Pentecostes proximo sese conferrent: ut quæ reliqua essent ad expeditionem maturandam, ibi absoluerent. Atque ita dimisso conuentu legati Cæsaris in Austriam rediere.

Nec diu post noui concilij tempus affluit, veneruntque ad Imperatorem in nouam ciuitatem Iacobus archiepiscopus Treueren-

Conuentus in noua ciuitate, Aeneæ orō. Mors Pōtificis Nicolai, Sarezana oppidū. Nicolai gesta, Conclauē. Creatio Calisti; eiusque uotū.

uerensis, Albertus Brandeburgensis, & Carolus Badensis Marchiones, & alij nonnulli ex Germania principes, reliqui legatos misere, ex Hungaria episcopi & barones præcipui auxilia petunt venere, multa que de gerendo in Turcas bello, & de spe victoriæ differuerunt. Ex Italia legatus apostolicus affuit idem, qui Ratisponam, & Frankfordiã adierat Ioannes episcopus Papiensis suo iudicio valde sapiens, & eloquens, multorum tamen iudicio, neque stultus, neque dicendi prorsus ignarus, quæ sequebatur Michael Pitius Alphonsi Regis Siciliæ, & Aragonũ in vituperando, quam in laudando orator vehementior. Nec Ioannes Capistranus defuit assiduis prædicationibus populum contra Turcas ad arma excitans. In hoc cõcilio Aeneas iubente Imperatore, legatis Hungaris publice responsum dedit, quod in scriptis reductum, editum est, & inter eius orationes habetur. Inter hæc dum omnia propemodum conclusa sunt, & spes pulcherrima esset, estate proxima ingentes copias in hostes eductũ iri, ecce mors Nicolai Quinti renuntiatur Pontificis maximi, quæ telam longo iam tempore ordiri cœptam vno momento interrumpit, vanasque hominum cogitationes ostendit, & inanes curas. Nam quæ futuri cognitio, quæ consilij capiundi certa ratio? Decidunt omnes humani conatus, quos dextera Dei non adiuuat: non placuit diuinæ pietati per id tempus extendi Turcarum Imperium, ad correctionem nostrarum iniquitatum diutius conseruatur. Sederat Nicolaus in Beati Petri solio annos circiter octo, non tam genere clarus, quam doctrina, & animi dotibus excellens. Sarezana oppidum in Tuscia non procul à Macra fluuio situm illi patria fuit, quamuis antiquã originem ex Luca ducenti, celebrauit annum Iubilei magna populorum frequentia. Bernardinum Senensem in sanctorum catalogum assumpsit: Imperatorem Federicum tertium, & Imperatricem Leonoram ex Portugallia natam Romæ coronauit, vnxitq. in Basilica sancti Petri Apostolorum principis: Urbis ædificia magnifice instaurauit; etsi plura inchoauit quam perfecit: Cardinales creauit septem, inter quos fratrem suum assumpsit, Philippum Bononensem episcopum ameno ingenio virum, & amici amicum: & facta vnione ecclesiæ, ex his qui fuerant in schismate creati, recepit aliquos, Stephanum Porcarium non ignobili apud Romanos loco natum, res novas in Vrbe, & ipsum Christum Domini capere atque occidere parantem interceptit, neca-

rique

Arique iussit, multis, & magnis operibus clarus, felixque fuit: verum Constantinopolitana clade infelix, quæ in suum incidens Pontificatum, maximã illi molestiã attulit: a qua dum releuari curat, arteticis doloribus vniuersum corpus inuadentibus extinguitur, & cum eo ingentia in Turcas cœpta corruerunt. Cardinales peracto funere de successore solliciti, ac conclaue (vt moris est) ingressi, varijs cõsultationibus agitati sunt: eratq. admodum difficile duas collegij partes in vnum conuenire: scrutinioque semel, atque iterum incassum peracto, collocuti sunt inter se aliqui extra locum scrutinij, Bessarionemq. cardinalẽ

B Nicænum eligere decreuerunt, quod is omnium aptior ad rem publicam gubernandam videretur, conueniebatque numerus in eum sufficiens: nec dubium uidebatur, quin sequenti scrutinio Pontifex a duabus partibus eligeretur, iamque ad eum supplicationes deferebantur. Quod vbi ad alias alterius partis delatum est, Adanus cardinalis Auinionensis, nunc istum, nunc illum circumiens, Ergo (inquit) ecclesiæ latinæ Græcum pontificem dabimus? & in capite libri neophitum collocabimus? nondum barbam rasit Bessarion, & nostrum caput erit? en paupertas ecclesiæ latinæ, quæ virum non reperit summo Apostolatu dignum, nisi ad Græcos recurrat. Sed agite Patres quod libet: ego, & qui mihi credent, in Græcum præfulem numquam consentiemus. Mouerunt ea verba nonnullos: adeo vt duæ partes collegij nullo pacto ad Bessarionem accederent. Qui cum vna nocte Pontifex constanti omnium opinione habitus esset, adueniente luce cardinalem sese reperit, aliquanto minoris famæ, quam antea fuerat: vt his accidere solet, qui magna e spe ceciderunt. Cum ventum est de nouo ad scrutinium, & via quæ per accessum vocatur tentata: in eum duæ partes consentire, de quo minor erat expectatio populi. Is fuit Alfonso cardinalis sanctorum quatuor coronatorum, natione Hispanus, ex ciuitate Valentia nobili loco natus, scientia iuris eminentissimus, & multarum rerum experientia præditus, verum senio grauis, ac propemodum decrepitus: nam septuagesimum annũ transcederat. Qui & si ante aliquot annos, & vacante tum sede apostolica suam assumptionem fere omnibus prædixisset, seque proculdubio futurum Pontificem maximum affirmasset, nullius tamen opinionem ad se traxerat, & delirare potius more senũ existimabatur. Sed fuit eius vaticinium verax, quod a Beato

Vin-

Vincentio se habuisse narrabat, suæ nationis homine iam defuncto: quem postea inter sanctos Christi confessores retulit. Alfonso in Petri cathedra constituto, Calisto tertio nomen est inditum, qui mox votum uouit aduersus impios Turcas omnia se studia conuersurum. Nec moratus bellum eis indixit, in quo militantibus peccata dimisit: ac legatos in Galliam, & Hungariam ad congregandos exercitus direxit.

Aeneæ suasio pro Pōtifice, & ipsi ad eū legatio pro Germanorū obediētia p̄standa.

Hæc cum audita essent in Austria, fuere non pauci, qui Cæsari suaferint nūc tempus esse coercēdi Apostolicam sedem; ne tantum in Germania posset: conuentiones, quæ cum Eugenio Quarto factæ fuerant, diminutas esse, nec prius obediendum Romano Pontifici, quam ea cōcederet, quæ natio Germanica optaret, ancillam eam videri, libertatem aliquando mereri. Atq; hoc ipsum Iacobus Treuerensis archiepiscopus obnixè requirebat, qui ex lite lucrum aliquod expectabat. Contra Aeneas non esse è re Cæsaris aiebat, Romani Pontificis auctoritatem reprimere, vt populi gratia iniretur, quæ sui natura inconstantissima est; nec multitudini relinquendas habenas, quam noscet principibus inimicam: inter principes aliquando amicitiam inueniri, inter plebem, & regem odium immortale: Papam Imperatoris, & Imperatorem Papæ auxilio indigere: stultum esse illi nocere, cuius expectes opem: cum Pontificatus nouus initur; tunc Romani præsulis gratiam beneficijs emerendam. Quod si ab iniurijs incipias, difficile in beneuolentiam patere aditum: mittendam more maiorum obedientiam, foedusq; cum nouo præstule honestum ineundum, eoq; pacto Germanos Imperatori obedituros. Vicit Aeneæ sententia, atq; ipse missus est, qui ea perageret, quæ suaferat, & cum eo profectus Ioannes Inderbachius Iurisconsultus, prius tamen quam Romam peterent, iussi sunt in Foro Iulij litem quandam de finibus intercipere, quæ Venetos inter, & Austriæ subditos versabatur. Pro qua re cū diebus pluribus apud Naonis portum moram fecissent, nec Venetorū legatos euincere possent, Venetias se contulerunt, & ingressi senatum, quamuis aduersaretur Imperatoris causæ Frācisus Foscarus ciuitatis princeps, eloquentia & auctoritate potens, senatores tamen Aeneæ verbis persuasi decretum reuocauerunt, quo Naonenses cum Venetorum subditis communicare prohibebantur. Exin Romam ventum est; vbi collegæ ambo tanto maioribus honoribus excepti sunt, quanto diutius, & auidius fuerant

A fuerant expectati, coactum est in eorum aduentu publicum concistorium, in quo Aeneas præstita pro vetusta cōsuetudine obedientia, orationem habuit de imperatoris, & imperij laudibus, simulque de bello in Turcas gerendo, quæ postea rescripta in multorum manus peruenit.

Increbruerat per id tempus fama, Calistum in quatuor temporibus aduentus, qui prope aderat, nouos cardinales creaturum, inter quos assumendum Aeneam constans extabat populorum; adeo vt quocunq; iret digitis monstraretur tanquam cardinalis propediem assumendus, & id ipsum Calistus affirmauerat. Cumque dies adesset, concistoriumque eius rei causa secretum haberetur, exijt sermo ex palatio, aliquos in ordinem cardinalatus esse assumptos, atque inter eos Aeneam, ad quem multi congratulatum uenere, dolore pedum in lectulo laborantem: qui accepto nuncio nulla in parte mutato vultu, sedatoq; profusus animo, si verum est inquit quod fertur ante horas duas innotescet: interim in vtramque partem ero accinctus, neque metu frangar, neque spe ludar inani. Ioannes autē Zamorensis episcopus pari modo salutatus, iam tandem (inquit) assecutus sum quod annis vno de quadraginta expectaui anxius. & donato nuncio ante beatæ Virginis effigiem genua flectens, ei ac filio gratias egit. tam dispar hominum natura est, alij quod cupiunt facile credunt, alij quod metuunt. In concistorio uero cū diu res agitata esset, tres cardinales creati sunt, quorum duo nepotes Papæ fuerunt, Ludouicus sanctorum quatuor coronatorum presbyter, & Rodericus sancti Nicolai diaconus, & tertius eiusdem ordinis Iacobus sancti Eustachij ex regia Portugallensium domo natus. Iuuenes omnes, quamuis indolis optimæ. Non tamen statim publicata est creatio cardinalium, sed ita dissolutum concistorium, ac si nihil actum esset, cunctis patribus filere iussis, & si nonnulli ex thalamo Pontificis cōiecturam rei gestæ fecerunt, ex eo quod pugillare petatum est, & non nihil nutibus indicatum: sed Pontifex per æstatem, quæ primū secuta est, paucis cardinalibus astantibus, cum ceteri caumata effugissent, publicationem fecit.

Per idem tempus, cum tota Italia recenti pace respirasset, (nam potentatus omnes ab armis recesserant) nouus turbo exortus est, qui virgineam terram non sineret quiescere, Iacobus Picininus, Nicolai Picinini filius, qui iam pridem Venetis milita-

rat,

Rumor uan⁹ de cardina-
latu Aeneæ
eiusq; mode-
stia, & Zamo-
rensis insana
letitia, et crea-
tio aliorum
cardinalium
actu Calisti.

Bellum Picini-
ni cōtra Se-
nēses, eius fu-
ga, atq; neces-
sitas, Aeneæ
legatio ad Al-
fonsum effi-
cax, & Lucre-
tiæ amores.

rat, copiarum ductor non ferens otium magna equitum manu A transmissis Pado in Romandiolam penetrauit, ac deinde in Tusciam aduersus Senenses signa conuertit, omnium Italiae potentatum minus validos, vt eorum occupata republica nobilis vrbis tyrannus fieret & iam se se ducem Senarum appellari sinebat. Erat in Seneses subirato animo rex Siciliae Alfonsus, quod hi sibi affoederati, bellique socij se minime cōsulto duci Mediolanēsi, Florentinisq. pacem reddiderant, atque ob eam causam Picininum fouebat Senesem agrum vastātem. Nec vel sic Senenses Picinini tyrannidem declinassent, qui iam Citonium ac Montē Maranum cum arcibus occupauerat, non ignobilia oppida Senensis agri, nisi affuissent illico Francisci Sforziæ Mediolanensium ducis, ac Venetorum, & Calisti Pontificis Maximi auxilia, & insignes copiarum duces, qui Picininum vrgentes, in fugam verterunt. Cessit Picininus potentioribus, adeoque territus est, vt nunquam se tutum putarit, donec ad castrum Leonis, quod Alfonsus in maritima Senensium obtinebat, celeri cursu peruenit, quo in loco clausus, dies aliquot siluestribus tantum prunis vitam egit: saluti ei fuit Lucas Sclauus, qui Vrбетellū pro Senensi republica custodiens auro corruptus, decepto, captoque arcis præfecto, Picinini præsidium, & ipsum mari aduectum in C tromisit, quo in loco rursus obsessus est Picininus, sed erat difficilis expugnatio, his præsertim qui vincere volebant. Animaduerterant bellatores Italici, expugnato captoque Picinino sibi ad excolendos agros redeūdum fore, cum pax vbiq. vigeret: Picininumque quasi Deum colebant, qui solus belli materiam ministraret. Suggerebant igitur fame laboranti panem, consilia ducum ad eum deferebant, neque dicto maiorum parebant. Alfonsus quoque mari alimenta mittebat, producebatur in dies obsidio, & omnes incassum conatus ibāt. Nec iam Senenses exhausti auro, atque frumento sumptum ferre amplius poterant, & D Calistum tēdebat expensarum, nec ceteri bello socij, vt ab initio alacres ferebant suppetias: eoque deducta res erat, vt non minus obsessores quam obsessi periclitarentur. vnicum igitur salutis iter, Senensi populo visum est Alfonsum rogare, vt pacē elargiretur, opemque ab eo petere cuius societatem contempserant, quando is vnus erat, qui Picinino posset imperare. Redierat iam Senas in Germaniam profecturus Aeneas: vocāt eum magistratus vrbis, quos Priores appellant, & hi quibus Balia commissa est,

A est, multisque precibus orant, ne grauetur pro patria iter ad Alfonsum facere, pacemque Tusciæ ab eo petere, rogato prius Calisto vt equo animo ferat, legatos Senensium Alfonsum adire. Annuat Aeneas, ne patriæ in tanto discrimine deesset, quæ nisi pacem assequeretur, quamprimum necessario libertatem erat amissura. Redijt ergo Romam, Pontificemque non sine magno labore in sententiam traxit, vt pacem ab Alfonso peteret qui Ioannem Selerium insignem Theologum: quem postea Pius secundus Barchinonensi præfecit ecclesiæ, cum Aenea misit, vt suo nomine de pace ageret. Senenses duos Aeneæ comites B addidit Galganum Burgesium iurecōsultum, & Leonardum cognomento Benevolentem. Cum esset eūdem podagra Aeneā arripuit, atque octo diebus Romę retinuit, præcesserunt collegæ, & Alfonsum apud Traiectū cōuenere, vbi sepulchrum prioris Africani ostendunt, non procul ab Lyri fluuio, quē nostra ætas Garilianum vocat. Auditos Galganum & Leonardū, Alfonsus durissima excepit oratione, multa de Senensibus questus est, nec oratores ipsos pacificis oculis intueri poterat. At cum accessisset Aeneas hilari vultu & honesto sermone receptus: quem vt primum Rex intuitus est; Nunc inquit, libet de pace loqui, quando C mediator accessit, quem diligimus: moxque tractatum iniit. Sed cum res multos haberet nodos, & nouæ in dies emergerent difficultates, ad menses aliquot producta, & modo Neapoli, modo Puteolis, & aliquando apud turrinam Græcam tracta est: quibus in locis Lucretia morabatur speciosa mulier seu virgo: erat nobilibus inter Neapolitanos nata parentibus, licet pauperibus. Hanc rex perditæ amauit, adeo vt in conspectu eius constitutus extra se fieret, neque videret quicquā, neque audiret quemquā nisi Lucretiā, oculos in eam semper habebat intētos, laudabat verba eius, sapientiam admirabatur, probabat gestus, excellentiam formæ raram esse iudicabat; & cum multa ei donasset, & D quasi Reginam honorari iussisset, ad extremum se se illi permisit, neque enim exaudiri quisquam ea nolente potuit. Mira uis amoris. Rex magnus Hispaniarum nobilissimæ partis dominus, cui Baleares insule, cui Corsica, Sardiniaq. & ipsa Trinacria parebat, qui plurimas Italiae prouincias sibi subiecerat, viceratque potentissimos in armis duces, ad extremum victus amore quasi captiuus mulierculæ seruiebat. Nec eam cognouit (si uera est fama) solitamque eam dicere ferunt, virginitatem volenti mihi nunquam

nunquam Rex auferet: quod si vim inferre tentauerit, non imitator Lucretiam Collatini cōiugem, quę admissio scelere mortē sibi consciuit. ego facinus morte præueniam. Sed dum Aeneas obtinendæ pacis gratia etiam uenantem sequitur, Baias inuisit, & Cumas, & antiquarū cadauera ciuitatum adiit: & Salernum & Amalphium, atque apostolorum Andreæ & Matthæi venerabiles thumulos, in quib⁹ sacra corpora exsudare nobile māna experiūtur: uidit, & fontem Sarni fluuij, cuius tāta frigiditas est, ut missa in eo uina nigriora paruo albescant spatio, quo in loco non diu postea, eius iam Pontificis, & Ferdinādi regis copiæ ab exercitu Gallico, dū nimis audent, fusæ fugateque sunt, & Simo-
B. nettus ecclesiasticę militiæ ductor ictu lapidis tormētalis cōfossus interiit. oppidū hic est ex flumine Sarni nomen sortitū. ex in Nolam venit, Paulini confessoris sanctissima vita multo magis quam Romanorum historijs, & Marcelli morte nobilitata.

Profligatio
Turcarum, &
pax Senēsis.

Inter hæc rumor exoritur, Turcarum innumerabiles copias, cum ipso imperatore suo, & machinarū ingēti ui, terra & aqua Thaurinum obsedisse, quod est oppidum inter confluentes Sauum & Danubium in Ruscia, quę olim superior Misia dicta est, situm, hodie Belgradum, alij alteram Albam uocant. Anxius eius nuncio Alfonso percūctatus est a circumstantibus, quo nā
C. pacto subueniri obsessis posset: cui Aeneas, Frustra, inquit, de auxilio cogitas: neq; enim Hūgarica atq; Turcanica bella sicut Italica sūt, in quibus perraro cōfligitur, & quæ nostri milites pulchre negotiationes apellant, hac ipsa hora, qua loquimur, aut hostes aut Hungari profligati sūt, cuius rei mox aderit nūcius. secuti sunt octo dies, & ecce litteræ adsunt ex Hungaria Christianos cruce signatos, qui Thaurini obsidebantur, erupisse in Turcas, & maxima edita hostiū cæde, diuina magis ope quam humana uictoria gloriosissima potitos; sub Mamilla Turcarū imperatorē vulneratum, disperso exercitu, relictis omnibus ma-
D. chinis, cum paruo comitatu diffugisse trepidum: atque ita certa res allata est, ut nihil amplioris fidei desideraretur. Nec diu post tam felix nuntium Senensium pax secuta est, ea lege, ut Picininus accepta pecunia Urbetellum Senensibus redderet. Tusciaque excedens in Aprutijs, & Aquilanorum hiemaret agris. His rebus absolutis, Aeneas Romā redijt: & cum uellet reuisa patria ad imperatorē in Germaniā proficisci, a Calisto pontifice retentus est, qui remanēti cardinalatū pollicebatur. Paruit Aeneas.

Cum-

A. Cumque adessent aduentus Christi saluatoris tempora, quæ cardinaliū propemodum comitia dici possunt, Calistus cardinalis nouos sex creauit, Raynaldū Piscicellū archiepiscopū Neapolitanū Lucretię patruū, quem ut illi morē gereret enixissime petebat Alfonso, Ioannem episcopum Zamorensē natione Hispanum, scientia iuris excellentem, qui annis vno de quadraginta in muneribus curiæ prudenter casteq. fuerat obuersatus, Ioannem Papiensis ecclesiæ præfulem, Castilionensē nobili domo apud Mediolanenses natum: Aeneam pontificē Senensē, quem non Imperator solum, sed Hungariæ quoque Rex Ladislaus, & cuncti ferme Germaniæ principes efflagitabant: Iacobum Feretranū natione Romanum Simonis Medici fratrem: & Riccandum Constantiū Normanicū sacerdotem, quem Carolus Francorū rex expetebat. Laudata est horum creatio: Aeneam uero, ubi donatum pileo rubeo audiuit populus, mox fama exorta est, successorem sibi creasse Calistum, & ingens tota vrbe lætitia. Sena quoque, ut accepit suo Præfule ornamenta quæ accesserant, festos dies celebrauit, fuitque publice gaudiū. At Federicus imperator mirum in modum exultauit, cum accepisset legatum, & consiliarium suum in ordine cardinalatus assumptum. Nec Alfonso Aragonum, & Sicilia rex mediocri gaudio affectus est, sed & Germaniæ omnes principes Aeneæ per epistolas congratulati sunt, tanquam in eo Germania ipsa decorata fuisset: nec decepti. Nam Aeneas Germanorū semper & laudator & defensor extitit, non modo in cardinalatu, uerum etiā in Pontificatu maximo: & Calistus eū præ ceteris cardinalibus in rebus Germanicis audiuit. In Prussia, quæ olim Vlmerigia dicta est, & ad mare Baltheum iacet, ecclesia nobilis ac prædiues fuit, quā Varmiensē vocāt, multis arcibus & oppidis, ac latissimo imperio potēs, sed orto inter religiosos beatæ Mariæ Theutonicorū, qui Prussia dominabantur, & regē Poloniae ad quem Pruteni defecerant, crudeli & asperrimo bello ecclesia ipsa admodū defecit, partē religiosis, partem Polonis ad se trahentibus, & villas atq. oppida diripientibus. Obijt interea Franciscus eius ecclesiæ pontifex: canonicorū pars magna Aeneā sibi pontificē postulauit, pars altera bifariā diuisa est: & quidam Luticonē regis Polonię consiliariū elegerunt, quidam sacerdotē aliū quendam, ex his qui cum religiosis Theutonibus erant. Possessio ecclesiæ a principio Luticoni data est: sed cum Calistus canonicorum

Aeneæ promotio ad cardinalatum & omnium gentium congratulatio, Varmiensis ecclesiæ adeptio, Polonorumq. defensio.

D. rum

rum postulationi annuens administrationem ecclesiæ Aeneæ A
 commendasset, possessio quoque ad eius procuratorem delata
 est eius partis quam Lutico obtinuerat, qui minime ausus est
 cardinali aduersari. Aeneas vero exinde Pontificium maximū
 affecutus, Paulum Leghendorsū ei ecclesiæ præfecit, qui absq.
 aduersario in hanc vsque diem illam gubernat. Eodem ferme
 tempore, & altera ecclesia vacauit in Prussia episcopio prædi-
 ta, quā vocant Culmensē. In ea Poloni vnum, religiosi Theu-
 tones alterum petebant. Dominicus cardinalis Firmanus reli-
 giosorum protector Polonorum causam prorsus odiosam Pa-
 pæ, cardinalibusque reddiderat: Aeneas excepto, qui cum ani-
 maduerteret eo sententias in collegio tendere, vt Poloni prorsus
 excluderentur, & is promouendus, qui possessionem minime
 affecutus esset: cum ad se ventum est, rem ab exordio quo modo
 inter religiosos Theutones, & Polonos acta esset, in medio
 exposuit: ostenditque Polonos quamuis iniuste, more tamen ho-
 minum in alienam terrā venisse non armis, sed accersitos a sub-
 ditis religiosorum: neque personæ prouisum iri, neque ecclesiæ,
 quia non admittetur: rursusque non mereri Polonos ecclesiam
 pro sua voluntate impetrare, qui alienum agrum inuasissent.
 Neutri ergo auscultandū esse, sed tertiū vocandum, qui tamquā
 œconomus ecclesiā tam diu regeret, quoad res in meliorem sta-
 tum conducerentur: ostenditque pluribus verbis non oportere
 fieri: quod iam collegij pars maior suaserat, & Calistus ample-
 cti cupide videbatur. Qui audito Aeneas, Placebat, inquit, nobis
 Firmani sententia, sed tu Aeneas mutasti animum nostrum: de-
 cretumque pro tuo consilio facimus.

Aeneæ aucto-
 ritas in sena-
 tu cardinaliū,
 & contēioni-
 bus finiēdis.

Vacauit Ecclesia Ratisponēsis apud Danubium in Baioaria
 sita, cui præfuit olim Albertus philosophus, & theologus insi-
 gnis, quem Germani Magnum appellant, & quem doctor san-
 ctus Thomas ordinis Prædicatorum Aquinas audiisse traditur, D
 Hanc Ecclesiam petebat Ropertus Baioarius ex Imperatorum
 sanguine natus: canonici præpositum suum elegerant, eumque
 in episcopum dari sibi magnis precibus instabant. Aeneas Ro-
 pertum iuuabat, quod eius promotio & utilior, & nobilior vi-
 debatur. Papiensis electum tuebatur, non tam eius causa, quam
 vt in rebus Germanicis Aeneam superare videretur. Calistus
 vtrique causam audiendam commisit, vt electionis decreto, &
 vtriusque competitionis meritis diligenter pensatis, in concisto-
 rio

rio ea referrent, quæ inuenissent, & suas dicerent sententias. Dū
 res discutitur, Papiensis cardinales ambit, atque vnumquemq.
 domi conuenit: electum laudat, merita eius longe maiora esse di-
 cit, quam Roperti: iniquum videri, nisi eligenti capitulo mos-
 geratur: cōuenta exinde nationis Germanicæ in medium affert,
 quæ magnopere electionibus fauent: hunc ætatem habere: Ro-
 pertū nondum annos quinque & viginti natū. Adit & Papam,
 atque eadem repetit: & iam cardinales in Papiensis sententiam
 pedibus ibant. Calistus dubius erat: sed cum in concistoriū ven-
 tum est, & Aeneas auditus, repente omnium animi commutati
 sunt, & Calistus omne dubium reiecit. Monstratum est enim
 electionē malis artibus factam, & electum extra communionē
 fuisse cum diligeretur, nec frugi conuersationis esse, nec tanta ec-
 clesia dignum: contra Roperti ætatis defectum, & bonam indo-
 lem, & mores egregios, & maiorum merita abunde supplere. Ex-
 pectabatur concistorij exitus non minori frequentia populi,
 quam cum de cardinalibus agitur. Et curia in duas partes diui-
 sa, alij hunc, alij illum suis votis exposcebant: sed longe ma-
 ior opinio erat ad electum: vicit tamen Ropertus defensore
 Aeneas, atque is licet annis minor, Ratisponēsi ecclesiæ ad-
 ministrator est datus: Quæ res nomen Aeneæ inter cardinales
 non parum adauxit.

Per hos dies terræmotus regnum Neapolitanum multis die-
 bus agitauere, quales patrum nostrorum memoria neque visi-
 sunt, neque auditi. Neapoli multa & præclara ædificia corrue-
 runt. Arrianum, & aliqua pleraque oppida à fundamentis ceci-
 dere. Fama fuit supra triginta millia corpora hominum ruinas
 oppressisse: populi passim relictis vrbibus in agros migrare,
 & facta est publica penitētia, viris, ac mulieribus ieiunio & ver-
 beribus sese macerantibus. Tum quoq. & in Egeo pelago insu-
 la emerfit, nunquam antea visa: parua circuitu, verum alta su-
 per aquas quadraginta cubitis: arsitque diebus aliquot, donec
 flammæ defuit bitumen. Per hoc tempus & Carolus Rex Suetiæ
 cū sæuaret in Christi sacerdotes, & avaritiæ libidiniq. seruiret,
 adnitente Vspalēsi archiepiscopo, qui duxit exercitū, regno de-
 iectus est, & Christigernus ei successit, qui vsque hodie regnat.
 Aeneas autem cum podagræ doloribus plus solito vexaretur, in-
 dulgente Calisto ad balnea Viturbiensia se se contulit, leuamen
 ægritudini non finem sperans: quando is morbus est, quem sola
 mors

Ingentes ter-
 ræmotus in
 Neapolitano
 regno, Suetiæ
 regis eiectio,
 Alfonsi mors,
 Ferdinandiq.
 successio &
 Calisti Papæ
 obitus.

mors terminat, vbi cōfirmatus est, & altas egit radices. Inter la- uandum historiam Bohemicam conscripsit, atque Alfonso Ara gonū, & Siciliae regi dedicauit: sed prius ille e vita excessit, quā historia finiretur. Ceperat Alfonso egrotare, cum esset Aeneas in balneis, & lento morbo correptus quadraginta dies inter spē vitæ & mortis metum assumpsit, fecitq. demum naturæ satis, instituto hærede filio Ferdinando extra matrimoniū nato, quē Nicolaus, & Eugenius Romani pontifices regni capacem redderāt. religiosus principis obitus fuit, nam Christiano more pec cata confessus, & sacramentis ecclesiasticis communitus in alte ram vitam migravit, onerato filio vt auri sexaginta millia nu- mum in expeditionem contra Turcas Romano Pontifici trade ret: legauitq. multa ad pias causas: & ossa sua in Aragoniā trās- ferenda mandauit: quæ omnia superueniente bello impedita sunt. Etsi enim mortuo Alfonso regni principes ac ciuitates om nes Ferdinandum supra se regem acceperunt, & in eius verba iurarunt: Calistus tamen Pontifex Alfonso extincto regnum Siciliae ad Romanam ecclesiam deuolutum declarauit. Verum- tamen, dum hæc aguntur, & Ferdinandus se tueri conatur, & Pontifex regni possessionem procurat: Calistus dies quadragin- ta morbo captus, & extremo confectus senio, è vita migra- uit, ipsumque nepotes in Basilica sancti Petri sepelierunt in lo- co quem vocant beatæ Mariæ febris, olim Apollinis templum. Obijt autem octauo idus Augusti, anno Saluatoris Christi qua- dricesimo quinquagesimo octauo supra millesimum. Cardi- nales pro more egregias exequias fecere.

Conuentus
cardinalium
in conclauī,
Aeneæq. ad
pontificatū
erectio, ac Pij
appellatio.

Hæc cum accepisset Philippus cardinalis Bononiensis, qui a- pud Balneum regiū per æstatis caumata declinauerat, Viterbiū venit: & cum Aenea simul ad electionem futuri Præfulis Romæ profectus est. Cumq. ambo vna Vrbe peterent, vniuersam curiam, & maiorē populi partē extra moenia occurrentē inuene- re: affirmantibus cunctis eorū alterū in pontificem maximū ele- ctū iri. Reuerterunt & ceteri cardinales intra centesimum lapidē cōmorantes: decem & nouē in Vrbe adfuere. Sed dum celebra- tur exequiæ, cardinalis Firmanus lenta febre correptus Cali- stum, cui succedere aspirabat, ad sepulchrum sequitur: vir, nisi iracundiæ succubisset, exemplaris, & optimus: fuit enim vitæ mundissimæ, doctrina & rerum experientia magnus. Reliqui cardinales duodeuiginti decima die post Calisti obitum con- clauē

A clauē ingressi sunt, tota ciuitate suspensa in euentum rerum: quamuis sermo communis Aeneæ cardinali Senensi Pontifica- tum maximum attribueret: neq. enim quisquā fuit, de quo ma- ior esset opinio. Conclauē in apostolico palatio apud sanctum Petrum perstructum est, in quo duæ clauæ sunt aulae & sacel- la duo: in maiori cellulas fecere in quibus cardinales ederēt, dor- mirentque. Minus (quod sancti Nicolai appellatur) consultatio- ni, electionique pontificis asseruauerunt: deambulationi om- nium aulas. Ipsa die ingressus nihil actum est circa electionem: sequenti capitula quædam edita sunt, quæ obseruari a nouo Præ- fule statuerunt, iuraruntque singuli ea se se seruatuos, si ele- ctio super se caderet. Tertia die facta re diuina, cum ventum es- set ad scrutinium, inuentum est Philippum cardinalem Bono- niensem, & Aeneam Senensem paribus vocibus ad summum Pontificatum præstolari, utroque vocibus quinque vocato: ex reliquis nemo tres superauit. Sequenti die itū est de more ad rem diuinam, qua peracta, scrutinium inceperunt. Calix aureus in ara positus est, & tres cardinales eum obseruauere Ruthenus episco- pus Rothomagensis presbyter, & Columnensis diaconus, inspiciē- tes ne qua fraus intercederet. Reliqui cardinales in suis locis cō- federunt, & surgentes ex ordine dignitatis, ac senij accedētes ad altare, schedulas in calicem mittebant, in quibus nomina eorū scripta erant, quos ad pontificatum eligebant. Cumque hoc om- nes fecissent, mensa in medio ædis posita est, & tres cardinales memorati supra ea schedularū calicem euerterunt, schedulasq. legentes singulas alta voce nomina eorum annotauerunt, qui erant in illis conscripti. Nec quisquā erat cardinaliū, qui nō pa- ri modo nominatos annotaret, ne qua posset interuenire fraus & deceptio. Scedularum modus hic erat: scripserat quilibet manu propria, Ego Petrus siue Ioannes siue alio nomine fuerit, in Romanum Pontificem eligo Aeneam cardinalem Senensem, & Iacobum Vlixbonensem: nam & vnum, & duos, & plures eligere permissum est, tacita conditione, vt prior nominatus præferatur; Quod si non habeat vota, quæ sufficiant, succedat proximus, vt eo facilius in vnum conue- niatur. Publicato scrutinio compertum est nouem cardina- les Aeneam elegisse, Genuensem, Vrsinum, Ilerdensem, Bono- niensem, sancti Marci, sanctorum quatuor Coronatorum, Zamorensis, Rapiensem, & Portugallensem, Rothomagensis

vero tantum sex, reliquos longe inferius resedisse. Cardinales omnes admirati sunt. neque enim memoria hominum in tam paruo cardinaliū numero ad nouem voces per scrutinium quifquā ascenderat. Cum nemo satis votorū haberet, placuit confedere, & viam quam vocant per accessum experiri, si forte ea die posset haberi pontifex. Sedebant omnes suis in locis taciti, pallidique, & tamquā à Spiritu sancto rapti essent. Nemo aliquādiu loqui, nemo hiscere, nemo partem corporis mouere præter oculos, quos varias in partes iactabant. mirum erat silentium, & mira hominum effigies, neque vox audiebatur, neque motus cernebatur vllus. Mansere in eum modum aliquantisper, expectantibus inferioribus vt superiores accessum inchoarent. Exinde Rodericus Vicecancellarius assurgens, ad Senensem cardinalem accedo, inquit. Subsecutum est silentium, & alter alterū intuens, suos nutibus indicabat affectus. Iam prope erat vt Aeneā pontificem videre viderentur, quod verentes aliqui è loco abire, vt eius diei creationem eluderent. Hi fuerunt Ruthenus, & sancti Sixti cardinales, sed cum nulli eos sequerentur, mox rediere. Tum Iacobus cardinalis sanctæ Anastasiæ: Et ego, inquit, Senensi accedo. Vna iam Aeneæ tantum vox deerat. Duodecim siquidem pontificem efficiebant, quod animaduertens Prosper cardinalis Columnensis, eam sibi gloriam acquirendā putauit, vt pontificem ipse pronuntiaret. Cumq. esset Aeneæ veteri beneuolentia coniunctus, versus ad reliquos cardinales: Et ego, inquit, Senensi accedo, eumq. Papam facio. Quo audito, cardinales vniuersi nihil morati ad pedes Aeneæ sese proiecerunt, eumq. pontificem salutauerunt: & rursus in suis locis residentes electionem factam approbauerunt nullo prorsus aduersante. Ibiq. Bessarion cardinalis Nicænus suo & eorum nomine, qui Rhotomagensi fauerant: Laudamus, inquit, pontifex maxime, tuam assumptionem, quā ex Deo esse non dubitamus: & sane dignum te hoc munere & censuimus antea, & nunc censemus. Quòd autē te non elegimus, id fecit ægritudo tua: nam cum pedibus ægrotares, hoc tantum sufficientiæ tuæ deesse putauimus: est enim Ecclesia egens viro actiuo, qui possit itineribus corpus exercere, & imminentibus periculis occurrere, quæ à Turcis formidamus. Tu contra quietis eges. Hoc nos ad Rhotomagensem traxit: quod si fuisses corpore validus, nullus erat, quem tibi præferendū existimarem. At cum Deo placuerit,

& no-

A & nobis placet. Nos te pontificē veneramur, & denuo quantū in nobis est eligimus, tibiq. fideliter seruiemus. Ad hæc Aeneas, Existimasti, ò Nicæne, quantum animaduertimus, de nobis longe melius quàm nos ipsi, qui nobis pedum defectū tantummodo attribuiti. Nos imperfectū nostrū latius vagari non ignoramus: defectusq. nostros pene innumerebiles esse cognoscimus, quibus potuimus à summo pontificio reijci. Merita vero, quæ huc nos eueherent, nulla scimus: diceremusq. nos prorsus indignos, neque delatum amplecteremur honorem, nisi vocantis iudicium timeremus. Nam quod duæ sacri collegij partes efficiunt, id profecto à Spiritu sancto est, cui non licet aduersari. Obedimus igitur vocationi diuinæ: ac te Nicæne, & reliquos cum quibus sensisti, laudamus. Si conscientię iudicium secuti, nos tamquam insufficientes, non censuistis eligendos, eritis omnes accepti nobis, qui vocationem nostram non isti, aut illi attribuimus, sed toti collegio, & ipsi Deo, à quo est omne datum optimum, & omne donū perfectum. Nec plura locutus, priora exiit indumenta, & albam Christi tunicam accepit: & interrogatus quo nomine vellet vocari, Pio respondit, & mox, Pius secundus appellatus est: & iuratis quibusdā capitulis nudius tertius in collegio editis, in altari positus, rursus à cardinalibus adoratus est, pedes eius & manus, & ora osculantibus: atque eo facto, publicata est populo pontificis electio ex alta fenestra, acclamatumq. Pium secundum pontificem haberi, qui fuerat cardinalis Senensis. Tum qui erant in conclaue ministri cardinalium, cellulam eius spoliauere, atque argentum quamuis erat modicum, & vestes, & libros diripere, & domum eius in Vrbe vilissima plebs, atque infamis non expilauit tantum, sed dirupit, etiam marmoribus asportatis. Fuerunt & alij cardinales affecti damno: nam suspensio in expectatione populo, cum variæ voces iactarentur, & modo hic cardinalis, modo ille diceretur electus, procurrere vulgus ad illorum ædes, ac rapinam facere, & Genuensis pro Senensi auditus, partem substantiæ amisit: cumq. plures nominarentur, nullius vox cum maiori gaudio exaudita est quàm Senensis: quem cū certum fuit Aeneā in solio Petri constitutum esse, nemo non exultauit. Vidisses non homines tantum, sed vrbis ædificia gestire: vbique risus, vbique gaudium, vbique voces clamantium exaudiebantur, Sena, Sena, viue Sena. Et cum esset armata ciuitas, nec quisquā in alio,


D 4 quam

quam in ferro videretur habere fiduciam, mox, vt certior factus est, populus Aeneæ pontificatum obuenisse, deposita sunt arma, adeoq. mutata Urbis facies, vt quæ paulo ante Martis, è vestigio Pacis, & quietis ciuitatis effecta sit: vbique læta atque securæ. Interim nouus Præsul paululum cibo recreatus, in basilicam sancti Petri ductus est, & in ara maiori collocatus, sub qua iacent beatorum Apostolorum corpora: & paulo post, in sublimi folio, ipsaq. Apostolica cathedra pro consuetudine sedit. Quo in loco tum cardinales & episcopi, tum multi ex populo eius pedes exosculati sunt, & in throno sedentem Christi vicarium adorauerunt. Nec diu moratum, cum iam ad uesperasceret, in palatium reduxere: aduentu noctis lucere in omni triuio, atque in omni turri ignes, cantus exaudiri, vicinus vicinum inuitare, nulla in parte cornua tubasq. non sonare, nullumq. in Vrbe locum nō publico gestire gaudio. Ferebant seniores, nunquam se Romæ tantam populi alacritatem vidisse.

Sequenti nocte primarij Urbis ciues equis insidentes, ardentesq. cereos in manu ferentes, ad palatium salutarum pontificem accessere, quorum ordo ex mole Hadriani ad ædem beati Petri protendebatur. Nec Romæ tantum, sed multæ Italiæ ciuitates, & multi principes, audita Pij pontificis assumptione singularem lætitiā ostenderunt: præcipue verò Senenses exultauere, quorum ciuis adeo exaltatus esset, vt omnium in orbe primus haberetur. Corfiniani, quod oppidum octuaginta passuum millibus ab vrbe distat, qua hora Pontifex electus est, oppidani populariter ex agris redeuntes, Laudomiam Pij sororem salutatum letere, bonum se nuncium accepisse concordia testimonio affirmantes Aeneam cardinalem Senensem ad summum pontificatus fastigium esse assumptum. Quod vaticinium memoratum dignum sequenti die litteræ ab amicis confirmauerunt. Ferdinando Sicilia regi felix hoc nuntium fuit, qui patris amicum in sede Petri successum intellexit. Franciscus Sfortia dux Mediolani, & si alium Pontificem expectabat, Aeneæ tamen cognita electione gauisus est, quem olim in castris contra Mediolanum honorasset: Borfius Mutinæ dux militares ludos instituit, & multa magnaq. suæ lætitiæ signa ostendit. Erat enim ei cum Aenea vetus beneuolentia, ab eo tempore quo ducatum à Federico imperatore accepit: cuius adipiscendi Aeneas nō inutilis auctor fuit: sperauit Borfius Aenea pontificatum tenente, fortunas suas, & gloriam

Letitia Romanorum & omnium gentium ex Pij Pontificatu, varique Principum legationes ad congratulationem & obedientiam. Famæ miraculosa celeritas.

gloriam aucturum: atque idcirco Ferrariam, & omnem ditionem suam singularem ostendere voluptatem noui præsulis assumptione curauit. Marchiones Mantuæ, Montisferrati, & Salutarum pariter gauisi sunt. Nulli enim eorum Aeneas non notus & non amicus erat. Veneti, & Florentini sicut ceteri pontificatus Italiæ legatos misere viros honoratissimos: qui Romam petentes, nouo Pontifici congratulati, obedientiam præstitere. Ex ultramontanis principibus admodum lætatus est imperator Federicus, ex cuius fauore Aeneas ad cardinalatum vocatus, tandem beati Petri solium ascendisset. Cuncti quoque Hispaniæ reges, qui Christum colunt, gaudium ostendere. At Scotus, Danus, Polonus, Francus, & Hungarus, & Cyprius, imperatoris amicum non libenter audiere Christi vicariatam optinuisse. Bohemus vero apprime indoluit, vt qui nosceret hæreticum se se Pontifici notum esse. Philippo Burgundiæ, & Ludouico Sabaudia ducibus Aeneæ pontificatus amici veteris acceptissimus fuit.



COMMENTARIORVM
 PII. II. PONT. MAX.
 LIBER SECVNDVS.



De Pij corona-
 tione, & de
 Turcarum ori-
 gine & pro-
 gressu.



DIVS secundus Pontifex maximus Romæ coronatus est apud basilicam sancti Petri, tertio nonas Septembris, anno salutis quinquagesimo octavo supra mille quadringentos, petijtq. ipsa die Lateranū solemni pompa: quo in loco vix necem euasit inter eos, qui propter equum, quo insederat, gladijs decertabant: seruatus est diuina ope: peractisq. solemnibus, regale conuiuium apparuit, non cardinalibus tantum, sed omnibus legatis principum, & qui aderant proceribus vrbs, & optimatibus, eademq. nocte in suas ædes ad Vaticanum redijt: atque inter omnes curas, quæ animum eius inuasere, nulla maior fuit, quam vt in Turcas excitare Christianos posset, atque illis bellum inferre. Hoc genus hominum ex orientali quondam Scythia digressum Cappadociam, Pontū, Bithiniam, & omnem fere Asiam, quæ minor appellatur, armis subegit. Nec diu post, transmissis classibus Hellesponto, maiorem Græciæ partem occupauit, & vsque ad Sauum, & Danubium memorabiles amnes signa protulit. Restabat in medio Thraciæ vrbs regia Bisantium, quam prior Constantinus cognomento magnus cum instaurasset, ac mirum in modum ampliasset, nouam Romam appellauit: sed vicit obstinatio vulgi, vt ab innovatore Constantinopolis vocaretur. Hanc quoque sedente Nicolao Quinto Pontifice maximo Mahumetes Turcarum imperator obsidione cinxit, & deiecta moenium parte, vt ante relatū est, vi cepit atque dirupuit, Constantino eius nominis vltimo imperatore obruncato, siue vt fama est inter equitum turmas oppresso. Qua victoria elatus ad Europæ imperiū aspirare cepit, coactisq. ingentibus copijs per superiorem Mysiam in Vngariam trajicere statuit: sed remoratus apud Albam, qui locus Danubio, Sauoq. confluentibus abluitur, Thaurinum vetustas

Astas dixit, sedente Calisto tertio Romanæ vrbs antistite, à Christianis cruce signatis, quos Ioannes Capistranus ordinis Minorū professor opinione sanctitatis insignis, & Ioānes Huniates Hungarici regni gubernator duxere, magnā stragem perpeffus est, & castris deiectus, turpem fugam arripere compulsus: non tamen aut animum, aut odium in Christianos remisit, sed nouos in dies exercitus comparans, nunc Albanos, nunc Rusianos, nunc alios vicinos, qui Christum colerent, vexare adortus est, vt qui sanctum Euangelium, ac diuinam Christi legem conculcare prorsus, ac delere statuisset. Hæc gens inimica Trinitatis.

B Mahumetem quendā pseudoprophetā sequitur, qui fuit Arabs, gentili errore & iudaica imbutus perfidia, audiuitq. Christianos, qui Nestoriana & Ariana labe infecti erant. Creuit potentis viduæ stupro, & nobilitatus adulterijs, latronū manum coegit, qua dominatum inter Arabes vendicauit, & habens veteris nouiq. testamenti notitiam, vtrumque corripit: aususq. prophetam se dicere, & angelorum potiri colloquio, adeo rudes illexit populos, vt legem ijs nouam dederit, & à Christo saluatore discedere suaserit. Vtebatur enim incantationibus & præstigijs, & vsum Veneris, ac nefarios indulgens concubitus voluptati deditam plebem facile ad se traxit. Cui subtracto vino nihil non concessit, vt legis suæ cultum persuaderet, quem quamuis Christum Dei flatum esse fateatur, ex Virgine natum, mirabilium operum effectorem, ei tamen diuinitatem adimit, & tormenta, mortisq. cruciatum pro nostra redemptione toleratum. Nec prophetas recipit, nec Apostolorum aut Euangelistarum dictis auscultat: adeoq. portentuosæ legis huius auctoritas creuit, vt pene omnis Asia, & Africa eius veneno infecta sit, & ducentibus Turcis in Græciā penetrauerit, & Bethicam in Hispania per Mauros occupauerit: & quamuis Romani præfules multa aduersus hanc pestem arma parauerint, ea tamen hæctenus paulatim aucta est, & ad interiora nostra dilapsa.

Timuit Pius pontifex hoc venenum, & occurrere statuit ne serperet vltius, non tamen in se solo, hoc est in Apostolicæ sedis viribus confidebat. Nam vincere Turcas non huius aut illius regni opus, sed totius Christianæ reipublicæ videbatur. Necessaria igitur eorum consilia existimauit, quorū auxilia requireret: conciliumq. principum, & liberorum populorum conuocare decreuit, in quo de communi salute communiter ageret.

Sed

Pij aduersus Turcas deliberatio, & indictio concilij Mantuani, eiusque vrbs descriptio ac vaticinium.

Sed ubi concilium habendum esset in consultationem venit: cardinaliū alij Romæ, alij transalpes, aut in Germania, aut in Gallia conuentum habendum esse dicebant. Pio nihil horum placuit: neque enim ex honestate arbitrabatur, reges qui transalpes morarentur, Romam vocari: neque in Gallia, aut in Germania vtile concilium futurū, ad quod propter valetudinem Pontifex ipse transire non posset. Antiquius visum est, non procul ab alpihus conuentum cogere in loco qui medius inter Romanum Præsulem, & transalpinos reges existimaretur. Duo nominata sunt loca, Vtinum in foro Iulij subiectum Venetis, & Mantua in Gallia cisalpina, vt si alter negaretur, alter præsto adesset. Veritus est enim Pontifex (id quod postea successit) ne Veneti Turcarum arma timentes, Vtinum clauderent: & hac de causa Mantua electa fuit à Præsule, etiam ob loci commoditatem. Est enim vrbs amplissima, in solo fertili, & vicina montibus, qui Gallos atque Germanos ab Italia determinant, lacui adiacens, quem Mincius effecit amnis. Is ex Benaco in Padum decurrit: idq. præstat vtilitatis, vt ex omni Gallia cisalpina comeatibus ad Mantuanos nauigio valeant importari. Diu res agitata est in concilio cum cardinalibus, quorum etsi multi aduersarentur, quibus res præsentibus abunde suppetebant, & placebat otium in Vrbe: vicit tamen Præsulis constantia, & in eius sententiam itum est. Vocati sunt in sacrario palatij, episcopi, abbates, notarij, oratores regum, & omnes quibus munera curiæ creduntur, vt horum quoque consilia audirentur. Ibi Pontifex, quod diu tectum fuerat, propositū suum publicauit, quantas in Christianos Turcæ clades intulissent, quibus modis Euangelicā euertere legem molirentur: exposuit nihil sibi acerbius esse, quàm intueri Christianæ gentis ruinam: sacratissimæ religionis se curam gerere: statuisse occurrere hostium conatibus. At cum id abq. auxilio Christianorum regum perficere non posset, habere concilium aut in Vtino, aut in Mantua decreuisse, vt eorum ibi sententias audiret, quorū opem imploraturus esset: durū sibi videri Romā relinquere, beati Petri Apostoli sedem, & Christianæ religionis arcem: durius se Pontifice sanctum Euangelium expugnari, pro cuius conseruatione non orbem solum, ac beati Petri patrimonium, sed corpus & vitam ponere statuerit: atque idcirco quamuis senex & ægrotus, tamen Apennini iuga, & Padum fluenta transire proposuerit, vt cum potentatibus Christianis de

nis de salute Christianæ religionis cōsulat, & multa in hūc modum grauitè perorauit. Laudauerunt omnes animum ac eius propositum, & in cælum extulerunt, qui vnus esset omnium saluandæ religionis curiosus. Exin publicū de more concistorium est habitum, & litteræ Apostolicæ recitatæ sunt, in quibus statuta dies conuentionis est: & principes ad alterū ex duobus locis vocati. Epistola eius rei ab ipso Pontifice dictata in aliarū volumine continetur. Romanos cognito decreto ingens mæror afficit, qui se priuatū iri emolumentis curiæ aduertebant. Pontificem morbis, & ætate grauem haudquaquam reuersurum aliquando sperabant: & alij Senas peti, non Mantuam aiebant: fingiq. conuentum Mantuanū, vt in itinere Senis remoraretur, Pontificis patria ditaretur. Alij non solum Mantuam, sed in Alemanniam quoque profecturum Præsulem affirmabant, qui nutritus inter Germanos, libens ad eos rediret, neq. indignum putaret, Apostolicam sedem transalpes habere. Desperauere omnes de reditu: eiulare per vrbe[m] feminæ, ac pueri blasphemare, ac viri maledicere: senes qui plus sensu haberent, cateruatim adire Pontificem: damnare recessum, rogare vt in Vrbe sua maneret: polliceri multa remanenti. Solabatur eos Pontifex, necessitatē profectionis ostendens, & reditum celerem promittens: nec tamen ipse absque lacrymis suam plebem affari poterat: erant omnia plena luctu, nec tanta in assumptione Pij lætitia populi fuit, quanta visa est tristitia, cum profectionis decretum in plebe auditum est: adeo nullum est gaudium, cur non succedat subito mæror. Reddebant iter Præsulis difficilius, ac periculosius, nondum compositæ regni Siciliae res.

Sicilia etsi eadem est, quam prisca Trinachriam vocauerunt, paruo freto ab Italia discretā, qua Scyllæ & Charybdis monstrantur: hodie tamen duo Siciliae regna vulgo appellant, alterum in insula, alterum in Italia continenti, cuius amplius quā tres partes supero & infero mari abluuntur: quod reliquum est, montibus ac fluminibus à reliqua Italia disiungitur: longitudo eius à finibus Reatini agri, quem vmbilicum Italiae dicunt, per Aquilam Marforū vrbe[m] vsq. in Brutios, & Leucopetrā millibus passuū circiter quadringentis protenditur: multæ in ea præclaræ vrbes, sed omnium metropolis est Parthenope, quam Augustus Neapolim appellauit, olim Capua principatum habuit, cum altera Roma diceretur, nondum Romanorum, & Annibal-

De Sicilia nominibus, situ, & magnitudine, & regno Neapolitano, susceptisq. pro eo contentionibus & bellis, & quā Calistus aduersatus. Ferdinandus.

lis armis uexata . Hoc regnum directo iure ad ecclesiam Romanam pertinet: diu gens Gallica eius feudo potita est, censum pēdens annum Romano Præfuli vnciarū auri octomillium. Sed, cum Regina Ioanna, quæ secunda eius nominis regnum tenuit, Ludouicum Andagauensem, quem prius in filium adoptauerat, aspernari cepisset, atque Alfonso Aragonum regem ex Hispania in regni successione vocasset, mutata est conditio, & pro Gallicis Cathelanos, siue Aragonēses introiere. Plura inter Ludouicum, & Alfonso prælia fuerunt, forte & humanarum rerum vario statu nunc istum, nunc illum erigente. Ludouico febribus extincto, ius eius ad Renathem fratrem deriuatū est. Regina Alfonso modo diligere, modo habere odio. qua vita functa Rhenatus in regnum veniens, cupide à pluribus exceptus est, & tamquā rex adoratus, qui non paucis annis aduersus Alfonso de regno dimicans, victus tamen abiit. Alfonso in regno remansit, non tamen ab Eugenio quarto Pontifice maximo Romano, qui Rhenatū elegisset, obtinere foedū potuit, nisi postquā constitit Rhenatū quæ promiserat neglexisse, ac iusiurandum violasse. Inuestitus Alfonso ab Eugenio, regnumque consecutus, non fuit ingratus, sed Franciscum Sfortiam, qui Picentes ab ecclesia deficere coegerat, armis expulit, & prouinciā Eugenio pacatā reddidit. Erat vnicus Alfonso filius Ferdinā dus nomine ex femina nobili, verū alteri nupta genitus. Hunc Eugenio ad regni successione idoneum reddidit: idemque fecit Nicolaus quintus successor eius, qui regnum Alfonso confirmauit. Quamdiu igitur post Eugenio, & Nicolaus vixere, Alfonso absque aduersario in summa pace, atque otio regnū tenuit. Mortuo autē Nicolao, Calistus tertius successit in Alfonso aula diu versatus, & illi apprime obnoxius, qui eius precibus cardinalatum obtinisset. Quas ob causas putauit Alfonso ab eo Pontifice, qui sibi aliquando seruisset, & qui suo favore magnificatus esset, nihil se frustra petiturum: eaque fiducia ductus, non solum regni foedum, sed Marchiam quoque Anconitanam, & alia pleraque ecclesie loca tradi sibi efflagitauit. Pontifici longe alia sententia fuit, qui cum se iam Christi Vicarium esse cerneret, nec regi cedendum, nec iura Ecclesie alienanda censuit: exortę sunt inter eos graues inimicitie, quę vsque ad finem vitę vtriusq. perdurarunt. Obijt prior Alfonso quadraginta diebus: quod audiens Calistus illacrymatus est humanę condi-

conditionis fragilitati, & risit, cū propheta dicens, Laqueus cōtritus est, & nos liberati sumus: nec Ferdinādo paternum regnū petēti aures accommodauit: sed errasse principes, ac populos ait, qui eum supra se regem accepissent: accersitisq. cardinalibus, & qui docti ex Romana curia erant prælatis, regnum Siciliae ad Romanam Ecclesiam deuolutum esse declarauit: eratq. eius animi, quod prædictum est, vt armis illud vendicaret: & iam non paruam militum manum coegerat, sed morte præuentus, cogitationibus suis defuit, dum successoris electio tractatur.

Jacobus Piccininus inter duces equitū non ignobilis, qui Alfonso, & deinde Ferdinādo aduersum Sigismundum Malatestā militauerat, hoste dimisso Assisium occupat, munitā Umbriae ciuitatem præfectus arcis natione Cathelanus auro corruptus urbē prodidit: Gualdenses, quoque & Nucerni ad Piccininum defecere. Nam patris eius, qui aliquando eos subegisset, memoriam colebant. Arx Gualdi fide, & diligentia præfecti seruata est. Fulginates, & Spoletani, & ferme omnes Umbri vix in officio præ terrore cōsistere, cū vacante sede Apostolica tantus hostis ex improviso emerisset. At vbi Pius electus est, subito animi hominum erecti, & spes pulcherrima oblata est ecclesie subditis. Arx Spoletana sexdecim millibus auri numum redempta. Narnia quoque, Sorianum, Vrbs vetus, Vituruium, Ciuitas Castellana (in qua Veios olim fuisse quidam opinantur, nos nihil asserimus,) & alia multa oppida non nisi placatis auro præfectis recuperari potuerant. Molem Hadriani, quæ olim Castrū Crescentij, nunc sancti Angeli nuncupatur, collegium cardinalium viginti millibus aureis à Borgia Calisti nepote redemit. Is in Urbem uetulā, & arcem munitissimam, non procul à Centūcellis se recepit, ibiq. breui febre correptus interiit. Pius missis Vicecācellario eius fratre, & simul thesaurario locum obtinuit: nec multis post diebus vniuersum beati Petri Patrimonium recuperauit, ijs exceptis, quæ Piccininus inuaserat, mira populorum inclinatione, qui se Cathalanorū iugo liberatos, ad manus rediisse Italas gestiebant: adeo leuius suorum ciuium quam ceterorum imperiū mortales ducunt. Piccininus tantum in omni agro Ecclesie contumaci animo Pij mandata contemnere, atque in armis spem ponere, quamuis oppida, quæ inuaserat paterni iuris fuisse diceret.

Inter hæc legati Ferdinandi Pium aduertes memoriā Alfonso præ-

Piccinini inuasio, & bellū in ecclesia Romanā & arcium redēptio.

De coronatione Regis Ferdinandi & conditionibus adiectis.

si præfulerunt, qui Pium apprime dilexisset, cum Senensis ecclesie pontifex legatione apud se Cæsaris fungeretur, orauerunt ne filium amici sperneret, neue paternum regnum ei negaret, quem populi omnes peterent. Ad quos Pius, Alfonso, inquit, pro sua præstanti virtute & dileximus, & admirati sumus: idque Ferdinandi rebus admodum conducet, si erga Romanam Ecclesiam quod suum est fecerit. Interrogatus quid ei faciendum esset: Censum, ait, Apostolicæ cameræ debitum à regina Ioanna in hunc usque diem non solum quotannis exoluet: Pontifici Romano quoties auxilium petierit libenter afferet: Ecclesiarum iura non attinget. Piccininum ex agro Ecclesie iubebit excedere, nisi paruerit armis coget. Sigismundo Malatestæ eam pacem largietur quam Pontifex dixerit: Beneuentum ecclesie restituet: Terracinam in annos decem sub censu tenebit, exin Romano Præfule tradet. Duræ leges Ferdinando visæ, sæpeque oratores missi, ac remissi sunt, qui mentem Pontificis ad pauciora deflecterent. Quibus responsum est, Pium haudquaquam mercatorem esse, qui multa petat, ut vel pauca reportet: dixisse illum in primo colloquio, quod in ultimo dicendum erat. Nec regi conditionem sperandam fore meliorem, quamuis Pontifex Roma sit abiturus: aut his legibus regnum obtinendum, aut eo carendum esse. Victus est tandem Ferdinandus, cum vna semper sententia, & vna vox Pontificis esset. Res ad collegium deducta est, cardinales exceptis Gallicis, qui & sedis & regis erant, Pontifici auscultabant. Verum & illi rationibus tandem victi consensere, & utile consilium iudicarunt, Ferdinando regnum concedi, quamuis ne decreto subscribere cogentur, impetrauerunt. Erat eo tempore Romæ Decanus Carnotensis regis Franciæ legatus, qui ad Calistum de rebus Turcarum acturus venerat. Is suæ gentis studio magnopere instabat, ne regnum Ferdinando concederetur, laturum id ægre regem suum, atque in Apostolicam sedem vltimum dictitans. Aduenerat & Massiliensis episcopus homo loquax à rege Rhenato missus, qui regnum domino suo asservari petens ingentibus promissis curiam replebat, si preces audirentur suæ, sin minus, ruituram curiam affirmabat. Audiuit eum sæpenumero Pius, & multa promittentem interrogauit, possetne Rhenatus Piccininum Ecclesie ceruicibus imminentem armis expellere. Quod cum negaret: Et quid ergo est, inquit, quod expectemus ab eo, si nobis pereuntibus opem nullam valet afferere? no-

A re? nobis in regno necessarius est, qui & sua possit & nostra tue-
ri. Vos regno iam pridem caruistis, ac tamdiu carebitis, donec vires adsint, quibus hostem nobis indulgentibus possitis eijcere: atque ita verbosæ legationi verbis occurrit. Ferdinando regnum concessum est ex decreto senatus: & Latinus cardinalis Ursinus, qui regem in verba Pij ac successorum eius iurantem corona donaret in Apuliam missus, & cum eo Nicolaus Thyanensis electus, qui postea cardinalatum consecutus est, iter fecit, ut occultiora quædam cum rege transigeret. Exin vocatis ad Urbem baronibus agri Romani, mandatum est, ne quis absente Pontifice res novas moliretur, pacemque inter se se iureiurando ut obseruarent adacti sunt. Qui contrafecisset, in eum ingens poena statuta. Et quoniam Romanos magnus timor inuaserat, ne abeunte Pontifice in perpetuum Romana curia priuarentur: decreuit Pius annuente senatu, ut si extra Urbem claudere se diem extremum contingeret, successoris sui electionem alibi quam Romæ fieri non posse, statuto dierum termino quo cardinales, qui Romæ reperirentur, expectare absentes deberent: & relictis nonnullis cardinalibus, & auditoribus Rotæ, aduocatis ac litigatoribus in Vrbe toto absentia suæ tempore, Romanam curiam apud eos non minus quam secum esse declarauit. Legatis ciuitatum & regulorum qui ex vniuerso patrimonio Ecclesie Romam uenerant, priuilegia quæ ab antiquis Pontificibus obtinuerant, quoad sine controuersia ijs usi fuissent, confirmauit: & amplius haud paruam censuum partem ad tres annos remisit: quæ res supra octuaginta millia auri nummum ascendit. Referendarios instituit eos, qui fuerant prædecessoris, & nouos aliquot adiecit ex omni natione, diligenter admonitos, ac iureiurando adactos ne pecuniam, neue dona sui officij causa, vlla reciperent: nam simoniacam prauitatem præcipuo infectabatur odio. Atque ob eam rem cum secretarios more maiorum peracto prandio aliquot diebus ad se admisisset: atque his fidem habens epistolas, quas illi attulerant obsignasset, reperissetque postea infideliter secum esse actum, & iniqua per pecuniam absoluta negotia, deinceps aditum ad se cunctis inhibuit, exceptis duobus Iacobo Lucensi, qui postea cardinalis effectus est, & Gregorio Lollio fratre consobriano, quorum spectata virtus ab omni procul labe aberat, è manu cardinalium supplicationes noluit accipere: si quas obtulerunt, ad referendarios remisit. Supplicationibus vna partium

Ordinatio
Reipub. Ro-
manæ & Cu-
rialium consti-
tutio.

concernentibus Eberardum episcopum Spoletanum egregium A
iureconsultum, & integritate morum, ac opinione iustitię lau-
datissimum præfecit qui & ipse demum rubeo pileo donatus
est, ac per hunc modum & facilis expeditio rerum erat, & in-
corrupta, & Romanã curiam sequentibus admodum recepta.

Ioannes Sole-
rius ab episco-
patu priore
electus à Pio
restituitur, &
Rouerus in-
gratus puni-
t, Pijq. integri-
tas.

Per idem tempus venit Romam Ioannes Solerius diuinarũ
scripturarum sublimis interpres, de quo supra mentionem feci-
mus. Hunc Calistus viuente Alfonso rege Aragonum Barchi-
nonensi præfecerat ecclesiã: deinde illo mortuo inuitum ad al-
teram transtulerat in regno Siciliae, sibiq. apud Barchinonen-
ses Bartholomæum Ragazium thesaurarium suum suffecerat. B

Iniuriã se affectum Ioannes querebatur, suamq. repetebat ec-
clesiam, atque amicitiam præferebat, qua Pio Pontifici apud
Neapolim iunctus fuerat nondum pontificatum adeptus. Maxi-
mum exaudivit amicum Præsul, & abrogato Calisti decreto, ad
priorem ecclesiam remisit, quam ille summa cum laude guber-
navit, accepti beneficij & memor, & gratus. Petrus cardinalis

Petri S. Mar-
ci cardinalis
petulãtia, Pij-
que redargu-
tio.

sancti Marci per eosdem fere dies, e contra non mediocrẽ à Præ-
sule confusionem reportavit. Unus is fuerat ex cardinalibus,
qui summo conatu Pium in adipiscendo apostolatu adiuuerat,
atque idcirco non æqua tantum petenti sibi, sed iniqua quoque C

negari nefas arbitrabatur. Pius etiam amicis indigna quærenti-
bus durus erat. Obijisse fama fuit per eos dies apud Viturbiũ re-
ctorem parochialis ecclesiã sanctæ Mariæ Prunetanæ agri Flo-
rentini, in qua Virginis imago est, quam mira religione populi
venerantur, tamquam pluviæ ferentisq. donatricem, cum ne-
cessitas ingruit: diues illic templum est, & assiduis mortaliũ vo-
tis insigne: accepit vacationem eius cardinalis, & adiens Pontifi-
cem, id commendari sibi efflagitavit, nec aliud honestatis sue

petitioni adiunxit, nisi familiarem suum fuisse, cuius morte sa-
cerdotium vacaret: quamquam neq. hoc ipsum erat verum, sed D
cardinalis omnes in familia sua ascribebat, qui se aliquando sa-
lutassent. Pio indigna petitiõ visa est, responditq. parochialem
ecclesiam, ad quam plebes multę concurrerent, cardinali non ef-
se commendandã, & eam præsertim, quæ laicos haberet patro-
nos, monuitq. cardinalem, vt maiora expectans, equo animo
ferret non impetrasse minora. Ille indignatus tamquam graui
contumelia fuisset affectus: si parua, inquit, nõ impetro, qui spe-
rem magna? Non est, vt video, cur amplius ad te morer: melius

in eccle-

A in ecclesia mea Vicentina seruiam Deo: sine me domum ire, at-
que illic tandem post multos labores otio frui. Cui Pontifex,
Perge, ait, & sine te Romana Ecclesia suam gloriam retinebit:
nemo facultatem abeundi petat, qui noluit impetrare, decipietur,
nulli negabitur, quando nemo est in cuius locum æque bo-
nus, aut melior suffici nequeat. Cardinalis his auditis tamquã
in alteram diem Romanam curiam relicurus, exosculatis Pon-
tificis pedibus in ædes suas apud sanctum Marcum concessit,
iussitq. ad recessum cuncta parari. Sed nocte consilium matu-
rante cogitare cœpit, quam minima est cardinalium existi-
matio, qui absque legatione à Romana curia procul agunt, & quã

B contemptui sint omnibus, quos sequitur Pontificis odium: nam
sicut tenebrosum est lunare corpus cum terra interposita non il-
lustratur à sole, ita & cardinalis extra Pontificis gratiam agens
luce caret, & obscurus habetur atque abiectus. Interposuit igitur
Philippum cardinalem Bononiensem, qui se Pio reconcilia-
ret, & ipse mox secutus, errorem suum professus in gratiam re-
dijt: nec diu post in alium incidit errorem, schedulam per Tho-
mam cubicularium Pontifici mittens, in qua petebat litteras ar-
restari, quæ de rebus sub ditione Venetorum consistentibus, se

C inconsulto decernerentur, atque hoc idem à Calisto concessum
asseuerabat. Schedulam cum legisset Pius: Ergo, inquit, non me
Veneti, sed cardinalem sancti Marci summum Pontificem ado-
rabunt? si potuit Calistus superiorem ferre, nõ potest Pius mor-
talem hominem: Deo tantum & sacris litteris subiecta est aucto-
ritas nostra. atque his dictis supplicationis papyrum reiecit.

Quod cum accepisset cardinalis subticuit, ne maioribus vrgere-
tur stimulis.

Vacavit & tunc ecclesia cathedralis in Agrigento, quæ vrbs
in Trinacria olim celeberrima fuit, & apud veteres rerum scri-
ptores late memoratur. Hanc Pius Bernardo Bosco præstanti
iuris interpreti, & auditori Rotæ nihil petenti, & prorsus igno-
ranti commisit: quia & boni nominis erat, & olim basilicæ so-
cius eius fuerat. Atque vno hoc opere, & amico satisfecit, & Au-
ditores omnes in spem erexit, eadem præmia suis laboribus ex-
pectantes, quæ suum collegam assecutum viderant, nec dece-
pti sunt: nam Pius plerosque postea excellentes viros ex eis ad
pontificales assumpsit ecclesias. Verum Bernardo perniciofa
fuit Pontificis gratia, qui dum ecclesiã suã possessionẽ summo

E 2 studio

Promotio
Bernardi ad
ecclesiam A-
grigentanam.

studio quærit, nec assequi potest obstante non æquo rege, labore simul, & tædio confectus, ægritudinem incidit, quæ vitæ eius breuiorem reddidit, atque ipsum extinxit, & si viro bono in lucro sit quantocyus mori: ad cuius regimen Nicolaus sancti Petri cardinalis dimissus est.

Pij discessus,
& eius dissi-
dentibus ami-
cis cōstantia.

Pontifex maximus ad tertiodecimo Calend. Februarias, quæ dies profectiois dicta est: ex palatio Apostolico, quod est apud sanctum Petrum in Vaticano intempesta nocte ad ædem sanctæ Mariæ maioris in Exquilio monte se contulit, ibiq. sequenti die commoratus, frequenti populo, ac vehementer lacryman-
ti lacrymans ipse benedixit, & postridie Sole nondum orto per thermas Diocletiani, & collem Suburræ ad portam Flamineã, nunc Populi vocant, & deinde ad pontem Miluiũ descendit, cardinales eo vsque secuti sunt, & optimatum Urbis, plebisq. maxima pars, ibi equitum in armis expectabant turmę, quæ Pontificem tutum deducerent. Tum dimisso populo sex cardinales delecti sunt, qui Papæ seruirent iter agenti: Vilhelmus Rothomagensis è regia stirpe natus, Alanus Auinionensis nobilis Brito, Philippus Bononiensis Nicolai Pontificis quondam frater, Petrus sancti Marci, Prosper Columnensis, Rodericus Vicecancellarius, qui Romanorum Pontificum nepotes fuerunt, Eugenij, Martini, Calisti: cardinales reliqui, ex quibus nonnulli valetudinarij fuerunt, iussi sunt Romæ manere, aut mitius veris tempus expectare, ac tum pone sequi. Et cum aliorum ægritudinibus Pontifex ignosceret, suæ nequaquam pepercit, qui pedanio dolore, & pluribus affectus morbis, subire mortis periculum maluit, quam constitutam profectiois diem negligere: obstabant amici, multisq. artibus remorari Præsulem adnitebantur, horridam hyemem & rigidas Appenini alpes, & itineris mille pericula memorantes. Quæ cum frustra obiectarentur, nõ defuere qui dicerent: En Pontifex, si nulla tui corporis retinet cura, respice saltem quæ tibi commissa est, Romanam Ecclesiam, & quot ci insidiæ præparentur animaduerte: & quis patrimonium beati Petri te absente tuebitur? quamprimum Padum transmiseris, inuadent regnum tuum lupi rapaces: nam quæ terra est tyrannis, ne dicam latronibus, magis foecunda quam tua? Picenũ alij, Umbriã alij, alias alij prouincias dilacerabunt, nudabuntq. prorsus sponsam tuam: cum redieris, nõ inuenies locum, vbi reclines caput, quem possis tuum dicere. Ad hæc Pontifex: Me-

liora,

A liora, inquit, præstabit Deus, cuius acturi causam peregre proficiscimur. Quod si permiserit diuina miseratio id fieri, quod timetis, priuari his temporalibus bonis Ecclesiam, quam fide malumus: nisi seruamus quod promissum est, perit fides nostra: & quis amplius crederet nobis? Religio quoque in discrimine ponitur, quam Turcæ oppugnant, aduersus quas conuentus indictus est: sin pergimus, nutat temporale regnum Ecclesię, & hoc sepe amissum est, & sæpe recuperatũ: spirituali, si semel exciderimus, difficile vendicari aliquando poterit: pereant hæc fluxa, dũ solidiora illa retineamus. Nec plura locutus iter ingressus est.

B Prima illi pernoctatio apud Campanianum fuit, qui locus est Vrsinorum, passibus ab Vrbe sexdecim millibus distans: hic Tranensis archiepiscopus, Latini cardinalis frater, & Pium Pontificem, & vniuersam curiam magnifico apparatu excepit. Nõdum Piccininus Assisium restituerat, nec tamen Pontifex ab incepto itinere desistit, etsi per agrum, quẽ ille occupauerat, transeundum esset. Ibat spe plenus, nec auxilium Dei sibi quouis pacto defuturum arbitratur, cuius causam ageret neque frustrata est Pij Præsulis intentio: nam die sequenti cum iter Nepesum & ciuitatem Castellanam medio ferme spatio viam faceret, litteræ allatæ sunt, quæ restitutionem Assisij, Gualdiq. ac Nucerię certissimam nunciauere. Vix eas legerat, cum festinanter equitans cancellarius quidam Euersi Anguillaricę comitis Pontificem petit, & habere magna, quæ referat mandante comite dicit; iussus fari: Herus, inquit, meus eunti tibi longinquam viam prædicit, antequam adsint Augusti Calendæ, non paruas in regno tuo oborituras turbas, tumq. cogniturum te qui fidem tibi asseruauerint. Cui Pontifex: Redito, ait, ad eum qui te misit, Assisium ecclesiæ restitutum referto, atq. his nuntium tristẽ dimisit: sciebat enim id futurum molestiæ Euerso, qui Piccininum meretriculæ nomen mereri aiebat, si se aliquando Assisio, & tam egregia munitione extrudi sineret: Piccininus autem antequam occupatas vrbes restituere statuisset, sepe per internuntios Papæ dixerat: Videto quid agas Pontifex aduersus fortunę hominem arma capiens. Ad quæ Pontifex: Stulte, inquit, Piccininus egerit, si fortunam suam experiri cum nostra tentauerit: nam si fortunę ascribere status hominum licet, longe maior fortuna est in folio beati Petri sedere, quam equitum aliquot alas ductare: quamquam si recte loqui velimus, Deus est, qui regna

Pontificis p-
fectio, & Assi-
sij restitutio,
Euersiq. calli-
da mandata,
& Pij ad Pic-
cininum re-
sponsum.

E 3 & sta-

& status omnes distribuit: fortunæ inane nomen, & vanâ gentilitium inuentio.

De Euerfi origine.

Hic quia Euerfi mentio incidit, & sæpe huius hominis faciendus est sermo, pauca de ipso dicenda sunt, vt intelligant posteri cum quibus Pio Pontifici concertatio fuerit. Anguillaria vetus est oppidum quattuordecim millibus passuum ab Vrbe distans, lacui adiacens, qui propter Anguillarum capturam oppido nomen dedit. hoc sibi nobiles quidam e Germania profecti vendicarunt, qui successu temporis dominatu, & opibus aucti, comites tandem Anguillariæ dicti sunt, Vrsinorum familiæ foederibus & amicitia coniuncti. Horum domus nostra ætate ad duos fratres redacta est, quorum alteri Dulcis nomen fuit, Euerfus alteri. Dulcis rei bellicæ apprime peritus multis facinoribus nobilitatus, relictis duobus filijs excessit e vita. Euerfus nepotum tutelam iniit: denique Vrsinorum relicto foedere, Columnensibus iunctus est: cum de successione comitis Taliacotij cum illis non conueniret, diuq. bellum inter Vrsinos, & ipsum agitatum est euentu vario, tandem induciæ in annos triginta factæ sunt: nepotibus Anguillariam, quæ fuerat eorum hereditas, abstulit occasione recepta, quod Vrsinorū parti fauerent. Hæc de Euerfo hoc in loco dixisse sat fuerit, cuius in sequentibus sæpe fiet mentio: nunc ad Pium reuertamur, qui vbi Assisium absque armis recuperatum cognouit, longe iucundior iter suum secutus est, intelligens Deum, qui coeptis aspirasset sibi fauentissimū esse, & optimis auspicijs res inchoatas: non tamen recta via per Tusciam eundem censuit, vt qui Senas ingredi volebat, priusquam suis ciuibus reconciliaretur. Erat enim eis paululum subiratus, qui ordinem, quem gentilium dicunt, ad vrbs regimen quamuis rogati crebro admittere nolissent.

De Senarum origine & imperio.

Vrbs Senarū in Hetruria admodū nobilis est, & agrū late patientē possidet: de conditoribus eius multa referuntur fabulosa. Verum origo gentis à Romanis est: atque ab ijs insigne lupæ receptū, & infantes gemini pendentes ab vberē. Teste autē Cornelio Tacito, & Caio Plinio vere Romanorū colonia fuit, de qua alter lib. 20. in suis annalibus dicit, Malliū patritiū pulsatum in colonia Senensi: alter lib. 4. de Italia cap. 5. vbi de Hetruria dicit, Intus colonia Rufellana Senensis Aretini, quidam & permixtum his Gallorum genus esse volunt ab eo tempore, quo Galli Senones Romam irruerunt, & à Camillo duce victi, fugatiq.

gatiq. sunt. Aiunt enim vtriusque reliquias exercitus vbi nunc Senæ iacent, remansisse, & duo ædificasse oppida, quæ postmodum per tempora Magni Caroli simul iuncta urbem magnam reddiderint: signumq. huius historiæ adducunt, quod vsque in hanc diem pars tertia ciuitatis à Camillo nomen retinet: Camillia enim vocant, & Brandum fontem paulo immutatis litteris à Brenno dictum existimant Gallorum duce, qui Senensem urbem extruxit, vt refert Polycrates. Nos vetustiora hæc neque asserimus, nec reijcimus: illud affirmamus, multos in hac vrbe fuisse nobiles & admodum potentes, qui palatia sublimia, & altas tures, templaq. nobilissima extruxerunt, rempublicam administrantes: sed cum inter familias nobiliores ob gubernationē ciuitatis lites oborirentur, & armis aliquando decerneretur, placuit nobilitati regimen populo dimittere, paucis sibi muneribus reseruatis, arbitrati populares, quamuis rempublicam administrarent, nihil tamen iniussu nobilium facturos, quorū potentiam formidarent: quod aliquandiu seruatum est. At vbi assueti regimini plebs dulcedinem honoris & potentia fructum gustare coepit, aucta diuitijs & gloria nobilitatē dedignata est, pulsifq. vrbe nobilium quibusdam familijs, reliquas tolerabat, & minores aliquos honores cum eis patiebatur. Quinque, vt supra memoratum est, in vrbe hominum genera fuere absque infima plebe. Alij Nouem appellati, quia dum rempublicam soli tenerent, rectores nouē constituerunt. Alij eadem ratione Duodecim dicti. Alij Reformatores, quia reformationes ciuitatis aliquas fecisse sunt visi, nobiles à vetustate, ac potentia olim vocati nomen Gentilium retinere. Alij Populares nominati. Duodecim iam pridem à gubernatione deiecti nullam reipublicæ partem habuere, nobilibus quorundam munerum quarta pars credita. Verū neq. arcibus præesse, neq. inter Priores in palatio residere, nec portarum clauēs custodire permitti: vis tota regiminis inter Nouem, Reformatores & Populares remansit. Inter quos succedente tempore, sedente Calisto tertio graues inimicitia succreuerunt, parsq. non parua regentium falso insimulata est, tamquam urbem tradere Piccinino conspirasset. Ob quam rem quidam securi percussi sunt, nonnulli in exiliū acti, alij relegati, & pecunia multati: adeoq. vrbs ipsa civili discordia vexata est, vt libertatem amissura propediem cunctorum iudicio videretur. Sed respexit pijs oculis magnus Deus dica-

tam suæ matri Mariæ Virginis ciuitatē. Assumptus enim mortuo Calisto Pius Pontifex, mox dulcissimæ patriæ curam cepit: machinamenta, quæ in illam præparata fuerant, disiecit: & omnes eius hostes auctoritate sua deterruit. Ad salutem autem illius magnopere existimauit, ut loco ciuium, qui e regimine cecidissent, dictus ordo sufficeretur: neque suæ dignitati conuenire arbitrabatur, nobiles ex quibus ipse natus esset, in patria sua pro seruis haberi. Quod Senenses futurum existimantes, ut viâ querele præcluderent, familiam Picolomineâ, ex qua Pio esset origo, ad regimen vocauere, existimâtes eum nil amplius quaesitum. Verum ipse non suæ domus, sed totius ciuitatis curam gerens, nihil actum censuit, nisi Gentilhomines vniuersi ad rem publicam gubernandam accerferentur: missisq. legatis efflagitauit, ut ceteri ex illo ordine regimini ascriberentur. Tumultuare hac petitione Regentes, dicere Pontificem indigna rogare, nunquam id facturam ciuitatem, etiam si pati obsidionem, & filios fame cogatur edere. Contra Pius instare, & nisi pareant patriæ iusta neganti, benignam subtracturum se manum asserere. Atque ob hanc causam iter flexit: & dimissa Tuscia per Umbriam profectus est, Senensibus interminatus, nisi morem gererent, se patria posthabita, per Perusiam, Aretium & Florentiam in Galliam profecturum.

De ciuitate Castellana, & Tiberi ponte transmissa, de Narnia, Spoletino, & eius arce.

Petijt igitur ciuitatem Castellanam, quam nonnulli, ut ante diximus, Veiorum olim fuisse patriam arbitrantur: & Camillum ingrata patriæ iudicia fugientem illic exulasse. Locus est in plano situs: verû ita præruptis vndique rupibus, ut instar altissimi montis teneat, & propemodû inexpugnabilis videatur: Episcopus eius loci vir doctus, & amœni ingenij Pium Pontificem, cuius in minoribus constituti amicissimus fuisset, singulari gaudio excepit in palatio, quod Nicolaus quintus Pontifex maximus, quasi refugium in percussione, si qua emerisset, magnifice construxerat. Exin Tiberim transijt per pontem ligneum recens factum, hedera & virentibus arborum ramis ornatum, non procul ab oppido Malliano, quod in Sabinis Romano populo caret. Quacunque iter fecit, populi obuiam effusi Pontificem salutare: sacerdotes sacra ferentes felicem vitam eunti precari, pueri, inuptæq. puellæ redimiti tempora lauro, & oliuarum ramos manu gestantes vitam, & felicitatem magno Præsuli optare: qui fimbrias vestimentorum contingere possent, beatos se se

A se se arbitrari: plena vbiq. populi itinera, & strata virentibus herbis: oppidorum & urbium platearum pretiosioribus operata panis, domus ciuium, templaq. magni Dei præcipuis ornata modis. Sic per Narniam, & Interamnam Spoletum vsque ventum est: neque hic minor Pontifici honor exhibitus. Hæc urbs in monte sita, in cuius cacumine arx eminent nobilissima, Egidij quondam cardinalis opus tum natura, & situ loci, tum murorum altitudine, & humana ope munitissima: ex qua tota vallis, quæ appellatur Spoletana, visitur, amœnus certe locus, & saluber. E regione mons est præruptus, atque sublimis, in quo velut in eremo religione dicata Anachoritæ famulantur Deo. Insunt & monachorum nonnulla cœnobia, in quibus viri sanctimonia celebres degunt. Gothis in Italia regnantibus, & deinde Longobardis rerum dominis, ac postea Francis imperium obtinentibus, magni momenti Spoletum fuit, & Umbriæ caput, ducumq. sedes: & vsque in hanc diem Spoletani ducatus manet nomen. Hic biduo Pontifex moratus, cardinalibus, qui se comitabantur, conuiuium apparauit, & cum eis hilare pransus est.

Miserat ipse, priusquam Roma excederet, Baptistam Bremundum ciuem Romanum iureconsultum ad imperatorem Federicum, qui eum ad conuentionem inuitaret aut in Utino, aut in Mantua: & cum eo ire iusserat Matthæum cognomento Fugel, vnum ex aulicis suis natione Germanum, qui mores hominum nosset, & regionum itinera, ut Baptistam instrueret. Conuenerat iam imperatorem ille, & habito apud Græciam Stiriam oppidum colloquio, Matthæum cum responso remiserat: qui Pontifici Spoleti occurrit. Summa rerum erat imperatori grauius apud Austriam incumbere negotia, quæ negligere non posset, nec vocatum in vnum ex duobus locis alternatim nominatis ad veniendum astringi: cui Pontifex remisso Matthæo in hanc sententiâ rescripsit. Quamuis in Austria multa essent, quæ præsentiam imperatoris exigerent, non tamen idcirco fidei orthodoxæ negligenda negotia: nam & Roma Pontificis præsentia egeret, reliquisse se tamen & Urbem, & omne regnum Ecclesiæ. ut conuentum peteret pro Christiana salute indictum: nec minus à nominatis locis Romam distare, quam vel Græciam, vel ciuitatem Austriæ nouam Imperatoris sedem: Pontificem annis plenum, & morbis grauem, longius iter acturum: indecorum videri Cæsarem validum, & florenti ætate recusare breuiorem viam.

De legatione & responso ad Imperatorem pro regno Hungariæ suscipiendo.

viam. Consulat honori suo, consulat Christianæ religioni: neque committat, ut sua negligentia Christianam rempublicam perijsse aliquando dici possit: neque causidicorum ineptias audiat, qui subtilitate quadam iuris negant eum obedire oportere, qui ad ea loca vocetur alternatim nominata. Sciat summus ius, summam esse iniuriam: neque utendum cauillationibus, ubi bona fides requiritur, & Christiana res in discrimine sita est: neque ad incertum locum se fuisse vocatum, qui prius quam domum relinqueret, edocendus erat ex duobus locis, quem deberet accedere: parceret his excusationibus, quæ apud viros graues ridiculæ viderentur: neque Vtricum audiret iuris interpretem, magis quam suam conscientiam. Exin quia scripserat Imperator manu sua secretiores litteras, in quibus Pontificis consiliû exposcebat, an regnum Hungariæ acceptandum sibi esset, si ut spes erat, regni proceres eum eligerent: in hunc modum rescripsit. Qui te regem Hungariæ sunt electuri, si fides ijs habenda est, & regnum dare possunt, non dissuademus accipere quod offertur: sin litæ offerunt, & belli materiam, contra sentimus: maximeque cauendum censemus, ne quid agas, quod expeditioni aduersus Turcas instituendæ impedimento sit. Vale.

Reconciliatio Senensium, & Venetorum fœdus cum Turcis.

Inter hæc Senenses Pontificis indignatione cognita, atque admodum veriti ne se posthabitis per Florentiam peteret Mantuam, molliores facti legatos decreuerunt: qui benigne Pontificem salutantes, iter ei per patriam suaderent. Veneti vero, qui per legatos multa Romæ aduersus Turcas Pontifici promiserant, electionem tamen Vtini pro conuentu Christianorum celebrando respuerunt, ut qui Turcarum animos, quibus fœdere coniuncti essent, irritare vererentur. Nam cum Constantinopolim Mahumetes occupasset, diffisi suis viribus Veneti, & aliorum Christianorum auxilia desperantes, pacem cum Turcis fecerunt. Quod cum Pio renunciatum est, quamuis dolens, tamen plenus animo, & in saluatore Christo spem habens, reiecta Vtini mentione epistolis ad reges missis, per quas eos Mantuam euocauit, Fulginium adiit.

De Fulgineo & Assisio, ac diui Francisci nobili tempore.

Hæc ciuitas, Eugenio quarto sedente, ex manibus tyrannorum ad Romanam ecclesiam redijt. Ferunt eius vrbis regulum, sanctum virum propheticum habentem spiritum olim consuluisse, an regno sua posteritas aliquando priuanda esset: illumque respondisse priuandam, cum boues circum moenia euolarent ciuitatis.

A. uuitatis. Quod cum impossibile videretur, æternum sibi posterisque imperium vrbis tyrannus persuasit. Verum nepotibus regnum tenentibus, Ioannes Vitellensis Alexandrinus Patriarcha eo cum copijs profectus, cum obsidere urbem cœpisset, explicatis vexillis, in quis insigne fuit par bouum, qui flante vento, & agitante vexilla volare quodammodo videbantur, magnum ciuitati terrorem incussit. Erat enim cunctis optimatibus notum vaticiniû: nec multis post diebus ciuitas dedita est, quæ usque in hanc diem Romanis Pontificibus paret: tyranni dissipati sunt. Ex hoc loco Pius Assisium petijt, fuitque illa in arce, quam Piccininus per prodicionem emerat: miratusque vehementer est hominem, ut aiebat, fortunæ, & rebus nouis intentum, adeo munitum locum, & ad pacem Italiæ turbandam idoneum restituisse: nec aliud quam diuinæ pietatis opus arbitratus est, quæ pauorem armato immiserit, ne conuentus Mantuanus interrumperetur. Nobilitauit hanc urbem diuus Franciscus ordinis Minorum inuentor, cui nihil paupertate ditius fuit. Huic nobile templum erectum est, in quo ferunt sua ossa iacere: & duplex ecclesia est, altera super alteram picturis illustrata Ciocti Florentini, quem constat sui temporis omnium pictorum fuisse nobilissimum. Hic & Egidius cardinalis Hispanus iacet, cuius supra fecimus mentionem: qui laceratum ecclesiæ regnum, & à tyrannis ferme totum usurpatum, singulari virtute recuperauit, ac refarciuit: quamuis nonnulli ossa eius in ecclesia sancti Martini supra Viturium, in monte Cimino recondita dicant. Monasterium, quod ecclesiæ beati Francisci cohæret, totius ordinis caput habetur: nec structura toto orbe huiusce ordinis inuenitur, quæ hanc superet. Pius arce considerata, cum animaduertisset vno tantum ex loco oppugnari posse, illic turrim erigi iussit, quæ postea magnis sumptibus perfecta inexpugnabile munimentum reddidit.

D. Inde Tiberi rursus transmisso, Perusiam profectus est: ubi honores hi ei sunt exhibiti, qui humano ingenio potuerunt excogitari. Nam quamuis aspera sæuaret hiems, non tamen aliter adornata ciuitas fuit, quam si verum tempus adesset: virere tota vrbs: gestire viros, ac mulieres, qui Romanum Pontificem intuerentur: (nā ante annis octuaginta nemo illic Christi vicariû viderat:) pendere per omnes vrbis vias insignia Pontificis, & lumen aureæ nondum plenæ, ludi militares exhiberi, omnia profusam ostendere lætitiâ: cardinales & vniuersos curiales humane, ac benigne

De Perugia, ciuiumque splendore, ac Braccianorum fortuna & moribus.

benigne tractari. Ea vrbs peruetusta est, & vna ex duodecim ciuitatibus, quas Hetruriæ principes antiqui commemorant: & adhuc murorum pars cernitur, quos Cæsar Augustus instauroit. Claruit iam pridem & armis & litteris, & potissimum scientia iuris: in qua Bartholus excelluit, & post eum Baldus, & Angelus. In armis principatum obtinuit Braccius Montonius nobili loco natus, verum hostis Ecclesiæ: qui cum suæ patriæ tyrannidem inuasisset, complures Umbriæ ciuitates sibi subiecit. Ad vltimum cum Aquilam Marforum urbem quattuordecim mensibus obsedisset, ab exercitu Martini Pontificis prælio superatus, captus atque occisus est: non sine gloria Francisci Sfortiæ, qui tum primum genitore mortuo exercitum ducere ceperat. Cōmilito Braccij Nicolaus Piccininus fuit rei militaris gloria non inferior. Et hic suæ patriæ dominatum inuasit: multisq. damnis Eugenio sedente Romanam affecit ecclesiam: etsi enim plus religionis quam Braccius videretur habere, par tamen in Ecclesiam eius persecutio viguit. Is cum aliquandiu Philippo Mariæ Mediolanensium duci militasset, multasq. clades Venetis, ac Florentinis intulisset, videreturq. omnium, qui arma gestarent, in Italia fortunatissimus & peritissimus imperator, ad extremum in Tuscia atque in agro Aretino apud Anglariam cum aduersus Ecclesiam, & Florentinos bellum gereret, victus est: nec postea dignum laude aliquid gessit: obiitq. tandem in gloria Mediolani, & in ecclesia maiori sepultus est. Ferunt eū post cladem in Tuscia apud Anglariam acceptam, sæpe solitum dicere: intulisse sibi terrorem, omnemq. victoriæ spem ademisse vexilla Ecclesiæ, in quibus beati Petri, cuius tunc festiuitas aderat, clauis inspexisset. Vlciscitur enim Deus suas iniurias: nec perlonga est malorum hominum felicitas. Huic duo filij successerunt, paterni ductores exercitus, Franciscus, & Iacobus: Ille quamuis ferox, & in armis præstans, temulentia tamē succubuit, nec diu postea vita functus est. Milites sui Iacobum secuti sunt, de quo sæpe nobis erit dicendum. Fuit & Nicolaus Stella Braccij cognatus copiarum dux audacissimus, qui cum maiorum vestigia sequeretur, Romanamq. vexare ecclesiam, atque in Deum contumeliosus esset, suæ impietatis breui poenas dedit, equo lapsus ceruice fracta procumbens. Fuerunt & alij complures Perusini in armis clari: inter quos Ceccholinum memorant, & Ludouicum Michelotium, cui cupiundi Braccij gloriam

gloriā dedere: erat enim factionis illi aduersæ. Duæ sunt apud Perusinos partes, quæ se inuicem persequuntur, Nobiles, ac Rasantes. In longo tempore præfuerunt vrbi: Braccius eos expulit: ab illo tempore vsque in hanc diem nobilitas imperauit: etsi enim Piccininus, vt diximus, aliquando ibi tyrannidem exercuit, cum esset popularis, partes tamen nobiliū sequebatur. Inter Rasantes cum ciuitatis regimine potirentur, quattuor fratres fuere, quorum matrem prudentissimam feminam sæpe dixisse traditum est, sibi quattuor filios esse: Biondum, qui & dicendo & faciendo excelleret: Ceccholinum, qui facere quidem egregie nosset, eloqui nesciret: Antonium, cui dicendi copia cū esset, faciendi non esset: & Eganum, qui & facere & dicere ignoraret. Venit in hanc urbem Pius Pontifex in vigilia Purificationis beatæ Mariæ Virginis matris Domini, & in die festo de more candelas largitus est. Paucis post diebus templum diui Dominici & amplum & nobile dedicauit. Federicus Urbinas visendi Pontificis gratia eo se contulit, & perbenigne acceptus est: legatiq. Ludouici Sabaudie ducis hic obedientiam Romano Præfuli pro veteri consuetudine præstiterunt. Occurrerunt & Senensium oratores iter ad se petentes. Vidit eos Pontifex non inuitus: & vocari, rogariq. dulcem in patriam hilari animo accepit: voluit tamen inermem reperire urbem, & liberum sibi futurū, cum Senas intraret, de forma regiminis cum senatu agere: quod illi, quamuis ægre, concesserunt.

Manfit Perusiæ Pontifex tribus hebdomadis. Exin non sine moerore ciuium, qui longiorem sui domini moram optabant, Senas versus iter arripuit: & ad lacum Trasymenum peruenit, Romanorum clade, & Hannibalis victoria nobilitatum. Huius lacus tempestate nostra nullus erat exitus: ac propterea decurrentibus in eum multis riuulis paulatim creuerat, & adiacentiū oppidorum magnam partem demerserat: Braccius effosso monte inundantibus aquis iter per altos cuniculos præbuit: & vallem, quæ alioquin arida erat, humectauit, molisq. plurimis ditauit: atque hoc vno opere laudē meruit. Exagitauerat pluribus diebus, cū eo peruenit Pontifex, aquas lacus valida tempestatas, ita vt nauigandi nulla pateret facultas. Tum vero quasi diuino nutu repente vis omnium ventorum conqueiuit: & intranti nauigium Præfuli velut animal domitum se se præbuit mare: & vndique sedatis flatibus mira tranquillitas oborta, adeo vt ingens

De Trasymeno lacu, & Clusio, & Sarreano.

gens captura piscium facta sit. Dum nauigatur in insulam, in qua Pontifex apud religiosos sancti Francisci monachos pernoctauit, siluerunt fluctus vesperi & nocte tota, & mane quod fecutum est, donec nauigium Pij ad litus peruenit. Exin iterum sauire, & inter se colluctari vehemētes venti coeperunt: ita ut qui Pontificem sequebantur, vix periculum submersionis euaserint: admirantibus accolis, quod per vniuersam hiemem procellus & intractabilis Trasymenus, Pontifici nauigabilem se præbuerit. Ventum est deinde ad Clanium amnem, seu palus est, quæ Senensem agrum à Perusino diuidit. Illic legati Senensium magno comitatu, & ingenti lætitia Præfulem exceperunt, Clusiumq. duxerunt antiquam urbem, & Porsenæ regis patriam, opibus olim & gloria pollentem, nunc vero paucis incolis habitatam. Plinius hic laberinthum fuisse commemorat, inter miracula orbis non extremum: cuius nulla extare vestigia miraculum videri potest. Hinc Sarteianum itum est, oppidum Senensi populo subditum, quod olim ad Urbem veterem pertinuit. Ladislaus rex Siciliæ cum aduersus Florentinos copias ingentes duceret, negarentq. transitum Senenses, hoc in loco tredecim diebus commoratus, nulla non die oppidum oppugnauit, laboratum sed frustra est tum virtute defendentium, tum amicitia Pauli Vrsini, qui cuncta regis consilia per internuntios ad oppidanos deferebat.

De Corfiniano nunc Pontifex.

Pontifex e Sarteano Corfinianum petijt. Mons editus est ex valle amnis Vrciæ surgens: in cuius vertice planities mille passus longitudinis habet, latitudinis multo minus. In eius angulo, qui solem hieme orientem respicit, situm & oppidum parui nominis, verum aere salubri & vino ac rebus omnibus, quæ ad victum pertinent, optimis. Qui Romam e Senis petunt, postquam sancti Quirici castellum reliquere, & Radicofanum recta pergunt, Corfinianum in colle relinquunt, qui ad sinistram cernitur, tribus millibus passuum extra viam publicam clementer eleuatum. Maior oppidi pars Picolomineorum quondam fuit, & Siluius Pij pater auitas hic possessiones habuit: atque hic natus est Pius, & hic pueritiæ rudimenta peregit: quo tunc rediens sperauit voluptatem aliquam sumere, eos allocuturus quibuscum adoleuerat, & aspectum solij natalis reuifere cum gaudio: sed contra euenit, quando maior pars æqualium e vita excesserat, & qui adhuc superabant, grauati senio morbisq. domineban-

nebantur: & hi qui se se exhibebant, mutatis vultibus vix agnoscere poterant, exhausti viribus ac deformes, cum iam ætate graues filios inueniret eorum, quos pueros reliquerat. Fuit oppidum mirifice ornatum gestiente populo, & nimium festiuo ob præsentiam maximi Præfulis, quem apud se natum gloriabantur: nec satis aut intueri aut consalutare eum poterant. Mansit hic Pius in festo quod beati Petri Cathedram appellant, ac rem diuinam peregit: statuitq. hoc in loco nouam ecclesiam, & palatium ædificare, conduxitq. architectos, & operarios non parua mercede, ut memoriale suæ originis diuturnum relinqueret: concessit & indulgentias plenarias quotannis in festo inuentionis sanctæ Crucis, his qui parochialem ecclesiam visitarent: quæ postea cathedralis effecta est: de quibus rebus suo loco dicemus.

Cum abiisset ex Corfiniano Præful, inter equitandum nuntium allatum est, ex quo didicit ecclesiam Patauinam morte sui pontificis vacuam esse: vocauitq. mox cardinalem sancti Marci: aitque, Existimasti erga nos te ingratos esse, qui iam pridem nullo te beneficio affecimus: nolimus minutiora tibi conferre: expectauimus aliquid magni, ex quo disceres te nobis carissimum esse. Id iam occurrit. Vacat ecclesia Patauina diues ac nobilis: ad eam, si libet, ex Vicentina te transferemus, & Gregorium Corarium notarium nostrum Vicentinæ præficiemus: monasterium, quod ille in Verona obtinet, nepoti nostro commendabimus. Placuit cardinali oblatio Pontificis, & gratias egit: cumq. Bonum conuentum introissent, ubi quondam Henricus septimus Romanorum imperator ex hostia consecrata, ut fama est, venenum hausit, celebrato consistorio cum cardinalibus qui aderant, peracta sunt quæ Pontifex statuerat: arbitratus rem se gratissimam fecisse Venetis, ex quorum nobilitate cardinalis esset. Dormiuit ea nocte Pius in hospitali sanctæ Mariæ Prædio, cui Cuna est nomen, sexto à Senis milliario: sequenti die magno ciuium comitatu, & incredibili plebis alacritate pulcherrime ornatam & festiuantem ingressus est patriam: nec usquam maior ostentatio lætitiæ visa est. Inter rectores tamen urbis inuerti aliqui Præfulem intuebantur: silebant autem metu plebis, & prementes altum corde dolorem, vultu gaudium prætendebant: haud ignari, quin populi contra se furorem excitassent, si Pontificem introeuntem non benigne visi fuissent admittere. Secuta est paulo post solemnitas in medio maioris ieiunij Dominica dies,

De ecclesia Patauina, de Bonum conuentu, & ingressu Senarum, & grauiissima oratione ad populum.

Ingressio Senarum Pontificis.

ca dies, cui Rosę vocabulum imposuere. Pontifex vt ciuitatem honestaret, Rosam auream, quę quotannis dari consueuerat; Priori dominorum vrbis, cuius magistratus triduanus est, tradidit, adhibita oratione, in qua de Senensium laudibus differuit: iussitq. cardinales deferentem Rosam ad palatiũ vsque comitari, medium inter vltimos euntem: quę fors in familiam Reformatoriam incidit, cui Boninsigni cognomentum dedere. Post hæc de restitutione ordinis nobilium gentiles homines appellati, agere cœpit: & accersito ad se vrbis senatu, in hunc modũ locutus est. Ingentes gratias vobis habemus viri Senenses, qui nobiles nostros Picolomineos in parte regiminis admisisistis. Nobis quoque, cum in minoribus ageremus, sæpe adiumento, præsidioq. fuistis. Verum nec nos ingrati, aut onerosi patrię fuimus, qui diu procul à domo, & inter exterarum nationum vitam agentes, in Mediolano apud Philippum Mariam, in Basilea apud generale concilium, in Sabaudia apud Amedeum, quem pars orbis pro Christi vicario coluit, Felicem appellatum, in Austria apud Federicum imperatorem, Neapoli apud Alfonso regem, & in vrbe Roma apud Calistum Pontificem maximum, & ante cardinalatum, & in cardinalatu res vestras summo studio & adiuuimus, & defendimus. Nunc quoque ad summum præsulatum diuino vocati consilio, libertatem vestram prorsus labantem, remq. simul & dignitatem conseruauimus: nihil enim tam nobis cordi est, quam patrię incolumitas, atque libertas, quas res per nostram assumptionem assecuti estis diuino munere. Sed non erit hæc felicitas diuturna, nisi alium sumitis viuendi modum: nisi vestrum regimen in melius reformatis. Non potest veritas Euangelica mentiri, quę ruiturum omne regnum in se diuisum in Euangelio tradit. Et quę vnquã ciuitas tam diuisa fuit quam vestra? In alijs vrbibus sæpe duas fuisse partes constat, quę inter se dissidentes ruinam fecere. Apud vos pars populi spem omnem regiminis amisit: gentilitas, & si bonorum aliquorum est, particeps, ex palatio tamen reijcitur. Rursus qui rempublicam tenent, alij Nouem, alij Reformatores, alij Populares appellantur: neque absque inuidia, & simultatibus inter se viuunt, & superare alios alij, ac videri meliores volunt. Nutrit proculdubio factiones in populo, & animos in diuersa trahit ipsa nominum diuersitas: & paulo ante nostrum pontificatum (quod grauius est) nouum dissidium emerfit. Ciues aliquot ex his, qui nobiscũ

vrbi

A vrbi præsidebant, aut securi percussistis, aut in exilium misistis, aut pecunia multatos relegastis: fortasse digna expenderunt supplicia, at non sine iactura ciuitatis, morte affecti e numero vestro periere: qui exulant, & qui relegati sunt, reditum in patriam meditantur, vobisq. dies, atq. noctes insidias parant: neq. desunt in ciuitate, qui eis student vel sanguine, vel beneuolentia illis adiuncti: nam quãto plures e ciuitate deiecit, tanto maior est numerus eorum, qui vobis infensi sunt, & res nouas in ciuitate moliuntur. Hęc & alia pleraque in corpore vestro sunt mala: extra vero quibus inimicitijs impliciti sitis, vos ipsi nostis: vicina in vos odia sunt, amicitia procul absunt. Quis ei ciuitati bene speret, quę nec foris, nec intus tuta est? At salutem aperuit vobis Deus ab externa vi, qui nos in cathedra sancti Petri collocauit: in qua dum sedemus, nemo aperto Marte inuadere vos audeat. Norunt inimici vestri Apostolicę sedis vires: & scientes nos huius vrbis ciues esse, tam vobis quam nobis ipsis inferre bellum verentur. Sub vmbra nostra ab his qui foris sunt, satis tuti estis: ab his qui sunt intus, non est opis nostrę vos tueri: consulere tantum possumus, & id suadere, quod vnicum est omnium ciuitatum firmissimum tutamentum: id est vt inuicem ametis, & concordibus animis rempublicam gubernetis: nam difficile munimentum, & insuperabile est amor ciuium. Nostis illud Salustianũ, Concordia res paruas crescere, discordia magnas dilabi. Concordia est, quę seruat ciuitates: hæc perpetuo vos coniunget, & hanc ciuitatem tuebitur, si iustitia inter suos dominabitur, quę vna est mater, atque regina virtutum. Iustitia æquitatis quædam ratio est, quę pro meritis inter homines poenas ac præmia distribuit. Beata ciuitas, quę iustitię vtitur moderate: & vos Senenses beati eritis, si honores publicos inter merentes partemini, quod iam est à vobis neglectum: qui ciuibus nobilitate præstantibus, quorum maiores hanc urbem condidit, & qui non coacti, sed sponte suę ciuitatis regimen in vos transtulere, annos supra quinquaginta tamquam mancipijs vsi estis. Redundum est iam denique ad iustitiam, & honorandi sunt nobiles, & eorum loco suffiendi, quos eiecit: implendus est qui vacat locus, & tot amici assumendi, quot inimicos fecistis. Aut enim cauendum est, ne quis vos oderit: aut si hoc non possumus assequi, parandæ sunt amicitia, quę odia superent: hæc abunde præstabunt nobiles, si damnatorum loca conscenderint: vtilitas hæc, & honestas suadet. Nam quomodo grati eritis,

F

tis,

tis, nisi hos honoratis, quorum parentes vobis rempublicam commiserunt? & qui, licet contumeliosus à vobis affectus quamplurimis fuerint, nunquam tamen rebellauerunt, sed æquo animo cuncta tulerunt, & ad omne imperium vestrum præsto fuere? Potuissent aliquando per diuisiones vestras cornua erigere: maluerunt in ciuitate per quietem seruire, quam per seditionem dominari. & quis non eiusmodi ciues dignos regimine arbitretur? Bene instituta ciuitas, & quæ radices vult alius figere, malos ciues poena, bonos præmio afficit: nemo qui sapiat, ea in vrbe manendum duxerit, in qua virtuti non adsint præmia. Vos, si sapietis, gentiles iam omni timore diuitiarum deposito vestri similes, & aliquanto humiliores effectos in societatem gubernandæ ciuitatis amplectemini, nec vobis ipsis minores esse patiemini: atque hoc summum est retinendæ libertatis, & vrbis conseruandæ remedium. Hoc est consilium nostrum, quod amantissimè damus patriæ: si spernitis hortamenta nostra, non possumus de hac republica bene sperare. Imminet enim diuisæ ciuitati ruina, nec pax illic habitat, vnde iustitia exulat. Vos si gentilibus, quod sibi debetur, attribuetis, si qua ingruerit aduersitas, ne dum auxilia nostra præsto erunt, sed ipsius Dei, qui iustis partibus semper adest, omnipotenti manu adiuti, & protecti eritis.

De gentilitate restituta, & concessio Radicofani Senensibus.

Hæc cum dixisset Pontifex, cardinales quoque qui astabant, pro suo quisque ingenio in eandem sententiã verba fecere. Responsum est, Priores vrbis senatum de more coacturos: & quod ab eo decretum fuerit, Pontifici relatueros. Exin abeuntes inter se aliqui ciues fremere, atque animos in diuersa iactare: & quid unquam peccassent nobiles dum regnabant, in medium afferre, nihil difficilius dicere, quam regni socios asciscere: illis partiri honores ægreferebant, hi lucra communicare exclusum se iri existimabant. Nemo regni comitem facile admittit. Difficile senatoribus videbatur negare Pontifici quod peteret, difficilius concedere. Reddebantur postulata eo impetratu magis laboriosa, quod in senatu ex tribus suffragiorum partibus duas concurrere, & trecetos adesse senatores per leges oportebat: nec suum satis bonum intelligere multitudo poterat. Diu frustra in senatu res agitata est: cum seniores, è quibus plus consilij erat, Pontifici auscultandum censerent: iuniores & imperiti aduersarentur: quibus erat sanior mens dolebant tam miserum reipublicæ statum. Horum nonnulli clientelis potentes, clam Pontificem adeunt, & quod uerbis obtineri non posset, ferro querendum

sua-

A suadent: haud dubium esse dicentes, quin armato populo, Pontificis partes superiores inuenirentur: cuncti enim regiminis expertes, quorum ingens multitudo est, Pontificem sequerentur. Quibus Pontifex, etsi uictoriam suam esse, ubi prælium fieret, non dubitabat: patriæ tamen, inquit, uim non afferemus: si spernimur à ciuibus nostris, beneficam subtrahemus manum. Publicata est uox hæc in populo, quæ multorum terruit animos: sæpe consilium congregatum, suffragia iterum atque iterum reddita: nec tamen haberi duæ partes senatorum poterant, qui postulata admittenda censerent. Sed cum Pontifex urgeret, ac responsum exposceret prius quàm abiret: ad extremum censuit senatus nobilium ordinem ad honores omnes admittendum esse: & munerum aliquorum quartam, aliquorum octauam partem ei indulgit. Publicatum decretum uniuersam mox urbem impleuit gaudio: senatus frequens, & cuncti magistratus urbis rem gestam exposituri Pontificem conuenere. Pontifex etsi non satis suo desiderio factum animaduertit, ne tamen ciuitatem tristitia afficeret, hilarem se ostendit, egitque senatui gratias, laudans quod factum erat, sperare se tamen amplius aliquid dixit, cum ex Mantua reuerteretur. Ad noctem signa lætitiæ passim uisa, per urbem lucere ignes, campanam ac tubam concentum reddere, salutare, inuitare alter alterum, & in amplexus ire mutuos populares ac nobiles. Pontifex maximus, ut gratitudinis vicem suis ciuibus redderet, Radicofanum, quod est in Amiatina monte munitum oppidum, & ad Romanam ecclesiam iure directo pertinet, de consilio fratrum Senensibus perpetuo tenendum concessit: præscripto censu, quæ cameræ Apostolicæ quotannis soluerent. Antecessoribus præfinitum fuerat tempus, quod iam desitutum erat. Id oppidum Nannes Picolomineus copiarum dux non illaudatus, armis olim ex manu prædonis cuiusdam eripuerat, tradideratque Senensibus: atque ita factum est, ut Picolominea domus & possessionem, & titulum eius loci in ciuitatem suam transtulerit.

D Ecclesia quoque Senensis tum primò ad metropolitici iuris honorem erecta est: Grossetana, Massana, Suanesi & Clusina ei subiecta, tantopere suam decorare patriam Pontifex adnitebatur. Primus archiepiscopus Antonius fuit ex familia Picolominea, quem sibi Pius ut primò Petri cathedram ascendit, successorem in eadem ecclesia designauerat. Mater Pontificis quatuor ante annis obiit, pater bis totidem: hic Corfiniani iacebat, mater Senis, ambo in monasterijs Minorum. Pierius quidam eques ex gente Picolominea apud Minores, qui pro foribus vrbis collocati sunt, sibi suis-

De ecclesia Senensi metropoli facta, & Siluij ac Victoriarum parentum sepulchro nobilissimo.

que posteris marmoreū sepulchrū magno sumptu iampridem struxerat, in quo & ipse, & multi suorū conditi sunt. Fratres eius ordinis matrē Pij tunc Senensis episcopi in Germania cōmorantis, quæ apud Creulā episcopatus munitā arcē dormiuisset, & in monasterio Minorū sepulturā elegisset, in hoc tumultu sepelierunt. Id egre fuit Pierio primi Pierij nepoti, rem prorsus indignā existimanti, inter ossa maiorū suorū alieni sanguinis carnem misceri. Nam Victoria mater Pij, quamuis nupta in domo Picolominea fuerit, Forteguerrarū tamen non Picolomineorum sanguis erat. Iussit igitur nocte, quæ secuta est, illinc extrahi cadaver, & alio quocūq. loco recondi. Monachi nobilē feminā intra ecclesiā apud altare maius reposuere, humi tamen, & absq. marmoreo lapide, sperantes filiū aliquādo genitricis corpus honoraturū. Nec frustra spes fuit: veniens enim in patriā suā Pius iampridē edoctus, quæ circa funus matris obtigerat, Siluij patris ossa ex Corfiniano Senas deferri iussit: & vtriq. parēti nobile sepulchrū edificari ē cādido marmore, quod ex Lygusticis mōtib. allatū est: epitaphiūq. ipse dictauit hoc distico. Siluius hic iaceo, coniux Victoria mecū est: Filius hoc clausit marmore Papa Pius.

Multorum legationes maxime regis Bohemiæ, & eorum hæresis.

Dum Senis moratur Præsul, imperatoris Federici legati, & Henrici Castellæ, & Matthiæ Hungariæ, & Alfonsi Portugalliæ, & Georgij Bohemiæ regis, & Philippi Burgūdiæ, & Alberti Austriæ ducis, & Federici atq. Alberti marchionū Brandeburgensium aduentarunt, Christi vicarium pro veteri more adoraturi: inter quos magni & præstātes viri fuerunt, ex quibus duo paulo post ad cardinalatus honorē assumpti sunt, Ioānes episcopus Atrebas, & Brocchardus præpositus Salzburgenſis, alter ab imperatore missus, alter à Burgūdo. Verū Brocchardus, & eius collegæ Ioānes Inderbachius, & Arthongus cognomēto Capel, iurecōsulti, cū Florentiæ applicuissent, aliquādiu illic remorati sunt, indigne ferentes Matthiā Hungariæ regē à Romano Pontifice appellatū esse, eiusq. oratores eos in curia consecutos honores, qui regū legatis exhiberi consueuerunt: cum barones Hūgariæ imperarorē supra se regē elegissent, atq. ipse delatū titulū accepisset. Pontifex, ea re cognita, iniustam esse querelā dixit: quando mos esset Apostolicæ sedis eum regē appellare, qui regnū teneret: & prior ante se Calistus Matthiam regem appellasset, atque hoc modo imperatoris legationi satisfactum est. quæ deinde in templo diuæ Mariæ Virginis publice præstitit obedientiā. Legatus vero Bohemiæ regis in Consistorio secreto idem egit, veritus ne

domino

A domino suo regni partem alienaret, si eum Apostolicæ sedi palam submitteret. Regnum Bohemiæ bifariam diuisum est. Alij Romanam ecclesiam sequuntur, alij respuunt: qui appellantur Hussitæ, multis hæresibus infames, quemadmodum in historia Bohemica ab ipso Pio scriptū est. Georgius Pöggebrācius Hussitarum partium fuit, & eorum errore respersus: quorum armis atque præsidij, regnante Ladislao Alberti filio regni gubernationem, & illo mortuo coronam arripuit, vocatis ex Hungaria duobus episcopis Laurinensi, & Vaccienſi, qui se vnctum coronarent, illi homini qui hæreticus censeretur, id honoris negauere, nisi errorem prius abiuraret, & Romani Præfulis obedientiæ se subijceret. Georgius seu vere, seu simulate, quod vero similius est, in penitiori parte palatij vocatis nonnullis testibus, atq. tabellionibus Hussitarum hæresim abiurauit, & Apostolicæ sedis auctoritati, iussioniq. se se submitit. Cuius rei publicata documenta episcopi acceperunt, atque deinde regem coronarunt: cui mox Bohemi omnes paruere. Moravi cum aliquantulū restitissent, postea imperata fecerūt. Apud Sclēſitas maior fuit renitentia. Vratislauenſes missis ad Pium legatis, nullo pacto se suscepturos regē dixere, quem de fide suspectū haberent: inuenitoq. Senis Pontifice multa de Georgio questi sunt, qui neque hominibus, neque Deo fidem seruaret: indignumq. esse dixerunt, quem suis litteris Apostolica sedes regem appellasset, Pontifex cum vocari ad Mantuanum conuentum principes iussisset, regē ne Georgiū nominaret aliquandiu hæsit: erant enim in vtrāq. partem suasiones. Calistus antea regē vocauerat, & ipse abiurauerat hæresim, verū simulata eius opera putabantur. Consulentibus denique cardinalibus, & scribere & regem appellare placuit. Verum litteras imperatori transmittere, quod si sibi videretur eas Georgio traderet: regnum enim Bohemiæ imperij foedum est, & vacante regno ad imperatorem pertinet Bohemis regem constituere: imperator litteras Apostolicas Georgio restituit, quas ille ingenti gaudio accepit, iussitq. pro sua gloria maioribus in vrbibus publicari, vt intelligerent omnes Apostolicā sedem nomen regium sibi tamquam catholico detulisse: quæ res multorum offendit animos, ac præsertim Vratislauenſium, qui ob eam rem legatos, vt diximus, ad Pium misere, à quo cum facti rationes accepissent, subueniri sibi petierunt, ne vel fraudibus Georgij, vel armis Christianam fidem perdere cogerentur. Pon-

tifex consilium suum esse dixit, potentis regis vti furorem declinarent, scripturum se illi ab armis abstineat: & quas habet aduersus Vratisslauienes Sclesitarum principes controuersias Apostolicæ sedis arbitrio dimittat, nisi paruerit, alijs se remedijs vsurum, atque hoc responso Vratisslauiensium legatos dimisit.

Disfatio multorum à firmo Pij proposito, & perfidia Tarentini.

Exin Mantuã versus iter continuare decreuit. Multi hoc dissuadebant. Senenses patre sanctissimo, & emolumentis carituri curiæ, recessuro Præsuli mille instare pericula affirmabant, iter discrimine plenum esse, timendū esse, & omnis generis insidias formidandas. Alij frustra Præsulem Mantuã petere, in qua paucissimi cōuenturi essent, prouocaturū in se odia principū, quasi eorum contumaciã accusaturū: fatius esse manere Senis quam vterius proficiscentem nihil aliud quam ere magno regū inimicitias emere, quorum reprehensus desidiã atque ignauia videretur. Alij magnos in Italia instare motus: Pontificē, si Apenninum tranfierit, nunquam in Tusciam rediturū, perditurumq. Romam, & patrimoniu Ecclesiæ vniuersum: nec desuerunt qui dicerent non recte factū, non exploratis regū animis ad conuentum pergere, potius se domi quiescere, donec certa principū accepisset responsa, & hi rumores passim exaudiebantur: nihilominus omnes contempsit. De Florentinis, qui vere prudentes essent, & graues nihil timendum esse censuit, nec sibi recta videnti formidandas insidias, nec tam hostē humani generis metuendum, qui bonis operibus aduersatur, quam Dei sperandum auxilium, cuius causam acturus iret in Galliam. Quod si reges conuentum negligerent, illos in culpa futuros: se qui pergeret laudem mereri, neque alienam desidiã sua negligentia excusandam fore.

De oppido Bonitij, & occurfu Galeatii & Florentiæ ingressu.

Ingresso Præsuli Florentinorum agrū legati ad oppidum Bonitij occurrerunt: primates vrbs magnificis verbis Christi vicariū honorantes. Id oppidū tempestate nostra parui momēti est, & in plano iacet, apud Elsam fluuium, olim in alto monte, qui ei supereminet, sitū: fuit ambitu magnum, populo plenum, neque expugnatum facile: quod cum esset Gibellinarū partium, Florentinūsq. sepe multa attulisset incommoda, ab eis muro primum apertum est, deinde prorsus deletū, & in eius locum trāslatum, quem ante diximus. Hic Pontifex nocte peracta, sequenti die apud Castellū sancti Cassiani novos legatos habuit obuios, numero plures, & dignitate præstantiores, qui eū non longe ab oppido

A pido in prædium pulcherrimum ditissimi ciuis deduxere, atque ibi pernoctatū est. Postera die dum Carthusiã peteret Pontifex, Fauentinū, Foroliuensem, & Corneliensem vicarios occurrētes inuenit, & paulopost Galeatiū primogenitū Francisci Sfortiæ Mediolanensiu principis. Adolescentulus hic egregia specie nondum sextumdecimū impleuerat annum: uerum his moribus, ea eloquentia, eo ingenio, atq. industria præditus, vt plus quã virilem prudentiã præferret: erat in vultu gestuq. grauitas digna principe, loquebatur ex tempore, quod vix alius diu cogitās effari potuisset: nihil pueriliter agebat, nihil leuiter: stupor fuit audire seniles ex iuuenili ore sententias, & nondū barbatū cani hominis senfa proferre. Hunc genitor ex Mediolano cū quingentis equitibus splendido & ornatissimo comitatu Florentiã, eosq. misit Pontifici obuiã: qui ad tertium lapidē paulo citra Carthusiã ei occurrens, & ab equo desiliens, sacros de more pedes exoscultatus est. Pontifici prandiū in monasterio Carthusiensiu apparatus: atq. eo peracto in urbē properanti: extra portā duobus circiter stadijs Guelfarū duces partiū occurrere, & prætor vrbs & multi magistratus in porta, priores quos vocant dominos, qui Pontifice verbis humilibus salutato, & pedibus osculatis, urbē & populū ei comendarunt: propter egritudinē pedū nō poterat equo Pontifex vehi, sella sedēs aurea humeris hominū portabatur. In ipso vrbs ingressu postquã sacerdotes sacra ferentes benedictionem Pontificis acceperunt, & pompā ducentes præcesserunt, Sigismundus Malatesta, & alij ecclesię vicarij, quorū supra meminimus, sellā Pontificis snbiere, suūq. dominū humeris aliquandiu portauere. Galeatius qui minor esset, & cruribus paululū inualidis, quãuis onus ferre nō posset, manū tamē apposuit, quasi adiutor vnus cupiens videri portantiū: priores vrbs hinc atq. inde pedibus incedebant. Mutabantur autē portantes per dimensa loca, & honoratiores ciues id sibi muneris expetebāt. Galeatius cū aliquantisper pedibus ambulasset, iussu Pontificis equū ascendit, & paulo post Ecclesię Vicarij: vrbs plena populo fuit & suo & alieno, vicini ex oppidis & agris nouū visuri Præsulē vndiq. concurrerāt, feminarūq. diues ornatus visebatur: mira vestiū varietas domesticus simul vt peregrinus cultus. Ingressus Præsul ecclesiã S. Reparata, & facellū B. Ioanis vtrobiq. populo benedixit. Diuersoriū ei apud S. Mariã fuit, cui Nouella cognomē est, vbi & Martinus, & Eugenius sui prædecessores collocati fuerūt.

Florentiæ origo cuiusq. gesta & factio- nes.

Florentia Hetrurię nunc caput est, crevit ex ruinis Fesularũ: A quas Totila diruit. Gothorum imperator Volaterras, Pistoriũ, Aretium, Cortonam, Pisas sub iugum misit: Lucensibus magnã agri partem ademit: Senenses magnis affecit cladibus, a quibus & aliquando detrimentum passã est: Germanis imperatoribus sæpenumero aduersata. Henricus septimus circa moenia castra tenuit, duraq. urbem cinxit obsidione, domuissetq. prorsus nisi vocatus Neapolim aduersus regem Robertum, dum eo pergit cum parte copiarum apud Bonumconuentũ, vt ante diximus, veneno periisset. Carolus quartus ad portas vsque Florentinas cum exercitu profectus Gibellinos vrbe pulsos in ciuitatem restituit. Mediolanensium duces acerrimis odijs Florentinos insecti sunt, damnisq. permultis affecerunt, neque ipsi sine detrimento fuere. Franciscus Sfortia eorum ope Mediolani ducatu affecutus ijs amicissimus fuit. Neapolitani reges modo amici, modo hostes habiti, & aliquando vrbis imperio potiti sunt, in qua & dux Athenarum dominatus est. Quo tandem pulso populus in libertatem se vendicauit, quamuis tum maxime seruire coepit, cum se liberum existimauit, vt qui vno eiecto domino multos admisit. Exagitata sæpe vrbs est ciuilibus procellis, cum optimates inter se de primatu contenderent. Præstantissimi ciues visi sunt ætate nostra Pallas Strozius, Nicolaus Vzanus, & Rodolphus Peruzius. Pallas opibus cunctos superauit, Nicolaus prudentia, Rodolphus armis, aduersus hos factionem excitauit Cosmas Medices, propter quam rem vrbe pulsus, Vzano iam vita functo exilium aliquandu tulit: deinde sub Eugenio Pontifice maximo Florentiæ sedente, studio partium ab exilio redijt, & tumultuante ciuitate, deterritis qui sibi aduersabatur, suum locum recuperauit: Rodolphum & Pallantem, pluresq. alios ciues vrbe pepulit, qui postea nunquam rediere, quamuis Rodolphus Nicolaum Piccininum aduersus patriam alliciens, Mugellanum agrum ingressus vastauerit: nam postea in exilio decessit. Pallas æquo animo fortunam aduersam ferens, Patavij vsque ad extremam senectutem philosophiam sectatus est, ibiq. obiit iam ferme nonagenarius, quem sui ciues eiecissent nõ meritis. Cosmas deinde sublatis æmulis pro suo arbitrio rempublicam administravit, easq. opes accumulauit, quales vix Cresum possedisse putauerim: ædificauit in vrbe palatium rege dignum: ecclesias alias instauravit, alias à fundamentis erexit:

De Cosmæ diuitijs & potentia.

Axit: monasterium sancti Marci miro construxit opere, in quo bibliothecam Græcis & Latinis voluminibus referit: villas magnifice adornauit. Videbatur iam præclaris operibus inuidiam superasse: sed populi excellentem virtutẽ oderunt: inuenti sunt qui potentiam Cosmæ ferendã negarent, eiusq. conatibus multis modis obuiam irent. Et quia æstimatio bonorum, quæ quisque possideret, per idem tempus faciunda fuit, Catastum Florentini vocant, Senenses Libram, per quam magistratus facultates ciuium non ignorantes, ex equo possint inter subiectos onera partiri. Suadebat Catastum innouari Cosmas, inimici aduersabantur: ob quam rem parlamentum fieri placuit: quod dum cogeretur armati vndique collecti iussu Cosmæ forum circumdedere, manifestumque imminere periculum ostenderunt his qui consilium eius damnarent. Decretum est catastum armorum metu: & ciues, qui prius contradicebant, alij relegati sunt, alij ære multati: post hæc nihil Cosmæ negatum. Is belli, pacisq. iudex & legum moderator, non tam ciuis, quam patriæ dominus haberi: consilium de republica domi suæ agitari, magistratum hi gerere, quos ipse designasset: nihil sibi ad regnum nisi nomen & pompa deesse. Aegrotabat Cosmas, cum Pius Florentiæ fuit. Ioannes, qui eius pater fuit, ex Medicorum familia ingentes opes liberis suis Cosmæ, & Laurentio reliquit. Cosmas supra quam credibile sit eam ampliauit, per omnem Europam negotiatus, & ad Aegyptum vsque fuit. Hic egregio corpore, statura plus quã mediocri, aspectu & alloquio placidus: litteræ in eo plures, & Græcarum non prorsus ignarus: ingenium ei perspicax, & ad omnia promptum quæ ageret: animus ingens atque fortis laborem & inedia facile pertulit, & noctes crebro insomnes duxit: nihil ignorauit eorum quæ in Italia gererentur: quippe quod eius consilio magna pars vrbiũ, & regulorum duceretur: nec eum extera latuerunt, cui ex orbe fere toto mercatores responderent, & quæ apud eos fierent, crebris epistolis indicarent. Ad extremum podagra laborauit: cuius antea quam vita excederet, successores filios ac nepotes vidit. Annum agebat, Florentia transeunte Pontifice, supra septuagesimum.

Per idem tempus migravit in Domino Antoninus ecclesiæ Florentinæ archiepiscopus, ordinis Prædicatorum professor, vix memoria dignus, domuit auaritiam, conculcauit superbiam, libidinem

De Antonino Præsule Florẽtino, eiusq. sanctimonia, & morte.

bidinem prorsus ignorauit, potu ciboque parcissime usus est: non iræ, non inuidiæ, non alteri passioni succubuit: doctrina Theologica emicuit: scripsit plura volumina, quæ docti laudant: prædicator acceptus in populo quamuis scelerum infectator vehemens: correxit cleri, & populi mores: lites diligenter composuit: inimicitias, quoad potuit, ex vrbe pepulit: prouentus Ecclesiæ inter Christi pauperes distribuit, in cognatos, & affines suos, nisi admodum inopes essent, nihil contulit: vitreis ac fictilibus tantum uasis est usus: familiam, quæ parua illi fuit, contentari modico voluit, & ad philosophiæ leges viuere. Mortuo nobile funus ex publico ductum: in domo nihil repertum est, præter mulum, quo infedere solitus erat, & vilem supellectilem: cetera manus pauperum asportauere. Ciuitas (nec vana putanda opinio est) ad vitam illum migrasse beatam putauit. Magistratus vrbis ubi se tanto priuatum patre, & orfanorum tutore, viduarumque iudice defecisse animaduertit, accedens Pium Pontificem, non istum, aut illum, sed aliquem ex ciuibus suis in eius locum subrogari petijt. Laudauit Pontifex Florentinos, qui obstinate vnum aliquem non petiuissent, auditurumque se se ait honestas preces.

De viris illustribus Florentinis.

Superiori ætate complures viri apud Florentinos illustres fuerunt, quorum hodie quoque nomen extat: verum Dantes Aldigherius cunctos superasse videtur, cuius insigne poema, & nobilis illa de superis, inferis, ac medijs inuentio doctrinam pene diuinam redolet, etsi vt homo non nihil errauit. Proximus ei Franciscus successit cognomento Petrarca, cui vix parem inueniremus, si latina eius opera, his quæ Tusco sermone conscripsit, æquari possent. Tertio loco Ioannem Boccacium haud iniuria collocauerim, quamuis lasciuior fuerit, neque admodum tersus. Hunc sequitur Colutus, qui & prosa scripsit & versu ad suam ætatem accommodato, ad nostram rudi. Is dictandis epistolis a quod Florentinos præfuit, cuius calamum plus sibi obesse Ioannes Galeatius Mediolanensium dux solitus erat dicere, quam Florentinorum equitum, qui sibi hostes erant, triginta cohortes. Erat enim vir prudens, & quamuis elegantiam scribendi non teneret, locos tamen egregie callebat, quibus moueri homines solent, eosque scribens cautissime attingebat. Successit pluribus post annis, Leonardus natione Aretinus, uerum

A verum Florentia ciuitate donatus Græcis & Latinis litteris apprime imbutus, multis operibus è Græco in Latinum translatis, nihil ex propria minerua, egregiam laudem assecutus: par prope huic oratione soluta, carmine maior inuentus Carolus, & ipse Aretinus origine, priuilegio Florentinus. Fuit & Poggius in hac vrbe clarus, qui cum aliquandiu apud Romanos Pontifices secretarium gessisset, & aliquot opera egregia scripsisset, postremo in patriam reuersus, ac cancellariæ præfectus inter cognatos suos uitam finiuit. In armis qui ex Florentinis claruerunt magna est Pipponis gloria è familia Scholarum, qui regnum Hungariæ multis annis administravit, in qua rege potentior uisus est. Ex Acciaiolis quoque magister militiæ in regno Siciliae Nicolaus fuit præclari nominis, cuius filius arma in Græciam proferens, Thebas, atque Athenas occupauit, & posteris possidenda reliquit, quas illi nostrademum ætate perdidit, à Mauhumete Turcarum imperatore deieci. Aliqui etiam ex nobilissima Altouitorum familia, tum in armis, tum in litteris floruerunt. Et in Ecclesia Dei insignis theologus fuit Iacobus episcopus Fesulanus apud etiam reges Apostolicus nuncius, & Bartholomæus copiarum ductor, & generalis dominorum Patauij, qui eam ciuitatem ab exercitu Mediolanensi tunc temporis obsessam summa uirtute liberauit: & Palmerius legum doctor Henrici imperatoris à secretis. Quæ quidem familia quamuis ex Longobardorum regibus se esse asserat, attamen quia temporibus nostris in domo magnifici Bindi marmoreum tumulum in agro Fesulano inuentum, apportatum dicebant, Romano charactere insculptum cuiusdam C. Camilli Altouitæ, potius à Romanis ortum habuisse dicunt, quam à Longobardis, cum apud omnes monumenta de nomine & cognomine fidem non paruam faciant. Permulti præterea uiri commemorari possent, quorum uirtute Florentia & opibus & gloria est aucta.

Florentiam qui laudant non solum uiros illustres, qui fuerunt in ea, commemorant, uerum urbis amplitudinem, murorum ambitum, qui præaltus est, & spissitudinem præcipue viarum, & platearum munditiem, quæ tum amplæ sint, tum ad longum directæ prospectum, templorum magnificentiam, ac palatiorum & publicorum & priuatorum, quæ & altissima,

& or-

De magnificentia ædificiorum Florentinorum & ludicro apparatusu.

& ornatissima sunt. Ceterum inter ædificia nullum memorabilius est æde sanctæ Reparatæ, in qua fornix est ad amplitudinem eius proxime accedens, quam Romæ in Agrippæ templo admiramur, quod Pantheon vocauerunt. Proximum ei est palatium, quod Priores inhabitant, & tertium à Cosma ædificatū, laudant & diui Baptistæ sacellum, & ædem quam Cosmas idē beato Laurentio construxit. Efferunt pontes, qui ciuitatem Arno discissam coniungunt, & numerosum populum, & ornamenta tum virorum, tum seminarum, & omnis generis opificia, & prædia, & villas egregias, quæ ciuitati adiacent plenè delitijs, & non minori sumptu quam ciuitas ipsa exædificatæ, & ingenia hominum dexterrima, quamuis in mercatura magis excellent. Impensa erga Pontificem non minima fuit, & in apparandis ludis magni sumptus facti, cum leones in forum produxerint, aduersus equos, & alias bestias pugnatos, & equestria instituerint certamina, in quibus multi valoris præmia condonarunt. Hic Pontifex octo diebus commoratus est, per quod tempus à Sigismundo Malatesta multis precibus oratur sibi ut pacem daret cum Ferdinando Siciliæ rege bellum gerenti.

De Sigismundo Malatesta.

Sigismundus ex Malatestarum nobili familia, verum extra matrimonium natus multa vi animi & corporis fuit, eloquentia, militari & arte præditus: nouit historias, philosophiæ non paruum peritiam habuit, quamcumque rem sectatus est, ad eam natus videbatur, sed mali mores plus apud eum valere: pauperes oppressit, diuitibus bona diripuit, nec viduis nec pupillis pepercit, nemo sub eius imperio securus vixit. Reos nunc opes, nunc vxores, aut liberi forma præstantes fecere. Sacerdotes odio habuit, de venturo sæculo nihil credidit, & animas perire cum corpore existimauit: ædificauit tamen nobile templum Arimini in honorem diui Francisci: verum ita gentilibus operibus impleuit, ut non tam Christianorum, quam infidelium dæmones adorantium, templum esse videretur, atque in eo concubinæ suæ tumulum erexit & artificio, & lapide pulcherrimum, adiecto titulo gentili more in hunc modum: Diuæ Isottæ sacrum. Regatus aliquando à subditis, ut quieti tandem se traderet, parceretque patriæ, quæ sua causa sæpe rapinis exposita fuisset. Ite inquit, & bono animo estote, nunquam me viuo pacem habebitis. Huiuscemodi Sigismundus fuit quietis impatiens, voluptatum sequax, quamuis laboris patiens & belli cupidus. Hunc Alfonso in eo bello, quod

A lo, quod cum Florentinis gessit, ut sibi militaret, magno cum pondere conduxit. Ille nouo auro inharratus ad Florentinos deficit, atque in Alfonso arma conuertit, perfidiæ suæ id causæ præ-tendens, quod non omne sibi stipendium in tempore persolutum fuisset. Grauis hæc regis iactura fuit, qui eum hostem passus est, quem propugnatorem parauerat. Nec dubium quin ea Sigismundi proditione rem Florentinam saluauerit: ob quam causam cum pax vniuersalis facta est, & inter potentatus Italiæ foedus percussum, Sigismundus, & Genuenses, & Aestor Fauentinus exclusi sunt, rege in eos, qui sibi iusiurandum, fidemque rupissent, liberum sibi bellum reseruante. Atque idcirco valida in Genuenses ab eo classis parata est: & aduersus Sigismundum, ultimo Calisti Pontificis, & suæ vitæ anno, Picininus Nicolai filius cum magna militum manu transmissus, procurante id potissimum Federico Vrbinæ, qui priuatis inimicijs Sigismundo erat infensus, bellum aliquandiu tractum est, viuentem Alfonso, & eo fati functo, cum filius æque ac pater Sigismundo indignaretur: ferebant subditi pro peccato domini supplicium, & impio superbiens pauper incendebatur: vastabatur ager tota Italia nobilis, quamuis tyranno subiectus, directo tamen iure ad Romanam ecclesiam pertinens: quod miseratus Pius Pontifex, ut ante retulimus, inter alias leges quas Ferdinando imposuit, regno Siciliae honestato, illam adiecit, ut pacem Sigismundo his conuentionibus donaret, quas Pontifex ipse dictaret. At cum Assisium recuperauit, hæc libertas restricta est, constitutumque, ut præscripto quodam modo pax constitueretur: aut si hoc ex Sigismundo obtineri non posset, compromissum remitteretur, quod liberum in Pontificem factum fuerat, cautumque ne ultra mensem Februarium potestas compromissi duraret. Additus postea Martius est, & Aprilis mensis: restabant ex compromissi tempore quattuor dies tantum, cum Pius Florentiæ fuit, nec regis procuratores aderant, qui causam agerent: aduenerant tamen Federici Vrbinæ, & Iacobi Picinini legati, ad quos rex id negotij remiserat. Iussit Pontifex quattuor cardinales audire partes, & ad concordiam reducere: frustra id fuit. Audiuit & per se ipsum Pontifex disceptationes, & iura partium, nec dubium erat quin reus proditionis Sigismundus esset: ventum est ad transactionem, ut delictum pecunia redimeretur: & cum illa deesset, oppignorarentur castella. Sed cum regis nomine multa peterentur, Sigismundus.

mundus pauca offerret, res propemodum desperata videbatur: legati victoriã in manu sua esse aiebant: Sigismundus nondum se victum affirmabat: passurumq. prius extrema quæque, quam ea traderet, quæ petebantur. Cumq. ferocius loqueretur: Tace, inquit Pontifex, generi tuo, non tibi studemus: populi tibi subiecti, non tui miseremur, qui pro tuo viuendi modo nil mereris. Et quamuis multis te verbis excusas, tua vita contra te est: stant pro te tantum maiorum tuorum opera, qui de Romana ecclesia bene fuerunt meriti. Hac de re pacare te hostibus quærimus: at si recedis à bono & æquo, in quo te gurgite reperimus, in eodem relinquemus: nec mirabimur si pauperes ad tempus permiserit diuina pietas affligi, vt tandem puniaris, & aut in bello pereas, aut perdito patrimonio miser in exilium eas. Territus his auditis Sigismundus consensit, quæ proxima concordia videbantur. Sed altera pars victorum more superba nihil mutari ex postulans voluit. Pontifex quamuis arbitrari posset de Sigismundo quæ vellet, indignum tamen putauit victoriam magis quam æquitatem respicere: diuq. adnixus est ex voluntate partium litem dirimere. Quod postquam non successit, & regi, & Sigismundo compromissum remisit, non satis intelligens bellum huiuscemodi, an pax rebus ecclesiæ magis conduceret: cum constaret Picininum quiescere non posse, veroq. simile esse liberatum eum Sigismundi bello, aduersus ecclesiã infestis signis iturum. Iudicauit igitur voluntatem Dei esse pacem non potuisse componi: idemq. Florentini existimarunt: quibus venisse diem placebat, in qua flagitiosus tandẽ homo meritas daret poenas.

De Austria & eius ducibus.

Inter hæc & legati Sigismundi Austriae ducis Pontificem adire, qui Suizeros propediem in armis dixerunt futuros, Austrialemq. domũ bello aggressuros. Id si fiat, magnam Germaniæ partẽ vexatũ iri, cunctosq. Præsulis cogitatus aduersus Turcas eo pacto perituros fore. Austriales familia apud Germanos nobilissima est, atque latissime dominatur. In ea quinque fuerunt imperatores, duo Alberti, duo Federici: quorum primus victus prælio cessit Ludouico Boioario: & qui prior his suscepit imperium, Rodolphus: qui non magnus in Sueuia comes, imperator electus aduersus Octocarum Bohemiæ regem, cui & Austria, & Styria parebat, bellum gessit, ac prælio, vt dictum est, superatum interfecit, & Austriam suis possidendam reliquit: quæ circa Danubium nobilis prouincia est, & alijs pluribus regionibus

A gionibus imperat. Olim quod est citra Danubium Norici & Pannonij tenuere: quod ultra Barbari partim Sarmatiæ, partim Germani. Nostra ætate tres Austriae principes fuere, Federicus, & Herneſtus, germani fratres: & patruelis eorum Albertus, qui eam partẽ fortitus est, quæ proprie Austria dicitur, in qua Vienna prisca Flauianũ dixere. Vrbs nobilissima, mercatura & liberalium artium schola illustris. Federicus in mōtibus regnavit, ex quis Athesis, & Enus memorabiles amnes defluunt salis & argenti mineris inexhaustis. Herneſtus Styriæ præfuit, quæ olim Valeria dicta est, ac Carinthiam, & Charnes vsque in Adriaticum sinum protendit imperium. Albertus Bohemis, atque Hungaris, & deinde Romanis imperauit, sed breui functus vita Ladislaum filium posthumum reliquit: qui editus in lucẽ, Romano dempto imperio, in ceteris regnis patri successit, atque apud Bohemos in adolescentia (vt fama est) veneno perijt. Herneſto duo filij fuere, Federicus, & Albertus; qui patre defuncto sæpe de successione armis contenderunt. Federicus Romanum imperiũ fortitus est, cui in hanc vsq. diẽ præfidet, varijs fortunę casibus actus. Federicus senior Sigismundũ impuberem filiũ reliquit: cuius tutelã Federicus gessit iunior. Attigerat hic iam duodeviginti annos: nec tamen de tutela dimissus est, nisi postquã

C prouinciales assumptis armis, magistratus, quos Federicus in vallibus Athesis Enique constituerat, eiecerunt. Tum quoque certis conditionibus emissus est, quæ sibi & suis grauissime visæ sunt, receptę tamẽ cum aliter Sigismundus libertatem consequi non posset. Hinc multę inter eum & Federicum subortæ contentiones, quę nondum sopiri potuerunt: cum alter male administratam tutelam diceret, alter non seruari conuenta quereretur.

D Sigismundi prouincię Suizzari contermini sunt, quos (vt diximus) ipse in Austriales arma moturos Pontifici significauerat. Suizzari quamuis in Gallia siti, Germani tamen lingua & moribus habentur. Montani vt feroces populi paruam olim vilam incoluere, quæ lacui Lucernensi adiacet euntibus ex Mediolano Basileã per alpem, quę sancto Gothardo dicata est: & hũc lacum nauigantibus vallis ipsa ad dexteram occurrit, quã vix homines quingenti incolunt, solis pecoribus abundantes. Inter hos & Austriae duces leues ob causas graues emerferunt inimicitia, quæ armis agitatae sunt: cumq. priores insultationes prosperæ Suizzaris euenissent, qui Austriales acie superatos, Leopoldum

De Suizzaris & eorum gestis atq. virtute, & Dalphinibello.

pdum gentis ducē interfecerunt: & animis, & amicis aucti sunt, adeo vt vicinorum montium accolæ, & oppida permulta in eorum clientelam transierint: quorum præcipua sunt, Lucerna, Sophinga, Balneum, Solotrum, Berna, & alia pleraque: quæ licet populosa & potentissima essent, vocari tamen Suizzari non recusarunt, quorum nomen à lacu prope Lemanno, & Rhodano fluuio vsque ad Brigantinas aquas, & flumen Rhenum protenditur, & ab alpihus Italicis Basiliensem contingit agrum: facileq. bellatorum triginta millia, vbi necessitas ingruit, expeditorum in armis habet virorum, qui fugere nesciant. Iustitiæ his hominibus præcipua cura: fures acriter puniunt, acrius latrones: hospitalitatem diligenter obseruant: sacerdotes honorant: religioni parent: pacē gaudent: & suo contentantur: bella non mouent, nisi irritati: ex prælio fugisse capitale est: eorum, qui cadunt in pugna, liberos atque vxores publice alunt: robusta his pectora, & insuperabiles animi. Aduersus Philippum Mariam Mediolani ducem transgressi alpes, non procul a Bellinzona infelici pugna decertarunt, quamuis cruentam victoriam hosti reliquere. Angelus Pergula eos deleuit: occisus est in prælio, magnæ staturæ vir, cuius cadauer Mediolanum delatum gigantis propemodum staturam præseferbat: cum Thuricensibus dispari euentu bellum gessere, cum illi societate eorum dimissa ad Federicum Cæsarem defecissent: nam circiter octingentos viros vnica pugna obruncauerunt: Austriales cladibus affecerunt, & partem agri illis ademerunt. Postremo in quinquaginta annis pax statuta: quæ tunc rupta est, cum Dalphinus Viennensis regis Franciæ primogenitus, magnis equitum copijs circumdatos Basiliensibus bellum intulit. Tunc enim Austriales subditi in spem erecti, Dalphini partes secuti, fœdus ruperunt. Miserant Suizzari quattuor millia militum auxilio Basiliensibus bello socijs, quæ manus, prius quam urbem ingrederetur, non tam virtute hostiū, quam sua temeritate cæsa est: quæ cū esset pedestris, aduersus ingentes equitū copias (vt postea dicitur) congregari nō dubitauit: nec tamē inulta cecidit, magna strage Gallorū edita. Abeunte Dalphino Suizzari Albertū Austriæ ducē bello persecuti sunt, & varia cum eo fortuna aliquandiu certauerunt. Postremo fessis partibus, & multo sanguine fuso, rursus pax in quinquaginta annos reintegrata est: non vt tanto tempore quies esset, sed quod supererat priorum annorum paci-

Angelus Pergula.

tranquillitatiq. cederet: neque hoc stare posse videbatur nouis litium subortis causis, & iam Suizzari veluti ferociores, & qui se se læsos crederent, bellum minabantur. Quod intelligens Sigismundus Austriæ dux, nec suis fidens viribus, ad Pontificem, qui bellum interciperet (vt ante diximus) oratū misit. Pius id minime negligendum ratus, notarium suum Stephanum Nardinū egregia virtute virum, quem postea Mediolanensi præfecit ecclesiæ, vt tātum incendium restingueret, in Germaniam misit.

Ipse Pontifex Florentia discedens, prima nocte in villa Cosmæ Florentinorum (vt ante dixi) facile primi, quæ est in Mugello pulcherrima, quieuit: sequenti die summum Apennini iugum transmisit: & in oppido, cui Florentiola est nomen, pernoctauit. Apenninus mons est altissimus, qui ab alpihus descendens vniuersam Italiam percurrit, à dextris Liguriam, Tusciam, Umbriam, Campaniam, & alias quamplures prouincias dimittens, à sinistris Galliam Cisalpinam, Flamineum, Picenum, Apurtium, Apuliam, & alias Italiæ partes respicit: ex cuius dorso fluentes amnes alij in superum, alij in inferum mare deuoluuntur. Quidam Apenninum à Pœno dictum putant, eo quod Pœnus Hannibal in eius transitu alterum oculum amisit. Illyrij summa montium iuga Planina vocant: hinc alij vocabulum paucis mutatis litteris receptum existimant, nobis neutrum placet, nominum interpretationem atque originem difficillimā iudicantibus. Si quid tamen coniecturari licet, non ab re fuerit, Apenninum quasi Alpinum per diminutionem appellatum arbitrari, vt est Italicæ linguæ modus. Florentiola dimissa, alterū Apennini iugum non sine labore atque incommodo Pontifex superauit: ac Planorium venit, Bononiensium legatis paulo ante Caprenum inuentis, vbi Florentinorum, ac Bononiensium terminantur agri.

Bononiam prius Boioniam dictam Galli quando Boi eiectionis occupauerunt: qui à Romanis pulsi transalpes migrauerunt, Danubioq. adiacentem agrum, atque omnem Oeni fluminis vallem possederunt. Inde Noricorum gente deiectionis retinuerunt non paruo tempore Boiorum nomen, deinde Boioarij, & postea Baioarij appellati sunt: nostra ætas corrupto vocabulo Bauaros vocat, quibus ab oriēte austriales occurrunt, ab occidente Sueuorum gens, qua in parte fuit ager Reticus, à meridie Italici mōtes, ab aquilone Francones, & Bohemi, quos Bo-

Apenninus mons quantus, & vnde dicatur.

De Bononia & Baioarijs & Xanto tyranno, & factionibus vrbis.

& cuius os dulce sonaret. Is non quod iussus erat, sed quod sibi placuit longo sermone differuit. Laudato enim Pontifice quantum sufficere arbitratus est, de Bononiensis agri fertilitate, de cæli clementia, de litterarum studijs, de templis, de moenibus, de priuatis, & publicis ædificijs multa pulchre locutus est. Inuentus autem in malos ciuitatis mores, leges parum custodiri, ac iuuenes nullis teneri frenis. Orare igitur, vt vrbs suæ curam gereret, daretq. operã, vt eliminatis vitijs, ciuitas tandē reformaretur, quando superũ ope eo hospes aduentasset. Quæ cum audacter atq. intrepide, & in modũ torrentis fluenti oratione depromeret, ciues qui aderãt, contra se magnopere excitauit, exteros in admirationẽ adduxit. Quis enim de sua patria quemquã talia dicturũ putasset? patriã omnes ignoscunt, cuius dedecus fũducunt. Pontifex facundiã eius, doctrinamq. laudauit, & ad reformandos ciuitatis mores suam operam est pollicitus, si tamen eum populum inueniret, qui coerceri legibus posset. Schola Bononiensis non apud Italos tantũ, sed apud exteros quoque clarissima est, multosq. viros erudiuit, qui postea sapientiã ciuili arcem tenuere, cum suorum ciuium, tum aliorum, quorũ commentaria vigorem quodãmodo legis habent. Nec philosophia hic sterilis fuit, cuius auditores adeo profecerunt, vt multis postea in locis cathedras rexerint: opinione sanctitatis duos ætate nostra memoria dignos nouimus, Nicolaum cardinalem sanctæ Crucis ordinis Carthusiensium professorem, & Franciscum Paruipassus, qui Mediolanensi præfuit ecclesiã. Ille Franchis Burgundos reconciliauit: iste in bello, quo Braccius hostis Ecclesiæ Romanæ cecidit, Martini Papæ vices gessit.

De Orlando præfule Florentino, & eius stulta morte.

Mansit Bononiæ Pius sex diebus, & in primo cõsistorio quod illic habuit, Orlandum Florentinum causarum sacri palatij auditorem, patriæ suæ præfulem designauit, qui rei accepto nuncio præ gaudio illacrymatus est: fuerat enim in omni vita pauper, verum doctus, & iustitiæ tenax: & quamuis de Pio bene speraret, nec tamen episcopatum vrbs alicuius ambiuit, satis se felicem arbitrabatur, si aureos quotannis trecentos ex minoribus dignitatibus consequi posset. At cum certior factus est, Florentinam sibi ecclesiam esse creditam, more hominum insanire cœpit, qui nunquam adeo sublimem gradum ascenderunt, quin altiora quærant: & tum miserrimi sunt, cum sibi felices esse videntur. Existimauit Orlandus non tam facile atque insperato

pontif-

A pontificatus sibi obuennisset, cardinalatum longe facilius obuenturum, tantum sibi de Pontificis beneuolentia blandiebatur: ad quam rem si non satis sua sponte insaniebat, necessariorum & amicorum verbis instigabatur, nihil de Pio desperandum esse dicentium, qui sibi absenti, & prorsus ignoranti archiepiscopalem mandasset honorem. Ille infelix adeo spem hanc arripuit, vt nunquam ad se nuncium ex curia venientem viderit, quin sibi allatum pileum existimaret, atque idcirco creatis postea cardinalibus, cum sui nullam mentionẽ factam intellexit, mœrore confectus morbum incidit, ex quo mortuus est. Pius amicũ occidit dum honestare contendit. adeo parum est quod mortalibus ex sententia cadit.

B Ipse deinde relicta Bononia per flumen Rhenum, & deinde per Padum Ferrariam petijt. Borsius eius loci pro Romana Ecclesiã Vicarius ad agri fines obuenn factus est, magno nobiliũ comitatu stipatus. Ferraria enim vna ex insulis Padi fluminis sita est, priusquam ciuitatis nomen sortiretur ecclesiæ Rauennati paruit. Ferunt Rauennatem præfulem tribus oppidis suis ex tribus metallis indidisse nomen Aureolum ex auro, Argentam ex argento, ex ferro Ferrariam appellasse, quæ fortior ceteris videretur. Smaragdus patricius, & Exarchus Italiæ primus hanc urbem muro cinxit, quæ vastantibus Italiam Longobardis in Rauennatum, Romanorumq. partibus constantissime perseuerauit. Victor Carolus Magnus inter alias Rauennatis exarchatus vrbes, Ferrariam quoque Romanæ Ecclesiæ, ac beato Petro dono dedit: persequentibus Ecclesiam nonnullis Germanorum imperatoribus, hæc vrbs ad eos defecit, sed Comitissa Mathildis fama excellens femina, Henrico tertio armis eam arripuit, Ecclesiæq. restituit, Salinguerra deinde priuatus ciuis suaũ marchionum Estensium, & auxiliante Federico primo perfidia vsus tyrannidem arripuit. Hunc Innocentius quartus Pontifex maximus expulit: paulo post marchiones Estenses introiere, qui cum annos octo & sexaginta regnassent, à Venetis sunt repulsi. Quos Pontifex maximus Clemens quintus marchionum Estensium rebus impensius quam par erat, fauens, extra communionẽ Ecclesiæ fecit, & bona eorum per Galliã diripi permisit. Cum neque hoc modo parere viderentur, misso legato armis Ferrariam aggressus est, victorq. ciuitatem recuperauit: ac marchiones Estenses, qui auxilio fuissent, & egregiam Pontifici operã in bello

De Ferraria, eiusq. origine, & qui in ea fuerint dominati, & Estensium.

nauassent: vicarios in ea constituit, qui postea in hoc vsque tempus Ecclesiæ censum præbuere. Eugenius quartus decem mille aureos, quos illi singulis annis Apostolicæ cameræ dissoluebāt, ad quattuor millia reduxit, & concilium Latinorū ac Græcorū in ea vrbe celebravit: quod eius opes mirum in modum auxit. Ij marchiones Francorum genus aliqui esse dicunt, neque Franciæ reges id negant, à quibus insignia liliorum acceperunt: alij ex Germania profectos, & Bauariæ duces fuisse asserunt & Saxonix. Tempestate nostra Nicolaus eius gentis princeps fuit, magno vir ingenio. Huic plures fuerunt nati, cum ex matrimonio, tum ex adulterio, legitimos pueritia exclusit, & magnitudo animi Leonelli ex concubina Senensi geniti, qui imperium arripuit, & regis Alfonsi filiam, & ipsam spuriam duxit vxorem, cū prius ex domo Gonzagæ legitimam duxisset alteram. Leonello successit Borsius frater eadem matre natus, filius Leonelli præteritus est, quia absens & ætate minor.

De Borsio, & eius moribus & ingressu Ferrariæ.

Borsius egregio corpore fuit, statura plusquam mediocri, crine pulchro, & aspectu grato, eloquens, magnificus ac liberalis. Federicum Cæsarem Romā euntem atq. inde redeuntē magnis honoribus ac donis persecutus fuit, à quo Mutinæ comitatū, in ducatū erigi, & se ducem creari (vt ante diximus) obtinuit. Vxorem nunquam duxit eo vt dicebant animo optimo quidem & Christiano, vt quod occupauerat legitimis heredibus tunc pueris imperium eisdem relinqueret. Vir quidem prudens & pacificus, iustitiæ absq. feueritate amantissimus, adeo quod ei viuenti statuum in foro erexerint, quæ sedens ius dicere videretur, titulis heroicis ac præclaris ornatam: œconomix ac venatui, quāquam difficillime coniungantur, operam dedit: coemit capillos pretiosos quamplurimos: & nunquam non gemmis ornatus in publicum prodijt: supellectilem domus ditissimam cumulauit: argenteis & aureis vasibus etiam ruri vsus. Is cum Pius electus est multa ostendit lætitiæ signa: ludos militares instituit, victoribus præmia proposuit: donauit nuncios, ignes tota in ditione sua incendi iussit, epulumq. amicis fecit, inter quos Pium sibi affinē esse gloriabatur: quoniam mater eius Senensis fuisset ex domo Ptolomea, quæ Picolomineæ sanguine iungitur: agebat quoque Deo gratias, qui cum sibi Pontificem dedisset, à quo nihil impetrare non posset. Neque id falso fuisset opinatus, si magis concedenda petiuisset. Ferrariæ enim se ducem creari petijt, & censum

A sum sibi remitti. Non est axauditus: noluit enim Pontifex Romanam Ecclesiam suo censu priuare: ducatum concessit tributo retento, quem ille contempsit, obtinuit tamen concessiones alias magni ponderis, sperauitq. maiores in dies accipere, atque ob eam rem, & quod aliorum exemplis admonebatur, summis honoribus Pium excepit, adnixusq. eos superare per quos iter fuerat habitum. In porta clauis vrbis Pontifici obtulit, pedestrisq. ad sellam eius inter portantes tamdiu profectus est, quod equum ascendere iuberetur, tecta pannis omnis via fuit, & strata floribus, per quam itum est ad maiorem ecclesiam adornatæ domus, & omnia plena cantibus ac personantibus erant, ac clamante populo, Pio Pontifici vita, cardinalibus & vniuersæ curiæ ministrata cibaria ex palatio, ludi multiplices exhibiti, orationes complures ab oratoribus disertissimis habitæ, celebritas hic sacratissimi corporis Domini acta est, solemnibus pompa per forum ducta, Pontifice populo benedicente, & hostiam immaculatam portante. Mansum est hic octo diebus, multa in secreto colloquio, pro negatis sibi petitionibus questus est Borsius, quæ Pontifex facile confutauit, retulit, & ad consistorium litem quæ contra episcopū suum haberet, & in arbitrio Pontificis posuit, qui cognito negotio pollicitus duci est quamprimum facultas adesset, episcopum ad aliam ecclesiam se translaturum, idq. Senis postea factum est: sponditq. dux in conuentu Mantuano se se minime defuturum, vt qui rem Christianam inter omnes qui viuerent confirmari maxime cuperet.

Guarinus Veronensis grandæuus & venerabilis senex, magister fere omnium, qui nostra ætate in humanitatis studio floruerunt, Pontificem adiit, dignamq. suo nomine, suisq. moribus orationem habuit. Adiit & Ioannes Aurispa Siculus, græcæ ac latinæ linguæ peritissimus, annum prope nonagesimum agens, qui paulo post mortem obiit. Fuit hic annus trium eloquentissimorum virorū dormitionibus insignis. Nam & Poggius, cuius antea meminimus Florentia, & Iannotius Manettus Neapoli ex hac luce migravit. Iannotius & ipse Florentinus fuit, vir admodum doctus, qui cum latinis græcisq. litteris, coniunxit hebræas. horum nemo de naturæ legibus conqueri potuit, septuagesimum cuncti annum excessere, & sortem vicere communē: iniurius est, qui plus sibi deberi censeat.

Relicta Ferrariæ aduerso Pado Roueriū nauigio petijt marchionis

G 4 chionis

De Guarino Aurispa, Poggio, & Iannotio oratoribus & eorū moribus.

Padifluminis origo & magnitudo.

chionis Mantuę oppidum, Padus in alpihus Coccijs ortum habet, omnemq. Galliam Cifalpinā percurrens multis annibus, quorum plerique nauigantur, in se receptis, quinque ofijs in Adriaticum mare defertur. Græci Eridanum vocauerunt, Eliadum fabulis, & Phaethontis incendio, cui restitisse creditur, memorabilem, eorum, qui sunt in Europa fluminū nulli cedentem, quāuis Rhenus, & Ister longiora dimensi spatia pluribus fluuijs augeantur. Nauigante Pio duo inter se classes concurrere, altera ducis, marchionis altera: illa Pium ferebat, ista ferre optabat: tubicines hinc, atq. inde omnes circum valles mirabili clangore replebant. Vexilla ventis agitata, instar siluę præferebant: accolæ in vtraque ripa confedentes Pontificis benedictionem exposcebant, ac benedicienti vitam acclamabant. Postquam marchionis in fines nauigatum est, & Pontifex noui hospitis nauigium intrauit, Borlius salutato marchione, & impetrata à Pio discedendi potestate, retro abiit. Secuta nox Rouerij peracta est, quo in loco regium palatium semiadificatum, structura & artificio singulare architecti ostendit ingenium.

De Mintio flumine, & Virgilij villa, de Mantuę origine, ac Mathildis dominatione, & Gonzagæ, & Ludouici præstantia.

Postera die ad ostium Mintij fluminis peruentum, & in stagnum vsque nauigatum: in cuius sinistro littore tumulus ostenditur magno honore habitus, in quo Maronis fuisse lares affirmant. Villa circum parua iacet, quæ tantum peperit vatem. Ab eo loco ferme milliario in prædio principis Pontifex pernoctauit, vt sequenti die urbem ingrederetur. Mintius amnis ex lacu Benaco defluit: stagnumq. efficit, quod Mantuam magna ex parte ambit. Ipsa vrbs in paludibus iacet, neque adiri potest, nisi pontibus, aut nauibus. Ampla est, & ingentis populi capax: multæ in ea splendidæ domus, & palatia regibus apta: verum æstate puluis, hieme lutum incolas molestat: populus perhumanus & amans hospitem: monasteria multa insunt virorum & feminarum, in quibus sanctæ degunt animæ. Aethriæci trans Apenninum, in Gallia, & vltra & citra Padum duodecim colonias condidere, quarum vnam fuisse Mantuam tradunt: opus nobile, Byanoris, Tyberini regis: & Mantinis filij. Multas hæc vrbs perpeffa est calamitates: nam præter illud, quod ait Virgilius: Mantua væ miserę nimium vicina Cremonę, & Hunnorum, & Gothorum, & Longobardorum, & Baioariorum armis inuasa Mantua, nunc diruta, nunc deiectis moenibus

A bus immunita prorsus relicta. Memorię proditum est, per tempora Caroli Magni sanguinem hic Domini nostri Saluatoris Iesu Christi miraculosum apparuisse: atque ad eum visendum Leonem secundum Pontificem maximum accessisse: qui rem cognouerit, atq. probauerit. Hic Carolus Caluus Magni filius veneno interijt, quod Hebræus medicus propinauit. Mathildis gloriosa mulier, cuius supra meminimus, huius olim vrbs dominatum habuit: qua defuncta multæ regiminis mutationes factæ sunt: & modo imperatores Germani, modo Romani Pontifices imperium tenere: postremo nobiles, quis Gonzagæ cognomen dedit, fauore populi ad principatum peruenere, eoque longo tempore potiti sunt. Primus eius familiæ dominatum arripuit Aloysius Gonzaga: cuius posterius adeo clementes habitus sunt, vt vicariatum vrbs à Romanis imperatoribus obtinuerint. Demum vero Ioannes Franciscus magno vir ingenio, & armorum gloria illustris, ætate nostra à Sigismundo Cæsare, cum Roma rediret, in Germaniam marchionatus honorē adeptus est: cui coniunx clarissima fuit Paula moribus & litteris excellens: cuius solertia monachi omnes, qui Mantuam incolunt, instituta patrum ad vnguem, vt aiunt, vsque in hanc diem custodiunt. Ex his ortus est Ludouicus, qui per tempora Pij Papæ huic vrbi præfuit, armorum & litterarum peritia clarus: nam & parentis gloriam militans adæquauit: & Victorinum oratorem audiens, præceptoris propemodum doctrinam assecutus est, mitis ingenij, & iustitiæ obseruantissimus. Vxorem duxit ex familia Brandeburgensi, Barbaram nomine, præstanti animo ac ingenio feminam, & quæ dominandi artem calleret: quæque viro prolem pulcherrimam peperit, quamuis gibbus & struma in nonnullis apparuit, postquam pueritiam exiuerit: quod in ea puella accidit, quæ prior Galeatio Mediolanensi desponsata est, propter quod repudiata in monasterio se clausit, forori cedens, quæ in locum eius subrogata est. Frequenter enim pulcherrimi eius familiarum pueri postquam adoleuerunt, deformes facti sunt. Felix alioquin domus, subditorum & vicinorum beneuolentia gaudens.

Ingressus est Mantuam Pius sexto calendas Iunij quinq. diebus ante præstitutum terminum. Ciuitas plena hospitem fuit: vicinarum urbium populi frequentes aderant: & Blanca Mediolanensium

De Blanca ducissa Mediolani, & Hippolyta filia, ac dignissima prole, & de ingressu Mantuæ in pompa triumphali, & Hippolytæ puellæ nomine pereleganti.

lanensium princeps affuit, Philippi Marię quondam ducis filia, tunc Francisci Sfortiæ coniunx magni animi & singularis prudentiæ mulier, & cum ea nobilissima proles vtriusq. sexus: matres quattuor nō alio aspectu quā missi è cęlo angeli, & desponsata filio Sicilia regis puella Hippolyta nomine, vultu moribusq. præstans, multæ insuper virgines & matronæ nobiles, & illustrium virorum comitatus. Blanca in suggestu apud ecclesiam maiorem apparato, & Barbara simul Pontificis aduentum expectauere. Qui pompam huiuscemodi ducens intrauit urbem. Præcesserunt seruitia curiæ, & cardinalium ministri, tum minoris ordinis curiales: exin equi candidi absque fessoribus duodecim frænis fellisq. aureis ornati: tum vexilla tria, in primo signū crucis resplenduit, in altero clauium ecclesiæ, in tertio quinque lunarum, quod est Picolomineorum insigne: & ea viri nobiles armis tecti, & phaleratis insedētes equis portauere: mox umbella secuta est rubro & croceo colore distincta, proximi sacerdotes urbis diuiti apparatu sacra ferebant: post hos regum & principum legati: tum crucē auream comitantes subdiaconi apostolici auditores palatii, scriniarij, & aduocati: his arcula iungebatur aurea equo albo vecta, & multis luminaribus circumdata, in qua condita fuit Eucharistia idest hostia Saluatoris sacrata, & siriceum desuper umbraculum: huic proximi Galeatius Mediolanensis, & Ludouicus marchio: & post eos cardinaliū venerabilis ordo: tum Pontifex ipse sella sublimi sedens, sacerdotali paludamento & onusta duitibus gemmis mitra fulgens, nobiliū procerum portatus humeris, benedicens populo incedebat: & iuxta eum cubicularij, & corporis custodes, episcopi & notarij, et abbates, & ingens prælatorū turba Pontificem sequebantur. In porta urbis Ludouicus equo defiliens clauis ciuitatis Pontifici obtulit. Idē fecere omnes, ad quos Pius in itinere declinauit, præter Senenses & Florentinos. A porta urbis vsq. ad ecclesiam S. Petri, quæ cathedralis est, nihil non tectum pannis fuit, & parietes vndique & floribus et auleis ornati: mulieres, pueri, ac puellę fenestras ac tecta compleuerant: nec tamen pressura defuit, cunctis aditibus populo occupatis. Altaria multis in locis incenso ture fumabant: nec alia vox audiebatur, quam populi clamantis Pio Pontifici maximo vita. Vbi ad ecclesiam ventum est, supplicationibus Deo factis, & hymno decantato, & annunciata cunctis qui aderant, plenaria peccatorum remissione, Pontifex

A tifex in amplissimo palatio exceptus est, & mansiones suas quifque petiere. Postridie Blanca, & Barbara Pontificem visiterunt: exosculatisq. sacris pedibus, spirituales, quas optauerunt gratias, impetrauerunt. Hippolyta Blanca filia latine coram Pontifice orauit adeo eleganter, vt omnes qui aderant, in admirationem adduxerit.




COMMEN-

COMMENTARIORVM

PII II. PONT. MAX.

LIBER TERTIVS.



De initio cō-
uentus, ac pii
ma Pontificis
oratione, &
Blancæ discer-
su.



ALENDIS Iunijs, quæ dies statuta initian-
do cōuentui fuit, Pontifex ex palatio cum
cardinalibus, episcopis, & omni clero ad
ecclesiam descendit, vrbis regionis ex om-
ni ordine iussis adesse. Res diuina solemn-
apparatu, & ingenti astantium deuotione
peracta est. Tum Coronensis episcopus vir
doctrina, & honestate insignis, sermonem
habuit: in quo & Pontificis propositum, & conuentus causam,
& necessitatem rei gerendæ explicauit: hortatus eos, qui adue-
nerant, puris & volentibus animis desiderium Præsulis adiuua-
rent. Pius autem ex folio suo, cum iam omnes assurgere vellent,
manu silentium indixit, atque in hunc modum effatus est. Spe-
rauimus fratres ac filij hanc vrbē adeuntes, frequentes, qui præ-
cessissent, regum legatos inuenire: pauci adeunt, vt videmus, de-
cepti sumus. Non est religionis cura apud Christianos, quantā
credidimus. Conuentionis diem longissimam statuimus: nemo
temporis breuitatem accuset: nemo viarum incommoda cau-
setur. Nos egritudine laborantes, & affectu senio, Apenninum,
& hiemē contempsimus: nec nos alma Roma remorari potuit:
quamuis medios inter latrones constituta, nostram præsentiam
magnopere desideraret: reliquimus Ecclesiæ patrimonium, nō
sine periculo, vt fidei catholicæ subueniremus, quam Turcæ pes-
fundare nituntur. Videbamus illorum opes in dies augeri, & ar-
ma, quæ iam Græciam, & Illyricum obtinuissent in Pannonia
grassari, & Hungarorum fidelem gentem multis afflictare cla-
dibus. Verebatur quod futurum est, nisi sapiamus deuictis Hun-
garis, & Germanos & Italos, & omnem prorsus Europam sub-
actā iri: quod absque religionis nostræ subuersione fieri nō pos-
set. Cogitauimus hoc malum auertere: indiximus hoc in loco
conuentum: vocauimus principes, ac populos, vt cōmuni con-
filio

A filio rem Christianam tueremur: venimus spe pleni, quam va-
nam fuisse dolemus. Pudet nos tantā esse Christianorum negli-
gentiam: alij delicijs indulgent: alios auaritia retinet. Turcæ
pro sua damnatissima secta non recusant mortem: nos pro san-
cto Christi Euangelio, nec subire sumptus, nec labores perferre
vel minimos possumus: si sic pergimus, actum de nobis fuerit:
peribimus breui, nisi alios assumimus spiritus. Ob quas res vos
hortamur viri religiosi, vt orationibus assiduis Deum precemi-
ni, Christianis regibus aliam mentem præbeat, sui populi ani-
mos excitet, corda fidelium incendat: vt iam tandem arma su-
B mentes iniurias vlciscantur, quibus religionem nostram in dies
Turcæ afficiunt. Agite fratres, agite filij: conuertimini ad Deū
toto corde: vigilate, orate, ieiunijs & eleemosynis peccata ve-
stra redimite, facite opera digna pænitiæ: sic enim placatus
Deus nostri miserebitur, & audētibus nobis hostes tradet in ma-
nus nostras. Nos hic tamdiu manebimus, donec animos princi-
pum exploremus. Quod si venturi fuerint, simul cum ipsis rei-
publicæ consulamus: sin minus, necessarium erit domum repe-
tere: eamq. sortem ferre, quam Dominus dederit. Verum defen-
dendæ religionis propositum, quoad vires vitaq. suppetant, nec
C deseremus, nec durum putabimus, si res petierit, pro nostris oui-
bus animam ponere. Exceperunt cardinales, & episcopi mira
attentione Pontificis verba, eiusq. mentē magnis præconijs ex-
tulerunt: ac rebus gerendis honestum putauere principium da-
tum, venia delictorum omnibus concessa, qui suam conscientiam
per confessionem rite purgassent. Blanca his visis admodum læ-
ta, cum plerisq. vicibus Pontificis alloquium obtinuisset, & ani-
mo suo abunde satisfecisset, se se virum, ac liberos Apostolicæ
pietati commendans, Deo deuota, Mediolanum redijt.

Post aliquot dies, cū pauci conuenissent, nec fama esset con-
D uenturos plures: spernebatur consilium Præsulis, qui tantum la-
boris frustra suscepisset: murmurare passim curiales de Pontifi-
ce, neque parcere calamo. Ij per Italiam, illi per Gallias, & ad
omnes Ultramontanas regiones epistolas missitare: qui per se-
ipso scribere nō auderent, aut amicis, aut seruis hanc prouin-
ciam demandare: venisse Mantuam absque consilio Pium, ora-
tores principum paucissimos aduentasse, pauciores venturos:
locum palustrem, atq. insalubrem esse, cuncta æstu feruere, neq.
vina sapida, neque res alias ad victum necessarias placere, egro-
tare

De varijs per-
uerisq. mul-
torum calu-
mnijs in Pon-
tificem, & dis-
suasione per-
seuerandi.

tare quamplurimos, febres admodum multos absumere, nihil audiri nisi ranas. Fuerunt & qui regi Franciæ litteras dedere, in quis consilium ad alium locum transferendū asseuerarunt, nonnulli prolatum conuentionis diem nunciauerunt. Accedentes autem nonnulli ex cardinalibus Præsulem: Quid agis? aiebant: frustra hic nos retines, nisi aere hoc perfitero nos paras interficere. Quin abis? venisti ad præstitutam diem: satisfecisti termino: principes domi manent, & te, nosq. contemnunt. Intellexerunt omnes curam tibi fuisse tutandæ fidei: sufficit honori tuo. Quis te arguat, si solus vincere Turcas nequeas? repetamus propriam sedem: si qui sunt, qui bene consultum rei Christianæ velint, non recusabunt te sequi quocunque ieris. Inter has voces constans atque immobilis perstabat Præsul: nec rumores ponebat ante salutem, Deo placere, non multitudini studens. Fuerunt & inter cardinales plerique melioris consilij, qui perseuerantiam suadebant, vt Bessarion Nicænus, & Ioannes sancti Sixti, Græcus alter, Hispanus alter: quidam, etsi aliud mente gerebant, Pontifici tamen blandiebantur, tanquam non inuiti manerent, qui abeundum dixerant: cum non impetrassent, per vicina castella dilapsi, vrbis æstus euitauerunt. Aquilegiensis sub specie lauandi apud balneas, Patavium petijt, deinde Venetias profectus est: quibus in locis aduersus cardinalem sancti Marci multa molitus, ne Patavinam consequeretur ecclesiam: de conuentu Mantuano non bene loquebatur, quæcunque illic agerentur, extenuans.

De Peloponneso siue Morea, eiusq. situ: & Despoti legatio, ac Pij & Blanca præsidio ad eam misso, & Demetrii perfidia.

Dum hæc aguntur, legati Thomæ Despoti Moreæ præsulem adeunt. Hæc olim prouincia Peloponnesus dicta est, & arx quondam Græciæ habita: formam Cheronesi habet: Aegæi, atq. Ionij pelagi fluctibus illiditur. Hic nobilis Corinthus fuit, & Delis ludorum memoria insignis: & vetus Lacedæmon Agamemnonis, & Menelai sedes, qui rapinâ Helenæ vindicantes Ilion deleuere, & vetustiores Argi & Nestorea pilus. Hæc olim præclaræ vrbes fuere, nunc sine nomine iacent, præter Corinthum, cuius ad Isthmum nonnullæ visuntur reliquæ, & Corstellū Argos. Occupata per Turcas Constantinopoli, vt ante diximus, & interfecto Constantino Paleologo gentis imperatore, fratres eius Thomas, ac Demetrius huc se receperunt: & modo Turcis penderunt tributum, modo arma in eos verterunt, Latinorum auxilijs, & loci munitionibus freti. Exin orto inter eos dissidio,

Deme-

A Demetrius Turcarum partes secutus est, filiam suam Mahumeti despondit: Thomas auxilio Albanorum, qui Peloponnesum frequentes incolunt, & fratrem magna regni parte multauit, & Turcas qui arma in se verterant, prælio fudit, captiuosq. multos cepit: ex quibus sexdecim per legatos quos diximus, Pontifici dono milit, auxilium secundis rebus efflagitans: nec magno exercitu opus esse dicebat: Italorum paruam manum sufficere ad eiiciendos Peninsula Turcas. Re in senatu discussa, placuit trecentos illuc pedites mittere: Blanca Mediolanensium centum suo çre conduxit: Pius reliquos, quamuis non probaret ceptis ingentibus tam debile fundamentum apponi: Bessarioni noluit denegare, cui ea res cordi erat. Cuncti Mantuam ad Pontificis pedes se contulere, egregie armata, & robusta iuuentus. Ianonus Cremonensis his præfecit, quos Blanca delegit, pedestriū copiarum non ignotus ductor: alijs Dotha Senensis, propter ciuiles discordias patria extorris, qui suscepta benedictione per Padum Rauennam petiere. Dein terra profecti apud Anconā ingressi mare, felici vento in Peloponnesum nauigauere: vbi comiter à Græcis excepti, Patracensem vrbem primo congressu expugnauere. Verum dum alia quædam summa contentione oppugnant oppida, seu virtutis æmulatione, seu prædæ cupiditate inter se dissidentes, incepta reliquere: dispersique milites in diuersa cum dedecore abierunt: infaustum rebus gerendis omen.

Inter hæc grauissima Germanos exagitare principes discordia cœpit: Ludouicus Baioariæ dux auro, & amicitijs potens Verdeam imperiale oppidum armis inuaserat, atque in deditio nem acceperat. Id ægretulit Federicus imperator, iussitq. marchionem Albertum Brandeburgensem arma capere, & insolentiam Ludouici compscere, quem declarauerat hostem. Paruit non inuitus Albertus, qui alioquin propter iudicium Noremburgense Ludouico erat infensus: vocati vtrinque amici sunt.

D Alberto Saxonæ duces, comites Vitembergeres Maguntinæ, Bambergensis, & Herbipolensis ecclesiarum præsules, & ciuitatum, quas vocant imperiales, pars maior arma coniunxerant: Ludouicum sequebatur Federicus comes palatinus, & non pauci suæ familiæ principes. Iam vexilla imperij Albertus dux belli designatus acceperat: iam vndique arma & auxilia concurrerant: nec dubiū videbatur, quin superior Germania omnis rueret in ferrum. Incendium atrox, & nulli parsurum excitabatur:

hinc

Germanorū dissidia, & Suicentium pax legati opera confecta.

hinc Federico imperatore, illinc Baioariæ ducibus bellum ciuitibus. Quæ res magno mœrore Pontificem affecit: cum & rem fidei hoc modo perituram, & nobilem Germaniam exustum iri animaduerneret. Querele Germanorum ad eum vndique deferrebantur, asserentium nisi Papa succurreret, alium esse neminem qui tantum ignem restinguere posset. Nationis principes bifariam diuisos, alios Cæsarem, alios Baioarios sequi: qui belli experti essent, minus idoneos pacis ministros esse. Anxius inter hæc Præsul felici nuncio recreatus est, quod apud Constantiam Nardini legati sua opera inter Eluetios, & Austriæ duces, Albertum, & Sigismundum ita compositæ res fuerant, vt restituta ducibus Rapisuilla, in quinquagesimum annum dicta pax olim seruaretur, cuius adhuc tres anni restarent: medio tempore cum Pio Pontifici maximo, & Carolo Franciæ regi placeret, dies inter partes constitueretur, ad quem cum legati, aut in Constantia, aut in altero vicino loco conuenirent, de controuersijs suis regis, & Papæ arbitrio iudicium recepturæ. Qua re cognita iussit Pontifex Nardinum propere Norembergam petere; quod eo in loco Germanorum principes conuenturi essent, collegasque illi dedit, Spirensis episcopum, & Henricum Semfeben aulicum suum: qui summo conatu Germanorum animos ad concordiam traherent, belloque priusquam initium caperet, finem imponerent. Conueniant iam Norembergæ Ludouicus, & Albertus belli futuri duces amicorum stipati gregibus, Sigismundus & Albertus Austriæ principes, & cum his Ioannes episcopus Estetensis, ac Magister Alamanicæ ordinis Putrenorum, qui tanquam pacis arbitri, illos accersierant. Verum legatis Papæ plus fidei atque auctoritatis inerat, minus suspitionis. Concordia pluribus diebus quesita est difficilis, & prope desperata res fuit, animis partium ira succensissis, & ad bellum paratis. Albertus quattuor & viginti millia militum expedita in armis coegerat, plenusque victoriæ spe maiora belli quam pacis emolumenta sibi persuadebat. Ludouicus, etsi non tam pugne accinctus erat, munitionibus tamen locorum ferre hostis impetum, & auri diues propediem maiores se copias habiturum non dubitabat: cum obstinatius vtraque pars detrectaret pacem, accedentes conuentum Apostolici legati locuti sunt. Sepe & multum, illustres principes cohortati sumus, vt depositis odijs in pacem coeatis. Vobis plus cordi bellum est: vastare agros, villas incendere, vrbes delere, Christianum sanguinem fundere

Oratio legatorum Pontificis ad Germanos de pace, eiusque confessione, & Palatini perti-

A fundere paratis: non iura propinquitatis, nec patriæ caritas, non religionis zelus vos retrahit: non cedes innocentium, non virginum raptus, non adulteria matronarum, non ecclesiarum incendia, non alia prope infinita mala, quæ bella pariunt, horrere videmini, furore atque ira pleni non cernitis Christianæ reipublice vulnera, quæ vestra inferunt odia. Pius Pontifex maximus melius intuetur, qui nobilis Germaniæ misertus, ferre non potest tot viros illustres, tot fortia pectora, tantum Christiani robur exercitus in se se ferrum stringere. Intelligit sapiens Præsul Germanorum calamitatem; Turcarum felicitatem esse; tantumque vires illorum crescere, quantum vestræ diminuantur: atque illorum ferocitati vestro dissidio portas in Christianos aperiri. Dolet vicem vestram, dolet communem cladem, dolet hoc pacto Christianam fidem conculcatam iri. Facit quod sui officij est: Christianos in concordiam reuocat, ne sanctum Euangelium detrimentum substat: suumque est prouidere, vester est communis pater, & iudex, & catholicæ caput Ecclesiæ: cui qui resistit, Dei ordinationi resistit, & mancipium se diaboli facit. Cupidus Christianæ quietis iubet vos Pius arma deponere, quæ vestra in viscera stringere paratis: & fraterna pace composita, aduersus fidei hostes de bello cogitare: nisi hæc agitis, extra Ecclesiam vos faciet, & in omni dititione vestra sacris interdicit: eritis gehennæ filij, Deo, & hominibus infesti, & omnis vestra posteritas infamia notabitur. Diximus quæ sedes Apostolica iussit: deinceps innoxij sumus à vestro sanguine. His commoti principes, paulo post concordiam iniere, cuius hæc formula fuit. Facestant inimicitia: pax ex integro redeat: Verdea Imperatori restituatur: iudicium Norimbergense Alberto liberum esto. Ludouicus arbitrio Imperatoris plectitor: aut Pij precibus absoluitor. Federicus Palatinus viduæ quam frater reliquit, auri quindecim millia nummum, quamprimum dissoluito: & deinceps quoad vitam duxerit, tria millia quotannis capiato. Ecclesiæ Maguntinæ chi rographum nouem millium aureorum, vi extortum reddito. Fœudum Berzabrensis oppidi ad naturam suam reducito. Stephardum comitem sub publica Imperatoris fide captum, libertati dimittito. Reliqua quæ compendia restant, in festo sanctæ Crucis Norembergam iterum conuenientes arbitri, decidunto. His compositis, exercitus hinc, atque inde dimissi sunt, & data dextera. Non interfuit conuentis Federicus Palatinus, nec oratores,

tores eius assensum præbuere: verum Ludouicus Baioariæ, & Albertus Auftriæ duces, itemq. Ioannes episcopus Esterensis factum illum, quæ iussus esset, in se receperunt. Federicus autem, ubi res compositas accepit, litteras in hunc modum ad Ludouicum dedit. Federicus palatinus, Ludouico duci salutem. Dextram inimico dedisti: eamq. pacem amplexus es, quæ te, & nostram familiam inhonestet: timuisti ferrum, & exertos expectare gladios horruisti: & amator videri vis. Et quæ mulier deinceps amare te poterit: sæculi nostri dedecus, & Baioariæ domus, aut rescinde conuenta, aut me hostem habeto, longe ferociore Alberto. Quæ meo nomine promisisti, scito me neque precibus, neque vi facturum. Vale. His receptis illacrymatus est Ludouicus: & pænitentia ductus causas quærere cœpit, quibus pactâ dissoluere fidem posset. Federicus ipse missus ad Pontificem Bernardo Hembersteinensi comite, multis se rationibus excusatum reddidit, quod apud Mantuanum conuentum, vt ante pollicitus fuerat, pro suo desiderio non accederet. Exin causas adiecit, cur pacem Norebergæ compositam sibi onerosam, & minime amplectendam putaret, iudicium eius litis, aut in Imperatorem, aut in Papam referens.

De varijs legationibus orientaliū, & perfidja Bosnensiu in pro-
cedenda Sinderouia.

Interea legati ex Cypro, Rhodo, Lesbo, ac nonnulli ex Asia præsto adfunt. Tum vero Albani, Epirote, Bosnenses, & omnia ora Illyrici missis oratoribus auxilium petere: & iam frequentes tota vrbe apparere ex Oriēte homines, qui aduersus Turcas opem efflagitarent: hinc ortū verbum Orientales, quos Leuantes vocant celeres, ac solertes esse: Occidentales, qui Ponentes nominantur, & pigros, & inertes: quod perinde est ac si dicas morosi, & difficiles sunt, qui opem ferant: diligentes, qui petant: ab occiduis namque partibus, auxilia expectabantur, atque inde pauci aduentabant. Ab Oriente nulla legatio non querula venit. Ragusei tantū pro suis facultatibus auxilia in Turcas promiserunt. Rex Bosnæ, quamquam Turcis clam reconciliatus esset, legatos tamen ad Pontificem misit aduersus illos opem flagitans. Regnum Bosnæ in montibus situm Rascianis, Hungarisque coniungitur. In eo multi sunt Manichei, qui etsi Christiani videri volunt, longe tamen absunt à Christi lege, blasphemi homines, & erroribus pleni: aduersus quos sanctus Aurelius Augustinus librum scripsit. Ragusei, & Trigurienses ad littus Adriaticum maris iacentes vicini sunt Bosnensibus, quos Illyricā fuisse gentem

Atem non est ambiguum. Hos Croatini, qui & Dalmatæ sunt Orientales, & Boreales habent. Sicut Romani quondam suos principes, vel Cæsares, vel Augustos vocauere, Aegyptij, vel Pharaones, vel Ptolemæos: ita & Bosnenses suos reges appellaerunt Stephanos: quorum qui legatos Mantuam misit, vaser homo fuit, & inconstantis animi. Is paulo ante ad Matthiā Hungariæ regem profectus interuentu Ioannis sancti Angeli cardinalis Apostolici legati, foedus cum eo inierat: multa in Turcas pollicitus, plura mentitus. Rasciani per id tempus Turcarū impetum ægreferebant: ob quam rem passus est Hungariæ rex, vt **B** Sendorouiam oppidum apprime munitum, & ad ripam Danubij situm, Stephani filius defendendū acciperet: qui paucis post mensibus quàm intromissus est, accersitis Turcis magno auri pondere oppidum vendidit. Quæ res non minus Hungarorū animos fregit, quàm perdita olim Constatinopolis. Est enim Sendorouia porta quædam ex Rascia in Valachiam, ad bellū Hungaris inferendum opportuna: quo in loco multæ sunt naues ad fluuium transeundum, & in alteram ripam descensus facilis. Verum prius legati Bosnenses ex Mantua recesserunt, quàm proditio innotesceret, quæ ad legatos Hungaros primum delata est. **C** Ij fuerunt episcopi duo Cenadiensis, & Segniensis: & cum his Stephanus Croatiae comes ab origine Romanus, Frangepania gente, quæ sanctissimum olim Pontificem Gregorium produxit præsulum decus, ac norma: & Taruisinus quidam doctor, cui postea Pius apud Dalmatas episcopatum commisit.

Cum iam legati regum, principumq. conuenire cœpissent, magna de sedibus orta contentio est: nec reges regibus, nec duces ducibus cedere, locum sibi quisque in confesso primum arguere verbis, nutibusq. contendere: quod ne rebus gerendis officeret, Pontifex legem edidit, ne vel postpositi detrimentum, vel prælati lucrum honoris iurisve aliquod ferrent: nec tamen hoc pacto pacari omnes potuere, sicut postea dicemus. Nec ordo episcoporum consuetudinem Romanæ curiæ animo ferebat æquo, quæ notarios Apostolicos anteponebat. Contra plurimi morè curiæ sacram esse legem, & nullo mutandam pacto censebant, scandalum ingens futurum, & orbem quodammodo ruiturum affirmantes, si quid aduersus notarios statueretur. At Pius altitudinem episcopalis eminentiæ animo voluens, qua nihil est in Ecclesia sublimius, & quod ipse Romanus Præsul Iesu Christi

Lex lata de contentione præsentia, & episcoporum aduersus Protonotarios prælatione.

zelo teneretur tuendæ atq. ampliandæ religionis: nō esse mutam mentē: quantū legatio eius affirmaret stare propositū, vultumq. principis vtinā venisset quemadmodū spem dederat: cognouisset profecto quanti fieret apud Apostolicā sedē. At retentum domi nouarū metu rerū venia dignū fore: & præsertim tot viris excellentibus, qui suam vicē agerent emissis. Collaudauit, & Cliuensem ducē, qui longissimo & laboriosissimo itinere ad eum conuentū se contulisset, in quo de seruanda religione agendū esset, quā Turcæ passim dilaniarent: fecisse enim quod suum erat: atq. vt principē Christianū, quæ sunt digna principe procurasse. Quod si reliqui pari studio tenerentur, neq. Christianis insultarent Turcæ, neq. sepulchrū Domini Saraceni custodirent: facturū fortasse Dominū misericordiā cum populo suo: & exemplo Philippi ducis, atq. Cliuensis, Christianos alios commoturū: mēdacesq. redditurū qui Mantuanū contemnētes conciliū, cūcta quæ fierēt in eo derisorijs verbis extenuarēt: reliqua in alios dies reseruanda esse: atq. his dictis concio soluta est. Cardinalis Eduensis ducē Cliuensem ad hospitium vsq. suū, honoris causa secutus.

De discordia Cliuensis ducis cum Coloniensi præfule Sufatensium & Xantensium causa.

Huic duci multa odia, & plura fuerūt prælia aduersus Theodoricum antistitē Coloniensem, causa belli Sufatū magni nominis oppidū, quod ab Ecclesia Coloniēsi deficiēs dux tutandū recepit. Sufatū in Vesfalia sitū est, lata & nō ignobili terra: in qua latrones facilius quā stultos inuenias. Iacet Vesfalia inter Rhenum, & Visurgim amnē: eam interfecat Amasia fluius, qui ex montibus oritur, quos Anobos Claudius Ptolemæus appellat, & Vesfaliā ab Hassia disiungunt. Ex hac olim prouincia Longobardos exisse compertū habemus: qui peragrata Germania in Pannoniā migrauerunt: & deniq. vocatu Narsetis Iustiniani Cæsaris eunuchi Italiā inuasere, à quibus in hāc vsq. diē Longobardia nomen habet, quæ olim Gallia Cisalpina dicta est. Traiectensium agri, & stagnantes terræ Vesfaliā ad Septentrionis orā concludunt. Habet Vesfalia nomen ducatus, qui ad ecclesiā Coloniensem iure fœudi pertinet, vbi nunc Sufatū est. Pauper quondam villa fuit, quam annos supra sexcentos Coloniensis emit episcopus: & cum diu postea conflueret ex populo mirū in modum coaluisset, successores cinxere moenibus, & ad ius oppidi reduxere. Quod cū aliquoties rebellasset, armis euictū est, & ad obedientiā redactū. Verum sub Theodorico præfule grauior rebellio facta: propter quā non paruo tempore in curia Federici Cæsaris litigatum

A gātū est: sed cum damnati Sufatenses iudicia eluderent, Theodoricus ad arma recurrit: vocatisq. in auxiliū Bohemis, & maximis copijs congregatis, Sufatensem agrū ferro & igne vastauit, ipsamq. urbē durissima cinxit obsidione: illi ad Cliuensem ducē defecere, cuius paulo ante fecimus mentionē. Cliuense oppidū in Belgia sitū est, populo plenū & nobile. Sigismundus imperator Ducalē in eo dignitatē crexit, cū esset antea Comitatus: agrū habet non admodū latum, verū diues & frugū ferax. Insula Rheni duci paret, quā Bataui quondā incoluerāt. Viri bellicosi atq. adeo robusti, vt armati Rhenū tranarent. Ex his Cliuensis militem legit: obsessisq. Sufatensibus auxilio misit. Coloniensis, etsi omni tormētorū genere aggressus est oppidū, atq. ad motis schallicis muri partē ascendit, expugnare tamen nō potuit, oppidanis cū præsidio ducis summa vi resistentibus. Diu ducta obsidio est, & multi mortales periire. Cliuensis vt à Sufato cladē auerteret, in Coloniensis ecclesiæ subditos duxit, Theodoricus ab obsidione recedēs in Cliuensem agrū se conuertit, atq. alter alterius incendit agros. Sufatense oppidum est non procul à Cliuis, cuius pars altera ad ecclesiā Coloniensem spectat, ad ducē altera: in eo nobile fanū habetur Helenæ Constantini matris opus, cuius præpositurā Pius obtinuit cū cardinalis esset: ad Pontificatū assumptus, nepoti reliquit. Hoc oppidū Cliuensis iure belli ad se totū traxit: Coloniensis pleraq. alia, quæ Cliuensis erant armis euicta in deditiōne accepit: exarsitq. bellū atrox, quod magno partium detrimēto tam diu ductū est, donec Nicolaus Pontifex maximus, missis legatis arma deponi iussit. Nicolaus S. Petri, & Ioannes S. Angeli cardinales pacē in hunc modū composuere. Arma vterq. ponito: captiuos dimittito: occupata seruato, donec causa cognita, Nicolaus cū consilio Philippi Burgundiæ ducis litē dirimat. Agitata est causa longo tempore: testes in partibus auditi: dicta eorū ad curiam missa: consiliū Philippi habitum: nunquā tamen viuentē Nicolao sententia ferri potuit: tot fuerūt intercessores, qui iustitię cursum impedirent: neq. sub Calisto tertio iudicio locus fuit. Apud Pium cū legati Colonienses administrari sibi iustitiā petuissent, non censuit Pontifex relinquenda esse nobilis ecclesię iura: sed admonendos Sufatenses, ac Santenses, vt ad dominū suum aliquando redirent. Illi scriptis apostolicis, & quæ comminabantur plane cognitis, Cliuensem adeunt: parumq. sibi fuisse dicunt materiali gladio vicisse,

si sp-

si spiritali mucrone feriantur: vereri se apostolicum anathe-
 ma: nec sacris carere posse, quibus interdicturus esset Pontifex,
 nisi ad priorem dominum redirent. Commotus his Cliuensis cū
 Mantuam petiuisset, nihil de republica tractare voluit, prius
 quam rei suæ consulere: iniuriatum sibi Pontificem asserens,
 qui & si apostolicis litteris pollicitus fuisset aduersus se prius
 quam vocaretur nihil acturum, nihilominus non vocato eo, Su-
 fatenses, ac Santenses redire ad Coloniensem ecclesiam sub cen-
 suris grauioribus commonuisset. Pontifex seruatum esse promif-
 sum ait. Non enim Cliuenses, aut ei subiectos monitorio com-
 prehendi, sed Sufatenses atq. Santenses, quos ad Coloniensem
 ecclesiam pertinere exploratissimum esset: ipsum præterea mo-
 nitorium vim vocationis habere. Cliuensis contra, hos suos esse
 subditos contendere, qui iusto bello in sua iura venissent: insta-
 re, vrgeri, vt monitorium tolleretur: nisi hoc impetraret, abitu-
 rum se retro dicere: nec de re fidei quicquam acturum. Superba
 ducis verba, & aliena videri, quæ prodirent ex ore nobilis prin-
 cipis. Aderant & legati à Coloniensi antistite missi, viri præ-
 stantes, quorum princeps fuit Robertus nobilis comes Firmem-
 burgenfis, vir forma egregia, & moribus prudentiaq. singula-
 ris, nondum quinque & viginti natus annos. Qui postea cum
 domū rediret, magno suorū damno, & Theoderici maiori mœ-
 stitia non longe à Basilea diem obiit. Hic multa de iure Colo-
 niensis ecclesiæ in medium adduxit: Cliuensem peruersæ atque
 inique agere, qui cum esset ecclesiæ vasallus, & inter parochiam
 natus, aduersus matrem, & dominā suam arma sumpisset, neq.
 imperio paruisset, neque Deum veritus fuisset: pœnas eum inci-
 disse, quæ aduersus fellones & dominorum suorū proditores
 statutæ sunt: egregias suas virtutes nunc apparere, qui missus
 ad respublicas, priuatas agitatur: faciendum ergo quod petijt: iudi-
 cium in eum de priuata causa reddendum, id Coloniensi anti-
 stiti grauissimū esse, æquitatis & iustitiæ cupido. Pontifex con-
 cordiam, atque iustitiam Cliuensi proposuit, vtrum vellet. Ille
 plane intelligens nec vno, nec altero modo se tutum esse, Pium-
 que omnia facturum quæ vellet, antequam se rebus, ad quas ve-
 nerat infectis, dimitteret: vtrumque negauit. Erat in eo institu-
 ta res, vt vel iustitiæ partes ad tempus negligere oporteret, vel
 contentum absque fructu dissoluere. Siquidē retrocedente per
 indignationem Cliuensi, nec Veneti, nec alij multi ad conciliū
 venturi

A venturi erant: eam occasionem, per quam domi honeste rema-
 nerent, cupide arripientes. Anxius Præsul, atque incertus quid
 ageret, etsi grauissime ferebat ius postulanti negare, non tamen
 adeo periculosum existimauit iudicium suspendere, quam fidē
 catholicam indefensam relinquere. Consueuerunt enim Romā
 ni præsules, vbi iustitia sine publico scandalo ministrari non po-
 test, tam diu dissimulare, donec temporis opportunitatem ca-
 piant: neque id legum conditores verant: semper enim maiori
 malo est occurrendum. Reuocauit igitur monitorium, Cliuen-
 si vt morem gereret, promittens Coloniensibus id denuo conces-
 surum, postq. fidei negotia suum cursum accepissent: idq. Atre-
 bas episcopus clam suis Pio suavit. Quibus peractis ad publica
 transitum est.

Interrogati Cliuensis atque collegæ quid consilij, quidve au-
 xilij Philippus afferret, se missos à suo principe dixere, vt audi-
 rent Pontificis mentem: exin cogitata Philippo referrent. Rur-
 sus dicere iussi, Philippi sæpenumero inter amicos de proposito
 Pontificis cogitasse affirmauerunt: quod quamuis sanctum es-
 set, difficile tamen & pene impossibile videretur. Gerendū enim
 in Turcas bellum maximas vires exposcere, qui victoria in mul-
 tos annos potiti, auctoritate fama q. ipsa apud Christianos ter-
 rori essent. Maiores quoties in orientales duxere, ex Gallia, Ger-
 mania, & Anglia copias quæsiuissent: has prouincias, aut dome-
 sticis agitari discordijs, & ciuilia inter se arma vertisse, aut cum
 finitimis de agri possessione certare: pacandas prius esse: bellū
 deinde Turcis indicendum: male in externos ferrum stringere,
 qui domi cum suis ciuibus contenderent: Philippum vt concor-
 dibus principum animis bellum decernatur, ea facturum, quæ
 Pontifex iusserit. Pius ad hæc non se ignorare ait ad superandos
 Turcas magnis viribus opus esse, atque idcirco euocatos ad con-
 ciliū Christianos reges, vt communibus auxilijs expeditio fiat.
D Valere Turcas & armis, & ingenio, aliquanto tamen minus,
 quam fama ferret, qui cum vna Hungarorum gente per annos
 septuaginta varia victoria contenderint, claritatem adeptos,
 Græcorum ignauia, quos inermes atque effeminatos vicerint.
 Quod si Germanorum, Gallorum, Italarum, aut Hispanorum
 arma tentauerint, cum viris sibi pugnandum intellectu: pu-
 dere se tam foedam gentem Christianis esse timori, qui omnibus
 olim timorem incussissent: salubre consilium Philippi, qui com-
 ponendas

Mandata Bur-
 gundi, & Pij
 confutatio di-
 uina.

ponēdas eas censeret regiones, ex quibus essent legendi milites: A
 fateri quod diceretur, raras in orientem pro tutela religionis ex-
 peditiones sine Francis ductas: propriumq. Francorū videri bel-
 lare pro fide: daturum se operam, vt lites inter Francos, & An-
 glos componantur: ac Germanorum quieti consulturum. Verū
 hęc longum exposcere tempus: mittendos legatos, vocandos ad
 communem locum diffidentes ex longinquis regionibus: tra-
 ctandum, suadendū, artibus diuersis vtendum. Nam quo pacto
 diebus paucis multorum annorū tollerentur odia? Interea Hun-
 garos propemodum exhaustos bello perituros: his Turcas im-
 minere: neq. dubium quin proxima estate omni conatu in eos
 ducant: iam Rascianos sentire cum eis, & Bosnensium defectio-
 ne Sinderouiam occupatam: qua copiæ per Danubium facile
 trajciantur. Si cedat Hungaria Turcis, & in Germaniam, & in
 Italiam patere illis apertam ianuam, viresq. pene adduplicari:
 nec ambigendum, quin Hungari à reliquis deserti Christianis
 aut deleantur, aut societatem cum hoste iungant: vtrumq. perni-
 ciosum. Ponenda ante oculos exempla veterum Hunnorū, Go-
 thorum, Longobardorum, aliorumq. Barbarorum innumera-
 biles fere irruptiones per Pannoniā, quę nunc appellatur Hun-
 garia, sæpenumero in Italiam ac Germaniam factas, quę dein-
 de ad Gallias, atque Hispanias penetrarunt: cauendum ne hac
 tempestate idem fiat: quando certissimum sit, Turcas ad occi-
 dentis imperium aspirare, occurrendum esse dum vinci possunt:
 & antequam Hungaros sibi subijciant: neque tanti faciendos,
 vt insuperabiles videantur: occidisse apud Albam triennio an-
 te ipsorum exercitum, Christianorumq. impetum ferre non po-
 tuisse: cū tamen armati aduersus inermes, & multi aduersus pau-
 cos cruce signatos præliarentur: virtutem Christianam semper
 Turcis fuisse formidini: neque vnquā succubuisse, nisi aut frau-
 de deceptam, aut vincendo defatigatam nimia multitudine cir-
 cumuentam, aut Domino Deo nostro super nostris iniquitati-
 bus indignato. Quod si comparentur vires, non solum Christia-
 nitatem, quæ tot latissimis prouincijs continetur, sed Italiam
 solam, si concors fuerit, ad delendos Turcas sufficere. Nihil tam
 illis prodesse, quam Christianorum inter se odia, qui se inuicem
 laceffentes priuatas potius iniurias, quā publicas vlciscerentur:
 & domesticos fidei acrius quam hostes persequerentur: neque
 iam hoc tempore sperandum vel Francos, vel Theutonicos, aut
 alios

A alios collectis copijs expeditionem in Turcas ducere, qualem,
 aut Gotfredus, aut Corradus, aut alij complures in hostes fidei
 duxere: quando nemo regū inueniatur, qui non vicinum, & re-
 linquere vacuam domū timeat. Quæ quamuis ita se haberent,
 non tamen de communi salute desperandum, neque focijs auxi-
 lia deneganda: patere viam, qua possit Hungaris subueniri, mo-
 do principes velint: conandum esse summo studio, vt diffiden-
 tes inter se reges, missis legationibus, in pacem cœant; eoq. fa-
 cto generalis expeditio decernatur: interea, cum id longum ef-
 set, Hungaris auxilia mittenda ex milite, qui æquali contribu-
 tione facta diligeretur. Neque enim aut Burgundo, aut Franco,
 aut Anglo timendum, hoste suo, æque atque ipso conferente:
 neque vt ipsi, & alij multi existimarent, ducenta aut tercenta ar-
 matorum millia ad id operis necessaria. Nam qui res Turcarū
 noscerent, non amplius quā pugnatorum, aut quinquaginta,
 aut ad summum sexaginta millia cogenda dicerent: maiores co-
 pias, neque regi, neque ali facile posse, neque in acie explicari.
 Hunc numerum Christiano populo non esse magnum, citoque
 colligendum, si quęlibet prouincia vel paucos milites daret. Pos-
 sent & reges aurum conferre, quo milites ex Hungaria, Theu-
 tonia, Bohemia, ac Polonia conducerentur: qui duce legato A-
 postolico, & Hungariā tueatur, & proximas prouincias, donec
 viribus vnitis, si tandem placuerit, maiores parentur exercitus.
 Nisi horum alterum fiat, verendum ne amissa Hungaria Chri-
 stiana res pessundet. Debere Philippum hæc animo voluere,
 qui quanto potentior esset, tanto seruire Deo magis ac magis
 teneretur: bellum Turcarum sibi hereditariū esse, cuius pater ab
 illis in prælio captus, non nisi auri magno pondere libertatem
 obtinuerit: meminisse sui voti debere, qui audita Constantino-
 politana clade, ducere in Turcas Deo promiserit: nisi voto sa-
 tisfecerit, vltionem ei diuinam imminere.

Attenti hæc audiere legati: & quamuis essent nonnulli eorū
 rei militaris peritissimi, ac facundia valerent, nihil tamen ad-
 uersari Præfulis orationi sunt ausi: dixerunt pauca in excusatio-
 nem principis, qui non per se solum ducere in Turcas nouis-
 set, sed conditione adiecta, si vel rex Franciæ, vel Imperator,
 vel alius princeps, se non inferior in eam expeditionem profi-
 cisceretur: nullum adhuc inuentum qui se offerret, quamuis
 Alfonsi duo, alter Aragonum rex, alter Portugalliæ, signum
 crucis

Burgūdi ob-
 latio, & Cli-
 uensis agro-
 tatio.

crucis corde impresserint, & vesti consuerint. Pontifex aliter cū A Deo agendum, quàm cum hominibus, ait: cogitandum Philippo esse, quantis à Deo donis cumulatus esset, qui tot ditissimis prouincijs imperaret: tot delicijs afflueret, tandiu valetudine inoffensa frueretur, qui filium haberet, quem relinqueret successor: qui vnus inter Christianos principes felicissimus existimaretur: nisi Deo, à quo acceperit, gratum se redderet, nō alia erga se diuinam pietatem expectaret, quoniam ipse in eos esset, quos pro receptis beneficijs offenderet ingratos. Multa super his & legati simul, & Pontifex locuti sunt: frustra q. non pauci dies inter tractandum abiire. Nec proficit cardinales adhibuisse: nihil enim ex legatis haberi potuit, nisi postquam semel, atq. iterum soli cum Pontifice verba fecerunt. Tunc enim demum uicti sunt: promiseruntq. Philippum, quando Pontificis nomine requireretur, missurum in Hungariam, aut ibi suo ore conducturum equitum duo millia, peditum bis totidem, qui tandiu contra Turcas militarent, quandiu reliquus Christianorum exercitus in bello perseveraret. Hac promissione facta, mox Cliuentis de regressu agere coepit. Præsul eum tandiu immorari cupiebat, donec Mediolani, & Mutinæ duces aduentarent, qui propediem affuturi credebantur. Mansit ea de causa Cliuentis, plus quàm statuisset, diebus octo: sed cum alter illorum Borsius promissa reuocaret, alter differret, impetrata Præsulis potestate recessit. Difficilis est magnorum conuentio principum, qui neque se amant, neque inuicem cedunt: rara inter potentes concordia, rarior fides: nihil tutum relinquit inuidia. Abijt Cliuentis paululum ægrotans: Ioannes Croius grauissimas perpeffus febres, mortis filius à medicis iudicatus est: quorum consilia spernens, salutem recuperauit: graui enim æstu laborans attenuatis viribus itineri se commisit: & paucos intra dies curru uectus pristina valetudini restitutus est. Manserunt nihilominus ex Philippo pi legatis aliqui vsq. ad finem: duo ad Imperatorē profecti sunt. Paucis post diebus Franciscus Mediolanensium dux affuit, belli domique clarus. Sfortias Attendolus pater eius fuit apud villam, cui Cotiniola nomen est, in Aemilia tenui censu, & mediocribus parentibus ortus: qui paterna rura relinquens in militiam profectus ad Brolium Brandulinum Foroliuiensem egregium sui temporis copiarum ducem, se contulit. At cum equis & armis careret, sordida mulionis arte prima stipendia meruit: & pau-

De Francisco Sfortia eius origine & rebus gestis, ac gloria rei bellicæ singulari

A & paulo post inter Calones receptus, cum egregiam in quodam certamine nauasset operam, equestri militia ornatus est. Erat præstanti corpore vir: militari facundia præditus, manu promptus, præsentis animo, atque ingenio versatili: qui cum excelleret inter equites ætatis suæ, multa q. rei militaris insignia edidisset facinora, Brolio mortuo non paucis copijs præfectus est. Prima eius incrementa apud marchionem Estensem fuerunt, cum Ottonem Parmensem, clarum in armis ducem dolo captum apud Riueriã interfecisset, de qua re celebre carmen extat, quod in hanc vsque diem vulgo cantatur. Militauit & in regno Sicilia sub regina Ioanna, aduersus Alfonso regem, Troiamque, & alias nonnullas ciuitates in Apulia tenuit. Martino quoque Pontifici maximo stipendia fecit, Vexillifer Ecclesiæ declaratus: sed cum Braccium Perusinum Romani Pontificis, ac reginæ Ioannæ hostem persequitur, in flumine, quod Piscariam vocant, periclitanti puero opem ferens, submersus est: cadauer eius nusquam repertum. Adolescens Franciscus eius filius incastris agens, magna indole mox paterni exercitus concordi militum voto ducatum accepit. Ferunt ex concubina natum, Sfortiamq. sæpe dicere solitum: Franciscus, si vixerit & virtutem, & dignitatem meam superabit. Occupauerat per id tempus Braccius Perusinus patriam suam, Assisium, Tudertum, multa q. ciuitates Ecclesiæ Romanæ ademerat: & Aprutiorū caput Aquilã magnis copijs obsessam tenebat, breuiq. potiturus vrbe, & infestis signis, Romam petiturus ferebatur. Quod veritus Martinus Pontifex, conducto milite, obsessis opem ferendã censuit. Dux copiarum Franciscus designatus est, vix quattuor & viginti natus annos. Commisso prælio diu Marte dubio pugnatum: ad extremum cum cedere suos Braccius animaduerneret, ex pugna dilapsus fuga salutem querere coactus est: sed cognitus à suis ciuibus, qui patria eiecti Ecclesiæ militabant, ex fuga retractus ad Franciscū victorem in castra relatus, ex vulnere, quod fugiendo acceperat, mortem obiit. Cadauer eius Romam uectum apud sanctum Laurentium extra muros Urbis, in agro sepulturã obtinuit: quamuis paulo post Eugenio permittente in patriã fuerit translatum. Creuit hac victoria mirum in modum Francisci nomen: qui à Philippo Mediolanensiu duce vocatus, diu sibi aduersus Venetos militauit: & Blancam eius filiam, vt sibi desponderetur, obtinuit: quam cum ducere pro suo arbitrio non posset, (nam

(nam Philippus id matrimonium in dies suspendebat) ab eo tandem defecit. Erant eo tempore Florentini simul & Veneti foedere coniuncti. Philippus utrosque armis urgebat. Restauerat ex Braccio proles nomine Oddo, qui ad Florentinos defuncto patre confugerat: eorumque stipendia merebatur. At cum per ætatem exercitum gubernare non posset; Nicolaus Picininus, qui patris commilito fuerat, eius copias regebat. Is aduersus Philippi duces in vallem, quam vocant Amonis, missus, prælio fusus, ab agrestibus terræ occisus est. Nicolaus captus, & Fauentiam ductus, ciuitatis regulum, ut Florentinorum partes adiuuaret, persuasit. Verum ipse non diu post ad Philippum defecit. Non ferebant se duo duces inimicarum gentium: iam enim factiones duæ clarissimorum tota Italia militum emerferant: alij Sfortiani, alij Bracciani vocabantur, & magnis inter se odijs dissidebant. Itaque non tulit Franciscus sub eo principe militare, qui æmulum ad se traxisset: & desponsam sibi filiam retentando negaret. Quærebat abeundi occasiones. Exortum iam erat inter Basiliense concilium, & Pontificem Eugenium grande disfidium.

De bello Philippi ducis Mediolani, aduersus Ecclesiã, & Venetos, & eius morte.

Philippus Eugenio infensus, qui superiori bello Venetorum partes iuuisset, concilio adhæsit, missis Franciscis, qui Picensem agrum inuaderet, ac concilij nomine possideret: neque sic Pontificem satis ultus, paulo post Picininum ire iussit, qui pari modo reliquum Ecclesiæ patrimonium laceraret. Ingens tum motus Ecclesiæ terras inuoluit, Franciscis Picenum, Nicolao Umbriam vexante. Eugenius paulo ante ciuili tumultu Romæ captus, plerisque diebus apud ecclesiam beatæ Mariæ Transiberim custoditus, tandem clam fugerat, & Florentiæ se receperrat. Cumque nullo à Venetis auxilio iuuaretur: (nam populi fere omnes calamitosos oderunt) victo apud Anglarium Picinino è Florentia Senas concessit: & reconciliatus Philippo foedus cum eo percussit. Alfonsi quoque, qui regnum Siciliae armis obtinuisset, societatem quæsiuit: quibus adiutoribus & Picininum ad se traxit, & Franciscum magna Piceni parte exiit, quamuis à Venetis, Florentinisque obnixè iuuaretur, ad quos iam dudum relicto Philippo defecerat: & oppida, quæ alieno nomine peruaserat, in proprietatē suā receperat. Multa Franciscus in Piceno rei militaris facinora egregia edidit, Picininumque prælio fudit. Tandem Alfonsi armis inuasus perpauca retinuit. Venetus aduersus Philippum

A lippum in Gallia militans focerū magnis afflixit cladibus, coniugem extorsit Blancam Mariam, & dotalem Cremonam, inuitoque patre inuasit: sed cum denuo bellum suscitaretur, vocatus in auxilium, periclitanti focero non potuit opem negare.

B laborabat Philippus, & ægre admodum defendebatur: ac modo Alfonsi regis, modo Federici Imperatoris, & aliquando Gallo rū implorabat auxilia, nescius quid potissimum ageret. Nam Veneti ad duodecimū lapidē prope Mediolanū castra locauerant: prædabundique adeo prope urbem excurrerant, ut clangor tubarū intra moenia exaudiretur. Festinabat Franciscus ex Piceno

Franciscus Mediolanum in deditiōe recipit, casu legato Venetorum.

suppetias afferre: sed Philippus morbo simul & moerore confectus prius obiit, quam ille veniret, Alfonso herede instituto. Mediolanenses vero tanquam tyranno priuati in libertatem se vendicarunt: venientique cum copijs Francisco stipem dedere, atque aduersus Venetos arma cœpere, qui tum Placentiam per deditiōem acceperant. Comani, Laudenses, Nouarienses, Therdonenses, in fide Mediolanensium mansere: plerique ad Sabaudenses, plerique ad Francos defecere. Papienses Francisco se dederunt, qui benigne eos complexus est, Mediolanensibus etiam inuitis: deinde Placentiam magno Venetorum præsidio munitā vi cœpit, in qua expugnatione ictu lapidis tormentalis equus sub eo interfectus est. Franci, qui audita morte Philippi manū militarem in Italiam miserant, Mediolanum, atque omnem Insubriā inuasuri, virtute Bartholomæi Colleonis apud Alexandriam delati sunt. Veneti quibus fortuna Mediolanensium suspecta esset, Franciscis suadent rem suam potius, quam alienam agat. Mediolanum sibi acquirat, ad quam rem inuito foedere auxilia pollicentur. Franciscus occasionibus longe quæsitis, aduersus Mediolanenses arma conuertit, eosque dura obsidione cinxit, Illi ad Venetos confugiant, qui mutato consilio, tanquam Italiae pacis arbitri, huiusmodi leges dicunt. Mediolanenses liberi sunt, ac suis legibus utuntur: ciuitatesque quibus imperant, retinento. Franciscus Papiam, Cremonam, Placentiamque contētus esto: Florentini, Mediolanenses, Franciscusque præscriptas equitum, pedumque copias non excedunt. Verum neque Franciscus, neque Florentini ratas leges habuere. Franciscus, etsi graue duceret cum Venetis simul ac Mediolanensibus contendere, dubium tamen belli euentum experiri maluit, quam eam complecti pacē, quæ manifestam sibi perniciem pararet. Florentini clam eum ad-

iuuere pecunia omni exutum: veriti ne Venetus Mediolano potitus Italiam omnem inuaderet, qui dum simulat Mediolanensibus aduersus Franciscum opem afferre, eos suę ditioni subijcere quærit. Sed Venetus dum Mediolanensi populo commeatus inopia circumuentus frumentum parce ministrat: impatiens ieiunij plebs, & rerum nouarum cupida; Leonardum Venerium legatum Venetum Marci filium clarissimū virum, per indignationē crudeliter obtruncat; ac Franciscū intra urbem recipiens dominū, ac ducem, vt ante diximus, appellat. Magna hæc Francisci laus, qui relictus à Venetis, tantam belli molem sustinuit, atq. illis contra nitētibus, nobilissimæ vrbis imperio potitus est.

Bellum Alfonso, & Venetorum contra Franciscum, & Florentinos & eorum concordia.

Exin Veneti cum rege Alfonso societate inierunt, vt ille Florentinos adoriretur, ipsi Franciscum opprimerent, Braccianis in militiā receptis indicto bello leues sæpe congressus habiti sunt: nunquam totis viribus certatū. Franciscus suæ virtuti innixus castra contulit castris; neq. vnquam hosti cessit; Renato rege in auxilium accersito, & Mantuano principe suas partes tuente; Alfonso quamuis in Tusciam duxisset, & in agro Volaterano castella quædā expugnasset, parum tamen Florentinis nocuit, à Sigismundo Malatesta, vt dictum est, deceptus. Obsedit Populinum in littore maris inferi: quod cum expugnare non posset, non sine dedecore domum abiit: deinde remissio filio Morando bellū trahebat. Quo factum est; vt Veneti, cum hinc Turcarum arma, inde Francisci instarent, pacem cum Turcis, quam supra retulimus, & cū Francisco Sfortia eodē fere tempore constituerint. Pax Laude clā tractata est, arbitro Simonetto boni nominis eremita Augustiniano: atq. ita confirmatū Francisco regnū, cum paulo post & Alfonso, & omnis Italia cū eo foedus percussit, & ipse affinitatē cum Alfonso inierit, Hippolyta filia eius nepoti desponsata. Sic mortalia vertuntur, Lombardię olim potens regnum, & diues opū terra, ad Sfortiados delata est; quorū maiores patrum nostrorū memoria, vix terrā possederunt, quantum arare possent. Infima summis, & summa infimis mutare, conditio humana gaudet. Verum raro absq. virtute, ex paupere domo ad regnū quisquā ascendit: diligentia, fortitudine, prouidentia queruntur imperia: inertia, ignauia, negligentia perduntur.

De Francisci fortuna & dotibus, & que ei acciderunt.

Franciscus & suis, & patris meritis ducale solium adeptus est. Is Mantuam cum peteret, sexagesimum agebat annū, matre adhuc viuente, quæ biennio postea decessit: atq. in modū iuuenis equi-

A equitabat: statura eminēs, maiestate corporis eximia, vultū grāuis, sermone placidus, conuersatione benignus, mores vniuersi principe digni, vnus nostra ætate visus, corporis & animi dotibus excellens, bello inuictus, ad regnū ex humili genere peruenit: vxorē duxit, forma, genere, virtute præstantē, ex qua sobolem pulcherrimā sustulit; valetudine raro pulsatus aduersa, nihil non potitus quod magnopere desiderauerit; aduersa tamen nō nulla ei acciderunt; Perpetuā concubinam, quā perditē amauit, coniux Zelothipia interfecit. Troilus, & Brunorius cōmilitones, & amici veteres, ad Alfonso eo relicto defecere. Ciarpollonē item amicū, & commilitonem proditionis reū laqueo suspendit: Alexandri fratris insidias pertulit, qui profectus in Galliam vltiorē, Francos in eum prouocare conatus est: Sfortiam filiū nouas res molientem coniecit in carcerē: Picensem agrū armis quæsitū, armis amisit. Nemo tam compositæ felicitatis existit, qui non aliqua ex parte cum sui status varietate rixetur. Ille felix est, quem pauca vrgent incommoda.

Venienti Mantuā Francisco, duo cardinales occurrerunt: iter illi ex Cremona per Padū, & Mincium nauigio fuit stagnū, quo Mantua cingitur. Vbique lembi, & alia nauigiorum genera venientium, & occurrentium operuere. Egressa multitudo ad visendum ducem fama clarum, nec intueri satis potuit aut forma eius, aut gestus: Imperio dignum cuncti censebant. Comitatus illi permagnus fuit, admodum nobilis, in quo nemo visus est, cuius vestimenta non auro fulgerent, aut argento splendida essent. In eius ingressu multa de sedis Apostolicæ dignitate, ac gloria vulgata sunt: audiebantur passim dicentes: En quā sublimis & excellentissima est Romani Præsulis auctoritas ac maiestas: ad cuius deosculandos pedes, tantus princeps aduenit. Postera die Pontifex in publico consistorio Franciscum ad se admisit: qui postquam sacros pedes deosculatus est, & aliqua verba per se fecit, sedere iussus in loco, qui diaconibus cardinalibus designatus erat: Franciscum Philelphum scriptorē insignem, poetam Latinis, ac Græcis litteris ornatū, qui suam causam oraret, interposuit. Is aliqua de Francisci, deq. Pontificis laude locutus, multa de Turcis, plura de Græcis dixit, & quā necessaria esset in Turcas expeditio, & quantum Franciscus eam probaret, & quanta Christianis promitteret auxilia, exposuit. Quo audito laudauit Pontifex magnificis verbis orationē Philelphi, eūq.

De Francisci magnifico ingressu, magnifice excepto, & Philippi oratione, Pijq. responso.

musam Atticam appellauit. Deinde Franciscum intuens satis fecisse eum suo nomini, & omni expectationi respondit: vestigia sui clarissimi genitoris secutum, qui pro Romana Ecclesia fidelium matre olim magnis se periculis obiecit: egregium illum fuisse virum, & omnium, qui suo tempore arma induissent, excellentissimum: alterum in prælijs Aiace, alterum in consilio Nestorem, neminem metuentem, metuendum omnibus. Res ab eo gestas mortales, qui viuerent cunctos celebrare: se illos ex Ioanne Ptholemæo Patruo suo, qui sub ipso militasset, & ordines duxisset, adolescentem didicisse, & admiratum tanti viri virtutem, ac gloriam fuisse: superasse filiū insuperabilem patrem: victorem omnium quibus cum aliquando contendisset: idq. nomē consecutum, quod fortissimis Romanorū veteres attribuerunt: & quod apud Italos maximi esset honoris: Insubriæ gentis ducatum, non successione paterna, sed electione populi, quod esset virtutis adeptum: in vna re tantum à patre superatum. Nam ille causam Ecclesiæ semper defendisset, ipse aliquando impugnasset. Verum neque in hac re patri omnino cessisse, qui è Saule factus Paulus, Calisto prædecessori aduersus Picininū auxilio fuisset, & sub præfulatu suo multa Ecclesiæ adiumenta præbuisse: & modo ad conciliū profectus, non solum Ecclesiam Romanam, sed ipsam religionem, ipsam fidem catholicā, ipsum Christi nomen aduersus impios Turcas magno & excellenti animo pro suis facultatibus tueri promitteret: facere ipsum quod Christianum deceret principem. Quod si reliqui eius similes inuenirentur; non modo Turcarum arma Christiani nō timerent, sed vltro eos inuadentes, & Græciam & Asiam, maiorum negligentia perditam, facile recuperarent. Sperare se Francisci exemplo multos ex principibus Christianis, qui dormire viderentur, excitatum iri: & tandem cognito periculo, in quo res Christiana versetur, aduersus hostes arma sumpturos. Quod si fieret, vltima spes esset, Franciscū inter primos futurū, cui Romana Ecclesia, & omnis Christiana religio præcipuas gratias referre deberet. Atq. his dictis summo eius applausu soluta eius diei concio est. Promiserat, vt retulimus, Mutinensium dux, ac pro Romana Ecclesia Ferrariæ Vicarius, iturum se Mantuam: cum Pius vocaret, vocatus rescripsit non bene valere, & egere quiete: sed venturum se Augusto mense peracto. Et interim oratorem vnum ex fratribus suis nomine Gurrone miser, cui duos adiun-

De Borfio.

xit

Axit iurifconsultos: hisq. mandatum dedit pro necessitate reipublicæ, auri vt tercenta millia nummum pollicerentur.

Aderant iam Florentinorum legati, & Senensium, & Lucensium, & Bononiensium, viri suarum urbium primarij, suas partes ad tuendam rempublicam oblaturi. Genuenses episcopum quendam ex Corsica virum bonum clam miserant, qui Pontificem certiozem redderet, non defuturum illius urbis senatum, si quod pro tutela fidei decerneretur: publice se offerre non audebant iniussu regis Franciæ, cuius paulo ante dominatum subierant. Ferdinandus rex Siciliæ archiepiscopum Beneuentanum, & Adriæ ducem transmiserat, qui suam vicē implerent. Archiepiscopus pro consistorio publice auditus, acriter in Genuenses inuectus est, perfidiam, ac insolentiam eorum accusans, qui Ferdinando regi contra foedus molesti essent. Pontifex grauius eū correxit, qui priuatas inimicitias eo in loco commemoraret, vbi de publica Christianorum pace, ac salute agendum esset. Litteræ Ferdinandi multo meliores quàm verba legatorum fuisse: illi pauca de tuenda religione locuti sunt, hæ præclarum, & magnum regis animum ad tutelam fidei ostenderunt. Cum recitarentur pro concione legatorum omnium, qui aderant, mandata, nullum plenius visum est, eo quod Ferdinandus misit; id enim votum & iuramentum continebat, de gerendo in Turcas bello: ad quod cum se accingere statuisset, Tarentini principis agitatus insidijs, in magnas incidit calamitates, de quibus suo loco dicemus. Misit & ille legatū ad conciliū Pyrrhum quendam ordinis Minorum professorem, non indoctum virum; qui cum aliquando Præsuli de suo domino verba faceret, eumq. fidelem Ecclesiæ filium diceret, & singulari virtute præditū: quid tibi dicam, inquit, Pontifex? Dominus tuus periurus est & proditor, qui aduersus Christum suum arma suscepit: qui missa legatione, Turcas aduersus Christianos prouocat. His dotibus pollere tuum dominum à multis didicimus: an virtutibus alijs præditus sit, ignoramus. Hæc de principe Tarentinorum effatus Pontifex: sequenti die laborantibus Turcanio bello Hungaris, & opem obnixe petentibus, auri viginti millia nummum transmisit; quæ numerata Venetijs, Stephanus Croatiæ comes domum rediens apportauit.

Dum hæc agerentur, Sigismundus Malatesta, cum magis, ac magis Picinini armis premeretur, pacem petens, modo

I 3 Francisco

De Sigismundi pace diu agitata, & tandem à Picinensi confecta.

Francisco Mediolanensium duci, modo Pio Pontifici se cōmendabat. Aderant ob eam causam missi à Ferdinando episcopus Bituntinus, non minus callidus homo, quàm festiuus, & Antonius Cincinellus, vnus ex purpuratis, qui Pium magnopere urgebant, vt pacem inter partes componeret. Pius nil se facturum aiebat, nisi statuendæ pacis libera sibi facultas concederetur: nã primum iam pridem compromissum spirauerat, eratq. Pontificis animus ex bono & æquo litem dirimere. Ferdinandus, & Federicus Vrbinas, & Iacobus Picininus præscriptis quibusdam legibus concordia annuebant, quæ duriores videbantur; multos dies agitata res est. Postremo consensere omnes pro suo arbitrio pacem vt Pontifex statueret. Dubia res fuit, pax ne Pontifici, an bellum magis conduceret. Constabat Picininum quamuis Sigismundo reconciliaretur, copias tamen retenturum, resq. nouas moliturum; neque alios quàm Ecclesiæ subditos, aut Senenses inuasurum: nam Venetis, Florentinis, duci Mediolanensi, aut regi Siciliae, qui potentiores essent, non auderet bellum inferre, neque duci Mutinae, quem diligeret. In agro Ecclesiæ multas esse factiones, quæ absente Pontifice Picininum auertere possent. Contra, si bellum fineret, alterum è duobus euenturum: aut scilicet Malatestam Venetorum auxilio rem suam defensurum, aut bello victum Picininum cuncta dimissurum. Vtrumq. perniciosum. Si Veneti pro Sigismundo arma capiant, futurum vt omnis rursus Italia dissensionibus agitetur, & aduersus Turcas expeditio negligatur: si succumbat Malatesta, ventura omnia in Picinini potestatem, vicinum Ecclesiæ perniciosum parari, murem in pera nutriri, aut in sinu serpentem. Possent quoque & tertium emergere; Picininum scilicet, & Sigismundum simul coire, & iunctis armis agros Ecclesiæ vastare: atque inter se partiri prouincias: vt sunt arma tenentium varia & alta ingenia, mutabiles voluntates, & regni cupidæ. Anxius inter hæc Pontifex honestatem prætulit vtilitati: pacem statuere pulchrius & acceptius Deo censuit: neque timenda esse incommoda vadenti relictæ agrum, in quo bellum grassaretur, ad Ecclesiã spectare: subditis quietem dandam: miserendum inopum agricolarum, qui domo pulsi, bobus, vxoribus, ac liberis amissis, panem in alienis laribus mendicarent: illudq. animaduertendum quod non actorem, incentoremq. malorum, sed innoxios poena sequeretur: pueri, ac puellæ indigna suis moribus ferrent: sana diriperentur: ca-

des, at-

A des, atque incendia passim cōmitterentur: diuina ac humana iura perirent: iam annum belli furore prouinciam agitatam, nisi mox pace donetur, funditus perituram: attribuendum aliquid Sigismundi maioribus, quorum virtus militiae quondam, ac domi spectata fuisset. Statuit igitur Pontifex, quamuis rei suæ non nihil timeret, in presenti rebus afflictis consulere: de futuro magni Dei benignitatem sperare, cuius est in optimum finem cuncta dirigere. Iudicij ergo suscepto in se arbitrio, iussit quamprimum partes arma deponere, captiuos dimittere. Pergulam & alia pleraque loca Federico Vrbinati cedere, Senogalliam, Mundauium, cum Vicariatu, & Montem marcianum nomine pignoris in manu sua manere, donec sententiæ, quæ ferenda esset, satisficeret: de reliquis intra duos menses iudicaturum se se promissit: potestate retenta, si sibi videretur quoties vellet prorogandi terminum: hac declaratione adiecta, quod Sigismundum neque supra sexaginta millia aureos, neq. infra quinquaginta millia pro erratis damnaret dissoluenda, priusquam annus efflueret: alioquin pignora in solutum regi cederent: neque Sigismundo fas esse intra biennium aduersus regem militare. Missi qui sententiam exequerentur, ægre sunt auditi. Dura vtrique parti mandata videbantur: Picinino maxime, qui se victoriæ præmijs spoliatum iri non ignorabat: deposuerunt tamen paulo post ex decreto Pontificis arma, & oppida tradita sunt, excepta Petra rubra, in qua per dolum Sigismundi rebellionem incolæ simularunt: & Picininus pleraque loca vi capta militi diripienda concessit. In reliquis paritum est, & Sigismundus Italici foederis commoditate donatus, cuius antea fuerat expers, vt otio frui posset: quamuis inquietus animus, & iniqua mens, bellum paci semper anteposuerit.

C Euersus Anguillariæ comes, dum hæc aguntur, Vituruium per traditionem paucorum ciuium occupat. Misso Antonello Foliuensi genero suo Bartholomæus archiepiscopus Rauennas, qui postea cardinalis effectus est, coactis subito copijs captæ iam ciuitati subuenit. Antonellus vbi auxilium appropinquare cognouit, vrbe direpta, & multis ciuibus in captiuitate abductis, præda onustus recessit. Arx recuperandæ ciuitatis causa fuit, quam Martinus olim à fundamentis diruit, Calistus restaurare coepit, Pius ad summum ædificauit: per hanc auxilia intromissa, ciuitatem Ecclesiæ reddiderunt, quæ alioquin in potestate hostium diu perseuerasset. Pius accepto peruasæ vrbis nuncio: Hoc,

Vituruium ab Euerso occupatum, & à Rauennati præfule recuperatum.

I 4 inquit,

inquit, est quod Euerfus comminabatur, cum Roma recessimus: A
verum neque hoc pacto defensionem fidei negligemus, adiuua-
bit Deus causam suam, neque superiorem esse patietur iniqui-
tatem: effluxere deinde quattuor circiter dies, & ecce nuncius,
qui fugisse hostes asserit, & supplicium de proditoribus sumptū
esse. Gubernator eius vrbs pro Romana Ecclesia Oddo quidā
Perusinus erat, Apostolicæ sedis notarius: sed aberat, cum An-
tonellus ingressus est; qui audita rei nouitate, circumuicinos
populos in arma coegit: iunctusq. Rauennati ad victoriā con-
sequendam non parum adiumenti præbuit. Verum cum se cau-
sam recuperationis fuisse multis verbis gloriabundus assereret, B
memor illius quod de Fabio apud Liuium legitur: Rauennas
probe, inquit, nunquam Vituruium recuperassem, nisi tu prior
amississes.

Legatio Polo-
norum, & Sa-
baudiensiu,
& Venetoru.

Inter hæc legatus Casimiri Poloniae regis in splendido comi-
tatu Mantuam ingreditur, vir doctus Sbignei quondam Craco-
uiensis episcopi, & cardinalis nepos: multi ei fuerunt famuli
vnius vestis more gentis pennatos pileos, & pharetram, & bali-
stam gestantes, equis præpinguibus insidentes, venerunt & Lu-
douici Sabaudia ducis oratores, & alij domi nobiles, ac disertij
viri. Soli ex Italia Veneti aberant; qui etsi Pontifici, antequam C
Roma discederet, pluribus & nuncijs, & epistolis affirmauif-
sent, se inter primos legatos missuros, vocati tamen minime pa-
rebāt. Duæ hos causæ tenebant: altera quod ecclesiam Pataui-
nam pro suo desiderio nō fuerant assecuti; altera quod magno-
pere verebantur, ne soli cū Turcis in bello remanerent, si Man-
tuam petentes Christianos reges non fatis voluntarios ad tuen-
dam religionem inuenissent. Multa præterea Veneti, qui curiā
sequebantur, ad amicos suos domi scribebant, quæ populares a-
nimos à bono proposito retrahebant: maledica est enim curia-
lium plerunque natura: nam cum insanæ ambitioni omnes fer-
me inferuiant: Pontifex vero ex multis paucos extollere, dita-
reque possit: qui neglecti sunt, tanquā iniuriam passi Pontificem
dictis, scriptisq. aliquando damnant: nec ab illis laudatur Ro-
manus Pontifex dum viuit, mortuus aliquando probatur: suc-
cessoris opera antecessorem commendant: Quicumq. igitur ex
Venetis curiā sequentes optata non impetrauerunt, ad amicos epi-
stolas dedere, quas Papæ desiderio contrarias putauerunt: merca-
tores præsertim, quibus in lucro erat cum Turcis pacē habere.

Libet

A Libet de Venetis altius hoc loco differere, quādo terra mariq.
hodie potentissimi sunt, ad imperiū quo maius aspirant (vt sunt
hodie hominum mores) optimi videntur. Venetia & vrbs, &
prouinciæ nomen est, apud veteres Veneti omnes appellati, qui
eas paludes incoluerunt, quæ mediæ sunt inter aquas Graden-
ses, & Ostium Padi, quod Fornaces vocitant. Id spatium octua-
ginta millibus passuū continetur, & rursus ab Adriatico mari,
quatenus infra terrā salis fluunt ac resuunt aque: quidā etiam
Rauennam addidere Venetiæ. Strabo eius sententiæ videtur,
qui de paludibus, & magno portu, quem Brenta fluuius efficit,
B loquens: Intra paludes, inquit, vrbs maxima Rauenna posita
est, tota ligneis compacta ædificijs, aquis diffusa, pontibus &
lembis peragrata: cum à mare fiunt inundationes, non medio-
crem recipit maris partē, adeo vt vniuersa coenoscitas hinc fluctu
marino, illinc fluminibus abluentibus eiecta tetrū medicetur o-
dorem. Verum sicut Adria, quæ olim in continenti fuit, nunc
mari, ac paludibus immersa est: ita & Rauenna, quæ fuit in a-
qua, remansit in arida. Aquileiam vero, quamuis idem maris si-
nus per Natisonem fluuium salis contingat aqua; extra Vene-
tiam nihilominus Strabo ponit; nōnulli ab Abdua fluuio omnē
C regionem, quæ Pado mari, & alpibus clauditur ad Brentā vsq.
Venetiæ tradiderunt. Nonnulli Vicentinum, & Veronensem a-
grū huic descriptioni ademerant. Venetorū originē alij ex Gal-
lis dicunt, qui extremas ad Oceanū oras incolunt, vbi nunc ci-
uitas est Venetensis non ignobilis, quam Pius II. liberalium ar-
tium, & omnium litterarū, quæ mortales honestant, schola do-
navit: alij Venetorū gentem esse affirmant, qui post bellū Tro-
ianum cum Antenore salutem assecuti, cursum huc è Paphlan-
gonia tenuere. Hæc de prouincia. Urbem non auctor vnus, sed
plurium populorū concursus edificauit post Christi Saluatoris
D ortum primo, & vigesimo anno supra quadringentesimum, ma-
ximum augmentum recepit: adeo vt primum tunc conditā ali-
qui dicant. Cum Athila rex Hunnorū Aquileiam armis captā
excidisset; attonitæ ciuitates finitimæ relictis antiquis sedibus in
eas paludes populariter migrauerunt, quibus à priscis Venetiæ, vt
diximus, nomen inditum. Ij fuerunt Altini, Concordienses, Pa-
tauini, & qui Montem silicis incolebant, Opitergini, Heraclia-
ni, Equilini, Gradenfes, Caprulenses, Laurentini, & ipse Aqui-
legiensis excidij reliquie. Ferunt ex Vicentia, Verona, Mantua,
Brixia,

De Venetia-
rum origine,
& finitimis
locis, & qui
primum ha-
bitarunt, co-
gnitu dignis-
sima.

421.

Brixia, Mediolano, ac Papiæ opulentissimos huc ciues confugisse, cum Athila eorum vrbes affligeret: nec tamen ab his mox vna vrbs coherentibus ædificijs, sed diuersa in plures insulas erecta est ciuitas. Nomine insularum, quæ veluti cyclades quædam palustribus aquis abluuntur, Torcellum, Maiorbum, Burianum, Amoriacum, Constantiacum, Aimanum, Riuus altus, Dursum durum, Metamaucum, Albiola, Pelestrina, & Fossa clodia, quæ ciuitas nunc Clugia nomen habet. Narses eunuchus Iustiniani primi copiarum ductor auxilio Rauennatum, Patauium instaurauit: Arnolphus Longobardorum rex paulo post ferro & igni absumpsit. Patauini secundo migrare coacti in stagna Venetorum confugientes, Riuum altum impleuerunt, & Oliuense castrum, vbi nunc Castellatum est, Episcopium condidere. Diruta Aquileia, Gradenses Patriarchalem sedem acceperunt; Longobardis vero Iulij forum obtinentibus, dux gentis eius Gisulphus, consentiente Agiulpho rege Aquileiæ suam dignitatem restituere aggressus, Ioannem quendam abbatem, Patriarcham appellauit: lis quinquennio cum Gradensibus ducta est. Exin Pontifex Romanus consensu partium instituit, vt Aquileensis Patriarcha omni continentis regioni moderaretur: Gradensis Venetiarum genti præesset. Diruit & paulo post Opitergium Rotharites Longobardorum rex vrbes episcopus nomine Magnus ad stagna confugiens, sedem suam annuente Seuerino Pontifice maximo, in Heraclea collocauit; & Paulus Altini episcopus, eodem Pontifice permittente, adducto secum populo qui claudibus superfuerat, Torcellum se contulit. Episcopus quoque Patauinus ex vrbe pene deserta, & Arianam hæresim sapientem, Metamaucum petijt. Fuerunt initio inter Longobardos, & Venetos plures de finibus controuersia: tandem processu temporis factum est, vt omnis Venetia ab Abdua vsque ad Aquas salvas mutato sensim nomine Longobardia vocaretur; Venetiæ paludibus tantum salvis fluctibus agitatis, continerentur. Vicum, qui est in Torcello primarium, Constantius Imperator Heraclij filius cum Romam peteret, eoque transitum faceret, de suo nomine Constantiacum appellauit. Heraclea ex patre suo vocabulum acceperat, quæ cum populo aucta multitudinem capere non posset, partem plebis in vicinam iussit insulam commigrare: vbi Equilium à Venetis duce Angelo instaurata, Nouæ ciuitatis obtinuit nomen.

Forma

A Forma regiminis apud Venetos mutiplex fuit. Primo tribunis paruere, postea ducibus, tertio magistris militum: quos cum antiquasset, rursus ad duces rediere. Tribunitia potestas annis duobus, ac triginta durauit supra ducentos; quibus submotis, primum ducem gessit Paulinus eius vrbes ciuis apud Heracleam: in Heraclea enim res Veneta primum gubernata est. Paulino successit Vrsus, & ipse Heracleanus, qui ciuili tumultu interfectus est, & ad magistratos militum respublica perducta, quorum primum Dominicum Leonem creauerunt, quattuor, eo defuncto, alius post alium rem Venetam gubernarunt. Vltimus Ioannes Fabritiacus domestica seditione magistratu depositus, & oculis priuatus est: moxque anno salutis septingentesimo & quadragesimo secundo, sedes Imperij Veneti ad Metamaucum translata est: rursusque ducalis dignitas eleuata: filius Vrsi, quem supra interfectum retulimus, nomine Deodatus ducatum accepit; qui cum ad hostia Brinthæ amnis, quem Modoacum Strabo vocitat, castellum edificare cœpisset, in suspicionem tyrannidis adductus, haud patre felicitior magistratu simul, & lumine priuatus à suis ciuibus miserimam egit vitam. Parem fortunam Galia successor eius inuenit. Tunc quarta regiminis forma reperia, duci Dominico Monegario Metamaucensi duos annales tribunos, ad Clauum pari potestate confessuros, creauerunt. Nec sic vel audacia ducis, vel populi temeritas correcta; Dominicum tumultuans populus, & solio, & oculis priuauit: rursusque ad Heracleanos res Veneta redijt. Mauritio duce in locum Dominici successore, qui post annum inusitato exemplo filium sui magistratus consortem assumpsit, aususque est, manus in Ioannem Patriarcham Gradensem iniicere, qui paulo post ex percussione interiit. Fortunatus successor eius vindictam meditatus, cum conspirasset in ducem exorto tumultu, pulsus in Franciam se contulit; nec diu post pater, & filius magistratu eieci sunt; & Obelerius Metamaucensis vnicus tribunus creatus, qui eodem anno patria pulsus, apud Treuisium exulauit; vbi à Venetis simul exulantibus, ducis nomen consecutus, Beatum fratrem Imperij consortem accepit; & venientem in Italiam Pipinum Caroli magni filium, quem Hadrianus Pontifex regem Italiæ constituerat, adiuuante Patriarcha Fortunato in Venetos arma sumere persuasit. Prælio apud Treuisium commisso, Veneti victi, fugatiq. manus dedere: non tamen Obelerius, aut Fortunatus priuatus di-

De forma, & modo gubernandi Venetorum, & locorum mutatione, primisque regibus Italicis, & Adriensibus vicis, atque Hungarorum incursus.

nas dignitates vendicauere, apud Metamaucum in exilio dimissa si eo anno Heraclea à Venetis deleta est; & populus in eas insulas, in quibus hodie Venetiæ constitutæ sunt ductus: tuncq. rursus ex Aquileia multi eo confluxere: ita vt secūda eius ciuitatis fundatio videretur. Agnellus aut Partitiacus Heracleanus, qui patriam suam instaurauit, primus fuit, qui apud insulam Riuu alti dux eligeretur: is palatium ducale, quod nunc extat, crexit, & tunc Oliuensis ecclesia, Castellana est appellata: pro Veneta, Riuus altus ciuitas dicta. Idem Agnellus duos filios suos Imperij consortes assumpsit, aduersus quem conspirantes Ioannes Ternaricus, & Bonus Bragadinus capti, & appensi patibulo interierunt: eam passi mortem, quam victores intulissent victo. Defuncto Agnello, Iustinianus Partitiacus solus Venetos duxit. Corpus sancti Marci Euangelistæ sub eo ex Alexandria Venetias aduectum est. Iustiniano successit Ioannes frater eius, qui ecclesiam sancti Marci ædificauit, & in Metamaucum ducens Obelerium ibi exulantem occidit: urbemq. olim rei Venetæ caput, deleuit. Vocatus in Franciam propter necem Obelerij, eò profectus est. Interea Castellanus episcopus, & duo ciues Riuu alti curam ciuitatis gessere. Reuersus ciuili tumultu magistratu deiectus, atque in monasterio clausus moerens obiit. Successor ei datus est Petrus Trandenicus Pola oriundus, qui sibi consortem asciuit, sub eius Imperio Sclauu Caprulas Venetorū urbem vi captam destruxerunt, eo vita functo Ioannes filius solus ducatum obtinuit, quem ab ecclesia sancti Zachariæ redeuntē, concitatus populus interfecit, & in eadem ecclesia sepeliuit. Vrso Partitiaco successore delecto, domestici ducis occisi, palatium tandiu defendere, donec Pupiliam insulam magna immunitate colendam obtinere. Vrso sibi filium consortem potestatis accepit: campanas duodecim, anno salutis octingentesimo septuagesimo, Imperatori Constantinopolitano dono misit, quas ferunt primas fuisse in Græcia visas: huic filius successit in ducatu solus, qui Comaclum ciuitatem de Rauennatibus vi coepit; & denique Petrum fratrem suum in ducatu socium obtinuit: ambo tamen infra tertium annum magistratu se abdicarunt. His successit Petrus Candianus, qui cum Sclauos vno prælio superasset, in altero ab eis superatus & interfectus est: Ioannes Partitiacus, qui se ducatu abdicauerat, rursus vt patriæ consulere, principatum accepit, sextoq. mense deposuit: successus ei Petrus

cogno-

A cognomento Tribunus. Tum primū Italia, post habitis Francis, duos reges sui generis sibi delegit Berengarium Foroiulensem, & Guidonem Spoletanū ducem. Petrus partem vrbs muro cinxit à Riua castelli vsq. ad sanctam Mariam in Iubanico, ibiq. canale maius ferrea catena conclusit. Hungari eo anno Italiā ingressi, à Triuifio Mediolanū vsque, cædibus omnia, incendijsq. vastarunt, & ingressi Venetiarum stagna pelliciatis nauibus tumultuarie fabricatis, Ciuitatem nouā, Clugiamque, & caput aggeris populati sunt. Quos Berengarius non armis, sed pecunia ingenti data retro in Hungariam misit: Petro Tribuno

B Vrso Partitiacus secundus successor datus est, imperante Corrado Alemanno ex ea gente primo, Vrsum secutus est; alter Petrus Candianus, qui potentiam Venetorum in Liburnis, ac Dalmatis magnifice auxit; quo tempore Genuam Saraceni ex Africa venientes populati sunt: hunc ciues cum ducale folio vellet eijcere, & is se armis in palatio tueretur, iniecto igne pice & sulphure misto palatium ipsum exussere: quo incendio, & ecclesiæ multæ, ac ciuium ædes arserunt, duxq. cum filio, & complicibus interfectus est. Petrus Vrseolus Candiani successor exusta ædificia reparauit, & Gradum ciuitatem muro cinxit. Circa idē tempus anno salutis millesimo Adrienses apud Lauretū 1000. cum Venetis congressi ad internitionem vsq. deleti sunt, atque memorabilis vrbs, quæ nomen Adriatico mari dederat, reliquæ funditus defecere. Post Vrseolum Petrus Bartiolanus rei Venetæ præfuit, quem Dominicus Vrseolus per arma deiecit, & ducatum inuasit. Quietum deinde vrbs regimen fuit, vsque ad annum salutis primum & septuagesimum supra millesimū 1171. centesimū, quo tempore Vitalis Michael dux à suis ciuibus est occisus: tumultuatum quoque in ciuitate non multis annis postea inuenimus propter vestigal molituræ. Inuentoribus nouarum rerum captis, atque suspendio necatis. Fuit & ingens in vrbe metus, cum Baiomons Theopolus regnum affectans: Quirinos, Baroceos, Doros, Badoarios, & Basilios primarias in vrbe familias sibi pellexit, in quos non sine magno labore, ac periculo publico consilio animaduersum est. Deinceps etsi non pauca seditioes rem Venetam, agitauere, non tamen dignæ fuerunt, quæ ad æquari superioribus possent, etsi Franciscus Foscarei non sine iniuria duicali folio fuerit amotus. Cur autem ciuitas libera se se asserat, paucis referendum est.

Fuerunt

De Venetorū
libertate.

Fuerunt Veneti ab initio conditionis suæ liberi, sub protectione tamen Imperij Græcorum, vsque ad tempora Caroli Magni: hinc cum Imperium orbis terræ, quod apud Græcos erat, Romanus Præsul Iesu Christi, cui dedit pater omnem potestatem in cælo, & in terra verus Vicarius ad Germanos in persona Caroli Magni transtulisset; neque paruissent Græci, sed vltro resisterent, Imperiumq. retinere contenderent: scissum est Imperium, & Orientales quidem Græcis, Occidentales Germanis paruerunt. in Italia vero à Neapoli, & Manfredonia quicquid vltra Siciliam versus excurrit, in partibus Græcorum fuit: citiora ad Germanos pertinere, excepta Venetia, & Beneuentana vrbe, quæ nullarum partium habitæ sunt, & in foedere, quod olim cum Hyrene Imperatrice, & demum cum Nicephoro Imperatore Græcorum, Carolus ipse percussit. Cautum est vt Veneta vrbs Italiæ maritima, vtriusque amica Imperij, suis legibus vteretur: neque bello, neque pace huius, aut illius partis censeretur. Fortunatus autem Patriarcha Gradensis cum aduersus Ioannem, & Mauritium duces conspirasset, ea potissimum ratione Pipino suasset, in Venetos ducere: quia cum Græcis contra foedus sentirent. Niceta vero patritius, qui Populoniam depulatus est, Venetorum auxilio aduersus Pipinum classem intruxit, & Comachium, quod tunc Pipini fuit, expugnare aduersus turpiter repulsus est; Obelerio, ac Beato rei Venetæ ducatum tenentibus, quos cum pacis arbitros Græci, Franciq. admisissent: Pipinus tandem recusauit dolos inesse tractatibus arbitratus: reintegratoq. bello Venetos tanquã Græcis amicos magnis afflixit cladibus. Illud constat Pipinum Brodulensibus, qui primi ad Orientem solem Venetorū populi sunt Clusiensibus, & Pelestrinensibus subactis in Albiolam duxisse: & priusquam eam caperet, Valentinum ducem sedem rei Venetæ, ex Metamauco in Riuum altum transtulisse: moxque Albiolenses, & Metamaucenses deditioem fecisse. Expugnatio Riui alti incerta est: quidam affirmant pontem ligneum à Metamauco in altum Riuum à Pipino deductum, quem cum Veneti exussissent, Pipinus obierit: alij territum redeunte classe, Pauli Cessarane Dalmatarum, Venetorumq. copias afferente, effugisse tradunt, veritas in obscuro est: pax tamen inter Nicephorum Græcorum Imperatorem, & Imperatoris filium Pipinum conuenit, in cuius foederibus concessit Pipinus, vt Veneti libertatem, qua fuerunt

A runt à Carolo genitore donati, constantissime retinerent. Inuenimus Michaellem, qui secundus huius nominis apud Græcos imperauit, Venetis inhibuisse, ne merces Occidentis in Orientem veherent, nisi aduersus Saracenos Siciliam vastantes classem ducerent: illosq. ita fecisse pro sua & re Christiana tuenda, & vehementer augenda. Imperante quoque Basilio cum Saracenis nauali prælio decertasse: idemq. fecisse contra Bohemundum Normannum Dirachium obsidentem, adiuuante Nicephoro Batianate Græcorum Imperatore. Apparet itaque Venetos cum Græcorum Imperio amicitiam conseruasse, vt commercium pro mercatura continuare possent. Verum illo deficiente deseruisse, & multa de Græcis ad se traxisse. Hinc postea clara libertas Veneta: nam cum Orientales Imperatores prorsus elanguissent, exorti sunt Veneti, qui rempublicam & Imperij fines longe lateq. propagarunt: cum neque Græci possent amplius resistere, neque Latini curarent.

Auxit maxime dignitatem Venetorū Alexander tertius Romanus Pontifex, natione Senensis, qui Venetorum armis, & Sebastiani Tiani principis ope, aduersus Federicum Imperatorem adiutus, innumerabilibusq. beneficijs ornatus, præclaris eos, rarisque priuilegijs honestauit: ipsi vero qui Græcorum Imperium expilauerant, etiam multarum prouinciarum regnum opprimere conati sunt: nã in dominatu respublica nil veretur. Duces suos Veneti complures damnauere, alios oculis, alios vita priuarunt; nec tribunis, nec magistris militum mitiores fuere; quia Veneti genus hominum sunt pro republica conseruanda, & augenda acie, & suarum maxime legum obseruantissimum. Pro religione sæpe classes armauerunt. Cum Saracenis diu vario rerum exitu contenderunt, illosq. cum oram Dalmatię diripuisent, & Gradum vsque infestis classibus excurrissent, nauali prælio superatos, Adriaticum sinum relinquere penitus coegerunt. Christianis Hierosolymã obtinentibus magna sæpe auxilia præstitere. Cum Francis societate inita bis Constantinopolim vi coeperunt, Aegeiq. maris insulas omnes obtinuerunt. Cretã, quæ nunc Candia dicitur, pecunia coemerunt à Bonifacio marchione Montis ferrati, ad quem Cretenses deleto Græcorum Imperio inclinauerant aduersus Hungaros propter Iaderam, & alias Dalmatię ciuitates crebro dimicauere. Andreas Hungarorū rex, cupiens Christianis apud Syriam laborantibus opem ferre, vt nauigia, quibus

Alexandri tertij Senensis beneficia in Venetos, bellaq. varia cum Genuensibus & Pisanis fortuna diuersa, & Italica coruana bella

quibus veheretur à Venetis obtineret, eis Dalmatiã cessit, non tamen successores potiri quiete Venetos permiserunt: Ludouicus enim Genuensibus, & Auftriacis ducibus iunctus, aduersus eos auxilia misit; & Sigismundus ætate nostra misso Pippone Florentino cum magnis copijs in Italiam, rem Venetã per multos annos ingentibus affecit cladibus, quamuis ad extremum vitus, non sine ignominia retrocesserit. Romanos Pontifices Alexandrum tertium, & Gregorium nonum aduersus Federicum primũ magnifice adiuuerunt. Mathildi comitissę aduersus Henricum tertium Romanorum Imperatorẽ opem tulere, qua Ferrariam egregia mulier vendicauit. Verum Ferrariensibus, qui postea ad ius Ecclesię peruenerant, Romano Pontifici rebellantibus auxilia non negauerunt; ac Ferrariam ipsam in potestatem acceperunt: propter quam rem extra Ecclesiam facti, non prius gratiam meruere, quã dicto Pontificis paruerunt. Cum Bohemundo Nortmanno, qui regnum in Italia obtinuit apud Dyrachium ab Imperatoribus Græcis, ex foedere requisiti, naturali prælio ter congressi, priori certamine superiores fuere, in alijs succubuerunt: deinde terram eius in Italiam inuadentes, ut pacem Græcis redderet, compulerunt: sedente Clemente tertio cum Pisanis societate inita triennio pro religione in Asiam classem habuere, neque dignum laude quicquam fecere: cum sociorum æmulatione impedirentur, reuersi domum, cū Pisanis, qui Polam in Istria coeperant, bellũ gessere: & Pola recuperata, murisq. vrbs ad mare deiectis, Pisanos complures occiderunt: apud Metonem duas eorum nauas onustas mercibus intercepte. Exin pax composita est. Imperante deinde Federico secundo cum Pisani triremes centum, contra Genuenses armaissent, requisiti ex foedere sexaginta triremes Genuensibus auxilio misere. Classis præfectus cum appulisset Dyrachium, accepto nuncio quod Pisana classis apud Corsicam fugata fuisset, reuersus Polam, quæ medio tempore rebellauerat, ferro, atque igne vastauit. Deinceps Veneti simul, & Pisani contra Genuenses foedera percusserunt; sepe enim inter Genuenses, & Venetos decertatum est: sepe pax facta, sepe interrupta: & Pisani modo istorũ, modo illorum socij fuere. Cum Henricus Piscator, Maleæ comes classe Genuensium fretus, Cretam auferre Venetis conaretur: bellum inter Genuenses, & Venetos primum coepit: duobusq. prælijs, non admodum magnis, Veneti superiores fuere.

Maiores

A Maior deinde contentio inter hos duos populos emerfit; Sedente Gregorio nono propter res Græcas, quibus diripiendis vterq. inhiabat. Pontifex partibus ad se vocatis ea lege pacem composuit, ne alter sine altero Vattarim Græcorum Imperatorem, vel amicum, vel hostem assumeret: si quis contra faceret, excõmunicationem, & interdicti poenam incurreret. Tertio deinde pro monasterio sancti Sabæ, quod erat apud Ptolemaidam, vbi & Veneti, & Genuenses frequentes inhabitabant, inter se contendere coeperunt. Philippus natione Gallus, qui vrbi præerat, tanquam diuisionum incentores Venetos, vrbe deiecit, illi Tyrum concessere, cuius vrbs tertiam partem obtinebant, & Pisanis in foedera tractis Ptolemaidam reuersi, Philippum, & Genuenses expulerunt, eosq. rursus congregari audentes, inter Ptolemaidam, & Tyrum strage magna cæciderunt. Cum Michael Paleologus filiorum Theodori tutor Vattaris proditione ciuium, expulso Balduino Imperatore Constantinopolim recepisset, & pupillis occisis, arrepto Imperio aduersus Vihelmum Achaiaë dominum arma mouisset: Genuenses Græco, Veneti Latino, suppetias tulere, & congressi simul inferior Genuensis fuga, salutem quæsiuit. Venetus onerariam nauim Genuensi arripuit

C apud Tyrum, apud Lylibeũ tres triremes interceptit: apud Drepanum octo & viginti triremium classem superauit. Rursusq. inter Ptolemaidam, & Tyrum Genuensium classis à Veneto superata est: Ludouicus denique rex Franciaë, qui Philippo in Asia defuncto successerat, Cremonam veniens, vocatis ad se Venetis, Genuensibus, ac Pisanis, pacem inter eos quinque annorũ constituit; qua finita Nicolaus Pisanus præfectus Venetę classis congressus Genuensi in Egeo pelago victor euasit. Philippus Auria interea præfectus, alterius classis Genuensium, Eubocam multis cladibus affecit: & Choum insulam in eodem mari vitæpit. Cum Genuensium onerosa potentia Venetis videretur, regem Aragonum, & Imperatorem Græcorum in societatem vocauere, classemq. octuaginta quattuor triremium simul instruxere; quam Genuensis præfectus Paganus Auria circa Bosphorum Thracium, ingenti pugna superatã, disiecit; nec diu postea Aragonenses, & Veneti simul iuncti, duce Nicolao Pisano, conferto cū Genuensibus apud Corsicã prælio, vnã & quadraginta triremes hostiũ captas, cum hominibus in profundũ demersere. Genuenses eo affecti detrimẽto, Ioãni archiepiscopo Mediolanẽsi

K

se de

se dedidere, cuius auspicijs apud Sapientiã Peloponnesi promon-
torium, Nicolaum Pisanum Venetorum præfectum cum quin-
que millibus hominum captum, abduxere; & secundum hanc
victoriam pax mortuo archiepiscopo æquis conditionibus rece-
pta est. Nec diu postea memorata apud veteres insula Thenedos,
nouum bellum excitauit, quam Calo Ioannes Græcorum
Imperator Venetis tradiderat. Filius eius Andronicus Genuen-
sibus promiserat. Pugnatum est apud Antium, & Genuenses con-
flicti sunt: & rursus sex eorum triremes ex Cypro redeuntes ca-
ptæ, quæ Barnabouis filiam insule regi nuptâ eo vexerant. Ver-
sa deinde vice Lucianus Auria Genuensium classis præfectus, Vi-
ctorem Pisanum apud Polam aggressus, duodeviginti triremes
ei abstulit. Elati ea victoria Genuenses mare superum duabus
classibus Venetis claufere, quarum altera in Piceno stationem ha-
buit; altera apud Iaderam, nec terra patebat Venetis Francisco
Carraria Romanum oppidum de Taruisinis obsidente. Ceperunt
Genuenses Bebas caput aggeris, & sancti Lazzari vicum, & Clu-
giam, Metamaucum cremauere: Lauretum vi expugnauere,
deinde ad capiendam urbem animos intendere: sed conclusi pa-
ludibus, & breuibus aquis à leuioribus Venetorum nauigijs ma-
gnum detrimentum accepere: & paulo post Clugia obsessi, mul-
tis affecti cladibus, fame laborantes, deditioem fecere. Decimo
1380. calendas Iulij anno salutis millesimo trigentesimo octuagesi-
mo, ingens ea Venetorum victoria fuit. Andreas Contareus
dux ciuitatis, Victor Pisanus, Dominicus Michael, Carolus Ze-
nus, & Thaddæus Iustinianus eius præcipui auctores habiti
sunt: Hostium quattuor millia tercenti quadraginta viui in Ve-
netorum potestatem venere: Nec tamen victi, & prope ad in-
ternecionem delati quieuerunt, & pacem petiuere Genuenses, sed
classe in Istriam missa, bellum reintegrarunt: & Tergestinis
ad rebellionem compulsi: Iustinopolim incendio absumpsere:
ad portum Venetum per contemptum venere: Polam, & Si-
gniam vi coepere: à Parentio ægre repulsi sunt: tandem arbi-
tro Sabaudia duce sequenti anno pax conclusa est, ea lege adie-
cta, vt Castellum in insula Thenedos demoliretur, quod fuerat
discordia causa, idq. factum est. Postremo sub Philippo Medio-
lanensium duce rursus Genuenses nauali prælio cum Venetis
contenderunt, victiq. sunt; & Franciscus Spinola classis præfe-
ctus in captiuitatem ductus. Deinceps Veneti domini maris ha-
biti,

A bitu, qui diu in continenti Italiae nihil obtinere. Prima eorum
possessio Taruisium fuit, quæ ciuitas, cum modo Austrialibus,
modo Patavinis paruisset, tandem se se Venetis dedit, anno salu-
tis quarto & trigesimo supra millesimum trigentesimum. Conten-
derunt & Veneti cum Bononiensibus annis tribus. Quadragin-
ta millia militum Bononienses in armis aliquando coegerunt, &
castellum in ostio Padi erexerunt: vicerunt tamen eos Veneti, &
castellum destruere compulerunt: Anconitanos sæpe armis af-
fixerunt: Carrarios, subacto Patauio, eiecerunt: Scaligeris, quo-
rum potentia olim in Italia ingens fuit, Veronam, & Vicentiam
B ademerunt: Cum vicecomitibus Mediolani dominis, varia sæ-
pe fortuna terra, mariq. decertarunt: Ioannem archiepiscopum,
& Barnabouem, & Ioannem Galeatium admodum timere: Phi-
lippum Mariam Florentinis iuncti bello attriuere: Brixiam, Ber-
gamum, & insignia pleraque oppida ei abstulerunt: Abduaq.
transmissa ad Mediolani vsq. moenia prædabundi excurrerunt:
Illo mortuo, cum Placentiam, & Laudam occupassent, à Francisco
Sfortia, qui Philippo successit, eiectioni sunt, & cum eo demum æquis
conditionibus (vt ante diximus) pacem fecere: Regi Alfonso ad-
uersus Franciscum, & Florentinos socij fuere, deinde hostes, tan-
dem in amicitiam rediere, cum pariter timerent, & timori essent:
C Apposuerunt & in rebus Ecclesie manus: Patriarcham è foro
Iulij deiecerunt: Rauennam occuparunt: Eugeniū quartum, quam-
uis sue urbis ciuem, aliquandiu persecuti sunt: Postremo cum tota
Italia, exceptis Genuensibus, & Romandiola tyrannis, in foe-
dera coissent, priores Veneti reperti sunt, qui Ferdinando Siciliae
regi aduersus Francos ex foedere auxilia petenti denegauerunt.

Venetia, vt diximus, ab initio insulas, quæ sunt inter Graden-
ses aquas & Lauretum, fere omnes occupauit: vno ciuitatis cor-
pore ex pluribus ciuitatibus constituto. Hodie continua sunt æ-
dificia, quæ vnã, & eam quidem pulcherrimam urbem efficiunt:
D canalibus tantum, in quibus aquæ salis decurrunt, tanquam vijs
quibusdam inter se diuisis: Latitudo canalium maiorum, trire-
mem capit remigio vadentem: Sunt & viæ lateribus stratae, quas
pedibus ambulant: Merces huc ex toto fere orbe conuehuntur:
neq. aliud est Europa tota nobilius emporium: negociatores to-
tius Occidentis huc res deferunt, & Orientales accipiunt mer-
ces: Armamentarium, & nauale quod Arsenal quasi naualem
artem vocitant, ditissimum habent omni machinarum genere

De Venetia-
rum situ, &
nauali maxi-
me, ac templo
diui Marci, a-
lijq. edificijs,
& claris viris.

refertum; in quo biremes, triremes, & alia omnis generis nau-
 gia absque intermissione ædificant; opinio est, atque ea con-
 stans, eos cum velint breuissimo tempore ducentum amplius tri-
 remes, & maiores etiam onerarias quamplurimas armare pos-
 se; quod aliquando fecerunt. Vrbs tota latericia pulcherrimis
 ædificijs exornata: Verum si stabit Imperium breui marmorea
 fiet, & iam nobilium patriciorum ædes marmore vndiq. incru-
 stata plurimo fulgent auro. Beato Marco Euangelistæ in me-
 dia vrbe, nobilissima constructa est ædes, ex Orientali testudines
 tessellato opere, quod Musaicū vocant, vndiq. deaurata: hic the-
 saurum esse asserunt in æde Marciana sub Procuratorū custo-
 dia regales opes exedentem, carbunculis, adamantibus, smarag-
 dis, & omni gemmarū genere, refertissimū Orientaliū olim Im-
 peratorum gaza. Hæc omnia nostra ætate Græculus quidā Sta-
 mate nomine subtili furatus ingenio; tandem captus, & vltimo
 supplicio affectus est, dissuadente dūce Francisco Foscarī, qui
 ausum talia seruandum esse dicebat. Turris campanarię pinna-
 culum multis aureorū millibus inauratū ferunt: ducate palatiū
 amplissimum est, quod supra incensum, & deinde instauratū di-
 ximus. Huic proxime curia, vbi senatus habetur, & comitiū su-
 per columnas marmoreas ædificatū, omnibus ornamentis illu-
 stre. Sunt & alia permulta templa per vrbem miro sumptu &
 opere Deo, cælitibusq. exædificata; crescit indies ciuitas, nullis
 circumdata moenibus, aqua tantum pro muro est, continens v-
 bi propius accedit passuū tribus millibus distat. Viros habuit
 nostrā ætate litterarū doctrina illustres: Paulum ordinis sancti
 Augustini professorem, cuius dialecticos libros hodie multi se-
 quuntur: Franciscum Barbarum equitem insignem patricium
 Græcis ac Latinis litteris eruditum, & qui ex Græcis multa in
 latinum vertit: Leonardum Iustinianū Bernardi filium, & Ber-
 nardum Iustinianū equitem ipsius Leonardi filium: Zachariā
 Triuisanū, & plures, quos nimis longum esset singulos recense-
 re. Hæc de Venetis paulo altius repetiuimus, qui etsi diu legatos
 suos ad Mantuanū conuentū mittere recusarunt; postremo ta-
 men cum accepissent ducē Cliensem aduentasse, oratores Fran-
 cos propediē venturos, ipsumq. Franciscū Sfortiā Mediolanen-
 siū ducē adesse, neq. alios ex tota Italia, quàm seipos desidera-
 ri; duos oratores cum delecta nobilium iuuentute Mantuam mi-
 sere, Vrsatum Iustinianum, & Ludouicum Foscarēnum iuris-
 consultum

Aduentus &
 oratio legato-
 rum Veneto-
 rum, & Pij re-
 sponsio.

A consultum clarissimum, adiunctis equitibus circiter quingen-
 tis, qui honoris causa itineris essent comites. Franciscus Sfor-
 tia ob reuerentiam vrbis Venetę his extra moenia obuiam pro-
 cessit, mediūque inter duos oratores introiuit. Ludouicus al-
 ter ex legatis in consistorio publico luculentam orationem ha-
 buit: erat enim non iurifconsultus modo, verum etiam elo-
 quentiæ studiosus; orationis hæc sententia fuit. Detestari Vene-
 tos Turcarum audaciā, qui aliena inuaderent, Christianorum
 ignauiam accusare, qui sua non tuerentur, neque arma pro reli-
 gione capere auderent. Laudare Pontificē, qui de communi salu-
 te anxius non sine labore, & sumptu Mantuā petiuisset; bellum
 contra Turcas suscipiendū suadere: si vnitis Christianorū viri-
 bus geri posset, atq. in eum euentū se se magna facturos promit-
 tere. E contra Pius Pontifex de origine Venetorum, deq. glorio-
 sis eorum gestis, non nulla præfatus, oblata eorum pro tuenda
 religione collaudauit, quamuis eam conditionē haberent, quæ
 difficillime posset impleri; tarditatem legatorum accusauit, qui
 cum essent conuentui propinquissimi, vltimi tamen omnium
 venissent. Commemorauit & Alexandri tertij Romani Pontifi-
 cis quanta in Venetos charitas, nec se minus erga eos dilectionis
 habiturum affirmauit, si ad tutelam religionis (vt par est) suam
 operam nauarent.

Cum plenum iam concilium esset, quamuis nondum Franci-
 venissent: placuit Romano Pōtifici, prius quàm Franciscus dux
 Mediolani abiret, qui diu retineri non poterat simul omnes al-
 loqui, qui præsentibus aderant, atque ad belli susceptionem co-
 hortari: facta igitur re diuina in ecclesia cathedrali principes ac
 legati omnes, in concionem accersiti sunt. Multæ ibi de sessione
 contentiones fuere, sed nulla maior, quàm Venetorum, & Sa-
 baudiensium: illi potentiam, & antiquitatem sui Imperij præ-
 ferebant: isti nobilitatem sanguinis, & consuetudinem. Pon-
 tifex, cum alio modo sopiri controuersia nequiret, crescerent-
 que paulatim iurgia, & iam Vrsatius Iustinianus orator Ve-
 netorum accinctus ad rixam videretur, Venetis post oratores
 ducis Burgundiæ collocatis, Sabaudienses ad scabellum sui so-
 lij sedere iussit, atque imperato silentio horis circiter tribus per-
 orauit, tanta auditorum attentione, vt nullum exciderit non
 intellectum verbum: & quamuis tussi per eos dies laborasset
 grauissime, diuina tamen ope adiutus inter orandum, neque

Progressus cō-
 cilij, & Pij o-
 ratio luculen-
 tissima, Bessa-
 rionisq. respō-
 sum, & Fran-
 cisci Sfortiæ
 vulgaris ora-
 tio.

tuffiuit vnquam, neque vel minimum ostendit impedimentum. De bello in Turcas gerendo multa copiose locutus, id non modo vtile, verum etiam iustum, facillimum, ac necessariū demonstrauit. Eius oratio postmodum edita est, & inter alias continetur. Pontifex cum finē fecisset, Bessarion cardinalis Græcus pro collegio locutus, nō pauciora quàm Pontifex verba fecit, ostendens quantam passi iacturā Christiani essent, perdita Constantinopoli, & quæ instarent mala, nisi Turcarum conatibus obuiam iretur. Docuit facilem esse audentibus victoriam; suavitq. multis rationibus bellum esse capeffendum; laudare probareq. omnia sacrum collegium affirmavit, quæ Pontifex maximus obrando dixisset; laudata est eius oratio, etsi Græcam facundiam quantum Latina præiret ostenderit. Aderat ab Imperatore missus Antonius episcopus Tergestinus, qui nihil ausus est in tanto conuentu perloqui. Collega eius Ioannes Inderbachius ægrotabat. Ceteri oratores regum, principum, ciuitatum, concordibus votis verba Pontificis probauere. Franciscus Sfortia militari eloquentia, & verbis patrijs, suscipiendum in hostes fidei bellum magnopere suavit; seq. & sua in eam rem obtulit.

Oratio Hungarorū, & Pij responsum.

Aderant & oratores Hungariæ, qui suo loco dicendi copiam adepti: (vltimi enim fuere qui loquerentur) cum petitori opem venissent; Pontifice laudato, qui de communi salute sollicitus esset, Imperatorem pluribus verbis criminati sunt, qui laborantibus Turcarum bello Hungaris molestias addidisset, nouis tumultibus regnum inuoluens. Fremebat his auditis aduersus Imperatorem, tota concio: nec orator eius in tanto confessu obiecta diluere audebat, vt qui concione nō esset alloqui solitus. Tū Pontifex præter rem & contra rem inquit: Hungari locuti estis, de bello contra Turcas gerendo, nunc agimus, & causæ vestræ consulentes, Imperatorem, & Christianos reliquos in auxilium vestrum armare conamur: vos opem quæritis, & qui possunt obpitulari verbis laceffitis? non est hoc, quod regno vestro conducat, neque hic locus est, in quo iurgia iactare conueniat. Male miseria, & arrogantia simul habitant. Nos Imperatorē amantem iusti nouimus, nec regem vestrum ab honesto discedere arbitramur, quamuis de regno dissentiant; nemo tamen iniustam habere se causam arbitratur, cum veritatem nouerint, obedient veritati, danda est opera, vt in amicitiam redeant. Missimus ad eos legatum vnum, mittemus & alium, si opus fuerit, ne quid

ad

A ad reconciliandos inter se principes, desit: interea quod in manibus est absoluamus; faceffantq. prorsus hoc in loco dissentiones, nec maledictum aliquod audiatur. Siluere his auditis Hungari: reliqui omnes verba Pontificis probauere, & vnitis animis bellum esse gerendum aduersus Turcas decreuerunt; & concio eius diei soluta est.

Postridie cuncti qui aderant Italici nominis oratores, ac principes ad præsentiam Pontificis accersiti sunt. Conuenere in palatio Franciscus Mediolanensium dux, Ludouicus Mantuanus, & Vilhelmus Montis ferrati marchio, ac Sigismundus Malatesta. Et quoniam rex Aragonum Siciliam, Corsicam, ac Sardiniam, Italici iuris insulas possideret, oratores eius interfuerunt. Tum regis Ferdinandi legati, archiepiscopus Beneuentanus, & Andriæ dux; deinde Veneti, Florentini, Senenses, Ferrarienses, Lucenses, ac Bononienses, Sabaudienfes, quamuis eis alpes late dominantur, ad Francos inclinantes, cum Italicis adnumerari noluerunt. Genuenses nondum publice aderant, clam tamen auxilia pollicebantur. Cardinales sinistram, dextrumq. latus Pontificis obtinebant. Principes, ac legati è regione sedebant, quibus audire paratis, decreuimus, inquit Pontifex, vestro consilio filij bellum Turcis inferre; nec dubitamus quin arma, equi, homines, naues, pecuniæ abunde suppetant, si Christiani suæ saluti affuerint. Nunc cogitandum est mari, an terra, an vtrobique aggrediendus sit hostis; & quæ classis, quisve terrestris exercitus sit necessarius, & quibus ex populis legendi sint milites: verum pecunia Hungari, an milite sint adiuuandi, consulite in medium; & quæ promittitis auxilia palam proponite. Primus ad hæc Franciscus respondit, & quæ pridie promiserat confirmavit; deinde hoc consilium dedit: videri sibi necessarium esse mari, terraq. Turcas summis viribus inuasum iri. De quantitate exercitus, se qui vires hostiū nesciret, loqui non posse. Milites autem ex his regionibus delegendos fore, quæ Turcis essent proximæ, nossentq. mores hostium, & insidias callerent: ex Italia, ceterisq. prouincijs remotioribus pecunias cogendas, quibus Hungarorum, & aliorum exercitus alerentur; incognitas Hungaris gentes haud quaquam mittendas, quæ facile cum illis tumultuarentur, nec sine grauiissimo sumptu, aut mitti eò possent, aut retineri. Aragonenses, quorum princeps erat Cliuensis episcopus, multa & magna sui regis nomine, promiserunt; & Fran-

De belli consultatione, quo milite, quibusve modis esset incundum, cum Italicis habitata.

K 4 cisci

cifici consilium laudarunt: Veneti, qui nihil polliceri auderent, a consilium, tanquã priuati homines dantes mari, terraq. hostẽ esse premendũ, censerent: classẽ triginta triremium, & octo nauium cetearũ in mari sufficere, quã in Hellespontũ trajiciens, littora hinc Græciã, inde Asiã infestaret; sic fieri vt multi Turcarum ad custodienda maritima loca destinarentur: terrestres copias ex Hungaria, vicinisq. locis cogendas esse: equitum quadraginta millium, peditum viginti millium: nec minores esse oportere: argentum bello necessarium, ex reliquis Christianorũ prouincijs hauriendũ: qui postea locuti sunt omnes fere in hanc sententiam pedibus iuerunt, præter Sigismundum Malatestam, qui vbi ad eum ventum est, assurgens militari quadam, & præcipiti facundia: Ego, inquit, Pater sanctissimẽ rem nauticam prætereo, cuius me fateor ignarum, Venetis hanc prouinciã relinquo, in bello campestri exercitatus; qui ante me locuti sunt, omnes eas gentes armandas dixere, quã Turcis coherent, & illorum mores norunt; mihi longe alia sententia est: nam, qui Turcis proximi habitant Hungari, Valachi, Rasciani, Bulgari, Epyrotæ, Græci, sæpe ante illorum ora ceciderunt, neque vultum possunt Turcarum ferre: ego si hoc bellum sim gesturus, Italici generis equites, ac pedites armauerim, eo numero, qui satis fuerit; nec de victoria dubitauerim: præstant enim nostri milites, ac duces longe alios; equos præterea, & armaturas meliores habemus; neque illud obstat, quod genus pugnae nescimus, quo illi vtuntur, quando neque illi nostrum nouere, & facilius nos illorum insidias, quã illi nostras vitabimus, vt sunt Italorum dexterrima ingenia: quare suadeo, vt reliqui pecunia contribuant, Itali bellum gerant. Laudata est Sigismundi oratio; postquam vero cuncti finiere, Pius in hunc modum locutus est. Et nos quidem si fieri posset ò filij hoc bellum Italico milite gereremus; quando nulla est alia gens, quã sit præstantior armis: sed hoc difficilimum est, atque propemodum impossibile: quis enim tantum auri subministret, quantum hæ copiarum consumant, quã ab Italia in Græciã proficiantur: nec duces nostri sunt, qui militare extra Italiam velint, inter nos sine vitæ discrimine, & magno cum emolumento beligerant; cum Turcis cruenta fiunt prælia, nec lucra magna quæruntur, nisi animarum. Rursus Theutones, atque Hungaros, siue Bohemos pecunia conducere, qui bellum gerant, arduũ est;

A est, nisi Italia pecuniam dederit, nulla prouincia dabit: Auari & suspiciosi sunt illi, semperq. falli circa pecuniam existimant; fortasse armatum militem dabunt, aurum non dabunt, & si eo pacto plus conferant, pecunia Italica vix classi sufficiet: quod possumus, nõ quod volumus necesse est facere, eo milite gerendum est bellum, qui haberi potest; Galli, & Angli, & Theutones, & Bohemi, & Poloni copias pollicentur, hisque terrestre bellum instruemus: ex Hispanis, qui Castellani vocantur propter Mauritanos, quibus cum certamen habent, excusatum se mittent: Cathelani, & Aragonenses, & Portugallenses, si quid obtulerint, ad rem nauticam pertinebit: labor erit non imus inficias, tot diuersissimas gentes in vnis castris continere; licebit tamen & plures duces, & plura castra constituere, ea moderatione adhibita, vt altera subueniant alteris, cum necessitas ingruerit: vnum tamen ducem cuncti respicient Apostolicæ sedis legatum, & vnum signum sequentur, viuificæ Crucis: verum hæc præmatura est cura.

B Nunc vnde copias habeamus in consultationẽ venit; & quã multas cogere oporteat; his habitis & de ducibus, & de concordia gentium transigemus. Multa de potentia Turcarũ in medium adducta sunt: nobis compertum est plus quã ducenta hominum millia eos ad bellum adducere non posse & in his rusticos, inermes, atque imbellem turbam contineri: robur sui exercitus in Genizeris consistere, qui quadraginta millia non excedant; nec dubitandum esse de victoria Christianorum, si vel quinquaginta millia ad pugnam ierint, quando & armis multo, ac virtute præstant; verum equites esse oportet, maiori ex parte, qui bellum gerant: loca enim campestria sunt, in quibus pugnandum erit, & Turcarum equitatus est magnus, & maiores copiarum; neque regi facile, neque ali possunt, bello maritimo, triginta triremes, & octo ceteas naues affirmant Veneti victoriam tradituras: idest ferme omnium, qui Turcas nouere iudicium; quod si decem triremes adijciantur, non est dubium quin nostri mare possideant, neq. sinant, ex Asia transire Turcas, quorum maxima pars ad tuenda, quã circum mare sunt, oppida distinebitur: & multo minores erunt copiarum ad campestre bellũ ituræ: sic rerum gnari loquuntur. Diximus vnde legendi sint milites, & quantas terra, mariq. copias haberi oporteat: nunc de pecunijs transigemus. Nostra sententia est, si consulitis,

Quãto milite opus, & vnde de pecunia exigenda sit, & Venetorũ tergiuersatio

vt clerici suorum prouentuum in hunc vsum triennio decimam afferant, laici trigessimam, Iudæi omnium quæ possident vigesimam, hinc pecunias abunde corrademus, huic bello necessarias; si qui plus conferri voluerint in lucro erit; vos si melius aliquid cogitastis, proponite in medium, nos consilia vestra sequemur. Placuit omnibus Pontificis sententia, & secundum eam decretum ediderunt, cui præter oratores Venetos, ac Florētinos ceteri omnes subscripserunt. Florentini admodum reprehensi, quod ad concilium missi tantum verba dedissent semotis arbitris Pontificis colloquium petiere, quod cum obtinuissent, tandem duobus intromissis cardinalibus Bessarione Nicæno, & Ioanne sancti Sixti, Florentinum populum ad obseruationem decreti obligauerunt; petentes id occultum esse, donec nauigia mercibus onusta ex Constantinopoli redijissent, quod ante Natalem Saluatoris diem futurum esse confidebant, de qua re solemnisi stipulatio intercessit; & nihilominus ne Florentinorum negligentia res Christiana impediri videretur, Franciscus Mediolanensium dux, pro Florentinis publice se vadem constituit. Post hæc multa cum legatis Venetis agitata sunt, qui etsi generale mandatū à republica nō haberent, vt solidi, certiq. aliquid promitterent, rem tamen verbis trahebant, verentes ne inuito cum Turcis bello, omnis in Oriēte negociatio cessaret: & ne Mediolanensis, dū ipsi Turcarum bello essent occupati, arma contra res suas inferret. Sed cum pressius vrgerentur, dixerunt, Venetos ita demum socios futuros, si rem nauticā soli administrare permitterentur: si sua facerent ex hoste rapienda: si classis impensa leuarentur: si exercitus ex Hungaria contra Turcas quinquaginta millium equitum, & viginti millium peditum proficisceretur: classem autem sexaginta triremium, & nauium viginti cetearum necessariā esse aiebant: & in his vltra remiges, & reliquos nautas, octo millia militum requirebantur: corpora nauium, & armamenta tantum se gratis exhibituros promittentes: pro ceteris rebus pecuniam exquirebant: atque in hunc vsum decimas, vigesimas, ac trigesimas suæ ditionis, quas centū quinquaginta millia auri nummum conferre arbitrabantur: neque his contenti, amplius auri quindecies centena millia ex publico postulabant: & huiuscemodi Venetorum oblatio fuit. Quibus Pontifex ita respondit. Mercedem Veneti fere impossibilem quæritis: dolendum est ciuitatē vestram, quæ olim maximas classes pro tutela fidei libenter

A benter armauit, hodie ne vnā quidem nauim armare velle. Contra Pisanos, contra Genuenses, reges, & Imperatores pro socijs, ac subditis ingētia sæpe bella vestro ære gessistis: nunc pro Christo pugnaturi aduersus impios Turcas præcium poscitis? Nos vestræ ciuitatis procuratores sumus, suam rem agimus, dum bellum Turcis inferre quærimus, hostem vestris ceruicibus imminentem studemus auertere. Quis regum vnquam tantum auri in apparatu alicuius belli promptum habuit, quantum ex nobis quæritur? sufficit tantum adesse, quantum principia requirunt: reliquum decretæ decimæ ministrabunt: & duces si (modo homines) fuerint non foeminae. Vos insuper oratores, sexaginta triremes & viginti naues exigitis: nuper dimidiatā classem satis esse dixistis: septuaginta millia pugnatorum ad bellū campestre deposcitis, qui res Turcarū inspexere quadraginta millibus confici posse bellū dijudicant; difficultates ingeritis, ne bellū fiat; agite non fiat, vos primi dabitæ pœnas. Multa in hunc modum, & sæpe dicta sunt. Oratores, vt erant cauti artificiose respondebant, ex superiorum temporum successibus Turcarū rerum peritissimi, nunc istā, nunc illam viam aperiebant; hostiūq. vires augentes, nostras attenuantes, tempus trahere conabantur, donec solueretur conuentus.

C Interea de legatis Francorum aduentantibus rumor obortur, quod amici Venetis, infesti Papæ propter regnum Siciliae, ad concilium veniant. Dux itaque Mediolani subscripto promissionis decreto domum repetijt. Ex oratoribus regis Franciæ, qui nominati erant, vnus præcessit decanus Carnotensis, cuius supra meminimus: is cum esset electus suæ pontifex Ecclesiæ, & secundum pragmaticam sanctionem à suo metropolitano confirmatus, non tamen satis tutum se existimabat, nisi à Romano Præsule approbaretur. Accepto itaque legati titulo, vt causam suam melius ageret, ante alios oratores iter arripuit: cumque Mantuæ præmissus esset, significauit se tanquam electum episcopum veste linea sub pallio ingressurum, idq. licere sibi ex venia Pontificis arroganter petebat: nec arbitrabatur ob dignitatem legationis id posse negari, sed iussus est aut id vestis deponere, aut retro in Franciam reuerti; ille humiliatus Pontifici obediuit, & obtenta demum confirmatione, prius domum redijt, quàm ceteri legati adessent; secuti sunt paulo post oratores, alij non minori admiratione, quàm fuerant expectati: legationis principes fuere

Legatio Francorum, Britannorum, Genuensium, & Rhenati.

fuere Turonensis archiepiscopus venerabilis senex, episcopus Parisiensis disputator acutus, Thomas Corcellus insignis theologus, & Bailiuius Rothomagensis. Rhenatus Sicilię rex oratores suos his adiunxit, episcopum Massiliensem, quem supra nominauimus, & militiæ suæ magistrum. Sequebantur & ducis Britannię legati, nepos eius, & Maclouiensis episcopus, & alij quamplures viri præstantes. Adfuit & legatio Genuensium, qui Francis tanquam dominis adulabantur.

De Britania.

Britannia hodie Gallię portio est ad Oceanum sita, olim insula fuit, quæ apud Ptholemæum Cosmographum Albion appellatur; Angli Germanicum genus, Britannis insula pulsus, à se Angliam vocauerunt; illi in continentem nauigantes inter Guascones, & Nortmannos, sedes sortiti sunt, in quibus nomen, & linguam retinuerunt, multis ciuitatibus occupatis, quarum vna est Venetensis appellata, cuius ante meminimus, cum de Venetijs Italicis ageremus. Dux Britannię, etsi est minor Francorū regis, eiusque terra circumdatur: suis tamen legibus viuunt, neque recognoscit in temporali ditione superiorem: ea propter cum Franci pragmaticam quandam sanctionem edidissent, quæ Apostolicæ sedis eminentiam, gloriamque circumscribere videbatur, non obtemperauit illi, neque Gallicas sanctiones secutus est. In obedientia primæ sedis, more maiorum perseverans: legati sui Mantuam profecti, cum animaduertent cunctari Francos in exhibenda Pontifici obedientia, non expectatis illis consistorium petere, in quo sui principis mandata referrent: impetratoque adsumus, inquit, Maclouiensis episcopus Britannię ducis legati, filij tui obsequentissimi obedientiam tibi, & reuerentiam, more maiorum exhibemus: te Christi vicarium profitemur: verum beati Petri successorem, militantis Ecclesiæ caput, & magistrum: Christiani sumus, & te ducem sequimur Christiani exercitus: maiores nostri, post accepta semel Christi sacra, nunquam apostatarunt: vixere Romanis legibus, nec vnquam primæ sedis mandatis aduersati sunt: pragmaticam sanctionem Gallicæ gentis inuentum respuere: prædecessoribus tuis constanti animo adhaerunt: sequitur princeps noster suorum vestigia progenitorum: te iubente nos hunc adire conuentum voluit: auditorus, facturusque mandata tua: accepit te velle in Turcas expeditionem ducere: laudat propositum tuum, & necessarium, sanctumque opus esse affirmat, quod meditaris: non deest tibi, cupit esse particeps præclari

A præclari huius operis: arma, equos, naues, viros apparabit, cum iusseris, pro suis facultatibus, teque sequetur; tantum curato, ut aduersum potentissimum hostem potenter proficiscaris.

Letatus est Pontifex legatione Britannica, & amplissimis verbis ducem, & gentem collaudauit. Inter legatos Francos dies aliquot disceptatum est, obedientiam prius præstarent, an res Siculas aggredierentur; sed cum Pius inobedientibus audientiam negaret, coacti sunt obedientiam præmittere. Verba fecit Parisiensis episcopus, qui Dauiticum illud pro thymate, ut aiunt, prætulit: Secundum nomen tuum, ita & laus tua in fines terrę, iustitię plena est dextera tua. Deinde orationem suam partitus, de laude Pontificis, de sedis Apostolicæ eminentia, de gloria sui regis, ac regni multa locutus; tandem obedientiam regis nomine præstitit, filialemque illam appellauit, ut seruilem excluderet: de Turcis pauca libauit, paucioraque aduersus eos auxilia promisit. Massiliensis deinde Rhenatum regem obedientem obtulit: & Broccardus Genuensis orator pro sua ciuitate orationem habuit, ornatam quidem; sed quæ superbam olim urbem, iam seruam ostenderet, Francorum arrogantiam, ac tumorem ancillantem. Pontifex omnibus auditis, indignum se esse respondit, qui tantis præconijs extolleretur; vilem se vermiculum puluerem, ac cinerem vocitans, nec suis meritis, sed occulto quodam diuinitatis iudicio, ad beati Petri cathedram accersitum; optare, ut ministerium iniunctum pro diuina gloria possit explere; attributas Apostolicæ sedi laudes veras esse, quamuis re ipsa minores, quæ cælestis regni clauis accepisset, diuinitatemque referret in terris, cuius iudicium, qui sperneret, anathema esset: regnum Franciæ inter cetera excellere armorum gloria: regum illustria fuisse opera, & antiquum sanguinem; Carolum, qui regnare, & à suis progenitoribus haud quaquam degenerare; obedientiam eius erga Romanam Ecclesiam laudem mereri; quamuis aduersus Turcas pauca promissa essent, sperare se magna de illa domo, cuius proprium fuisset, & Romanam Ecclesiam, & Christianam religionem aduersus hostes defendere: Rhennati quoque regis obedientiam, & Genuensis populi deuotionem commendauit. Admirati sunt omnes qui aderant Francorum legatos, qui multa minabantur, tam humiles ac submissos fuisse. Expectabant curiales dura, & acerba Francorum audire verba, negari obedientiam, generale concilium peti, spe frustrati

Pollicitationes legatorum, & Pij responsa.

frustrati in admirationem Pontificis rediere.

Francorū que
rela de regno
Siciliæ, & Pij
confutatio ve
hemētissima,
& eius agrora
tio, & animi
magnitudo.

Post dies aliquot adeuntes Franci Pontificem, habere se aliqua dixerunt de regno Siciliæ, quæ præsentibus nonnullorum principum legatis exponere vellent: Pontifex libertatem fecit, aduocandi quos cuperent. Aduentauerat Imperatoris noua legatio, cuius principes fuere Ioannes episcopus Eftetensis, virtute & auctoritate insignis, & Georgius Tridentinus Pontifici iā pridem notus. Tum Carolus marchio Badensis, cui soror Imperatoria nupsit. Aderant & legati Castellæ regis, episcopus Ouetensis, & monachus quidam ordinis Minorū ex Iudæis ad Christianam religionem conuersus. Indigna tanto principe legatio. Miserat & Alfonsus Lusitaniæ rex oratores suos non ignobiles, hos & alios plures accersuerūt Franci; adeuntesq. Pontificē Rothomagensi Bailiui dicendi prouinciā mandauere. Qui facto silentio Francorū, quos appellauit Liliatos, egregia pro religione facinora, & quot in Apostolicam sedem beneficia contulissent, longa oratione narrauit: regnum Siciliæ quo pacto ad eos peruenisset, & quanto sanguine fuisset emptum, exposuit: Alfonsum armis nō iure vsum, qui eos eiecit indigne Pium fecisse, qui filium Alfonsi spurium, ac corona indignum, tanto regno præficeret: Rhenatum spreuisset verū regem, quod Calistus quamuis Aragonensis efficere noluisse, iniuriam passos esse à Pontifice Francos, Pium, qui nobilissimo Liliatorū spreto sanguine pretulisset Aragonenses, petere, vt inconsulte facta consulte reuocaret: Rhenato regnum decerneret: Ferdinandum reijceret, sic futurum, vt contumelia Francis illata compensaretur. Hęc orationis sententia fuit, quibus auditis cristas cuncti erigere, qui Francis erant amici, & quasi victores exultare, nec ausurum respondere Pontificem arbitrari. Ipse vero paucis pro tempore vsus. Audiuius, inquit, oratores regij, quæ pro Rhenati causa dixistis non sine accusatione nostra. Nos quæ fecimus in regno Siciliæ, consulente cardinalium senatu, gesta sunt, nunc si reuocari tanquam iniuste acta petuntur, æquum est vt eorum consilium exquiramus; quo habito, responsum & querelis, & petitionibus vestris dabimus: atq. ita conuentum dimisit. Post hęc Pontifex graui ægritudine stomachi affectus est, & arida tussi adeo vexatus, vt de vita eius & ipse, & medici dubitarent. Franci vero ea re cognita simulationem esse, non ægritudinem dicere, responsum exigere, properare, instare, victum Pontificē suis

ratio-

A rationibus existimare, ac propterea responsum effugere. Quod cum Pius cognouisset: Et si me, inquit, media in concione mori oporteat, respondebo, nec vincet animum dolor, nec faciet ægritudo vt timere videar. Vocatis igitur cardinalibus, & communicato responso, quod facturus erat, quamuis nonnulli inter paucos respondendum suaderent, ipse legatos omnes principum accersiri iussit, & qui præstantes erant in curia viri, qui cum frequentes conuenissent, Pontifex languidus, & ingenti dolore oppressus, cubiculum exijt, & in aula sua, sublimi sedens folio, indito silentio pallidus, & admodum anxius vix fari poterat. At vbi calor inualuit, ardens dicendi vi, dolore superato, affluētibus verbis, sine vilo labore locutus trium horarum habuit orationem, quæ maxima omnium attentione audita est. In ea Pontifex Francorum laudes, longe melius, quàm Bailiuius explicauit; confessus est multa illos in Romanam Ecclesiam beneficia contulisse; verum non minora ab ea recepisse: quæ in regno Siciliæ facta essent, nec iure, nec ratione carere: iniustas esse Francorum querelas, quorum iuri non esset derogatum: Verum iniurios ipsos negari non posse, qui legem in regno suo promulgassent, Apostolicæ sedi aduersam, quæ multas animas in gehennā raperet: extat oratio inter alias scripta, non est cur singulas eius partes huic loco inseramus, in volumine orationum quærenda est, si quis quam pulchre Gallorum dicta fuerint confutata, cognoscere cupit. Cum Pius dicendi finem fecisset, Franci suum regē læsum dixere, cupere audiri, ne indefensum sui principis honorem relinquere viderentur: quibus Pontifex: Vos, inquit, audiam & quando, & quoties placebit, & statim ex aula in cubiculum redijt, omni languore, ac dolore liberatus, ita calor orationis frigus omne deiecit è stomacho. Cardinales lætabūdi ad eum ingressi pro seruato sedis honore, gratias egere: curiales qui Pontificem contemnere videbantur, in admirationem eius conuersi sunt, illud præcipue laudantes, quod de pragmatica sanctione fuerat dictum, affirmantes memoria patrum nostrorum nunquam fuisse Papam, qui verba fecisset magis Papalia.

Postridie cardinales Galli Pontificem accedentes, oratoribus Francis publicam audientiam petiere, ita illos cupere affirmantes. Pontifex concessurum se ait, verum publice dicta, publice confutaturū: eligerent publice, an priuatim confundi vellent, quia non esset elinguis Pontifex, neq. partes iniustæ causæ tueretur.

Altera Francorū querela in consistorio secreto, alteraq. Pij confutatio.

retur. Considerauerunt verba Pontificis Franci, priuatamq. audientiam elegere, octo tantum cardinalibus accersitis, atque horis duabus Rhenati causam orauere; ea locuti, quæ nullo pacto confutari posse arbitrabantur. Verum Pontifex cunctis memoriæ commendatis, quæ pondus habere videbantur, ex tempore nihil moratus, adeo efficaciter obiecta diluit, adeo acute sua confirmauit, vt gratissimum Francis fuerit, coram paucis fuisse certamen, quippe qui suarum memor actionum, qua ratione hoc, aut illud fecisset non ignorabat. Nulla fuit argumentatio Francorum, quam non è vestigio dissoluerit, qui rubore, ac confusione, & ipso denique silentio, palam se victos reddidere; quorum plurimi, qui antea Pontificem blasphemauerant viri nobiles, & legationis principes ad pedes eius prostrati veniam petiuerunt. Reliqui ad impetrandas gratias se conuerterunt, neque amplius de regno Siciliae verbum facere præsumperunt. Quorum Fecialis, siue vt nostra ætas vocat, Araldus vir prudens cum in corona curialium rogaretur, quid nam Franci silerent? quorum minæ tanquam tonitrua prius auditæ fuissent, facete respondit: Dæmonio, inquit, vexati ad Ecclesiam dum trahuntur clamoribus, omnia complent, at vbi sacerdoti in conspectum venere, & facris tacti velaminibus, veluti mortui conualescunt. Idem nobis accidit, viso & audito Pio Pontifice, cecidit omnis furor.

Legatio Francorum parū ad rem communem afferens, suis tantum querelis occupata.

Post hæc rogati oratores Franci, quid auxiliij contra Turcas afferrent; vanum esse dixerunt de Turcis cogitare, nisi res Gallicæ, atque Anglicæ componerentur; quia nemo vellet indefensam patriam hosti relinquere, quærendam domi pacem, tum de bello in externos agendum: ad quos Pontifex prius inquit quàm Franci, & Angli reconcilientur. delebunt Turcæ Hungaros, sero deinde auxiliū afferetis, licebat si non milite, at saltim pecunia rem Christianam iuuare: Quamuis cur militem quoq. nequeatis mittere non videmus, qui & à vobis requiritur, & ab Anglis; quòd si pares copias, proportionem habita, ambo miserint, nil minor erit vestra domi potentia, quàm nunc est aduersus hostes. Cumq. rationibus satisfacere non valerent, mandatum sibi fuisse dixerunt ea de re, vt nihil promitterent, nisi venientibus Anglis, & pacem accipientibus: cum illi non venissent, silendum sibi esse; vtile tamen illud videri consilium: Anglos citra mare ad locum aliquem accersiri Francis, & illis accommodum, eòq. legatum Apostolicum destinari, qui partes componeret: Quod facturum

Aurum se Pontifex nō recusauit, sed rebus deinde mutatis, cum Franci sedem Apostolicam magis ac magis persequerentur, & Angli magnis inter se odijs laborarent, res ipsa neglecta est: nec plura cum Francis acta.

Miserat Pius prius quàm Roma recederet Franciscum Interamensem episcopum in Angliam, qui regis auxilia aduersus Turcas exquireret, regnique lites componeret. Henricus eius nominis sextus, per id tempus Anglorum regno præsedebat, vir muliere timidior, consilij, atque animi prorsus inops, & qui vxori cuncta commisisset: erat tamen religionis amans, & circa res diuinas valde attentus, qui iussus legationem mittere ad conuentum Mantuanum nomine regio, & rebus, quæ ibi tractandæ forent, non indignam, episcopos, & proceres regni præclaros designauit oratores; sed nemo illorum iter ingressus est, contempserunt omnes regis iussionem. Ille duos presbyteros, modici nominis, ad Pium transmisit, qui & obedientiam offerrent, & cur legati maiores nō venissent, causas redderent. In litteris mandati non fuerunt de more, aut testes nominati, aut subscripti tabelliones; sed adnotata erat regis manu huiusmodi subscriptio, Henricus teste me ipso: & sigillum regni appensum. Contempsit Pontifex, derisitque tanti regis tam vilem legationem; nec vltra ad conspectum suum admisit. Interea spretus in Anglia Interamensis episcopus, cum legationis officium non permetteretur exercere, indignatus ex Anglia recessit, & transmissio mari, Calesium venit. Ioannes Varuicomus, vir strenuus, & audax ob indignationem regis eò confugerat, qui paucis diebus ante, cū accepisset regiā classem aduersus se breui nauigaturam esse, quæ in portu Sanduciæ instruebatur cum octingentis viris noctu nauigans imparatos hostes aggressus, edita non parua cæde, multisque cum præfecto classis interceptis, victor redierat. Is accersito episcopo, & cognita sui recessus causa: Mane, inquit, noli abire. Ego te in Angliam reducam, & tuæ legationi locum faciam: rex noster stupidus est, & mente captus regitur, non regit: apud vxorem, & qui regis thalamum foedant, Imperium est. Ego cum ferre ista non possem, & aliam regni formam requirerem, eiectus sum à facie regis; breue exilium meum erit. Multi mecum sentiunt, quorum princeps est dux Eboracensis, cuius regnum esset si iura spectarentur; armatæ nobis copię prope-

De rebus Angliæ, & legati fraude, ac pace confecta.

diem adierunt, ferro fortunam experiemur, si dabit victoriam Deus, eijciemus hostes à latere regis, & nos ipsi regnum gubernabimus: Rex nudum nomen retinebit: recipiemus te summi præfulis legatum, & breui regno composito, classem pro religione parabimus. Acquieuit episcopus, & cum illo in Angliam reuersus est. Comiti armatorum viginti millia præsto affuere, & paulo post duplicatus exercitus est; in eo episcopus vexilla crexit Ecclesiæ Romanæ, & quasi aduersus hostes fidei præliandum esset, plenariam peccatorum remissionem indulgit his, qui pro parte Varuici comitis pugnarent aduersus hostes eius anathema promulgauit, litteris Apostolicis pro castris ostensis, quæ licet aliud continerent, id ipsum credebantur habere. Commissa pugna ingens occisio facta est, & nonnulli proceres periire. Rex Angliæ captus Londinium ductus, ibique non absque honore regio est habitus: Regina cum filio, & plerisque suæ factionis proceribus in Galliã fugit. Conuocati sunt apud Londinium prælati, & proceres regni, parlamentum ut ipsi vocant, de rebus publicis habituri: in quo illud ante omnia placuit, ut acta prioris parlamenti, quod anno præcedenti fuerat habitum, rescinderentur; in eo enim dux Eboracensis comes Sarem, & comes Varuici hostes regni fuerant declarati, rescissione obtenta, dux Eboracensis regnum ad se spectare dixit: qui Riccardo regi quondam occiso propinquior esset; nec ferendum, ut ij regnarent, qui occisori successissent. Impium id genus hominum, qui regnandi causa parricidium commisissent. Henricum quartum patruum suum occidisse, regnumque per tyrannidem occupasse: illi filium successisse Henricum quintum, & quinto sextum, qui tum impij, & violenti regis hæres esset: parlamenta, quæ vi adhibita per metum aliquid decreuissent non valere: regnum sibi iure deberi, qui parricidiali excluso genere, regij sanguinis primus extaret, coronam petere. Henricus ut priuato viuendum, iusta petitio videbatur: obstabat iusiurandum regi præstitum, & longa possessio, & patris beneficium, qui Gallos gentem infestam Anglico nomini compressisset: sed eum pertinaciter Eboracensis instaret, prope ad arma ventum est: neque enim Varuicius, cuius audacia res acta erat, passurus videbatur eum regno deijci, qui rex esset receptus. Denique legati prouidentia, discordia in hunc modum composita: Henricus quoad vixerit rex esto, cum obierit Eboracensis, aut eius

filius

A filius succedito: interea ad priora stipendia marcharum auri decem millia quot annis ex regio fisco accipito: reliquis in rebus pacem habeto. Sic res gestæ sunt ad Calendas vsque Nouembris, anno salutis Millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono: legati toto regno magnum est nomen habitum, in quo multum auri corrasisse creditus est; sed arma vicere: nullum ferrum tam aptum fodiendo auro, quam ensis.

B Paulo post regina congregatis in Gallia nouis exercitibus, quasi virum è manibus hostium ereptura ducere Londoniũ statuit; occurrentemque ducem Eboracensem in prælio superauit, & cum plerisque baronibus interfecit. Re cognita, trepidare Londiniarum populus reginæ deditionem faciendam dicere, minari qui contra sentirent. Legatus non tam in aduersis audax, quam cautus in secundis rebus, mortem veritus si remaneret, relicto Varuicio in Flandriam properare nauigauit. Regina animo, & viribus aucta non procul à Londonijs castra posuit; & fugientem ad se regem in eis recepit; obtinuisseque procul dubio ciuitatem, nisi muliebri superbia, & vlciscendi nimia cupiditate, duriores imponere leges ciuibus voluisset, quorum plerosque ad supplicium exposcebat: illi enim postquam implacabilem reginæ animum cognouere, spemque solam in armis esse, Eduardum Eboracensis interfecti filium, ac Varuicium secuti ad pugnam egressi sunt. Regina in prælio superata, multis suorum amissis, cum viro, ac filio fugam arripuit. Victores Londonias reuersi nouum parlamentum indixere, in quo Henricus cum filio, & coniuge hostis regni; Eduardus vero rex Anglorum declaratus est. Nec diu postea alio commisso prælio superatis Henrici partibus, Anglia fere tota ad victores defecit; victi ad Scotos confugere, atque apud eos, ludente fortuna, miseri saluati sunt, quos sæpe felices timuerant.

D His motibus laborantibus Anglicis, nihil fuit, quod ad tuendam fidem Pius Pontifex illinc haurire posset: atque ita spei suæ magna ex parte cecidit, cum opem religioni afferre Franci nollent: Angli non possent. Conuertit se tandem ad Germanos, ne quid inexpertum dimitteret. Aderant, ut diximus, Imperatoris oratores, tum Electorum Imperij, & multorum ex Germania principum, ac ciuitatum legati; his ad se Pontifex accessit, quid Imperator, quidve ceteri contra Turcas offerrent percontatus est; nec facile responsum obtinuit, cum legati prin-

L 2 cipum

Aliud bellum in Anglia, & regis prioris eictio, vxorisque pugna, & tandem exilium.

Oblata Germanorum, copiarumque numerus, & legatus Apostolicus missus.

cipum ab Imperatoris sententia dissentirent. Sator maxime discordiarum erat Gregorius Hamburgensis iuris interpres celebratus, & eloquentia Theutonica insignis. Oratorem suum Albertus Austriæ dux, & Imperatoris germanus eum miserat, qui per id temporis cum fratre dissidebat. Gregorius quoque, cum Imperatori dicacitate sua sæpe displicuisset, & à latronibus captus, sex millibus aureis se redemisset, quæcunque sibi acciderant, ab Imperatore prodijisse arbitrabatur, eamque ob causam singulari eum odio prosequeretur: neque ulli rei consentiebat, in qua putaret existimationem Imperatoris crescere. Et quoniam expeditio in Turcas Federici gloriam auctura videbatur, toto ingenio impedimenta suggerebat. Superavit tamen obstinata Pij Pontificis diligentia, cum modo istum, modo illum ad se vocitans, Ecclesiæ, ac fidei causam dulcioribus verbis commendaret. Conuenerunt tandem omnes in vnam sententiam Germanorum legati, eumque Pontifici exercitum promissere, qui pridem Frankfordiæ sub Nicolao præside promissus fuerat, idest pedites duo & triginta millia, equites decem millia; ad quam rem duos conuentus necessarios esse dixerunt. Alterum Norebergæ in Franconia, alterum apud Casarem in Austria, legatumque de latere mittendum, qui conuenta prosequeretur. Annuit Pontifex, & Bessarionem cardinalem Nicænum ei prouinciæ præfecit: ducem vero exercitus Federicum Imperatorem dixit, data potestate, vt si per se se id muneris obire non posset, alium, quem vellet principem substitueret. Rogati oratores Franci, cum hæc agerentur, interesse recusarunt; vt qui aliorum gloriam suam esse ignominiam existimabant.

De Sigismundo Austriæ duce, & ingenio eius peruerso.

Dum hæc aguntur, Sigismundus Austriæ dux, qui se venturum sæpe promiserat, cū quadringentis equitibus, multaq. nobilitate, & splendido apparatu, Mantuam venit: obuiã iere duo cardinales, & omnis ordo curiæ, exceptus est in auditorio publico; verba eius nomine fecit Gregorius Hamburgensis, qui multa de domo Austriæ commemorauit, digna relatu, & principis animum in Turcas accensum dixit, qui nationis oblata quantum ad se pertinerent præsens confirmaret. Pontifex, qui Sigismundum à teneris nouisset vnguiculis pueritiam, & adolescentiam eius, summa cum laude peractam ostendit, reliquam ætatem præterijt. Laudes familiæ à Gregorio explicatas

A catas & probauit, & auxit: auxilia contra Turcas recepit. Inter cetera dixerat Gregorius, Sigismundum Pij, cum in minoribus ageret fuisse discipulum, qui suas epistolas auide legisset, quarum volumen apud se haberet, & aliquæ illarum Sigismundo essent scriptæ; quod verum inueniet, si quis epistolas sæculares legerit, quas Pius non dum sacris initiatus scripsit. Verum Sigismundi multo melior pueritia fuit, quàm adolescentia, cuius ingenij mores, cum ætate, vt paulo post dicemus, perierant. Post eos dies Franciscus Sfortia Mediolanum reuersus, tres boves miræ pinguedinis ad Pontificem miserat, quos rapis enutriuerat, aquis calidis lauare solitos, pectinariq. per singulos dies, & strato iacere mundo: horum Pius vnum Sigismundo dedit, alterum inter oratores principum partitus, reliquum sibi, & cardinalibus retinuit: caro ita omnibus placuit, vt suauiori cibo nunquam se pastos fuisse dixerint. Vigebant per idem tempus inter Sigismundum, & Nicolaum sancti Petri cardinalem, graues inimicitia de fœudis, & iurisdictione diu contenderant; tentatum est, si quo pacto reconciliari possent; sed cum frustra diebus aliquot cardinales, & ipse Pontifex concordia operam nauassent, discessit Sigismundus. Hic cum esset puer, & deinde adolescens, ad sextum & decimū vsq. annum sub tutela patris fuit, vt ante diximus, indolis supraquàm dici possit egregia, vultu decoro, & gestibus honestis; amaui litteras, viros coluit bonos, nullius rei tepidior, quàm virtutis apparebat. At dimissum ab Imperatore, postquàm in prouinciam euolauit, & magno tutore caruit; breui mutatum fuisse ostendit, vita quæ secuta est. Vxorē duxit filiam regis Scotiæ sanctam, & prudentem feminam, sed infelicem; quia arctissima eam custodia clausit. Cum accepisset aliquando gladium esse in Austria, quo duæ humanæ ceruices vno ictu amputatæ fuissent, quiescere non potuit, donec adnitente Ioanne Imperatoris quæstore eo potitus est: & talis tandem Sigismundus fuit, vt Austriaci familia multum dissimilis videri potuerit.

Hoc è concilio discedente, Albertus marchio Brandeburgensis ad Pontificem venit; vir celsi animi, & rei militaris peritissimus, qui & in Hungaria, & in Bohemia, & in Polonia, & in omni Germania militauit; ordines duxit, & magnorum exercituum extitit imperator; cuius tot victoriae fuerunt, quot prælia. Norimbergenses octo certaminibus superavit, vno tantum succubuit,

Aduentus fortissimi ducis Alberti marchionis Brandeburgensis.

buit, non magno accepto detrimento: octo & decem vicibus clypeo tantum, & pileo tectus, ad singularem pugnam vocatus, victor euasit. Torneamenta tot deuicit, quot adijt. Achillem plerique Theutonicum vocauere. Cum Ludouico Baioariæ duce bellum gessit, victorq. pacis, leges pro suo arbitrio dixit. Rursus bello reuocato, relictus à socijs, pacē ab hoste recepit. Tertiū bello resumpto illatis, receptisq. damnis, æquis conditionibus, interuentu archiepiscopi Cretensis, quem Pius in Germaniam miserat, inducias belli sub spe pacis amplexus est. Huic Mantuam venienti, cardinalis sancti Petri extra ordinem occurrit. Pontifex in auditorio publico eum excepit, laudauitq. magnificis verbis, qui sua opera contra Turcas alacri, & magno animo promississet, donauit quoque decē mille aureis, & equis Apulis duobus. In festo vero Epiphanię ensē, quo pro natalitio Domini dignior qui adest sæcularis princeps ornari solet, & pileum margaritis ornatum, dono ei inter solemnia dedit.

Prouocatio
ad futurum
concilium à
Pio sublata,
ac decretum
interpositum

Irreperat iam pridē in Ecclesia Dei exitialis consuetudo aduersus Romani Pontificis censuras, victi enim, damnatiq. Apostolica sententia ad futurum conciliū appellabant. Iudicem qui non erat, & superiorem Romano Præsuli dabant, qui non inuenitur in terris; & cū ipsi à suis sententijs appellari non sinerent, à Christi Vicario appellandū esse consentiebant. Cōsuluit Pius in ea re patres, qui aderant in conuentu quid censerent. Illi concordi voto responderunt, appellationes huiuscemodi cum suis auctoribus, damnandas esse; atque ita decretum editū est, quod appellantes à Romano Præsule ad futurum concilium tanquā hæresis fautores, & læsæ maiestatis reos plectendos esse statuit. Quod Pontifex postea diplomate confirmauit, atque sanciuit, eiusq. feriem inferendam fore valde vtilem existimaui.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Execrabilis, & pristinis temporibus inauditus tempestate nostra inoleuit abusus, vt à Romano Pontifice Iesu Christi Vicario, cui dictū est in persona beati Petri: Pasce oues meas, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælo. Nonnulli spiritu rebellionis imbuti, non sanioris cupiditate iudicij, commissi euasione peccati ad futurum concilium prouocare præsumunt, quod quantum sacris canonibus aduersetur, quantūq. reipublicæ Christianæ noxium sit, quisquis non ignarus iurium, intelligere potest; namque, vt alia prætereamus, que

huic

A huic corruptelæ manifestissime refragantur, quis non illud ridiculū iudicauerit, quod ad id appellatur, quod nusquam est, neq. scitur quod futurum sit? pauperes à potentioribus multipliciter opprimuntur, remanēt impunita scelera, nutritur aduersus primam sedem rebellio, libertas delinquendi conceditur, & omnis ecclesiastica disciplina, & hierarchicus ordo confunditur. Volentes igitur hoc pestiferum virus à Christi Ecclesia procul pelere, & ouium nobis commissarū saluti consulere, omnemq. materiam scandali ab ouili, nostri Saluatoris arcere; de venerabiliū fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium, cunctorumq. prælatorum, ac diuini, humaniq. iuris interpretū curiam sequentium concilio, ac assensu, ac certa nostra scientia, huiusmodi prouocationes, introductiones damnamus, & tanquam erroneas, ac detestabiles reprobamus, cassantes, & penitus annullantes, si quæ hætenus taliter interpositæ reperiantur, easq. tanquam inanes, ac pestiferas nullius momenti esse decernimus, ac declaramus; præcipientes deinceps, vt nemo audeat quouis quæsito colore ab ordinationibus, sententijs, siue mandatis quibuscunque nostris, ac successorum nostrorum talem appellationem interponere, aut interpositæ per alium adhærere; seu eis quomodolibet vti. Si quis autem contrafecerit, à die publicationis præsentium in cancellaria Apostolica, post duos menses, cuiuscunque status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerit, etiam si Imperiali, Regali, vel Pontificali præfulgeat dignitate, ipso facto sententiam execrationis incurrat; à qua nisi per Romanum Pontificem, & in mortis articulo absolui non possit. Vniuersitas vero, siue collegium ecclesiastico subiaceat interdicto; & nihilominus tam collegia, & vniuersitates, quam prædictæ, & aliæ quæcunque personæ, eas poenas, ac censuras incurrant, quas rei maiestatis, & hæreticæ prauitatis fautores incurtere dignoscuntur. Tabelliones insuper, ac testes, qui huiusmodi actibus interfuerint, & generaliter, qui scienter consilium, auxilium dederint, vel fauorē talibus appellantibus pari poena plectantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum voluntatis, damnationis, reprobationis, cassationis, annullationis, decreti, declarationis, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentari præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Man-

L 4 tuæ

1459. tuæ anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, quinto decimo calendas Februarij, Pontificatus nostri anno secundo.

Summa rerū
in conuentu
Mantuano cō-
fectarum, &
Pij supplica-
tio, dissolu-
tioq. concilij.

Paucis deinde diebus congregatis in templo beati Petri patribus, & vniuersis principum legatis, re diuina peracta, Pontifex è solio suo indicto silentio: Octauum hic agimus mensẽ, inquit, fratres, ac filij eos expectantes, qui ad conuentum vocati fuerunt: nostis qui venere, deinceps sperare alicuius aduentum, qui conferre aliquid ad rem nostram possit, vanum est. licet iam hinc abire. Peregrinus quæ hoc in loco facienda fuerunt: utinã Dei bene acta sit causa, quamuis meliora concepimus, quàm inuenimus; non tamen nihil omnino peractum est, neq. spes omnis cecidit: dicendum est quò res deductæ sint, ut sciant omnes quid adsit spei, & qui reges, quiq. populi ad tuendam fidem, vel prompti fuerint, vel negligentes: Hungari si adiuuentur summo conatu, & vniuersis viribus suis Turcas inuadẽt: Germani exercitum pollicentur duorum & quadraginta millium bellatorũ: Burgundus sex millium: Itali (exceptis Venetis, ac Genuensibus) cleri decimas, populi trigemas annuorum reddituum, ac vigimas Iudaicę substantiæ, ex quibus nauales copiæ sustentari queant: Idem facit Ioannes rex Aragonum: Ragusei duas triremes offerunt: Rhodi quattuor. Hæc tanquam certa solemni stipulatione per principes, ac legatos promissa sunt. Veneti quãuis publice nihil promiserint, cum tamen expeditionem paratã viderint, haud quaquam deerunt; neque patientur, ut suis maioribus deteriores videri possint: Idem de Francis, de Castellanis, de Portugallensibus dicimus: Anglia ciuilibus agitata motibus spem nullam pollicetur, neque Scotia in intimo abscondita Oceano: Dacia quoque, Suetia, ac Noruegia, remotiores prouinciæ sunt, quàm milites possint mittere; nec solis contentæ piscibus pecuniam ministrare possunt: Poloni Turcis per Mulsauia contermini, suam causam deferere nõ audebunt: Bohemos mercede licebit conducere, suo ære extra regnum non militabunt. Sic res Christianæ se habent. Classẽ pecunia Italica parabit, si non Venetijs, ac saltim Genuæ, aut in Aragonia; nec minor erit, quàm res ipsa deprecatur. Hungari viginti millia equitum armabunt, peditum haud minorem numerum, qui Germanis iuncti, ac Burgundis duodenonaginta millia militum in castris habebunt. Et quis non his copijs superatum iri Turcas arbitretur?


A tur̃his accedet Georgius Scanderbechius, & Albanorum fortissima manus, & multi per Græciam ab hoste deficient: & in Asia Charamannus, & Armenorũ populi Turcas à tergo ferient: nõ est cur desperemus, tantum Deus ipse coepta fecundet. Itẽ & narrate domi, quæ hic gesta sunt, & ut promissa in tempore faciant dominos vestros admonitos reddite; utq. propitia nobis sit diuina pietas, orationibus, & operibus pijs operam date. His dictis oblationes suas cuncti qui aderant confirmauere, qui nihil obtulerant confusi tacuere. Oratores Borsij, ut plus aliquid fecisse, quàm reliqui viderentur, aureorum tercenta millia in expeditionem aduersus Turcas polliciti sunt, non sine auditorũ admiratione. Postquam omnes finire, iussit Pontifex cardinales, episcopos, abbates, & sacerdotes cunctos, qui aderant sacras induere vestes: & ipse suo solio descendens ad gradus maioris arę se conuertit; ibiq. flexis genibus suspirans, atque illacrymans supplici voce, delectos è psalmis versiculos, qui ad rem accommodati viderentur respondentibus prælatis, & omni clero, longo spatio decantauit; & oratione præmissa populo benedixit. Atque in hunc modũ Mantuano conuẽtui finem imposuit.



COMMENTARIORVM

P II. II. PONT. MAX.

LIBER QVARTVS.



Ioannes Rhenati in belli initio sacrilegium, & principis Rossani perfidia, & Traiectum oppidum.



DVM hęc aguntur Ioannes Rhenati regis filius, neq. ingenio, neq. corpore piger, clafsem in Rodano parauit, vt in regnum Siciliae aduersus Ferdinandum proficifceretur. Alanus cardinalis Auinionensis à Calisto missus in Galliam de latere legatus, vt opē aduersus Turcas ex gente Francorum peteret, indulgente Carolo rege decimam clero imposuit: collegit eo pacto vim magnā pecuniæ, triremes quatuor, & viginti apud Auinionem construxit, ex auro quod supererat, Calisto nihil tradidit. Ioannes corpora nauium pro Christianorum tutela ædificata aduersus Christianos armavit: profectusq. Genuam, quæ tunc Francis parebat, auxilia eius populi obtinuit, Gaieta, Tranio, & aliquot alijs maritimis vrbibus in regno promissis, si hostem inde repelleret; cū nauigasset in Campaniā aliquandiu in ostio Vulturni fluminis delituit, inter spem metumq. dubius, cum nemo eorum à quibus fuerat vocatus, occurreret. Primus omnium Marinus princeps Rossani ad eum venit; Theanumq. illi aperuit, se ac sua cōmittens, hic sororē Ferdinandandi vxorem duxerat, Alfonso viuente extra matrimonium natam; & quamuis esset ingenio rudi propter nobilitatē tamen, & patris fidem in aula regia inter caros locum obtinuit. Vacante ecclesia Theanensi Pius Pontifex Nicolaū Pistoriensem, qui postea ad cardinalatum ascendit, virum doctum prefecit; negauit princeps possessionem, propter quod anathema factus est, & Theano sacris interdictum, quamuis contumacia cleri principem magis, quàm Deum timentis, seruatum non fuerit. Princeps à Deo simul, & à rege recessit, non aliam ob causam, nisi quia Traiectum nobile oppidum impetrare non potuit. In alto Monte nō procul à Lyri flumine situm, in quo primi Scipionis Africani sepulchrum ostendunt.

Huius

- A** Huius hominis exemplum, & princeps Tarentinus Vrsinorū familia natus, cuius supra meminimus, paulo post secutus est, quamuis antea de rebellionē rediisset in gratiam; poterat Grandeus senex absque virili sobole diues admodum, & longe, lateq. dominans feliciter æuum, quod supererat traducere; sed impatiens quietis canos suos sine bello deducere noluit. Rebellaui & ipse Ferdinando, vt idē Cathelanos regno deijceret, qui prius introduxerat, siue quod postea demonstrauit euentus, vt arbiter regni solus, & moderator esset. Secuti sunt & Caudolę domini Iacobum imitati genitorem. Accessit & Iosias Aprutinorum tyrannus crudelitate, atque impietate celebratus: accesserunt & Aquilani Cathelano sanguini nunquam satis placati, & Soræ dux, & Honoratus Caietanus Sermonetæ dominus, & Campi bassi comites, & marchio Crotoni, qui semel captus, atque minus diligenter custoditus aufugit: defecit & Carolus de Sanguinis, & Amalphitanus dux inter alios, & Hercules Estensi gente natus, Nicolai marchionis quondam filius præter omnium opinionem, qui Ferdinandandi non venationis solum, sed omnium secretorum comes fuerat: is Luceriam Saracenorum, in qua cum magna equitum manu hiemauerat, hosti aperuit: Mira rerum mutatio, pauci in fide manserunt, quorum principes fuere Honoratus Fundorum comes, ac Salerni princeps, qui vsq. ad mortem in fide permansit, quamuis aliquando nutare sit visus. Filij eius mortuo patre ad hostes defecere. Familia sancti Seuerini aliquandiu in officio mansit; postea conflictō rege apud Sarnum fortunæ manus dedit. Postremo vt est Regnicolarum variabilis natura melioribus effectis Ferdinandandi rebus, ad eum redijt.
- Ferdinandus tot malis circumuentus, cum iam hosti prorsus imparem se cognosceret, legatos & ad Pontificem maximum, & ad reliquos Italiae potentatus oratum misit; sibi vt pro foedere opem ferrent. Pontifex ex Mantua Nicolaum electum Theanensem ad Franciscū Mediolani ducem ire iussit, sciscitatū quid ei agendum in tanta rei nouitate videretur, nam etsi æquū erat foederi satisfacere, solus tamen tantum belli pondus assumere nō audebat. Franciscus subueniendum opresso censuit, Florentinosque, ac Venetos, vt fidem seruarent requirendos Ferdinandandi nomine; quo facto nec Florentini, nec Veneti suæ fidei fecerunt satis. Borsius, qui & ipse sextum locum in foedere obtinuit, apertus iam hostis effectus erat. Inuentus nemo est, qui Ferdinando

Rebelli principis Tarentini, & aliorum multorum, et qui in fide manserunt.

Auxilium Pij & Mediolanensis erga Ferdinandum regem, cum ceteri Italici foederis iura neglexerint.

nando ex foedere responderet, præter Pium Pontificem, & Franciscum Mediolani ducem, qui postea fere omnem belli sumptum, molestiamq. subiere.

Legatio Pij ad Venetos, & discessus e Mantua, profectio Ferraria, Borsijq. occurfus.

Pius qui nondum spem omnem in re fidei de Venetis amiserat, Gregorium Lollium fratrem suum consobrinum, Picolominea familia donatum, ad eos internuncium misit, qui sepe in senatu de classe contra Turcas paranda locutus, nihil profecit: illud tamen fecit, quod raro in ea republica est auditum. Prosequebantur Veneti acerrimo odio Petrum Barbum cardinalem sancti Marci propter ecclesiam Patauinam, de qua supra diximus; eiusq. beneficiorum bona ad publicam manum receperant, fratrem e senatu amouerant, ne quis possessionem ecclesiasticorum beneficiorum iniussu rogatorum consequi posset, lege sancierant. Quæ omnia in Pij Pontificis gratiam Gregorius abrogari facile obtinuit apud eam rempublicam eloquentia, grauitate, & animi fortitudine, magni habitus. Pontifex legationibus per Germaniam, & alias prouincias absolutis, ex Mantua recedens, cardinalibus quattuor comitantibus, Rouerium nauigio peruenit, alij terra iter fecere. Cardinalis sancti Petri ad ecclesiam suam profectus est, atque ibi sicut postea dicemus, scandalum passus, Prosper Columnensis cardinalis sancti Georgij, in Velauro visere Venetias statuit; quod cum venisset, ciuitate donatus est, & inter patricos vrbis ascriptus. Ruthenus cardinalis cum in Græciam transire decreuisset, collectis ad usum belli pluribus armis, quibus in auxilio sue gentis vteretur, tandem apud Anconam remansit: erat hiems admodum frigida, & omnia gelu, niueq. (Ianuario mense iam inclinante) rigeabant. Mirabantur curiales senem Papam tam aspera tempestate iter ingredi; sed qui eundo non horruit æstus, nec algorem redeundo pertimuit. Nocte in Rouerio peracta, sequenti die Borsium occurrentem in Pado habuit: nauis Buccentoria vectum, & magna minorum nauigiorum multitudine circumdatum, adeo vt nullam fluminis partem non agitarint, pulsarintq. remi, vexilla multi coloris impulsa ventulo, aspectum mirabilem reddidere. Tubæ, tibiæ, & omnia musicorum genera in altioribus collocata puppibus, dulcem præbuere concentum. Personatus apparere diuersi Deorum, ac Dearum, & Gigantum, & Virtutum, pueri, ac puellæ cantare in aggeribus, qui amnis inundatione cohibent, quasi ad spectaculum viri, ac mulieres sedere. Illi Papæ, isti Borsio vi-

tam

A tam precari: Ludouicus Mantuanus inuento Borsio, cum se Papæ sæpius commendasset, domum redijt. Pius Buccentoria Borsij nauis conscensa Ferrariam ad nauigauit; vbi occurrentibus sacerdotibus sacra ferentibus, & magna populi pompa, in arce, quæ supra litus iacet collocatus est; & quamuis magnis precibus rogaretur vt sequenti die maneret, non acquieuit. Borsius in nauis decretum de decimis, vigesimis, ac trigessimis manu sua vltimus subscripsit.

Per idem tempus Iacobus Picininus in agro Cefenate hiemabat, Ferdinando infensus regi, qui Sigismundo pacem dedisset: nec dubium erat, quin ad Gallos inclinaret; ob eam rem accedens intempesta nocte Pontificem Borsius: Magna, inquit, discrimina Ecclesiæ imminent, & vniuersæ Italiæ, nisi sapias Papa: Picininus ad Francos transiturus est: tu Ferdinandi partes adiuuas: Ego illi amicus, atque idcirco suaserim, ne tantum belli ducem ad hostes deficere sinas, si mihi hanc prouinciam commiseris reconciliabo illum Ferdinando, atque ita res eius in tuto erit. Pontifex etsi sciebat Picininum ita Francis obnoxium esse, vt absq. summo dedecore eos relinquere non posset, percontatus tamen est, quo pacto Picininus auferri hostibus posset? Cui Borsius, auri certam summam tradendam Iacobo dixit, & filiam ducis Mediolani, quæ promissa esset vxorem, & oppidorum aliquid in regno; postremo terrarum depositum, quod Sigismundus in manu Papæ fecisset, in potestatem ipsius Borsij transferendum. Pontifex, qui Mediolanensis principis exploratum haberet animum, de pecunia, & oppidis, atque vxore nihil aduersatus est; depositum sine consensu partium mutare non posse respondit. Conueniebant omnia præter vltimum: instabat tamen Borsius, sed Pontifex dimisso postera die magnifico principe, Padoq. transmissio, per paludes vsque ad flumen Rhenum, de quo supra est facta mentio, nauigio peruenit. Id iter difficillimum fuit, cum ferena hiems aquas omnes glacie adstrinxisset, securibus aperire viam oportuit.

Sed cum ad Rhenum ventum est, adeo profunda glacies occurrit, vt frangi non posset, nec Bononienses vehicula appaerant. Necessè itaq. fuit, vt Præsul sella portaretur, & qui eum sequebantur, pedibus irent: ob quam rem nocte præuerti, vt quisque rusticorum casas inuenit, in eis non sine incommodo remansere. Pontifex in rure Xanti Bentiuolij cum paucis pernoctauit: sequenti

De Picinino, & Borsio, & Pij e Ferraria discessu, ac laboribus.

De Rheni fluminis glacie, & itinere Bononiæ versus continuato, defectioneq. Picinini, ac deliberatione eligendi ducis.

sequenti die Bononiam ingressus, in Apostolico palatio quieuit, neque petentibus suam præsentiam Bononiensibus, ad secundam diem concedere voluit. Cum Planorium peruenisset, illic certior factus est, Picinimum ad Francos defecisse, neque id nouum esse, duobus antea mensibus cum illis conuenisse. Intelligens igitur Præsul duriores Ferdinandi partes futuras, eiq. magno auxilio opus fore, scripsit Mediolanensi è re videri, vt tanto bello dux idoneus eligeretur; cuius & auctoritas, experientia, & fides probata esset, quæ res apud Ludouicum Mantuanum inuenirentur; suassetque illum communibus expensis, communi præfici bello. Mediolanensis, verbo consilium approbavit, re non est amplexus; etsi enim Ludouicus se se obtulit, ipse tamen nolle eum tam longinquam accipere prouinciam rescripsit. Credibile est Mediolanensem aut hoc honoris Alexandro germano suo reseruasse, aut marchionis absentiam timuisse. Venit deinde Præsul ad locum, cui nomen est Scarcagliafina, in summo Apennino, non sine graui labore, niuosa, pluuiosaq. die peracta, & modo vehiculo, modo sella portatus. Cum Florentiam venisset, dolore stomachi egrotauit, altera die Caphagiolum petijt in valle Mugellana, rus Cosmæ magnifice ædificatum, in quo Mantuam petens pernoctauerat. Hic Federici Vrbinatis nuncius affuit, homo sagax, qui de Picinino, quæ comperta essent, confirmavit: iturum illū in Aprutios, Ferdinandi hostem Federicū, si iubeat Pontifex, iter illi clausurum; quæ res ad Franciscum remissa est. Præsul Florentiam intrauit mirificis honoribus ab ea republica cumulatus. Venere oratores obuiam primarij, ciues, magistratus vrbs in porta ciuitatis occurrerūt, vbi de conuentu Mantuano locuti, non sine Pontificis laude, sequentem apud se diem transigi petiere, neque negatum est. Cosmas vero, qui proficiscentem in Galliam Pontificem adire propter infirmitatem non potuit, nocte multa ad eum venit, & interloquendum admirari visus est de bello Ferdinandi causa, aduersus Gallos recepto. Pontifex haud ferendum fuisse ait, regem à se constitutum, armis eijci; neque id Italiæ liberati conducere: Gallos si regnum obtinissent, Senas haud dubie subacturos: Florentinos aduersus Lilia nihil acturos: Borsium Mutinæ ducem Gallis galliorem videri: Flamminia regulos ad Francos inclinare: Genuam Francis subesse, & ciuitatē Astensem, si Pontifex Romanus aliquando Francorum amicus assumatur, nihil reliqui in Italia remanere,

Introitus Florentie, & Cosmæ conuentus, & rerum Italiæ disceptatio.

A nere, quod non transeat in Gallorum nomen: tueri se Italiam dum Ferdinandum tueretur, atq. id honestatem exposcere per foedera, quæ cum Alfonso inita fuissent, non licere sibi fidem abrumperere sicut alijs, qui facta pro vtilitate metirentur. Laudauit, Cosmas Pontificis animum, verumq. fassus est, popularem multitudinem nihil honesti facere, nisi cogat vtilitas, aut metus, petijtq. aliqua non sine modestia, & nepotem inter cardinales assumi, si dignus videretur. Postremo, cum iam abiturus, Pontificis pedem osculari vellet, nec moueri posset, podagra impeditus. Pontifex eum dimisit; iussitq. postera die cardinales aliquos de **B** decimis, vigesimis, ac trigessimis, cum Florentinis agere, ne cum tempus esset apparandæ classis, rem veluti nouam incipere oporteret. Delecti ciues ad Pontificem venire, quibus commemorata est legatorum promissio Mantuæ facta, & fideiussio Mediolanensis: fassi sunt omnia Florentini. Verum legatos suos, qui ciuitatem obligauerunt, à prioribus vrbs, & rogatis quibusdam ciuibus mandatum habuisse dixerunt; idq. fieri solere, sed nullius esse momenti, nisi postea in magno ciuitatis consilio ratum habeatur. Per raro negari, quod legati huiusmodi mandatum habentes promississent: verum in hac re, quæ maxima esset, haud **C** quaquam sperandum fore populi consensum; quia paucissimi essent, quibus persuaderi trigesimalium solutio posset: decimam fortasse cleri non iri negatum. Demiratus est Pontifex tantam Florentini populi varietatem, multisq. verbis iniustitiam eorum accusauit: turpe esse inualida mittere mandata, turpius illis vti, & si ceteris in rebus confirmari solent, in hac potissimum, quæ omnium esset maxima, seruari oportere. At cum frustra tempus tereret, accepit quod potuit, nec moratus amplius ciuitatem dimisit, & tertio die Senas redijt.

D Hic summo suorum ciuium desiderio expectabatur. Introiuit urbem quasi triumphans, maximis, atque incredibilibus exceptus honoribus: nam ciues, qui se nunquam reuisurum suum patrem arbitrabantur, præter spem subito recreati reditu, mirabili gaudio sunt affecti, præcipue mulieres, quarum natura religioni est indulgentior, & amantior sacerdotij. Virebant omnia, quamuis Februarius sua consuetudine rigeret, nec platea non ornata floribus, & non herbis odoriferis strata inuenta est. Plantatæ vbiq. arbores fuere, quæ nullo tempore comas perdunt: vbiq. cantus, & exultantis populi voces audiebantur; biduo

Ingressus Senarū magnificissime exceptus, & Senensis ecclesia nepoti commendata; Vrbinatisq. aduentus, atque eius origo, & belli duces electi.

ante

ante Purificationem maximæ matris, & intemeratæ Virginis reditio fuit, duodecima die postquam Mantua recessum est: solemnitas summo ciuium gaudio peracta, Pontifice sua manu sacras elargiente candelas. Obierat paulo ante, cum valetudinis causa apud balneas ageret, Antonius vrbis archiepiscopus; Pontifex Franciscum ex sorore nepotem, tres & viginti annos natū, administratorem ei suffecit. Federicus Vrbinas per idem tempus ad Pium venit, ingeniosus homo, & loquendi peritus; sed vno captus oculo, quā hasta ludens amiserat, Guidonis Vrbinatis Reguli filius. Guidoni vita functo successit Oddantonius, qui Ducatus honorem ab Eugenio consecutus, à ciuibus suis interemptus est, & vnà secum Manfredus Carpiensis notarius Apostolicus libidinum comes, ac suator scelerum, non sine conscientia, vt creditum est Federici, qui mox patrante cede pro portis affuit, & vltro ab oppidanis intromissus principatum arripuit, tanquā Guidonis filius. Hunc Pontifex multa promittentē audiuit, pecunias ei largitus, qua Picinini commilitones ad se traheret, neque fineret Ferdinandi hostem in regnum penetrare; increbuerat enim fama, præclarum belli ducem Ricininum, qui à Ferdinando defecerat, in regnū breui profecturum; nec iam quisquā in regno erat Ferdinandi amicus, qui tantum nomen non formidaret. Placuit igitur & Mediolanensi duci, & Pio Pontifici, Alexandrum Sfortiæ filium ducales copias, Federicum regias, Ioannem Malauoltam Ecclesiasticas, Picinino ne transire posset in agro Piceno opponere; atque ita rebus compositis, Federicus domum redijt.

De creatione nouorum cardinalium, cōtentioneque repugnantium.

Aderant tempora Quadragesimalis ieiunij, quæ veluti cardinalium comitia censentur, & iam fama vulgatiore nouum Pontificem, nouos creare cardinales velle, tanquā perfectus per omnia Pontifex non habeatur, nisi cardinales assumpserit. Tum preces multorum porrectæ sunt: Imperator vnum efflagitauit, cui Pontifex cupide annuebat: Rex Franciæ duos: vnum rex Aragonū: Ferdinandus rex Siciliae, & Franciscus Mediolanensis dux plures: dux Sabaudia vnum: dux Burgundia vnum: marchio Montis ferrati vnum: Florentini, & Cosmas vnum. Pontifici ex nominatis pauci placebant, & habebat ipse alios suo iudicio digniores, & quos sibi fidos existimabat fore. Coepit itaque singulos cardinales alloqui, vt eorum præsentiret animos. Postquam vero magna ex parte sibi satisfacturū iri cognouit,

vocato

A vocato consistorio secreto, ipsa quarta feria, in qua de createndis cardinalibus sermo fieri solet, in hunc modum præfatus est. Messis quidem multa, operarij autem pauci. Messis nostra fratres, animarum salus est, ager in quo metimus Ecclesia, quam vestro consilio regendam accepimus, hanc contra Turcas, & infideles alios tueri debemus, ex hac tribulos, & malas herbas, hoc est hæreses, & prauos mores extirpare cogimur: si volumus messem ad aream Domini multam afferre, & denique puri, purgatique tritici in horreo multum recondere, vos ad hæc operarij nobiscum estis constituti, sed pauci estis, & nonnulli ex vobis aut senio, aut egritudine impediti sunt, ne ipsis vti possimus. Necessè igitur est, vt numerum vestrum augeamus, & aliquos assumamus, qui debiliū vires suppleant: curare tamen oportet, quamuis est difficile, vt dignos tanto munere eligamus, ne dicat quispiam: Multiplicasti gentem, & non magnificasti lætitiā: verum si dignitas hæc moerentibus danda est, in cælo quæramus oportet, quos rubeo pileo donemus. Nos tamen, vt homines, eligemus homines, quando non cælum, aut Angelos, sed terram, & homines recturi sumus: miramur autem tantam esse petentium turbam: nam quis est clericali caractere insignitus, qui non se dignum cardinalatus honore dijudicet? qui non petat? qui non instet, & inter candidatos, vt ita dicamus, videri & esse velit? Nimirum viluit hæc dignitas, quando vel pueri eam sibi debere existimant; sed incidimus in mores istos, non possumus prohibere petentes, non admittere facile possumus. Cogitate, qui sunt idonei, de numero ipsi iudicabimus, curaturi ne vel nimietate vilescat dignitas, vel paucitate reipublice non satisfaciat. Atque his dictis nominauit quinam essent, vel per se ipsos, vel per alios cardinalatum petentes. Consensere cardinales, quinque assumi nouos, ea lege adiecta, vt nepos vnus esset. Pius his obtentis: Sextum, inquit, non negabitis, quem nominauero omni exceptione maiorem, & quem procul dubio laudabitis nominatum. Illi nominationem petere, Pontifex consensum exquirere ante nominationem. Vicit tandem Pius, & assensu habito, sextum nominauit: Alexandrum Oliua de Saxoferrato oriundum, ordinis sancti Augustini, generalem magistrum, virum theologia doctrina celebrem, & uitæ sanctitate illustrem, qui ubi nominatus est, non habuit

M

aduer-

aduersarium: nam vera virtus, quamuis occulte sapius impugnatur, propalam tuta est. Ordo nouorum cardinalium hic fuit. Angelus Capranicus Romanus episcopus Rheatinus primo loco nominatus est, Dominici cardinalis quondam Firmani frater, vir castus & innocens, quem priusquam Pontifex Roma discederet Bononiensibus legatum præfecerat: post eum Bernardus Herulus episcopus Spoletanus moribus, & doctrina insignis, & iustitiæ cultor habitus, apud Narniam natus, & tunc referendarius & domesticus Pij familiaris: hunc secutus est Nicolaus Fortiguerra electus Theanensis, ex Pistorio oriundus, iuris scientia clarus, ex aula Pontificis assumptus: quartum locum tenuit Broccardus præpositus Salsburgensis, quem publicare non placuit, donec alij crearentur ex Transalpinis: quintus fuit quem memorauimus Alexander: sextus atque vltimus Franciscus Pontificis nepos, qui per id temporis in schola Perusina iuri Pontificio operam dabat, & iam doctoratus insignia acceperat: hic Diaconatus dignitatem in ordine cardinalatus, cum esset adolescentior, obtinuit: ceteri Presbyteratus honorem affecuti sunt: cum eò conuenissent, non expectauit Pontifex sextam feriã, in qua pronunciari cardinales, & publicari consueuerunt; sed ipsa die præter omnium opinionem, pronunciationem, & publicationem fecit. Quæ res non paruam molestiam antiquis cardinalibus abstulit, quibus ante ora competitorum nulla quies dabatur.

De vi animi Pontificis in perficiendo quod voluit, & probatissimo iudicio eligendi, & de Alexandro viro sancto & dignissimo, atque vniuersali lætitia eius promotione.

Visus est Pontifex Italiæ optime cõsuluisse, quinque cardinalibus ex ea creatis; rem quoque prius inauditam fecisse, qui duos ex familia sua cardinales, & nepotem suum, vno in consistorio creasset. Illud vero laude dignum sine controuersia cuncti iudicauerunt, quod nominatus nemo tanta dignitate videbatur indignus, nec vllam aliquando creationem factam fuisse quispiam memoriæ tenebat, quæ in tam paruo numero tot præstantissimos viros complexa fuisset: huc accedebat, quod absque principum intercessione, excellentissimi viri electi fuerant. Multum vero admirationis Alexandri assumptio cunctis præbuit, quæ prius audita est, quàm cogitata: nec enim quisquam erat, qui pauperem monachum angustiæ cellæ cultorem; quamuis egregium verbi Dei prædicatorem, & sanctum, præstantemque virum, inter cardinales assumendum expectaret, summa enim fastigia cardinalatus quærit. At Pius etiam in paupere censuit virtutem honorandam, haud ignotus primos Ecclesiæ principes, pro mun-

di con-

A di consuetudine ignobiles, pauperesque fuisse. Quæsiuit etiam in abditis monachorum excellentem animum, nec inopiam auri in eo contempnit, quem bonarum artium copia illustrasset: intellexerunt omnes Pio Præsuli gratam esse virtutem, atque hinc multi postea probitati ardentius incubuerunt. Nulla res adeo virtutem excitat, quàm spes ipsa præmij, qui est honor. Cum nuncius ad Alexandrum venit rem gestam expositurus, acceperat homo cœnam, & paucis intentus curis, emissis fratribus, solus in scan-no dormiebat, pulsato ter quaterque cellæ ostio; apud Augustinenses enim moram trahebat, tumultum audiens excitatus est, & aperiens pulsanti, nihil minus sperans, quàm cardinalis appellari, intromisit hominem, qui mox ait. Salue Alexander, bonum tibi nuncium afferro; nam te hodie Pontifex maximus cardinalem creauit; irrisionem esse monachus arbitratus est: at cum turba salutantium concurreret, & certam rem affirmaret, siluit aliquantisper stupore mentis attonitus, deinde ad se reuersus: Miror, inquit, vnde Præsulis hæc in me charitas: quid promerui? quid feci? propter quod hæc dignitas ad me deferatur, dignum me tam sublimi honore, sola Præsulis bonitas fecit: incredibile fuerit, quantum & monachi sui ordinis, & ciues Senenses & omnes ferme Itali hoc factum laudauere: multæ ciuitates ei dona miserunt, & ciuem suum esse voluerunt: Pontifex argentum misit, quo dignitatem sustineret, & cardinales, & aulici magnificis eum muneribus donauere.

Sabbato deinde indicto consistorio in ecclesia cathedrali, Pontifex iussit cardinales novos qui aderant, tres accersiri, & priusquam venirent de creatione facta, deque meritis singulorum pleraque locutus; ostendit omnibus & dignam, & necessariam ordinationem fuisse. Post hæc aduentantes illos, ad cancellum stare præcepit, & dirigens ad eos verba: Maxima, inquit, filij, & excellentissima dignitate donati estis, ad collegium Apostolicum vocati consiliarij nostri, & coniudices orbis terrarum eritis, inter causam & causam, inter sanguinem & sanguinem, inter lepram & lepram discernere vos oportebit; successores Apostolorum circa thronum nostrum sedebitis; vos senatores vrbes, & regum similes eritis, veri mundi cardines, super quibus militantis ostium Ecclesiæ voluendum, ac regendum est. Cogitate animo, quos viros, quæ ingenia, quam integritatem, hæc dignitas requirit: humilitatem non superbiam,

Pij oratio ad novos cardinales, quales esse oporteat tanta dignitate constitutos, & votum electorum.

M 2 libera-

liberalitatem non avaritiam, abstinentiam non ebrietatem, continentiam non libidinem, scientiam non ignorantiam, virtutes omnes nullum vitium hic honos exposcit. Si fuistis hactenus vigilantes, nunc vigiletis oportet aduersus malignum hostem, qui nunquam dormit, cogitans quem deuoret: si liberales fuistis, nunc opes in rebus honestis profundite, & maxime in alendos pauperes: Si cibi potusq. abstinentes, nunc precipue luxuriam fugite; absit avaritia, faceffat crudelitas, exulet arrogantia, sint libri sacri semper in manibus vestris, dies noctesque, aut discite aliquid, aut alios docete, opera efficite per quæ lux vestra coram omnibus luceat, & denique tales estote, quales esse debere cardinales dijudicastis, antequam ipsi hoc culmen ascenderitis. Quibus dictis, vocauit eos ad osculum pedis, deinde manum, osque porrexit, & antiqui cardinales ipsos pariter ad osculum exceperunt, locumque sedentibus præbuerunt. Mox aduocati causas aliquas perorarunt; quibus decisus cardinales antiqui stantes coram Papa fecere coronam, noui genibus flexis, votum pro veteri formula vouerunt: exin Pontifex vniuscuiusque capiti insigne cardinalatus imposuit rubrum de more galerum: chorus hymnum cantauit, gratias Deo reddens. Cardinales antiqui pompam ducentes, exceptis duobus, qui cum Pontifice remanserunt, nouos ad altare beate Virginis deduxerunt, ibique senior cardinalium orationem super capita illorum fudit, bona eis, & Ecclesiæ sanctæ multa precatus: atque ita rebus peractis, ad Pontificem maximum reuersi sunt, qui dissoluto consistorio, in palatium abiit. Par quoque solemnitas paucis post diebus in aduentu Rheatini, & Senensis cardinalis seruata est, cum alter ex Bononia, alter ex Perusia Romam peteret. Laudauit Pontifex Rheatinum, digne pro meritis, Senensem, quia nepos suus erat, & annis minor; negauit se promoturum fuisse, nisi cardinales multis precibus id exigissent.

Mors Ioannis cardinalis Papiensis, & transitus Picinini in regnum, & Federici cæsar.

Iisdem fere diebus Ioannes cardinalis Papiensis, qui Picinini cum legatione tenebat, anxius ne Picininus transfret in regnum: huc equitans, & illuc armatus febrē incurrit, quæ sibi vitam eripuit, non sine gaudio prouincialium, qui nouā semper gubernationē appetunt, quāuis ex familia Castillionea nobili loco apud Mediolanenses natus esset, & artis oratoriæ, & ciuilibus sapientiæ peritissimus: Pontifex ei nepotem successorem suū dedit, cui per

ætatem

Aætatem (est enim iuuenta imperandi nescia) præceptorem adhibuit episcopum Maricanum, virum grauem, & regendi peritum. Datis mandatis, vt ab eius consilio nunquam discederet, priusquam Senas iret. Iacobus Picininus iam pridem anceps quid ageret, transire in regnum cupiens ecclesiasticas, ac duciles copias verebatur, quæ ita collocatæ fuerant, vt Picinini; Tusciam, Umbriamq. respicerent, possentq. iter quocunq. iretur præcludere. Electa est hosti Picini via propter maris litus, & impositis in nauibus impedimentis, & com meatibus, iussi sunt milites cibaria trium dierum secum assumere, quibus ordinatis Picininus nocte iter ingressus, veloci cursu fluuium transiit, quæ aiunt Marchiæ principium facere. Sigismundus Malatesta, cuius vitam supra descripsimus, non recedens à suis moribus, ducentos assumens equites, & pedites aliquanto plures, per montana, non procul à Picinino viam fecit, ei (si forte opus esset) vt suppetias ferret, quamuis Pontifici scripserit, partes Ecclesiasticas se adiuturum. Vrbinas vero, qui nullo pacto viam Picinino per Marchiam posse patere affirmauerat, creditus est tergiversando, & differendo iter expeditum hosti præbuisse, bellum vt tandem procul à domo repelleret: sed multum opinionis id factum Federico ademit; nam si diligens fuisset, facile ea die Picininum, vt aiunt, profligasset. In castris Ecclesiæ octo millia pugnatorum fuere: Picininum vix tria millia sequebantur, qui passuum quinquaginta millibus vno cursu peractis, fessus, atque exanimis ad Tronti amnem peruenit, tum nouo imbri tumidum, quem vix cum quadraginta comitibus timens, trepidansque transiit. Reliqui labore, atque inedia defatigati sine ordine, & absque ducibus in citeriori ripa pernoctarunt, futuri procul dubio præda, si vel pauci infecuti fuissent.

Sed Alexander, & Federicus, tum primum insectandi hostem diligentiam ostenderunt, cum euassisse compertum est. Perfida est nostri temporis militia, quæ stipendio veluti mercaturæ vtitur lucro, quod ne deficiat bellum producit. Rara est in prælio cædes, nec qui rapitur aliud amittit, quàm equos, & arma, per raro totis viribus, vnica pugna certatur. Si coeunt, hinc atque inde vires, & signa conferuntur, ad pugnam pars partem admonet, ita pugnandum esse, vt materia bello non desit. His artibus non sua virtute tutus in regnum Picininus effugit, quem qui laudant, non pugnandi, sed fugiendi peritum

Militia fraudulenta, & perfida, & Pij prouiso in Ferdinando defendendo.

M 3 dicunt:

dicunt: qui postquam ad Aprutios peruenit, nonnullis oppidis potitus est, nondum ecclesiasticis eum assecutus. Terruit eius transitus Ferdinandi amicos, hostes in spem erexit, cum de virtute tanti ducis rem superaret opinio. Statuit idcirco Pontifex alias copias in Campaniam mittere petenti Ferdinando suppetias, conductoq. mercede Simonetto egregio copiarum duce, qui diu Florentinorū stipendia moeruerat; iussit ipsum, & Ioannem Malauoltam nobilē Senensem, cum equitatu, peditatuq. non paruo in Campaniam trajicere, prouisuros, ne violentia Gallorum Ferdinandum incognita causa deijceret regno; exercitumq. in Aprutios missum, & suis, & Francisci Mediolanensium ducis, nouis adauxit supplementis.

Patauinę, Fel-
trensĭs, Ferrarĭensis, Anconitanę, & Venetę ecclesiarum prouisionēs, Pijq. secessio ad Capriolam, & loci amœnitas.

Dum hæc aguntur, audiens Pontifex Venetos iam sua decreta reuocasse, & Petro Barbo cardinali sancti Marci sua bona dimisisse, cum cardinalis ecclesię Patauinę sponte cessisset; episcopum Feltrensem à vinculo quo suę tenebatur ecclesię absolutum Patauinę præfecit. Franciscum vero episcopum Ferrariensem, cum suis ouibus, principis odio, prodesse non posset, ad Feltrensem transtulit. Ferrariensibus Laurentium Rouarellam aulicum suum, antistitem dedit, egregium theologum, & honesta vita præcipuum. Nec diu post Maphæo Contareno Patriarcha Veneto diem functo, Andream Bondelmeriū substituit, ex ordine canonicorum regularium diui Augustini, quem Venetus senatus summis postulauit precibus. Decessit & Anconitanus episcopus, cui successus est Agapitus natione Romanus, ciuili sapientia, & morum probitate conspicuus; cui & prosa eleganter scribere, & carmen facere promptissimum fuit, ex auditoribus Rotæ in familiam Pij iampridem euocato. Post hæc secessit Pontifex ad Minores, qui Obseruantes appellantur, non longe à ciuitate Senensi, monasterio Capriola nomen est: diuus Bernardinus erexit, ob eius memoriam & ampliatus, & adornatum est, & à viris eius religionis sanctioribus incolitur. Mansit hic Pontifex diebus quindecim, Spoletano, & Theanenſi cardinalibus comitatus, vt aliquantulum quiesceret à negocijs; non tamen aut signaturam, aut secreta consistoria prætermisit, neque audientiam negauit aduentantibus. In nemore, quod perpetuo viret lauro, & illic frequenti auditorium sibi constituit, loco aprico sub monte; idq. tantum voluptatis auxilium solitudinem quærens, quod ver ante tempus inuenit.

Reuersus

A Reuersus Senas ante Palmarum diem, solemnitates omnes congrua deuotione peregit, quæ vel pro passionis Christi memoria, vel pro Resurrectionis eius gloria quot annis fiunt: deinde podagra languit, & fluxu capitis maxillas doluit. Curatus aliquantisper balneas adiit apud Maceretum, non sine consilio medicorum; quamuis plerique minus docti dissuaderent: atque hæc causa fuit cur Senis tandiu manserit; quamuis & suę patrię studere, ac benefacere voluerit, quæ bellis, pestibus, ac dissensionibus vexata ciuilibus, paupertate premebatur, vt emolumentis curiæ paululum respiraret. Prius autem quàm balnea peteret, voluens animo infirmitatem suę patrię, quæ pluribus in populo scissuris iampridem factis, diu stare non posset: accersitis viris ex regimine prudentioribus, & qui priuatis affectibus nudi viderentur, percontatus est, quisnam modus esset reformandæ, solidandęq. ciuitatis. Illi vocandos esse ad regimen eos, qui Duodecim appellantur, respondere, qui viri circiter quadringenti inuenirentur, & inter eos plures opulenti mercatores. Placuit consilium Pontifici, quamuis factu difficile videretur: commisitq. sanctæ Cæcilie, & sanctæ Susannę cardinalibus, vt primariorū ciuium sententias exquirere. Illi pluribus auditis retulerunt multos consentire, plures aduersari: re diuulgata venerunt magistratus vrbis cum capitaneo populi (sic enim digniorem ciuitatis magistratum appellant) & magna ciuium caterua, supplicaruntq. Præfuli, ne de Duodecim verba faceret. De Gentilominibus, si quid amplius vellet, inuenturū Pontificem, ciues Senenses volenti animo sua iussa facturos. Motus his Præsul, plura querere destitit, ne amplius instans ciuitatem tristitia afficeret, neque aliud quàm odium acquireret. Hortatus tamen est circa Gentilhomines ea facerent, quæ cardinalis sanctæ Susannę expositurus esset. Illi multa promittētes, læti abierunt, quod Duodecim causas exclusissent: de Gentilominibus deliberandi tempus haberent. Pontifex, vt statuerat, ad balneas concessit. Cœperat vernum suaue tempus, & circa Senas omnes ridebant colles vestiti frondibus, ac floribus, & luxuriantes in agris assurgebant segetes: situs ipse Senensis agri maxime ciuitati vicinus, supraquam dici possit, amœnum habet aspectum, colles clementer eleuati, aut domesticis arboribus, vitibusq. confiti, aut ad fruges arati, iucundissimis imminent vallibus, in quibus vel sata vident, vel prata, & ruri decurrunt perennis aque.

Pij agrotatio ac profectio ad balnea, tractatio reformandæ ciuitatis Senensis, & agri eius amœnitas.

M 4 quentes

quentes silvæ, seu natura, seu arte paratæ, in quis dulcissime modulantur aues; neque tumulus est, in quo ciues suburbana prædia non magnifice ædificauerint. Hic egregia monasteria sanctis habitata viris, illic in arcis modum erectæ visuntur ædes ciuium. Per ea loca lætus transijt Pontifex; nec minus iucunde fuit in balneis: locus ab vrbe decem millibus passuū abest in valle, quæ latitudinis duo, triaue stadia continet, longitudinis haud minus quàm octo millia passuum. Mersa flumen irrigat agros perpetuis aquis in Vmbronem decurrens, & anguillis scatens pluribus albissimis, ac suauibus, quamuis paruis: Vallis qua incipit cultissima est, multis referta castellis ac villis, qua desinit prope balneas siluestrior: Saxeo ponte clauditur, non parui operis, & nemorosis, atque opacis rupibus. Ilex arbor nunquã non virens, montes qui vallem à dextris cingunt, vestit ferme omnes à sinistris glandifera quercus, & suber: circa balneas domus humiles pro diuerforijs habentur. In his Pontifex mensam egit, & quamuis singulis diebus bis lauaret, nunquam tamen signaturam, aut alia reipublicæ negotia prætermisit. Circa horam vigesimam & secundam exhibat in prata, & supra litus fluminis, vbi plus erat graminis, ac viriditatis consedit, atque ibi legationes, & supplices audiuit. Agrestium coniuges singulis diebus flores afferre, ac viam sternere, qua Pontifex balneum peteret: Idque tantum mercèdis expectare, vt pedes eius osculari possent.

Indulgentia
Senensis Ec-
clesiæ, & re-
ditus ad bal-
nea.

Concesserat Pontifex in gratiam suorum ciuium plenarias indulgentias, omnibus Senensem ecclesiã visitantibus, in die Penthecostes: cui solemnitati vt initium daret, ex balneis nondum curatus Senas redijt, interfuitq. diuinis officijs, ad quæ ingens populi multitudo confluit ex Tuscia, Liguria, Gallia, Umbria, ac Piceno. Præful ob eum motum grauius ægrotauit, Senisq. amplius quàm cogitauerat coactus est immorari. Exin nocte intempesta urbem egressus Maceretum repetijt, ibiq. paucis diebus assumptis, ad Petriolenses balneas se cõtulit, quis & plus sulphuris, & plus creditur inesse virtutis. Hic locus quinque millibus à Macereto abest, via quæ Grossetum, & ad mare ducit, in valle profunda, quam Farma fluuius efficit, trutas gignit, montes vndique altissimi surgunt, quamuis lapidosi, nemerosi tamen, herbosique; circa balneas non multæ domus sunt, verum capaces hospitem plurimorum, quas Senenses patrum nostro-

rum

A rum memoria muro cinxerunt, ne quod ante nonnunquam acciderat, insidiari lauantibus latrones possent. Pontifex aquas calidas in hoc loco viginti diebus, per canale ductas, in vertice capitis accepit; sic factu salubre dixerunt medici, quia nimis humidum eius cerebrum videretur.

Inter hæc Sigismundus Austriæ dux cum accepisset Nicolaũ de Cusa episcopũ Brixionensem cardinalem sancti Petri ad ecclesiam suam profectum esse, irè impatiens ac furoris, coactis vt potuit raptim copijs, quæ sufficere videbantur, Bernecham petit, idest oppidum Brixionensis ecclesiæ, in cuius arcem cardinalis secesserat, atque in ipso Resurrectionis Dominicæ sacratissimo die, oppidũ expugnat, & arcem aggressus, omni genere machinarũ, oppugnat. Cardinalis veritus suorũ cædem (iam enim pleriq. vulnerati fuerant) arcem, & seipsum tradidit, & in custodia retentus, tandem iuratus absolutionem Sigismundo procurare, iniuriasq. nullo vnquam tempore vindicare, dimissus est. Interea Simonettus, & Ioannes Malauolta in Campaniam iter facientes, cum iam vias arctiores, & loca periculosa euasissent; dum metari castra volunt, non paruam iacturã passi sunt; Malauolta enim, & Robertus Vrsinus, qui se inter eundem comitẽ addiderat, dum speculatum cum paucis pergunt, in equites, peditesq. Sorani ducis incidunt, cum quibus & filius Iacobi Sabelli fuit, ferox adolescens, qui relicta militia ecclesiastica (canonicus enim in basilica principis Apostolorũ ascriptus fuerat) mundiali se dedit. Pugnatum est atrocius, quàm tanta paucitas requireret. Sabellus vulneratus occumbit, gladio per ora transfusus; sed cum hostes continuo crescerent, Robertus ad castra cõfugit: Malauolta casu equi in terram delapsus ab hostibus intercipitur, atque ita est pensatum Sabelli damnum; plus tamen momenti in Malauolta fuit, cuius erat in armis non paruum nomen, quamuis minus prospere ei sepius res successissent, huiusmodi fuerunt eius belli primitiæ; quod Pius pro Ferdinando gessit, inde mors, captura hinc, his qui futura inquirunt, augurandi materiam præbuit: Simonettus iter suum peregit, & ad regem profectus ingenti fauore exceptus est, & aduentu eius magna rerum mutatio facta. Rex qui breui periturus existimabatur, iam bello superior, victorque mox deleturus hostes iudicabatur. Cum Pontifex maximus, & Mediolanensis princeps auxilio essent, sic natura comparatum est, vbi

Cardinalis S.
Petri capitur
à Sigismũdo
Austriæ duce.
Pij copiæ in
regnum pene-
trant Ferdi-
nandum adiu-
tura, belli au-
spicia, & prin-
cipis Rossani
perfidia.

plus

plus virium, ibi & fauor hominum se inclinat: quod cum animaduerneret Rossani princeps, & Deiphebus Euerfi comitis filius, ac Iacobus Montagana scelestissimum facinus, & iam pridem inauditum circa idem tempus meditati sunt; simulantes enim pœnitentiam, quod ad Francos defecissent, Ferdinandum ad colloquium vocauere, ad quod cū rex hinc, & Ioannes Vintemilius, ac Gregorius Corelia maiordomus regis, illinc princeps Deiphebus, & Iacobus, relictis procul exercitibus, in agrū soli secessissent, postquam paululum collocuti non conuenere. Princeps frēnum equi regalis arripuit: Deiphebus ferrū stringens veneno tinctum iugulum regis quæsiuit: ille insidias cernens, calcaribus vrsit equum, qui cum esset potens & altus, regē periculo subtraxit; sic scelerati homines defectionis sceleri, maius scelus addere tentauerunt: Illud volentes animo, quod impij dicunt: Victoribus omnia sancta.

Populi Senensis diuisio, & in Pium vanissimæ calumniæ.

Pontifex cum hæc audisset Senas iam æstate feruente redijt, & apud Minores amœno, & salubri loco mansionem sibi delegit. Iam Senenses in duas partes diuisi, alij de Gentilhomnibus concedendum, quod Pontifex cuperet aiebant, alij negabant: hic cum recta non possent Papæ resistere, obliquam quæsiuere viam: multa de Duodecim viris locuti, qui regentibus infestissimi essent; nihil aliud quærere Pontificem dixerunt, quàm illos ad rempublicam reducere. Confinxerunt etiam litteras, quibus significaretur vrbis exulum, ac relegatorum Pium esse amicissimum, eisq. subuenire, vt viuerent in reipublicæ detrimentum. Mansionem apud Minores extra muros elegisse, vt in fornicibus templi, qui amplissimi essent, clam pedites, equitesq. collocaret, atque vno impetu ciuitatem irrumpeus exules introduceret: his & alijs nugis ita plebis animum infecerunt, vt verbum amplius de Gentilhomnibus audire non possent; & quamuis Pontifex vocatos ad se vrbis magistratus, multis verbis hortaretur, his fidem ne haberent, qui dissidium quærentes suspiciones ingererent; nihil tamen perfecit: plebs male credula est. Pollicebantur singuli multa seorsum, coniuncti loqui non audebant.

Legatio regis Castellæ, & trium Patriarcharum Orientalium erga Romanam Ecclesiā reconciliatio.

Dum hæc aguntur, Henricus Castellæ, ac Legionis rex, cui maxima pars Hispaniæ paret, cum ad Mantuanum conuentū, vilem, atque indignam suo nomine legationem misisset, quasi famæ satisfactorius, Legionensem episcopum ad Pontificem ire iussit, & vnum ex proceribus regni primarium, qui egregio comitatu

A mitatu Senas ingressi, & in consistorio publico auditi, non tam vera, quàm pulchra, ac magnifica verba fecerunt: discussa enim legationis suæ facultatē nihil habuere, quod pro tutela fidei aduersus Turcas offerre Pontifici valerent. Episcopus paulo post apud Senas diem clausit, Pius Ioannem cardinalem sancti Sixti eiusdem nationis, hominem theologica scientia illustre, & multis scriptis voluminibus clarum illi suffecit: rex possessionem non concessit, propter quam rem multæ & magnæ contentiones inter regem, & Pontificem emerferunt.

B Circa hoc tempus adijt Pontificē Moyfes archidiaconus Antiochenus, vir Græcis, ac Syriacis litteris eruditus, & magni apud Orientales nominis: hunc tres Patriarchæ miserunt, Antiochenus, Alexandrinus, ac Hierosolymitanus, & plurimi alij principes Christi cultores: legatio eius huiusmodi fuit: Venisse olim ad Pontificem Eugenium, inquit, Imperatorem & Patriarcham Constantinopolitanum, & in concilio Florentino nomine Orientalis ecclesiæ cum Occidentali de processione Spiritus sancti, de igne purgatorio, de pane azimo, de primatu Romanæ Ecclesiæ, & alijs plerisque, de quibus antea disceptauerant conuenisse, decretumq. deinde fuisse factum, quod tres Patriarchæ, qui se miserant, non suscepissent, fatore zizaniarum impediēte, deinde bono commotos spiritu, conuentu subditorum habito, suscepto per omnia decreto, Romano Pontifici se se commississe, velleq. illi tanquam Iesu Christi vicario deinceps obtemperare, atque ad ea enuncianda se missum. Audiuit Pontifex legationem & priuatim & publice; & collaudatis Patriarchis scripta, quæ Moyfes attulerat in latinum translata, in archiujs Ecclesiæ Romanæ recondi iussit, ipsumque donatum ad propria remisit.

Orientalium obediētia.

D Paucis deinde secutis diebus legati ex Monouassia Pontificē adueunt, se atque vrbem dedentes; ea est Peloponnesi ciuitas ad Orientem Chersonessi in altissimo monte iacens, rupibus vndique præruptis, tuta vnico tantum aditu iuncta continenti portu, & naualibus quondam ornata. Lacedæmonem hic olim fuisse quidam opinantur, Græciæ robur, ac columen, nobis incertum, legati publice auditi. Respice nos Pie Pontifex, dixere, nisi manum porrigis, præda Turcarum sumus, Demetrius Paleologus noster dominus fuit; is ad Turcas defecit, nosq. in eorum potestatem traducere adnexus est: Sensimus, ac præuenimus dolos

Monouassie situs, & legatio, atq. deditio.

los arcem inuasimus, uxorem eius ad virum remisimus, Turcis aditum clausimus, accessimus Thomam Demetrii fratrem, rogauimusq. urbem, quæ sua esset germano ad hostes deficiente vt acciperet ac defenderet. Negauit Thomas eas sibi vires esse, quibus tueri nos posset; hortatusq. est, vt vel te vel alium dominum assumeremus. Consilio his de rebus habito, placuit omnibus ad pietatem tuam recurrere, tibiq. populum, & ciuitatem tradere. Accipe igitur supplices, ac subueni miseris, ne contempseris urbem nostram, ad res in Græcia gerendas accommodatissimam: si classem statueris in Orientem mittere, apud nos stationem, & tutissimum refugium inueniet. Si nos relinquis, cogimur iugum subire Turcarum, non sine tuo dedecore, & reipublicæ Christianæ maximo detrimento. Motus his Pontifex ille lacrymatus est, mundanarum rerum varietatem animo voluens; nam quæ olim ciuitas Græciæ domina, Asiam, & Orientem potentissimis classibus infestauit, orbisq. magnam partem sibi subiecit, eò demum redacta est, vt stare non posset, nisi dominos in Occidenti quærat, atque illis se se dedat, & comendet, quorum ingenia prius, & opes contempserat. Iannotius quem supra in Peloponnesum ex Mantua missum retulimus, legatorum comes fuit, multaq. de Monouassia locutus locum natura munitum, si paruo præsidio defendatur, inexpugnabilem dixit: Pium magnopere exhortatus, ne tantam recuperandæ Græciæ occasionem prætermitteret. Annuuit Pontifex, iussisq. legatis in sua verba irare, Monouassiam suo, & Ecclesiæ Romanæ nomine in deditio-nem accepit, misso præfecto, qui populo ius diceret, & annonam, cuius erat vacua ciuitas ministraret.

Iacobi Lucensis viri præstantissimi p. motio ad ecclesiã Papiensem inuito duce, & Pij animus inuictus

Vacauit circa idem tempus ecclesia Papiensis apud Insu-bres nobilis, & quæ soli Romano Pontifici subest, diues opum, & liberalium artium schola insignis; Ioannes cardinalis ex familia Castilionea ei præfuerat, quem in Piceno dum legatum agit, obiisse diximus. Pontifex Iacobum Lucensem secretarium suum ei sufficere statuerat, virum Græcis ac Latinis litteris eruditum: Franciscus Mediolanensium dux animum aliò verterat, nec passurus videbatur sententiæ Pontificis locum fore. Missus est Angelus Volsinensis ordinis Minorum professor, qui Franciscum leniret, nec quicquam profuit, dicente per iracundiam Franciscus episcopum Papiensibus, si alterum quàm cupio præfecerit Romanus Pontifex, experietur non esse vsui principes irritare; reconciliabor

A conciliabor Picinino haud difficile, eiq. agrum Ecclesiæ diripiendum mandabo, & quis erit qui Pontifici opem ferat? ea cum retulisset Angelus magis ac magis Pontificis animum obfirmavit, vt Iacobum promoueret: scripsitq. Pontifex manu sua Francisco admonens, ne pugnam aduersus Pontificem amplecteretur, in qua necesse sibi esset succumbere, quia non mutaret propositum, nec arma sua timeret Pius: victus tandem Franciscus annuit, & Iacobus magno senatus assensu, & vniuersæ curiæ applausu Papiensi ecclesiæ præfectus est.

B Per hos dies auctus animo Ferdinandus Siciliae rex aduentu Simonetti, & aliorum Ecclesiæ ducum exercitum in campum educit, pugnandiq. copiam hostibus facit, detrectantibus prælium acrius instat, eosq. loco pellit, nec cessat vrgere, donec omnes intra oppidum Sarni fugientes concludit. Id passibus circiter triginta millibus à Neapoli abest. Pars eius in arduo colle sita est, pars in plano iacet, non tam muris, quàm aquis munita, ex radicibus montis limpidissimi scaturiunt fontes, qui Sarnum efficiunt fluuium, cuius antea mentionem fecimus, tantæ frigiditatis, vt herbas atque arbores enecet, neque pisces alat præter cancos. In hoc oppido Ioannes Rhenati filius, & Tarentinus princeps, & omnis nobilitas suarum partiū, atque omnis equitatus, & peditatus ex fuga se se receperant, cum Ferdinandi impetum ferre non potuissent. Nec dubium erat quin breui vrgente fame, aut se se dederent, aut in diuersa dilapsi hosti campum relinquerent; clausi enim commeatus introducere nulla ex parte poterant, & iam consilium coeperant, quo potissimum itinere fugam arriperent. Quorum saluti nihil tam consuluit, quàm Ferdinandi audacia; illum cum natura, tum necessitas supra-quàm par fuit audaciorem præbuit. Erat in castris suis non tam validior hoste, quàm animosior miles. Verum importunus, & querulus stipendia petere, minari nisi argentum daretur: regi nihil esse quod daret, & iam ducenti Barbari, quos vocant Scopeterios, ob negatam mercedem ad hostes defecerant: Vereri ne discedentibus pluribus obsidionem soluere cogeretur, militi absq. auro nihil suaderi posse. In his angustijs constituto vtile visum est oppidum repente aggredi, vt eo expugnato ex spolijs hostium exercitui satisfieret. Re in consilium ducta, probantibus pluribus, Simonettus contradixit, qui loco munito hostem non facile dimouendum putabat, meliusq. fame, quàm ferro vinci.

Sarnensis pugna, in qua aduersante fortuna, Ferdinandus occubuit, & Simonetti clara, optataq. mors, & Castri maris proditio.

Placere

Placere tamen sibi turrim quandam oppido propinquam inuadi, qua capta, impossibile esset hostes pabulatum exire. Itum est in sententiam Simonetti; verum expugnata primo impetu turri crescentibus animis, victor furensque miles retineri nequiuit. Præteriere audaces turmæ iussa ducum, & insectæ fugientes hostes, cum his oppidi portas intrauerunt: pugnatum est intra moenia summa contentione, nec pauci ceciderunt, plures tamen Ecclesiastici, quorum magnam stragem ediderunt Scoppeterij, quos diximus, à rege profugisse. Instrumentum est Scoppletum in Germania, primum hac demum ætate nostra repertum, ferreum, seu cupreum ad mensuram hominis, longum pugillaris spissitudinis, concuum ferre totum, in cuius ore plumbea ponitur pilula ad magnitudinem nucis auellanæ, immisso prius puluere, qui ex carbone fici, aut salicis conficitur, sulphure & nitro commixto, mox ignis per foramen paruum in posteriori parte adhibetur, qui receptus à puluere, tantam vim concipit, vt pilulam instar fulminis iaciat, in eius exitu quasi tonitru sonitus exauditur, quem vulgus Scoppium appellat, hinc Scoppeterij appellati: ictum eius tormenti nulla substat armatura, robora etiam penetrantur. Regius igitur miles, atque Ecclesiasticus, quamuis oppidum introisset, & hostes aliquos manu coepisset, ab hisce Scoppeterijs non sine vulnere ac cæde repulsus est, hostis insectus longo spatio extra oppidum signa protulit: cui dum Simonettus occurrit, suorumque fugam retinere conatur, tormentali pilula percussus, ex equo deiectus est, nec locutus è vita decessit: qui etsi diutius viuere optauisset, hunc tamen exitum cupiebat, sæpe inter suos dicere solitus: Det mihi Deus vt in arte mea, & in Ecclesiæ seruitio moriar. Corpus eius ab hostibus inuentum honorifice tumulatum est. Ioanne regis filio, & omni nobilitate funus ducente, multorum in hoc prælio virtus enituit, præcipue Roberti Vrsini, qui primus Sarnum ingressus ascendere superiores oppidi partes tentauit, sed vulneratus in facie, coactus est pedem referre. Ioannis quoque Malauoltæ filius egregia suæ iuuentutis rudimenta præbuit, qui paulo post Senas reuersus febre interijt. Primi Ecclesiastici pugnam ciebant, primique cæsi sunt, aut capti, cum tormentorum ictus ferre non possent. Rex fuga saluatus est impedimentis amissis: castra direpta sunt: equi supra duo millia

A millia in prædam venire: secundum hanc victoriam princeps Salerni ad Francos defecit, cui & Nola parebat: idemque dux sancti Marci & vniuersa sancti Seuerini domus effecit. Quod si victoriam secutus hostis ad Neapolim castra mouisset, haud dubium quin profligatus Ferdinandus regno cessisset: princeps Tarenti cursum fortunæ retinuit, qui Marte dubio regni moderator habebatur, & arbiter, finito bello victori pariturus. Ioannes Andagauensis cum Neapolim inhibente principe nequiret accedere, copias ad Castrum maris victor admouit; & oppido vi potitus, arcem auro redemit; aureorum quattuor millia **B** præfectus accepisse traditur. Verum est quod vulgo dicitur, nullam non expugnabilem arcem esse, in quam onustus auro intrare possit a fellus.

Hæc in terra Laboris gesta, quæ olim Campania dicta est. Prælium Aprutinum Picinini, & Ecclesiasticorum, & rumor varius, quiq. in ea pugna claruerunt. In Aprutijs vero Picininus accepto victoriæ nuncio, veritus ne ignauia accusaretur, si nihil ab eo fieret: congregatis Aquilanis, Toscanis, Caudolianis, & omnibus Aprutinorum viribus, magnum equitum, peditumque ducens exercitum, ducales, atque Apostolicas copias, quæ non procul ab Esculo castra tenebant, inuadere statuit. Alexander Sfortia, & Federicus Vrbinas, alter socer, alter gener Picinino oppositi erant, equitatu pares hosti, aut superiores, peditatu longe inferiores. Ij planum tenebant, Picininus collem occupauerat, qui signo dato, magno impetu in hostes delatus est. Alexander occurrit, commissum atrox prælium, diuque anceps: verum urgente pedite Picinini, Alexander non paucis suorum amissis, loco paulo cessit; fuissetque omnino profligatus, nisi Federicus, huc atque illuc discurrens, suppetias misisset, ac pro faucijs integros suffecisset. Pro ceteris vero Petripauli Foroliuensis excellens virtus adiumento Ecclesiasticis fuit, qui locum sibi commissum nunquam deseruit; equis quattuor sub eo confossis, Federicus ei submittebat equos, cuius præstanti audacia omne robur hostium retentum est. Pugna ad horam noctis secundâ, summa contentione, & ardentibus animis producta, luna præstante lumen, ad extremum Ecclesiastici cum loco dimoueri non possent, Bracciani ad montem vnde venerant rediere, victores, ac victi ambo exercitus, Ecclesiastici plus equorum amissere, hostes plus hominum: ingens enim & peditum & equorum strages edita est: mutauere tamen Ecclesiastici locum, cum

cum Picinini copias augeri cognouissent, castraq. amplius atq. amplius munierunt. Picininus in Aprutinorum interiora concessit, ubi à Mattheo Capuano haud ignaro copiarum duce, sæpe damnis, atque ignominia affectus est.

Gallorum curialium leuitas.

Senis cum nunciata esset Ferdinandi clades apud Sarnū accepta, Galli qui frequentes erant in curia vociferari, per urbem saltare, ignes incēdere, insultare Cathelanis, Aragonenses irridere, familiam quoque Pontificis probro afficere, Lombardos, Florentinos contumelia laceessere, pulsare manibus, ac ferro, si quis non satis eorum insanix applaudere videretur; nam & Burgundioni cuidam oculum effoderunt, & Senensem quendam ciuem interfecerunt, qui paululum aduersus eorum clamoribus videbatur. Tolerauit omnia Pontifex æquo animo, secumque ait: Quid agent si Italiae regnum obtinerent? Ego te Italia quantum potero adiuuabo, ne ullos patiare dominos, quamuis nec Veneti, nec Florentini opem afferant, quorum populi dum te sibi subigere conantur, nec inter se conuenire student, externū tibi dominium parant. Sic locutus inter amicos Pontifex, nihilo deiectus animo reparare atque instaurare copias decreuit: Ferdinandoq. noua auxilia mittere, ne regno deijci posset. Interea Aquilanorū legati ad eum veniunt, & paulo post Ioannis Andegauenfis oratores suasuri, vt relicto Ferdinando Pontifex, aut Rhenati causam adiuuet, aut à bello prorsus abstineat; multorum & populorum, & principum regni litteras afferentes, qui Ferdinandi regimen, atq. imperium prorsus respuebant. Quibus auditis Pontifex, se nihil aliud bello quærere dixit, nisi vt violentia sublata lis de regno per iudicium tolleretur: id si Rhenatus annueret, ab armis cessari posse. Tum vnus ex oratoribus Ioānes, inquit, Cossa hæc ad te verba transmittit. Si Christus nobiscum est, non curamus quo se vertat vicarius eius: vicinus apud Sarnum auctore Christo. Cui Pontifex: Quamuis vno prælio superiores fuistis, inquit, non tamen affirmare potestis Christum auxilio vobis esse, cuius occulta iudicia sunt. At Christi vicarium vestris aduersari conatibus, & sensistis hætenus, & sentietis deinceps magis: atque ita legati infectis rebus abierunt.

Romæ tumultus multi, auctore Tiburtio, & Valeriano fratribus, & scelerata flagitia.

Successit & alia interim calamitas, raro infortunium solum est. Romæ Tiburtius & Valerianus fratres pacificum vrbis statum multis inodis turbauere. Qui cum viderent Urbem, absente Pontifice, minus rigide gubernari, neque rectoribus ad corripienda

pienda facinora satis animi esse; tempus idoneum arbitrati, quo iuuentutem Romanam corrumpere possent, ac rebus tandem mutatis imperium sacerdotale deijcere. Bonannum quendam iuuenem audacissimum, & manu promptum, ac Ioannem Philippum nullius facinoris expertē, & alios plerosque sceleribus insignes, sibi socios asciuerunt, quibus cum facta coniuratione leuia primum furta vilium rerū audere coeperunt; post adulteria, & præciosarum rerum rapinas committentes: tandem neque à raptu virginum, neque à cædibus, aut incendijs temperarunt. Nec magistratum cohiberi armis poterant, cum essent trecenti circiter iuuenes in armis experti, ac feroces auxilia sibi præsto ferentes. Ciues in filios ciuium extendere manus non audebant: expectabant omnes quid gubernator, quid senator ageret, vterque timore correptus domi se continebat: Gubernator cum habitaret in campo Florum, regiam in atrio Pompei domum, & Coniuratorū minas in dies audiret, in Apostolicum palatiū inde migravit. Coniurati ob eam rem, quasi victores effecti, insolentius agere, baccari per urbem, licentius euerberare, ciues pecunia mulctare, pauperum substantias diripere, vxores prostituere, virgines iugulare, aut in Tyberim submergere, quæ vim perpeti nollent, libentius optimatum expugnassent ædes, sed verebantur ne potentiam vrbis in se prouocarent, satisque esse putabant, si opulentorum ciuium abusi patientia inopum bona quamuis pauca diripere, & in eorum feminas explere libidinē possent, donec aucti numero, & fortiores effecti illorum quoque fortunas daretur inuadere. Fuit inter eos quidam cui propter amorem Inamorati cognomentum indidere. Is perditæ puellam Transyberinā alteri desponsatam adamauit, pariter vt fama erat amatus, quam ipso die nuptiarum ad virum euntem, media in vrbe vi rapuit. Non potuere tantum facinus tolerare magistratus, quos capita regionum apellant: facto mox impetu Inamoratum coeperunt, vinctumque senatori tradiderunt, qui publice in eum animaduerteret. Coniurati audita re, veriti ne supplicium de reo sumeretur, correptisq. armis per urbem dilapsi, Carū quendam senatoris familiarem interceperunt. Commoti ciues ad rei nouitatem frequentes gubernatorem adeunt, sumere animum, & arma suadent, operas suas offerentes, facile Coniuratos intercipi posse asserunt: audeat modo gubernator, ac senator, & ciuiū consilia sequantur. Coniurati ciuium arma timen-

N tes in

tes in templo se receperunt, quod Marcus Agrippa dijs omnibus, siue (vt melius loquamur) demonibus dedicauit, Pantheon veteres appellarunt, nunc B. Mariæ sacrū est, & ab ea nomen habet. Non præsumpserunt rectores vr̄bis ciues cum ciuibus expugnare, veriti ne multitudine armata ciuitas discusso sacerdotū iugo, libertatē assereret. Illi plerisq. diebus in templo se continuerunt, cum circum habitantes, metu ne noctu inuaderentur alimenta præberent; tandē ea lege persuasi sunt ædem relinquere, vt accepto Inamurato familiarem senatoris redderent. Neq. vel hoc pacto quieuit ciuitas. Bonannus vnus ex Cōiuratis, paucis post diebus armatus per vr̄bem incedens, cum familiam senatoris incidisset, rogareturq. arma deponere, nec parere vellet, incepta rixa, manum conferens, vnum ex Marescallis obtruncavit, victorq. satellites omnes senatoris dissipauit, atque disiecit. Exin liberi omni metu iuuenes armati, atq. inermes per vr̄bem uadere, nullumq. nō scelus impune committere. Quos cum Antonius Pontificis nepos turrim quandam in extrema ciuitatis parte inuasisset, non procul à sancto Laurentio in Lucina didicisset, mox accepta equitum cohorte ex Vaticano ad pontem Miluium se contulit; & ingressus portam vr̄bis, quæ Populi appellatur, festinus ad turrim cucurrit, Coniuratos ibi vt comprehenderet. Illi audito eius aduentu, turrim dimisere, & interiora vr̄bis petentes, in ædibus quas cardinalis olim Firmanus magnificas edificauit sese receperunt. Antonio nō fuit consilium externum equitem intra frequentia vr̄bis ædificia ducere, nondum plane cognita ciuium voluntate, quos in suos scire cognatos non erat verosimile, nec gubernatori è republica videbatur ciues cum ciuibus comprehendere. Coniurati in ædibus Firmani, tamquam in publico palatio conuenientes, illic consilia de rapinis, de patrandis adulterijs capiebant; conuiuiaq. simul agebant, noctes latrocinijs, dies ludis dantes. Tiburtius omnium princeps, & dominus habebatur, cuncta ex eius arbitrio pendebant. Quærentibus quid ageret Tiburtius dominus, respondebant aut hoc, aut illud agit. Pudebat bonos ciues eò esse deductā vr̄bem, vt in Tiburtij potestate videretur, cupiebantq. armis tantam ignominiam delere; quod postquam per gubernatoris ignauiam efficere non potuerunt, congregati simul optimates, Tiburtium adierunt, suadentes vt vr̄be discederet, nec vellet patriam suam latronum speluncā efficere: si pergeret crassari amplius

A plius in ciuitate, non passuros magnates, facile manum militū cogi posse, quæ temerarios iuuenes in vincula conijciat: parum vero esse in iuuentute præsidij, quæ inops consilij facile dissipatur; vr̄bis senatum si semel arma corripuerit, non quieturum donec Coniuratos omnes perditū eat, ciuitatemq. tam misera seruitute prorsus liberet: Pontificem quamuis procul absit cito reuersurum, neque Tiburtio, neq. complicibus veniam daturum, si eos in vr̄be latrocinantes inuenerit, cædāt suis ciuibus potius, atq. abeant, ita fieri posse vt rogante ciuitate, in gratiam deniq. Pontificis redeant. Victus his Tiburtius discedere statuit, egressusq. domo per vr̄bem tanquam magnus aliquis princeps inter conseruatorem, & prothonotarium Apostolicum Georgiū Cæsarinum, ad portam vsq. medius incescit, magna populi sequente caterua, quæ ad visendum Tiburtium, quasi ducem aliquem numerosi exercitus accurrerat. Ille plenus animi, salutatis in porta ciuibus, cum Coniuratis ad oppida Sabelli concessit, nihil dubitans reuerti posse cum vellet. Inter hæc ex Coniuratis nouem fuere, qui horrendum ausi scelus, noctu ad monasterium diuæ Agnetis extra portam Salariam profecti, fractis portarū repagulis, sacrarum virginū penetralia, atq. abdita irrumpentes, non modo vim pudicitia intulerunt, verum etiam corruptarum virginum bona & sacram suppellectilem diripuerunt. Quæ cum Pontifex accepisset, nec iam vllum esse aliud remedium seruandæ vr̄bis cognouisset, quàm sedem suam repetere, nihil moratus, edictum posuit intra dies viginti se versus vr̄bem iter accepturum, curiales admonens, vt se per id temporis ad vr̄bem cōferrent. Quod vbi Romæ auditum est, haud alia exultatio facta, quàm si magna quædam victoria nunciata esset, aut ipsa vr̄bs tum primum fundata, ædificataq. videretur. Pompa per vr̄bem ducta, ignes accensi, supplicationes per omnia templa factæ, vt felix, faustusq. ac celer Pontificis reditus esset.

Cupiebat per id tempus Pius castrum Leonis sibi, vt à Ferdinando traderetur, quod sæpe promiserat, idest in Etruria Tirreno mari adiacens, iuxta emissoriū piscosæ paludis non longe ab vr̄be Grosseti, atque Vmbronis ostia. Rex Alfonso olim exorto bello armis obtinuit, & compositis rebus retinuit: huc se Picininus contulit, cum Calisti copias fugeret, hic magna piscationis mugilum, & pinguia pecorum pascua. Ioannes Lyritanus natione Hispanus, arcis præfectus erat, quâuis Ioan-

Castrū Leonis maritimum Antonio nepoti datū, & multo studio redemptum, vna cum insula Lili-

nē de Castro sustinisset. Inuitus arcē Lyritanus relinquebat, & voluntarium tamen se finxit, & quasi traditurus arcem Pontifici eò se contulit; quò cum venisset multa sibi deberi ait, non redditurum nisi dissoluta summa, negante Pontifice tantum auri numerare, quantum peteretur; Florentinis, ac Genuensibus arcem & oppidum vendere pertentauit. Interea vnus ex oppidanis qui amicos haberet in arce, Plumbini tyrannum adiit, tradere arcem pollicetur, si sibi aureorum quattuor millia numerentur. Adhibet aures tyrannus, & hominem cautum cum pecunia mittit. Is traditis aliquot aureis, iubet descēdere custodes è turri, & dum reliquam pecuniā numerat, famulos suos paulatim ascendere & locum capere. Quod vbi factum esset, iam numerata pecunia: Error est, inquit, & quasi numeraturus iterū aurū ad se traxit, atq. in turrim prope concessit, & ostio clauso, ea deberi proditoribus stipendia dixit, signumque dedit militibus qui prope latebant, quibus accurrentibus, potitus est oppido, & uexilla regis erexit Aragonum, quasi pro illo possideret, atque in hunc modum non Lyritano solum, qui erat in oppido, sed Ferdinando, & Papæ illusum est. Ferdinandus ea re cognita, vnus ex secretarijs Talamanchum nomine ad tyrannum misit, vafrum hominem, qui magno vsus ingenio arcem recuperauit, & Pio tradidit. Ioannes Lyritanus minorem arcem, quam tenebat in littore maris, Papæ tradendam reliquit, & cum Ioanne de Castro per agrū Senensem iter faciens Neapolim rediturus, ab agrestibus obrūcatus est, & pariter Castrensis occisus, in vltionem damnorum, quæ viuentē Alfonso prouincialibus intulerat. Sic infelices homines priorum malorum, quæ perpetrauerant, poenas dederunt. Pontifex Castrum leonis, & arces & insulam Lili nepoti Antonio tradidit; non tam ei quàm patria consulturus, cuius maritima loca, & horrea ciuitatis hoc oppido clauduntur.

Sigismundus Malatesta fidem frangit, oppida pignori data inuadit, mendacijs confictis.

Inter hæc Sigismundus Malatesta suarum non immemor atium præfectum arcis Montis marci dolo intercipit, arcemque occupat, & oppidum in potestatem suam redigit, quod antea pignoris nomine Pio Pontifici obseruandū tradiderat, quæ admodum supra commemorauimus. Rogatus cur id fecisset, respondit præfectum mulierosum fuisse uirum, vxores oppidanorum dies ac noctes infestasse, petentibus oppidanis se illum interceptisse: cui Pontifex in hunc modum rescripsit. Esto sit verū quod.

A quod fingis, tu ne in alio corriges, quod in te ipso gloriaris? si peccauerat præfectus, nostra erat vltio, accusandus apud nos fuit, non finissemus inultū facinus aut reddito præfectū, & arcē, aut Ecclesię Romanæ declaraberis hostis. Contempsit ea Sigismundus, nec multo post prodiones prodionibus accumulās; Mundauium cum equitatu profectus intromissus ab oppidanis, quos prece, pretioq. corruerat, arcem inuasit, territoriumq. præfectum, paruo corrupit auro, atque ita Vicariatum fere omnē Mundauiesem è potestate Pontificis fraudibus, ac dolis eripuit. Vulgata fama quòd ideo id fecerit, quoniam exploratum haberet Pium Pontificem ea oppida Federico Vrbinati traditurum fore: quod cum non satis crederetur, ad aliud confugit mendacium; scripsitq. Italiæ potentatibus, ideo se Mundauium occupasse, quia statuisset Pontifex suas illuc copias ad discretionem, vt aiunt, hiematū mittere: in qua re prophetauit, nesciens quid diceret: eliciente Domino etiam de mendaci ore veram aliquando prophetiam; sequenti enim anno, vt suo loco dicemus, id oppidum ad discretionem ducibus Apostolicis redditū est. Discretionem vocant, cum permessa militi potestas est in oppido quod capitur, pro suo arbitrio debaccari, corporibus liberis tantum saluis.

C Dum hæc aguntur Lucas quidā ciuis Romanus, quem sepe cardinalis Columnensis ad principē Tarentinū miserat, Romæ capitur; & quoniam secreta nosse principis, & multorum baronum existimabatur, in arcæ sancti Angeli reclusus, iubetur quænorit dicere. Is absq. tormentis sua manu hæc sponteq. scripsit: Principem Tarenti, & comitem Euersum, & Iacobum Sabellū, & Columnenses aduersus Pontificem conspirasse, statuisseque Iacobum Picinimum in agrum Romanum accersere, Vrfinis atque Ecclesiæ infensum; nec dubium esse quin Roma caperetur absente Papa, dantibus aditum Coniuratis: Tiburtium, Ioannem Andagauensem, Tarentinum principem Iacobum Picinimum adiuisse, promississeq. Urbem tradere cardinalem Aquilegiensem, qui apud sanctum Laurentium in Damaso moraretur, auro abundantem interciperere, pecuniaq. mulctare: Antonium Papæ nepotem, cum per Urbem ad cardinalem iret obtruncare: opulentorum ciuium, mercatorum, curialiumque plenas domos diripere, inde militi stipendia daturum; nihil horū sibi esse difficile, patere sibi die, nocteq. aditum in urbem; in qua

Coniuratio grauis aduersus Pium deditur.

iuuenes haud minus quingentis robusti & audaces, & primariorum ciuium filij sentirent secum, quorum parentes tumultuare ciuitate, non auderent arma capere aduersus filios, satis habituri si domus eorum saluarentur. Hæc Pontifici relata maturandam, iter magis ac magis suaserunt.

Collatio ecclesie Raguseæ, & Matthæi Regini.

Per idem tempus duæ vacauerunt ecclesie Metropolitanæ, Ragusea apud Dalmatas, & Rossana apud Calabros: illi præfatus est Franciscus ordinis sanctæ Mariæ Seruorū professor, ac generalis minister, natione Senensis, moribus, ac doctrina excellens: hanc fortitus est Matthæus Reginus inter Minores fratres, qui Obseruantes appellantur, prædicationis gratia insignis: hūc olim Nicolaus Pontifex maximus Ecclesie Reginensi, cum præficere statuisset, quæ tunc forte vacabat, iussit accersiri à cardinali Firmano, rogariq. an vellet suæ ciuitatis pontificalem curam suscipere. Paruit Firmanus, vocatoq. seorsum in cubiculo Matthæo: Diligit, inquit, te Pontifex maximus, tuisq. ciuibus præfulem dare statuit, si modo animum ad hoc induxeris, neq. honorem hunc in patria tua pulcherrimū refugeris. Matthæus nihil respondens cubiculum egressus ad fratres, qui erant in aula eiulans, ac lacrymans: Accurrite, inquit, adestote, opem afferite: admirantibus fratribus, percontantibusq. quidnam sibi accidisset, aliquandiu nihil aliud respondit, nisi accurrite, iuuate, opem afferite misero. Postremo cum sæpius ac sæpius interrogaretur, vt quid auxilium tantopere efflagitaret: Heu, inquit, misero mihi, ætatem in religione consumpsi, vixi pauper & obediens, præcepta beati patris Francisci nunquam violauī, verbum Dei prædicauī populis, in cellula mea prædiuitem egi pauperiem, diuina contemplatus arcana, nunc ad episcopatum vocor, ad negocium, ad labores, ad honores, quos optauī nunquam. O immaculata religio, ò sacri penates claustrī, ò dulcia cellarum silentia, ò amantissimi fratres, ò consolationum mearum socij: ergo vos tandem relinquam? & me dulcissima conuersatione vestra priuabo? non faciam accurrite, iuuate, liberate me his molestijs, defendite, ne me Firmanus vobis eripiat. Audiuit cuncta Firmanus è cubiculo suo, atq. accedens propius: Tace, inquit, Matthæe, pone metum, bono animo esto, libero te, non vrgeberis à Pontifice vultra quàm velis; ito quo placet, & rei tuæ consulto: atque in hunc modum eo dimisso, Nicolao Pontifici cuncta, quæ gesta erant non sine risu exposuit. Post dies octo rediēs, ad Fir-

Ad Firmanum Matthæus, consilium se coepisse cum amicis ait, rebusq. in vtramq. partem plane discussis, visum illis esse, vt Pontificis desiderio satisfiat; ponere igitur se in manu Papæ, cui nefas sit non obedire. Firmanus Nicolaum accedens: Matthæus, inquit, mutatus est: episcopatum si voles accipiet: cui Pontifex: Et ego, ait, mutatus sum: volui episcopatum illi committere cum noluit, cum vult nolo, atque ita Matthæus dignitate excidit; mansit tamen in religione, nec reliquit prædicandi officium: sub Calisto triremes duas ex eleemosynis contra Turcas armavit: atque in Asiam profectus captiuos aliquos abduxit. Pius misertus hominis, qui labores multos in Ecclesia perulisset, vocauit eum cum Senis ageret, aitq. præfecissemus te vel ignorantem ecclesie Rossanensi si putauissemus non recusaturum id oneris sicut olim Reginensem spreuisti ecclesiam, nunc animum tuum patefacito. Tum ille, Nicolai ordinationē olim refugiens, nunc in manus tuas me dedo, tua voluntas mea erit, si iubes in religione perseuerare, manebo quoad vixerim, si ad episcopatum me vocas, præsto adsum, nec ignoro in culmine perfectionis esse, qui pontificalibus implicitus curis, suo satisfaciat officio. Atque ita Matthæus Rossanensem consecutus ecclesiam, illi postea non sine laude præfuit.

His apud Senenses peractis, Pontifex quarto idus Septēbris ab eis recessit; quæ dies profectionis statuta erat: flebat vniuersa ciuitas, neque curiales ex amœnissimo loco, mitiq. populo abeuntes continere lacrymas poterant. Pontifex etsi vehementer angebatur, dulcem relinquens patriā, ignarus an aliquando rediturus esset, lacrymas tamen continuit, nec sororibus cum fletu occurrentibus commutatus est. Secuti sunt magistratus vrbis extra moenia ad monasterium vsque Angelorum, illic cū ciuibus benediceret, rogatus si quid iuberet: Iubeo, inquit, filij concordiam sectemini, quæ sola ciuitatem seruare potest, ponite odia, quæ corda vestra exedunt, facebant diuisiones, sectæ conuenticulę, consulite in communi, quæ reipublicæ vtilia sunt: diligite iustitiam, iniquitatem pellite, nolite quenquā opprimere, defendite viduas ac pupillos, honorate sacerdotes, ecclesiarum immunitatem nolite infringere, plectite facinorosos, legibus quæ sunt ex bono, & equo his vtimini, reliquas abrogate, iuuenibus vestris vxores date, celibes atque inertes à magistratibus arcete, dotibus modum ponite atque sumptibus, quæ

Pij discessus Senis ad Corfinianum, & eius egrotatio, monitum ad Senenses vtilissima.

datis extra, quæve accipitis æstimate: male se ciuitas habet quæ plus emit, quàm vendit. Hæc pro tempore monumenta reliquimus, quæ seruantibus non erunt inutilia. Atque his dictis iter ingressus, secunda die Corfinianum peruenit, quo in loco grauius ægrotauit, humoribus ex capite descendentibus, petus, brachia, ac totum corpus adeo debilitantibus, vt nullam in partem non adiutus moueri posset, & morti proximus videretur, languit duodecim diebus.

Roberti ducis aduentus, Pij discessus à Corfiniano, & per Radicofanum, & Abbatiam ad Percenum iter, & Aquapendentis, ac Vulfinij deinde accessus.

Exin sanitati restitutus, mirabilem oblectationem accepit in solo natali surgentibus ædificijs, quæ nullis Italiæ cessura videntur, quemadmodum postea suo loco dicemus. Huc Robertus ex sancti Seuerini comitibus egregius copiarum ductor, ad Pontificem venit, quem Franciscus Mediolanensium princeps auxilio Ferdinandi in regnum cum magna militum manu mittebat, victoriam hostium apud Sarnum habitam remoraturum. Picininus in Aprutio audita Pontificis ægrotatione vocatus à nonnullis baronibus celeri cursu, dimissis impedimentis, cum omni exercitu per asperrimos montes in comitatū Albi peruenit, in agrū Romanum propere descensurus. Miserat Pontifex prius quàm discederet è Senis Nicolaum cardinalē Theanensem ad exercitum Apostolicū, qui erat in Aprutio prouisurum, ne subditi Ecclesiæ aliquid detrimenti paterentur. Is audita Picinini profectio, mox Federicum atq. Alexandrum copiarum duces commouit, vt dimissa parte exercitus, quæ Iosia Aprutini sufficeret, impedire conatus secum pergerent, pernicioſa Picinini consilia præuenturi; nec mora per alpes Nursiæ & difficilima montium claustra in agrū Rheatinū cum illis peruenit: Pontifex quoque recessu ex Corfiniano maturato Radicofanū appulit: deinde per Abbatiam, cuius loci amoenitatem infra describemus, & Plani oppidum ad confinia transiit Ecclesiæ, quæ medio fere spatio intra Percenum, & Planum reperiuntur. Ibi Percenates in prato viridi non procul à Riuo perenni ex ramalibus tabernacula fecerant; in quis suū dominum, miro clamore, atq. ingenti lætitia exceperunt, peregre redeuntem, eiq. prandium parauerunt. Quo peracto Percenum itum est: nobile olim oppidum & vix expugnabile, altis vndiq. rupibus cinctum: sæpe in manibus latronū fuit, sæpe mutauit dominos, & multis subiucuit calamitatibus, modo direptum, modo incensum: sub Eugenio quarto ad Ecclesiam redijt, cum antea Francisci Sfortiæ præsidio tene-

retur

A retur, nunc respirat sub Pio Pontifice, & opibus augetur & populo. Quo benedicto Pontifex ad Aquapendentem se contulit: locum instar vrbs habentem, & quem Antonius cuiusdam Petrucij filius natione Senensis pro Francisco duce Mediolanensi gubernans, Eugenio vendidit, cui fuerat armis ablati: hic nocte peracta, sequenti die ad Vulfinios peruentum, vnā è duodecim ciuitatibus Etruriæ, apud veteres late memoratam, fuit & patrū nostrorum memoria populosum, & amplum oppidum; Britones vastauere, nunc vile castellum est: soli bonitas, & lacus vtilitas cui adiacet, & quod iter hac est ad Urbem non finit in totum perire: Ceruariæ nobiles vetus familia Urbis ueteri hic diu dominati sunt. Sub Nicolao Pontifice quinto seditione oppidanorum deiecti locus ad Ecclesiam redijt. Oppidani diu postea contententes sub Calisto tertio mutuis se se cædibus lacerarunt. Pius vna apud eos die moratus, discordes animos in amicitiam reduxit.

Deinde ad Urbem veterem iter ingressus est; in quo de finibus periculosa suborta contentio: Vrbeuetanis, & Vulfinensibus Pontificem in agro suo, cuius limes erat dubius portare volentibus. Pugnatum est & manibus & ferro, & aliquot hinc atq. inde vulnerati. Vixq. sedata tandem contentio, cum equitatus Pontificis accurrens vtramq. partem sagittis, ac lanceis inuasisset; appropinquantem vrbi Pontificem, vt primum videri moenia potuerunt, accedentes legati ciuitatis ex hoc inquiunt loco, cum ex vrbe nostra pulsus abiret Romanus olim quidam Præsul, populo nostro maledixit, ex illo tempore seditionibus agitati nunquam respirauimus: vrbi nostræ quæ nulli per Tusciam inuidebat, iam nemo non miseretur, diuina hæc ultio est; Apostolicum anathema sentimus, benedic ciuitati, & aufer indignationem, redibit cum tua benedictione diuinus fauor. Annuit Præsul, & signo crucis super ciuitatem facto, magna populi alacritate urbem ingressus est. Mons lapideus in media valle consurgit, sex circiter stadijs altus, in cacumine planities est tria millia ambitus passuum complexa; prærupte pro muris stant rupes, quarum altitudo nusquam minor est vlnis viginti: Hic ædes ciuium nobilissimæ fuere; & ampla ex secto lapide palatia, vetustas multa consumpsit, plura incendit ac vastauit ciuiliſ discordia, extant adhuc turres semidirutæ, & collapsa templa: verum beatæ Mariæ virginis dicatum fanum in media vrbe incorruptum visitur, templorum, quæ sunt in Italia nulli cedens amplitudine, mate-

Vrbs vetus, & eius anathema, Pijq. benedictio, ac templum nobilissimum.

ria,

ria,artificio,forma memorabile,parietes ac pauimentū ex marmore diuerſi coloris,frons altiffima,& admodū lata , plena ſtatuis , quas optimi ſculpſere artifices maiori ex parte Senenſes , nec Phidiæ nec Praxiteli inferiores , viui apparent ex candido marmore vultus , & membra ita expreſſa hominum , atq. ferarum,vt natura æquaſſe artificium videatur; vox ſola deest animantibus:Reſurrectionem mortuorum,Saluatoris iudicium damnatorum poenas , electorum præmia, quaſi res vera geratur, intueri licet. Apud Vulſinienſes ſacerdos quidam , cum rem diuinam perageret,atq. in ſacramento altaris diuinitatem , humanitatemq. Chriſti ſaluatoris adeſſe dubitaret, mox hoſtia in conſpectu eius cruentata fidem egit, miraculoſuſq. ſanguis corporale totum ſuper quo iacebat obſignauit . Quæ res ab Urbano quarto Pontifice maximo plane cognita & approbata eſt;at que hinc celebritas ſacratiffimi Chriſti corporis inſtituta , qua quot annis toto in orbe Chriſtiano,ſumma populorum deuotione , ac ſolemnitate peragitur ; corporale tanti miraculi veſtigia ſeruans in hanc ædem tranſlatum, honore ſummo ac religione præcipua cuſtoditur.Iuxta templum Pontificale palatium ſitū eſt ampliſſimū , & Apoſtolico culmine dignum: verum magna ex parte dirutum: Nicolaus quintus cubicula quedam,& aulas pleraſq. reſtituit, quas Pius Pontifex inhabitauit . Idem Nicolaus arcem quoque in angulo ciuitatis conſtruxit , qua nondū perfectæ eſt,cuſtoditur tamen,nec facile oppugnari poteſt,rupibus altis , & foſſis munita profundis. Fontes in ciuitate deſunt, cifternarum vtitur aquis,& quæ per fiſtulas ex propinquo monte deducuntur . Ad radices montis fons quidam perennis aqua reperitur,quem difficile prohibere ciuibus hoſtes poſſunt : circū colles conſiti vitibus vina non aſpernenda ſufficiunt , in montibus multa materies, in plano ferax ager tritici,in valle ima Palea fluuius, & Clanius amnis, è regione arcis concurrentes , ad quintum inde milliarium in Tyberim deuoluuntur; capi tantū famæ deſenſa,concordibus animis, ciuitas poteſt, quando nullis perumpi machinis moenia queunt, nec præ altitudine ſcalis aſcendi deſenſa, ſed deſuit vnitas,nec vllus in Italia populus minus concors quàm hic fuit . Muſſati, & Bergolini urbem ad internitionem prope deduxerunt , familiae potentes & vetuſtæ & ciuitatis principes inter ſe perpetuis diſſidentes odijs: ager olim late patuit , & multa colluſit oppida , quorū declinante ciuitatis

Hoſtia cruentata.

A tis potentia partem Senenſes inuaſere , partem vicini reliqui. Nobiles quoq. eius vrbis caſtella quedam vſurpauerunt , quæ poſtea partim ad Eccleſiã Romanam,partim in alienas manus tranſiuere: mille & quadringenti quondam ciues Senenſes huc exularunt ex factione Reformatoria, à quibus ciuitas lanificiū accepit, vnde magna emolumenta prouenere, hodie fere extintum eſt.

Manſit hic Pius triduo ciuibus inuicē diſſidentibus,leges dedit,quibus in concordiam redeuntibus ciuitatem in pace gubernarent, quæ poſt nouitatem Gentilis receptæ ſunt; hic vir nobilis **B** fuit ex gente cui de Sala cognomen eſt, verſutus homo, & audax; qui cum aliquando exulaſſet, tandem vocatus ab amicis furto reductus in urbem,excitato tumultu, adueſantem ſibi partem deiecit, multis trucidatis ciuibus,ob vindictam fratris , qui ante fuerat interfectus , ciuitatemq. quaſi ryrannus oppreſſit; quamuis Eccleſiam acclamaret dominam:fuit tamen iterū vrbe pulſus,& plenum ad Eccleſiam imperium redijt. Illi Pontificum benignitate relicta ſunt paterna bona,& oppidum Ficullæ commendatum Eccleſiæ nomine gubernandum , vt inde familiam aleret. Quæ res Vrbeuetanis admodum fuit moleſta , propinquitatē eius ſuſpectam habentibus , qui non ceſſaret res nouas in ciuitate moliri. Pius ad Pontificatum aſſumptus , quieti conſulturus , Gentilē ſub honoris obtentu in Picenū relegauit, Vicariatumq. Mundauij ſibi regendum commiſit . Verum ille quietis impatiens,inde diſcedens nō ſine infamia,quod cum Sigismundo conſpiraſſet, Ficullam redijt; nec diu moratus,coniuratione cum pleriq. nobilibus inita,in ipſa ſolemnitate ſacratiffimi Chriſti corporis,quæ apud Vrbeuetanos eximia pompa celebratur,inuadere urbē ſtatuit,occupatoſq. religione ciues adoriri,atq. aduerſæ factionis principes obruncare,ſeq. rurfus ſub **D** Eccleſiæ titulo dominum conſtituere . Non tulit diuina pietas tantum ſcelus, detecta res eſt prius quàm Gentilis urbem ingrederetur , capti aliqui & coniurationem conſeſſi poenas dedere; alij fuga ſalutem queſiere. Indignatus ob eam rem Gentili Pontifex Ficullam ab eo repetijt,ne in perniciem Eccleſiæ verteret, quod ſibi miſericordiæ gratia fuerat conſeſſum. Ille vana quorundam cardinalium ſpe deluſus, & Euerſi comitis, atq. aliorū vicinorum pollicitationibus illectus, Pontificis mandata contempſit,maiores ſuos Ficullam condidiſſe affirmans, ſe præter cenſum

Gentilis de Sala nequam, & nouator rerum, Sala diruta, Ficulla capta, in exilium mittitur.

sum eius loci, nihil Ecclesiæ Romanæ debere, patrum suorum hæreditatem nolle relinquere, moriturum prius quàm patrimonio cædat. Pontifex his auditis Vrbeuetanos in armis esse iussit, missaq. non magna militum manu agrestibus prouinciæ congregatis, Salam ipsius Gentilis antiquam domum in arcis formam redactam & loco edito sitam, paucis diebus obsessam, & ui captam diruit. Exin Ficullæ admouit castra, quibus Gentilis deterritus, cum nullam in oppidanis spem relictam videret, deditioem fecit, eas leges subiturus, quas Pontifex diceret. Pius excedere omnem eius familiam ex agro Vrbeuetano iussit: ipsum uero in Galliam Cisalpinam relegauit, bonorum quæ reliqua fuerant nihil ei abstulit; filiarum misertus, quarum altera nupta nondum viro tradita, altera nubilis erat. Nec ex terminandam prorsus nobilitatem censuit, & maiorum merita posteris, vel iniquis prodesse non nihil debere. Verum hæc nondum gesta erant, cum Pius in Vrbeueteri fuit in annum sequentem inciderunt. Nos hoc loco ea commemorauimus, ne rursus huc reuerti oporteat.

Balneoregij Pius hinc discedens cum in agrum Balneoregij peruenisset, in ipsius finitimi limitibus rursus periculum adiit. Vrbeuetanis, & Regiensibus sedem eius, concitato tumultu, inuadentibus; erat enim inter illos de finibus controuersia: nec portari Pontificem in agro suo, nisi à suis laturo videbatur. Certatum est & inermi, & armata manu, & tandem sagittis aliqui vulnerati sunt, aliqui gladijs. Cohors quæ Pontificem præsidij causa sequebatur, pugnam diremit, & acceptam sedem longe ultra contentionis locum cum Præsule asportauit, ubi Regienses viri femineq. cum paruulis excurrentes xenia obtulerunt, ciboq. ac potu omnem Pontificis comitatum recrearunt. Deinde ad Montemflaconis, quam nonnulli Faliscorum urbem fuisse contendunt: in qua opinione, & Leonardum Aretinum fuisse tradunt, ventum est. Ea ciuitas in alto monte iacet, imminetque Vulfinensi lacui ad Orientem Ciminum montem prospiciens: hic nobile palatium Galli condidit, cum Romano Pontificio fungeretur, ibi ut per æstum degerent, quibus Italici calores admodum sunt infensi. Palatium arcis in modum ædificatum fuit adhibitis aulis, triclinijs, ac cubiculis, quæ dignitati Pontificali conuenirent, nunc pars magna vetustate, & incuria collapsa est. In eo collocatus Pius, cum vim ventorum ferre non posset (est enim veluti quædam

Balneoregij
fium cum Vr
beuetanis cō-
tētio, Montif
flaconis, &
Romanorum
oratores.

A dam Eoli domus) altera die Vituruium per patentem agros concessit, nostra ætas Viterbium vocat, & inermium vitam interpretatur, tanquam Romano vigente Imperio, veterani milites ad aquas calidas, quæ ibi vbertim icaturunt, acturi senium confugerent. Romanorum legati in itinere occurrerunt, Pontificis reditum oraturi. Quattuor viri disertissimi, quorum duo iurisconsulti fuere, & sacri consistorij aduocati, Antonius Caffarellus, & Andreas sanctæ Crucis, duo alij ex nobilitate Romana ciues primarij, quos pulcherrima iuuentus sequebatur, suo & equorum cultu ornatissima.

B Vituruium nouam esse ciuitatem satis constat, etsi olim castelli formam obtinens Herculi dicatum fuisse feratur. Duæ hic factiones fuere, altera Gattorum, altera Magantiorum, quos & Tignosinos appellauerunt. Cum esset Pius Mantuæ, diximus quo pacto Euerfus comes hanc urbem inuaserit, & quo modo Rauennas archiepiscopus eam recuperauerit. Paulo ante sedente Calisto tertio grauibus discordijs eadem ciuitas laborauit, cum pars partem armis inuaderet, ac domos fugientis incenderet. Calistus ad sedandum tumultum episcopum Syracusanum transmissit, natione Cathelanum, qui vafro vsus ingenio ciuitatem ingressus vtramque partem grauibus affecit modis, alijs substantiam, alijs vitam eripiens, multos in exilium mittens, ita ut propemodum deserta ciuitas videretur. Quo tempore illud memoria dignum accidit, fide forsitan apud posteros cariturum. Captus senex, & ob seditionem neci adiudicatus, cum vitam quingentis aureis redimere posset, laqueo perire maluit, dicens sibi quamuis dimitteretur, breui moriendum esse, filijs qui diu viuere possent, aurum conseruandum. Audiuit in hac urbe Præsul Romanos oratores, assidente collegio, singuli per se verba fecere, ne alius alio melior videretur, cum essent eloquentia ferme pares. Narrauerunt quanto in mœrore Roma fuisset absente Pio, quot mala emerisisset, quàm inuiti vidissent Romani eius abscessum, quàm ægre tulissent moram in alienis ædibus, quàm nunc læti reditum expectent. Iam parietes domorum, iam mœnia Urbis exultare, ubi rumor auditus est redeuntis Pij: laudauere gesta Præsulis in Mantuano conuentu, orationes, disputationes, consilia, responsa commendauerunt. Urbem caput orbis & suos quirites petiere, ne memor esset peccatorum, quæ iuuentus commisisset, nunc melius victuram, quisturamque ciuitatem

Vituruium, & iusq. factiones, & Pij re- sponsum Romanis legatis gratissimum.

uitatem, rediret quamprimum reuifurus suos filios Pius pater. Ad hæc Pontifex flentem, inquit, & admodum dolentem, flentes ipsi, & vehementer dolentes urbem reliquimus, quæ patria nostra est, non minus quàm Senæ; nam domus Picolominea, quæ nos peperit olim ex Roma Senas migravit, sicut Aeneadû nomen, ac Siluiorum in familia nostra frequens ostendit: Nos Romæ cardinalatum accepimus, & in ea vrbe ad summû Pontificatum euecti sumus. Vidimus quanta fuit Romanorum alacritas, cum auditum est cardinalem Senensem Calisto successorem datum: vos mihi testes estis, nunquam memoria hominû tam lætos fuisse quirites. Erat igitur molestissimum ex ea vrbe recedere, quæ tam merita de nobis esset, & iam animus præfagebat, quæ postea inter vos emerferunt mala; at volentes animo necessitatem Ecclesiæ, ac fidei catholicæ, quam Turcæ conculare nituntur, & quòd vnum erat remedium Christianæ salutis, si cum principibus conueniremus, tuendamq. religionem communibus opibus, ac consilijs acciperemus, inuiti ac nolentes iter ingressi sumus. Inuiti relinquebamus dilectam sponsam, volentes studebamus matri nostræ amantissimæ subuenire. Quod si non successit, vt sperauimus; non tamen consilij, laborisq. pænitet. Intellexit vniuersus orbis vires nobis non animi defuisse: nemo iam nos accusauerit, quòd Romæ in delicijs agentes, fidem orthodoxam perire sinamus, qui senio, atque infirmitate grauati, nec frigora, nec pluias, neque niues horruimus: per aliena hospitia longam iuimus viam: vocauimus principes, admonuimus populos, expectauimus, omnia fecimus vt communi consilio publicæ consuleremus vtilitati: aduenere perpauca: pauciores fuere, quibus religio potior quàm voluptas videretur; & quid est quod iam nobis valeat imputari? ipsis sæculi principibus tota imputanda est negligentia, qui venientem ad se Christi vicarium de republica consulturum, audire noluerunt. Reuertimus igitur domum, si non Turcarum, at Christianorum omnium victores, si non itum est (vt optauimus) in hostes, speramus tamen tale semen in terram iactû, cuius aliquando secabimus segetem. Dulcis est nobis memoria laborum, qui apud Deum sua mercede non fraudabuntur: illud vero excoquit mentem nostram quòd inter vos factum accepimus. Dolemus fûrta, homicidia, adulteria, sacrilegia, iuuentutem vestram tam multa (vt fama est) perpetrasse; nec vos arguimus, qui punire crimina

A crimina parati eratis, si nostri magistratus præsto fuissent; illos accusamus qui per ignauiam, atq. desidiam tantopere debaccari adolescentes permisere: fidem vestram probamus, qui tentati modis compluribus ab officio non recessistis: viri sane & probi, & prudentes estis, qui vestro domino constanter seruitis, quamuis vestra seruitus regnum est. Et quæ ciuitas reperitur Roma liberior? vos sine vlllo vectigali estis, vobis nulla imponuntur onera, vos magistratus in vrbe geritis honestissimos, vina vestra, frumenta vestra quanti vultis venditis, domus vestræ pensiones vobis vberes pendent: & quis præterea vester dominus est? **B** forsitan comes, marchio, dux, rex, Imperator? maior his omnibus cui pareris Romanus Præsul beati Petri successor, Iesu Christi vicarius, cuius pedes cuncti osculari desiderant: recte hic Rex regum, & Dominus dominantium pro Christi reuerentia dicitur, cuius uices in terris gerit. Sapitis viri Romani, qui hunc vestrum dominum obseruatis, colitis, veneramini; nã is est, qui vos præclaros efficit, qui vos ditat, qui toto ex orbe ad vos diuitias affert: si quidem Romana curia quam pascitis, ipsa uos pascit, & aurum ex omni regione ad vos portat: gaudemus quia bonum vestrum & cognoscitis, & conseruatis: gaudemus nos expectare lætã urbem, quando & læti pergimus illuc: hora nobis annus est, præ cupiditate reuifendi sacra vrbs moenia, & sancta Martyrû atq. Apostolorum ossa, & terram illam pio sanguine rigatam, & caros quirites, quos veluti filios amamus: nulla gens carior nobis est, quàm Romana: desiderio desideramus, quàm primum esse cum familia nostra, & cum peculiari populo nostro in sede nostra. Quod si Mantuano peracto conuentu non statim huc aduolauimus, & remorati sumus, tres fuere cause: Prima vt apud balneas valitudini consuleremus: altera ne per æstatem Romã ingrederemur, quo tempore ex Gallia mitiq. celo redeuntibus noxius, ac pestifer est aer: tertia vt Senenses ciuili, & externo bello iam pridẽ exhaustos, curiæ nostræ mora paululû reficeremus, quibus consulentes Romæ consulimus. Nam Senæ occidentem versus vrbs est murus; nec nos vobis, aut alteri cuiquam mentiti sumus, quo tempore promissimus reditû eò reuertimur, nō tam cupide nos expectatis, quàm libenter ad vos pergimus: morabimur hic breuissimo tempore, dum quæ sunt ad securitatem itineris necessaria præparantur; nam vltra progredi absq. præsidio non est tutum, diem profectio-

tionis cum fratrum consilio statuemus, statutum mox intellige-
tis. Legati responsum Pontificis mirifice collaudantes, conserua-
toribus vr̄bis conscripserunt, Romanumq; populum ingenti as-
fecerunt gaudio, iam iam curiam adesse putantem.

Picini pro-
gressus, & Pij
magnanima,
de reditu de-
liberatio, &
descriptio Ca-
napina.

Inter hæc nuncium affertur Picinimum cum infestis exerci-
tibus, occupato Tagliacotij comitatu, Farfensisq; monasterij in-
uasus nonnullis oppidis vr̄bi appropinquare, Columnenses, Sa-
bellos, Euersum ei affederatos esse, iuuentutē Romanam arma
tenere, ac res nouas cupere: Sforziadas, & Ecclesiæ milites non-
dum aduentasse; Picinimum agros, atq; vr̄bes inuasisse: Rhe-
atinos. Tiburtinosque, & in Campania plures ciuitates cum eo
sentire haud dubiū quin breui Roma potiatur. Quibus auditis,
retulit de suo itinere Pontifex ad collegium cardinaliū, in quo
cum variæ sententiæ dicerentur, nec certum aliquod consilium
inueniretur, secretiores amicos consulere placuit. Quorum vna
vox fuit & vna suasio ad vr̄bem minime festinandum esse, ma-
nendum Vituruij, aut in Vr̄beueteri, donec adsit exercitus Ec-
clesiæ, qui Picinimum ex agro Romano propulset: ille si Latium,
& Sabinos occupet, Euersum Transyberina possideat, Pontificē
Romæ clausum iri, Romanos amissis pecoribus in eum conspi-
ratos, vr̄bemq; Picinino prodituros, & quo se conferat Præsul
in tanto periculo, nec terra iter patebit, nec mari, Gallicis clas-
sibus obfesso. In mole Hadriani quærenda salus, & ibi tandē fa-
cienda deditio, quæ morte multo deterior fuerit. Quod si rerum
exitus apud Vituruium expectetur, aut cum victoria reditus pa-
tebit in vr̄bem, aut si vicerit hostis, saluari apud Senenses curia
poterit: afferebant & Eugenij exemplum, quē ob animalia per-
dita Romani in custodiam recepissent, & Nicolao paratas insi-
dias Romanos nullam perpeti fortunam posse, in aduersis aper-
te rebellare in secundis inolescere, Pontificem nisi armis stipa-
tus fuerit, apud eos non esse securū. Ad ea Pius: Omnes, inquit,
in hoc loco manendum suadetis, nos eundū putamus; nisi prius
vr̄bem quàm Picininus ingredimur, debellatum est regnum, nec
scimus, an diebus nostris Roma recuperari possit: Eugenius qui
eam perdidit, nouē annis per aliena errauit hospitia, & quæ glo-
ria Potifici maximo perdita Roma esse potest? At Picininus cir-
cumiacentes occupat agros, verum vt aiunt, sed ultra Tyberim
dicitis, & citra Euersum arma tenere fatemur: verum non is est
qui nostrum remorari transitum queat: euitabimus eius fines,
nec

A nec suas insidias vereri oportebit, noster erit maior comitatus,
quàm suus exercitus, sed Picinino miles furtim transmissio Ty-
beri, obuius erit: si omnia quæ possunt accidere metimur, ac ve-
remur pericula, quid tandem audebimus? & nunc quoq; tectum
hoc ruere potest, & nos opprimere. Quocunq; te uertas, semper
adsunt discrimina, non fit sine periculo magnū facinus, & me-
morabile: possumus in vr̄be, vt dicitis, claudi, possumus capi, pos-
sumus occidi, non negamus; sed vbi honestius quàm Romæ Ro-
manus Pontifex moriatur? vbi dignius quàm in Vaticano sepe-
liatur? Nos Deum adiutorem piæ causæ futurum confidimus;
B quod si occulto aliquo diuino iudicio decretum est hostiles nos
in manus incidere, aut impio ferro cadere, non recusamus. Pro
Roma, & in Roma mori, mortē appetere pro Patrimonio bea-
ti Petri gloriosum est, effugere miserum. Ite igitur, ac renunciate
cardinalibus, nos è vestigio iter ad vr̄bem ingressuros: quod cū
rescitum est tota curia tumultuauit, alijs gaudio, alijs timore
correptis. Exin horam circiter vigesimam Pontifex mediā per
vr̄bem iter facit, quamuis occultam extra mœnia viam tenen-
dam nonnulli censerent. Ventum iam est vespere ad Canapinā,
ibiq; pernoctatum: hic locus prope ad radices Cimini mōtis ia-
cet, qua sol ei oritur; verum obscura in valle, atque profundissi-
C ma, ita vt minimum solis videat. Riuus è monte cadens oppidi
lambit muros, castanea multa uestit colles, quæ locum æstiuo
tempore obscuriorem reddit: vix alia est arbor præter nuces, &
malos aliquas. Casas ex materia fecerunt incolę atq; in his com-
pressi, velut apes in aluarijs habitant, quamuis parua domus
plures familias continet. Promiscua inhabitatio gentem multi-
plicat: fumus qui plurimus inest, malos desiccatur humores. Præ-
sul in paruo cubiculo, nec lectulo maiori, vt sine fumo esset, sine
igne mansit.

D Ex hoc loco Nepesina ciuitas petita est peruetusta, ac muni-
tissima, duo riui collem, in quo sita est ambiunt, altissimas ha-
bentes ripas, quæ pro muro sunt, neq; ascendi sine scala possunt
eaq; longissima, qua desunt rupes (quod modicum est) arx iacet
turribus & muribus custodita præaltis, quibus Pius multū mu-
nimenti adiecit. Nepesini mortuo Calisto tertio præfectum ar-
cis natione Cathelanum vi captum, crudeliter interfecere, id cri-
minis dantes, quòd in feminas fuisset iniurius. Scelus inultum
mansit, cum aliter dedere se ciues noluerint, nisi facinorosum

Nepesi descri-
ptio Formel-
lique, & Ro-
manorum oc-
cursus, ingres-
susq; in Vr̄bē
festiuissimus.

impunitate obtenta. Præsul hic pransus mox abijt: coniuX Nea-
 polionis Vrsini coenam ei in Campagnano suo more dubiã pa-
 rauerat. Ipse Formellum petijt, vbi nihil omnino parati reperit,
 non cibus, non potus, non lecti reperiebantur: quæsitã sunt à ru-
 sticis quæ famem auferrēt panes, & cæpæ, vinum tum primum
 ex vuis expressum aquæ cessit, ac sitim extinxit: hinc sequenti
 die priusquam elucesceret, Pontifex Romã versus iter arripuit,
 & quia coena fuerat præterita nocte sterilior, iussit media in via
 prandium apparari, apud lucidum, & perennem fontem, qui ex
 antiquo specu sub nemore vmbroso, & in valle reducta scatu-
 rit. Hic dum prandetur gubernator, & senator vrbs, & multi
 nobilium lætabundi occurrerunt: & cardinalis sanctæ Anastasię,
 cum Simone fratre medico, omnes mēsa Pōtificis accepti sunt:
 Qua finita rursus iter continuatum est. Pleni erant occurren-
 tium agri, salutantiumq. Pontificem. Conseruatores ad sextum
 ferme lapidem, primoribus associati ciuibus, pedestrem iuuetu-
 tem adduxere, quę Pontificis lecticam subiret humeris. Erant ij
 iuuenes magna pars eorum, qui nouis rebus studuerant, furen-
 tis Tiburtij comites, propter quam rem suadebant amici Ponti-
 fici, ne sceleratę iuuentuti se crederet, portandum potius suæ co-
 horti committeret. Risit consilium Pontifex, iubeatq. Romanos
 accedere, ac fellam subire: super aspidem, inquit, & basiliscū am-
 bulabis, & conculcabis leonē & draconem. Quod propheticū,
 & alias sæpe impletū est, & nunc implebitur: nam quæ imma-
 nior fera est quàm homo? quæ bestia peiora facit, quàm homo?
 Verum animal mutabile homo est, & sæuissima sæpe mitescūt
 ingenia. Ij iuuenes, & urbem nobis, & vitam auferre (si potuis-
 sent) parati erant, non potuere, errorem nouere suū, mites effe-
 cti portabunt humeris, quem calcare pedibus voluerunt. Nec fe-
 fellit opinio Pontificem: subiere cupidissimi iuuenes fellam eius,
 & ad portam vsq. Flaminiam, quæ nunc Populi appellatur læ-
 tabundi suum dominū gestauere. Ipse in monasterio, quod in-
 tra muros est, adheretq. portę noctem peregit, beatæ Mariæ di-
 catus est locus, in quo Neronem occisum ferūt. Sanctissimæ vir-
 ginis auxilio, Pius sequenti die, idest nonis Octobris, pompã du-
 cens, & quasi triumphans per mediam vrbs, miro populi ap-
 plausu, ornatis domibus opertis panno, plateis stratis flore, atq.
 herba uicis omnibus, ad sanctum Petrum peruenit. Intra eccle-
 siam laniatum est palliū, quod supra Pontificis caput ferebatur.

Præ-

A Præsul ad aram maiorem genua flectens non sine lacrymis, san-
 ctorū Apostolorū veneratus est ossa. Deinde in palatiū in suum
 cubiculum se se recepit. Ad noctē vniuersus populus in
 equis cum luminaribus ad ædes Pontificis oc-
 currit, ductaque per girum pompa ante
 fores palatij magno clamore, &
 ingenti gaudio, vitam
 & felicitatem o-
 prauit Pio.



COMMENTARIORVM
P II. II. PONT. MAX.
LIBER QVINTVS.



Picinini, &
Ecclesiastico-
rum prepara-
tio.



PICININVS interea, qui signis infestis in agrum vsque Rheatinum peruenerat, praemissis nonnullis cohortibus, Montem Leonis, idest Vrsinorum oppidum vi ceperat, ac diripuerat, arcem in deditioem habuerat, ad Iacobum Sabellum equitum, perditumq. turmas misit, quorum ductor fuit Siluester Placentinus bellator egregius, & cum his Deiphebus Euerfi filius, & Antonellus gener viri audaces: ij Monticellum vrbi vicinum incoluere, illi Palumbariam, & alia Sabelli oppida, ex quis in agrum Romanum excurrentes grauibz damnis urbem affecerunt. Cardinalis Theanensis, Alexander Sfortia, & Federicus Vrbinas, quos supra diximus, ex Aprutio Picinini vestigia insecutos, cū copijs Ecclesiae celerime affuerunt, & Monteleonis recuperatū Vrsinis reddiderunt. Quos vbi adesse Picininus intellexit, vltius progredi nō est ausus, etsi aduentū suum in dies promitteret expectantibus: verum Bracciani qui cū Sabello erant, nihil propterea negligentius agere, Latiū, ac Sabinos infestare, praedas abducere, nihil tutū circa moenia vrbs relinquere. Quibus propter Tyburtinorū dubiā fidē, apertus erat Anienis fluminis transitus: ob eam rem misit Pontifex ad Sabellū, vt Braccianos ex oppidis suis dimitteret, Ecclesiasticos reciperet, sic se gratiam Pontificis inuenturū: quod si pergat Picinini milites alere, hostem Ecclesiae futurum. Cum verba daret, nec faceret, aut promitteret quod obedientiā vllam ostenderet, declaratus est hostis, & in eius agrū excurrentes Ecclesiae milites abegerunt pecora, oppidum obsederunt, quod Donumdei vocant: oppugnatū summa vi, & aliquandiu obsidio ducta cum Bracciani non pauci muros defenderent, & locus esset natura, & arte munitus, in alto situs colle, abruptis vndique rupibus, vno tantum relicto aditu, quo posset oppugnari.

Interea

A Interea Romanus quidā Pontificem adiit, aitq. Bonannum vnum ex Coniuratis iuuenibus, ac nominatim damnatis, qui exilium sibi sponte delegerant audacissimum in vrbe rediisse, capiq. posse, & locum indicat vbi queat inueniri, apud germanū latere, & ob scorti amorem venisse Romam. Pontifex Nicolao Soldano negocium dat: missi qui latronem capiant, improuide cum strepitu domū adoriuntur, nec posteriora custodiunt. Bonannus qui se queri non ignoraret, audito strepitu, seminudus per fenestram posteriorem saltu euasit, non sine Soldani irrisione, & apud amicos aliquibus diebus latitauit. Rediit ad Soldanum Index, rursusq. Bonannum, si sibi credatur intercipi posse affirmavit, & cum eo Valerianum Tiburtij fratrem perditae audaciae adolescentem, & alios circiter ex coniuratis quinq. qui postera die summo diluculo Appia porta, quae ducit ad sanctū Sebastianum, exituri essent. Insidias intra Urbem securius fieri, locato circa portam praesidio, milites aliquos apud sanctum Sixtum in latibulis haberi posse, qui mox transeuntes Coniuratos inuaderent; fugerent illi ad portam, quando alia nulla est euadendi via, vinearum hinc atque inde sepibus, ac muris impedientibus, sic velut in angiportu nefarios iuuenes deprehensum iri. Placuit inuentum. At cum illi non exissent, labor incassum iuit; homo iterum rediit, causasq. morae exposuit: verum in crastinum profecturos iuuenes, portaque sancti Pauli abituros, ad triumphalem Constantini arcum parandas insidias esse, ex quo loco vsque ad sanctum Gregorium clausa est via, in Colosseo locandos esse milites, & in via quae ducit ad sanctos Ioannem & Paulū. Receptum est consilium, & ante lucem parata sunt omnia. Bonannus cum comitibus, & Romano Indice, orto iam sole, ad Colosseum uenit; ibi dum dubitat quā potissime uiam ingrediatur: Quid moraris, inquit Index? quid dubitas? hac tutius ibimus, ostenditq. Constantini arcum, ac sub illo equitat, sequuntur comites: mox ex Colosseo irruunt milites, signoq. dato, alios properare iubent: fit concursus, Coniurati & a tergo, & a fronte inuasi nesciunt quō se uertant, praesidium in dextris ponunt, atque exercitū gladijs pugnam conferunt; Index uociferari, plorare, in terram se proijcere, dicere alta uoce: Quid ex me petitis? quid ego feci? cur me ueluti latronē capitis? si sum reus interficite, si nihil peccaui, cur res meas aufertis? reddite innocēti bona sua, protektor nolite asportare sacculos meos. Im-

De Tiburtio, & Cōiuratis, vt capti omnes, supplicioq. affecti sunt, & eorū consilia patefacta.

O 3 pleuerat

pleuerat ille viuis lapidibus sacculos, quos vocat bulgias, eosq. diligenter occluserat, signaueratq. fidē, vt Cōiuratis daret, quasi argentum ex vrbe auferret non rediturus, atq. ideo ueluti mulier eiulatu maximo auxilium implorabat. At Bonannus vbi se circumuentum animaduertit, ad se ipsum confugiens, ensē magno animo uibrans, & huc atq. illuc voluens equum, nunc istum, nunc illum vulnerat, diuq. sustentauit impetum; postremo lancea deiectus equo, quamuis in terrā prostratus non tamen se reddidit, nec victi dedit vocem, captus uiolētia militum, vinctusq. resupinus quasi cadauer equo est impositus, & in Capitoliū ductus. Non profuit egregia virtus viro, Valeriano profuit, qui dum feruet pugna Bonanni ignotus inter furentes effugit milites; euaserunt & reliqui Coniurati, duo innocētes intercepti sunt, & paulo post dimissi. Index quoq. captus tanquam malefactor & proditor aliquandiu retentus est, & quasi torqueretur obseruatus vsq. ad vltimum veluti adhuc suspectus esset; rogantibus nōnullis ciuibus, ac pro eo fideiubētibus, relaxatus. Bonannus, quamuis manifesta eius essent scelera, adulteria, furta, homicidia; nā & Marescallū senatoris, vt ante diximus, obrūtauerat, quæstioni tamen datur, & vt Coniuratorū prodiones dissolueret, aliquandiu retinetur in vinculis. Tiburtius his apud Palumbariam cognitis, cum arbitraretur Valerianum fratrem, vnā cum Bonanno captum, accersitis Coniuratis Romā ingredi statuit, atque amicos pertentare, si forte vrbs statum mutare posset, eoq. pacto liberare captiuos: si id nō succederet Senēsem aliquem intercipere, quo cum captiui permutarentur. Rogatus Sabellus pedites aliquos vt sibi adiungeret ad res nouas in vrbe parandas, negauit se illis posse carere. Deiphebus, & Antonellus spem præbuere, breue se copijs ad portas futuros, si quam in vrbe nouitatem fieri cognoscerent. Tiburtium ex Coniuratis circiter quattuordecim, stulto consilio secuti sunt, arbitrati non aliter quamprimum urbem sibi patere, suisq. coeptis Romanam iuuentutem fauere, cum procul esset Pontificis exercitus, paruoq. admodum præsidio Capitolium teneretur. Ingressi urbē, qua muri pars corruerat, non procul à Thermis Diocletiani, postquam in frequentia ædificia descenderunt, quoscumq. offendissent ciues, vt arma fumerent hortabantur: iam tempus aduenisse liberandæ vrbs sacerdotum iugo, Deiphebum ac Siluestrum cum magna militum manu prope adesse, asserentibus libertatem Romanis

manis

A manis opem laturi, expergiscerentur iam tandē, auderentq. aliquid pro libertate quirites, nec suis maioribus deteriores videri vellent. Cum nemo responderet, quietumq. populū Coniurati cernerent, spe capiendi vrbs deposita, quod erat secundum propositum aggrediuntur; percussa q. vrbs magna parte, hora circiter post meridiem prima, ad ædem sancti Eustachij perueniunt, prope domus adsunt, in quis merces deponuntur, & vectigal exigitur: hinc adolescentem Senensem in theloneo sedentem arripiunt, iubentq. secum ire exercito gladio mortem minantes, nisi properet: attonitus ille imperio paret, & iam ad Columnenses domos peruenerat, cum tota vrbe clamor exoritur, ciuitatem cum Coniuratis intrasse Tiburtium, huc atq. illuc armatum discurrere, fauentes multos habere, spoliare domos, captiuos ducere, verendum esse sacerdotum imperio: curritur ad palatiū Pontificis, consilium atq. auxilium petitur. Pontifex audiens tumultum, quid sibi velit rumor interrogat: refertur ciuitatem armatā esse, intrasse Coniuratos, iuuenem Senēsem coepisse, nutare omnia sibi, quemq. timere. Tum Pius: Quiescite, inquit, nihil periculi est: nouimus ciuium animos: Pontificem, Romani dominari sibi cupiunt, non latrones; captus est Tiburtius, nisi aut fuga saluetur, aut latibulis: ipse sibi parauit laqueum: iam præda venit in retia: hæc dies Coniuratis exitialis erit. Atq. his dictis iussit cardinales sancti Petri, & sanctæ Sabinæ equos ascendere, atque hortari ciues, vt in latrones arma fumerēt; ijsq. præmia ponerent, qui primi manus in eos conijcerent. Sed iam Alexander Picolomineus Pontificiæ domus magister, & senator vrbs, & vicecamerarius, & alij pleriq. assumptis ex Capitolio militibus arma coeperant, & cum his ciues aliquot sacerdotalis Imperij, & quietis amatores. Inter quos ardentior uisus Rusticus Agapiti & Marcelli frater, omnes magno impetu in Coniuratos ferebatur. Illi vbi spem aliam viderent nullā, relicto adolescēte, quem ceperant fugæ sese cōmittunt, & qua venerant urbē exeunt, ibique occurrentem extra moenia, & longe ante alios euolantem equitem ex Capitolio, natione Longobardorum, crudeliter obruncat. Ioannes Philippus impiger adolescens, multis homicidijs insignis, equum eius ascendit, cuius cursu saluatus est, & alius quidam Coniuratus cum eo, nihil melior: Reliqui cum se fugere non posse animaduertent, iam enim prope aderat multitudo cum Alexandro, ad latibula diuertunt, beneficium no-

O 4

ctis

ctis expectaturi. Erant in valle proxima densissima arundine-
 ta, & in his rubeta; & altiores herbæ, in quis latere confidebant:
 sed Alexander cognito fugientium itinere immixtis canibus, &
 omni pedite introducto, occulta quæq. rimatur. Inuenta est Ti-
 burtij manu balista, quâ defessus proiecerat, quæ & ipsum non
 procul indicauit abesse, quæsitus tandem inuentus, & captus est.
 Et non remote ab eo, quinque alij obuolutis sub herba capitibus
 in morem fasianarum auium comperti, per pedes abstracti sunt.
 Reliquos nox propinqua saluauit, & alcritas, quæ inuento Ti-
 burtio inquirentes reddidit negligentiores; cum eo capto pera-
 cta res videretur, qui Coniuratorum ductor ac princeps habere-
 tur. Cum per urbem Coniurati, vinctis post terga manibus, tra-
 herentur: Quiritum alij dominum suum, alij regem Tiburtium
 per contemptum, atq. irrisionem salutabant, alij Tribunum po-
 puli Romani, alij priscae libertatis assertorem vocitabant, ac
 fundatorem quietis. Ipse nihil respondens deiectis in terram ocu-
 lis ibat tacitus: incredibile auditu est, quanta eius diei volu-
 ptas fuerit cum Romanorum, tum curialium, nunc primum sal-
 ua est ciuitas, nunc pudicas esse licebit, nunc nostra erunt nostra,
 nunc altos ducere somnos poterimus. Benedictus Pius qui nos ex
 tanto periculo liberauit. Viri, mulieres, pueri, ac puellæ clamare,
 salutare, palatinos amplexari, congratulari Ecclesiæ, nunc urbem
 Pontificis esse dicere. Conseruatores cameræ urbis, cum primo-
 ribus ciuibus Pium adeuntes, de captiuis capi supplicium petie-
 re, quibus seruatis non posset seruari ciuitas. Pontifex opera eo-
 rum laudauit, qui senatori, & Alexandro paruissent. De reis fu-
 turum, quod leges iuberent. Tiburtius cum torqueretur, dictu-
 rus quæ cogitasset, & quos haberet participes criminis, orauit
 ne corpus laniaretur, scire sibi moriendum esse, petere id quam-
 primum fieri, ne qui iure corpus amisisset, animam perderet in
 cruciatibus: stultitiam improperanti cuidam ex circumstantibus;
 Probe, inquit, sed Deo gratias quod modo sapio. Quærenti qua
 spe ductus in Ecclesiam conspirasset; respondit persuasum sibi
 fuisse ab his qui diuinatores haberentur, casurum eo anno sacer-
 dotum imperium. Postremo iussus omnia dicere, quæ fecisset, co-
 gitassetq. dixit per absentiam Pontificis cum aliquos iniqui es-
 se animi aduertisset, existimasse se cui multi adolescentes auscul-
 tarent, posse patriæ Ecclesiasticum demere iugum: Hæc cum non-
 nullis baronibus, alijsq. magnæ auctoritatis hominibus detexis-

set,

A set, ab eis cogitationes suas laudatas, auxiliūq. aggredienti non
 modicum fuisse promissum; Addidit & his alia permulta, quæ par-
 tim vera, partim falsa existimata sunt veluti ab eo dicta, qui di-
 ram sibi mortem paratam non ignoraret. Postremo, ne quid in-
 tentatum relinqueret, ad Iacobum Picinum fuisse profectum;
 hæcque illi verba sapius dixisse: Bellum Iacobe (vt intelligo) sus-
 cepisti perdifficile sane, & quod tibi, vel si ad votum succedat,
 nil afferat lucri præter Albi, & Taliacotij comitatum. Monta-
 næ regiones, & quæ tuas copias minime possint alere, nisi la-
 pides edant. Ego multo maiora ad te defero matrem urbium, &
 B caput orbis Romam: si mihi auscultas, promitto, ciuis Roma-
 nus ad te venis; iuuentus me omnis Romana sequitur, adolescen-
 tes manu prompti, & audaces in mea verba quingenti iuraue-
 runt, tædet quiritas, pudetque sacerdotalis imperij: si das fidem ven-
 turum te cum exercitu, propere in agrum Romanum præibo; &
 Coniuratis in spem adductis, quibus nihil est nouitate iucun-
 dius, aduenienti tibi portas aperiam. Magna & in curialibus, &
 in negociatoribus præda reperietur. Patriarcha illic est, cuius
 pecunia commilitonibus tuis ad annum sufficiat: aderunt &
 opulenti nonnulli ciues, quorum bona licebit diripere, quando
 C Ecclesiæ partibus fauent: audisse cupide Picinum verba sua,
 animum, & consilium laudasse, postulata promississe: sed occur-
 rentibus Ecclesiasticis ducibus non potuisse in agrum Romanum
 ad præstitutam diem descendere. Interea captum Bonannum,
 cum quo & Valerianus comprehensus diceretur, voluisse se fra-
 tri, & amico consulere, atque ideo stulto consilio in Urbem ve-
 nisse. Hæc Tiburtij confessio fuit, eadem hæc Bonannus an-
 tea dixerat, & ceteri confirmauere. Interrogatus Tiburtius, an
 occidere Pontificem statuisset: respondit, se id quidem aliquan-
 do meditatum, si palatium inuasisset; sed desperasse propter ar-
 D cem sancti Angeli fieri posse, in quam facile patuisset refugium.
 Senator cum omnia didicisset, atrocissimis sceleribus exquisita
 supplicia præparabat: Præsul seueritatem cohibuit dicens, pro
 maximo quoque crimine satis poenarum affere mortem. Bon-
 annus igitur qui ad eam usque diem seruatus fuerat, Tiburtius,
 & alij sex infelicem vitam suspendio finire. Is exitus Tibur-
 tij fuit, & Bonanni, & qui vna capti fuere ex Coniuratis. Va-
 lerianus, & Ioannes Philippus, & alij complures exilium e-
 legerunt.

Inter

Donidei oppidi expugnatione, atque deditio, & Sfortiani militis virtus, ac immanis crudelitas, & perfida direptio, fide violata.

Inter hæc duces Ecclesię recuperato (vt ante diximus) Monteleone, ad oppidum Donidei castra locauerant, idque diebus pluribus oppugnauerant: intus erat loci populus, & Picininus validum præsidium imposuerat, & iam Antonius Picolomineus Pontificis nepos, fontem quo aquabantur oppidani interrumpere: sed imbres assidui plurium dierum aquam suppleuere, magnaque obsessoris incommoda præbuere. Admotæ bombardæ sunt, & parte muri perfracta, alter inuentus est murus repente ab oppidanis excitatus: oppugnatur summa vi oppidum; miles Sforzianus egregio corpore, & animo forti, murum ascendit, & ratus sequi alios, saltu in oppidum descendit, fallitur, nemo paris animi reperitur, solus aduersus Braccianorum præsidium aliquandiu pugnat; tandem multis vulneribus confossus, non inultus cecidit, minori felicitate, quam Alexander in India rem similem gessit, sed non cum minori animo. Dum acrius in dies obsidio ducitur, nec iam spem ullam auxilij Picininus affert, oppidani ad Antonium mittunt deditioem facturi, si Romanæ Ecclesiæ nomine recipiantur, & induciæ fiant, honestatis causa: in diem alteram, si forte interim Picininus opem ferat, qua possint obsidione liberari. Antonius, cardinali, ac ducibus consentientibus, conditionem, & obsides accipit. Quo facto, triginta pedites à Iacobino Sabello transmissi contra ius belli intra oppidum recipiuntur, & nihilominus in tempore Antonius accersitur, qui oppidum recipiat. Is ingressus bene sperare omnes iubet, & Braccianos, qui præsidio inerant, in fidem acceptos ad tentorium suum mittit, atque oppidum claudit, ne multitudini patens diriperetur. Interea præfectus arcis, vt poenas ex oppidanis factæ deditioem assumeret, Sforzianis signum dat, vt per murum arci propinquum (se permittente) ingrediantur oppidum, ac diripiant, vulgus prædæ auidum, & Antonio qui seruare oppidum statuisset infensum, percupide signum arripit, & alij conscenso muro, oppidum intrant, rapinis, ac cædibus cuncta miscentes, alij tentorium Antonij peruadunt, & Braccianos illic milites aggrediuntur. Fit & in oppido, & circa tentorium pugna, neq. teneri multitudo potest: misera vbique rerum facies: in oppido ferrum, ignis, auaritia, ac libido crassatur, apud tentorium Braccianorum, Sforzianorumque prælium pene par, & multus cruor: nec duces occurrentes, aut hic vulnera, aut in oppido spolia impedire poterant. Antonius ubi ad rapinas impediendas nihil spei reliquum videt, in

seruandis

A seruandis mulieribus studium adhibuit, quarum multas emisit intactas; inde egressus est ad castra vt Braccianos seruaret, circumseptus vulgi manibus ac telis, cum vndiq. peteretur, vix tandem ad tentorium suum incolumis peruenit, vbi non paucos reperit hinc, atque inde interemptos: Braccianis tamen, qui superfuerant periculum ademit. Deinde cum suis militibus castra mouens in alium locum procul à reliquis ducibus tentoria fixit, haud modice indignatus, quod fidem nec oppidanis, neque Braccianis seruare potuisset: quamuis nemo fidem rumpit inuitus, oppidum prorsus direptum est, & aliquæ domus incensæ, mulierum quoque pudicitia violata, his exceptis, quas Antonius conseruauit. Quæ omnis impietas à Sfortianis & orta, & consumata est: qui postquam oppido potiti sunt, ad expugnationem arcis contendere; in qua duæ fuerunt Iacobi Sabelli filia, virgo altera, altera vidua: tumultus erat præaltus in oppidi medio, & in eo arx ædificata opere, ac natura munita: mira hic militum audacia fuit qui Thofum altissimum ascendentes armati pugnare cum hoste cominus intereptandum præsumpsere, quorum nonnulli præcipites acti nihil nocementi sensere. Miles Vrbinas omnibus indutus armis, superato Thofu, ad murum arci genuflexo, pugnam conferens, priorem portam securi perfregit. Quæ res præfectum ad deditioem compulit, ea libenter accepta est ob reuerentiam nobilium feminarum, quarum seruari honos alioquin minime poterat. Durante adhuc obsidione, cum varius esset in vrbe sermo de Pontificis actis, & bellum pro Ferdinando susceptum multi calumniarentur, sinistrosque rumores cardinales Gallici passim disseminarent: Pius vt populum sibi conciliaret, accersitis cardinalibus, ac magistratibus, & primoribus vrbis in hunc modum orationem habuit: Ingentes vobis quirites habemus gratias, qui nobis Reipublicæ causa procul agentibus, quamuis hinc iuuentus petulans crassaretur in vrbe, illinc aliquorum baronum rapacitas popularetur agros, & nouas res quæreret, in officio tamen perseuerastis: & tandem redeuntibus saluam urbem reddidistis. Licet fidem & prudentiam vestram extollere: fidem quia non audistis eos qui uos à vero dominio alienare conati sunt, prudentiam, quia rei vestræ salubriter consulistis. Nam quid ciuitati Romanæ vtilius esse potest, quam eam curiam alere vnde alitur & quæ opes vndiq. affert? Quid gloriosius quam ei subesse domino, qui super omnes mortales habet Imperium? qui beati Pe-

Pij oratio.

ti Petri successor, & Iesu Christi vicarius? Cuius exobsculari pedes cuncti reges desiderant? cui diuinitus datū est, cæli portas vel aperire, vel claudere? sapitis certe, qui ei domino fidem seruatis, cui seruire regnare est; sed non idcirco in præsentiarū vos accersiuimus, vt de vestra laude faceremus verba. Alia vocatiōnis est ratio, sunt nonnulli, vt accepimus, qui vestras aures perniciosis, & falsis rumoribus implent, & nos belli amantes incusant, qui cum pacem habere possumus, arma præferimus, & in regno Siciliae causam tuemur iniquam; vnde bellum domi, & circa muros vr̄bis exortum sit, & vos nostra culpa plectamini. Quibus ex rebus necessarium duximus vobis in concionem vocatis, de rationibus huius belli ad verum differere; sic enim & nos arma odisse, & pacem, atq. otium cupere cognoscetis, & hanc bellandi causam non modo iustam, sed necessario esse nobis impositam, nec nos somnia referemus, & inanes nugas, quibus delectantur, & nutriuntur inimici vestri; veritatem ipsam sinceram, & nudam in medium afferemus, cuius si videri facies possit, splēdidior est, quàm Lucifer, aut Hesperus, & in fine semper victrix: Deus nouit corda hominum solus, & ipse Deus renes nostros scrutatur, & videt, & scit quia non mentimur, nihil nobis pace charius est, nihil acceptis, cuius nomē, vt inquit orator, dulce est, & res ipsa tum iucunda, tum salutaris, in ea legibus obeditur, subiectis consulitur, Deo seruitur, nulli fas est impune peccare, sua virtute præmia, & sua redduntur stipendia vitio. Contra bellum mala omnia nutriens diuina & humana, quæq. confundit. Odimus bellum, cuius finis nō est pax, horremus strages hominum, nec sanguinem sitimus humanum, nec nostræ sedis est ferrum stringere, aut discordias serere; quietem noster animus, & subditorum pacem semper optauit; sed quomodo in bellum tracti fuerimus, audite breuis narratio est. Cū superioribus annis occupasset Mahumetes Turcarum princeps) regiam vr̄bem, quam vocant Constantinopolim, & victoria tumens, nō Græcis tantum, sed Hungaris, Italis, Theutonibus, & reliquis Christi cultoribus extrema omnia minaretur; Italia vero grauissimis bellorum flagraret incendijs: Dedit operam Nicolaus Pontifex maximus noster antecessor, vt conuenientes in vnū Italici potentatus arma deponerent, & vt hosti religionis Turcæ facilius obuiam iretur, non solum pacem inter se statuerent, sed foedus quoq. percuterent, quo alter alteri subueniret,

si cui

A si cui ex foederatis iniuria fieret, foederis caput & conseruator, & director institutus est Romanus Præful. Viuebat tunc Alfonsus Aragonum, & Siciliae rex, fama clarus, & opibus, atq. consilio potens, qui post summum Pontificem primus in conuentis appositus est suo nomine, ac filij Ferdinandi regis, & hæredis futuri, quem extra matrimonium natum regni capacē Apostolica priuilegia reddiderāt. Hoc foedus Nicolaus vt fieret persuasit, Calistus successor approbauit, & nos de consilio fratrum confirmauimus. At cum obiisset Alfonsus viuente Calisto, filiusq. regnum ab eo exposceret, non annuit Pontifex, sed regnū B ad Ecclesiam deuolutum declarauit: statuens illud etiam armis vindicare, iure an iniuria non est huius ratiocinationis, cogitationes eius repentinus obitus interuertit, qui quadragesimum intra diem Alfonsum est subsecutus. Nos suffecti ecclesiam turbatam, & vndiq. laceratam inuenimus. Assisium, Gualdum, Nuceriam Picininus per proditiōnē inuaserat, arces Ecclesiæ munitissimas præfecti, quos Borgias Calisti nepos imposuerat restituere abnuebant. Ferdinandus inuestituram Regni petebat, nisi impetraret bellum minabatur. Nos milite carebamus, illi Picininus militabat, & dux Mediolani erat amicus. Videbamus C non paruum Ecclesiæ discrimen impendere, rem ad senatum deduximus. Placuit cardinalibus omnibus, etiam Gallicis Ferdinandum inuestitum iri. Latinus cardinalis Ursinus in regnum missus Ferdinandū inuestiuit, coronauitque, Rhenato si quid iuris competiit, haud ablatum est. Ferdinando regni principes, duces, barones, comites, populares omnes obediebant, eumq. sibi constitui regem petierant, & in eius verba iurauerant: aut regnum ex testamento patris ad Ferdinandum pertinuit, & iure illi concessum est, aut ad Rhenatum, & nihil ei ablatum; cum saluum esse velint Apostolicæ litteræ ius alienum. At cum de iure D dubium esset, & vterque coloratum per se titulum ferret, licuit possessorem præferre, si neutri ius competiit, non tulit iniuriam, qui iure caruit, si deuolutioni fuit locus, & Calisti declaratio vim habuit: quæ superest Rhenato, vel alteri querela, si cum fratribus nostris regnum ad Ecclesiam deuolutū Ferdinando concessimus? Nos hic Romæ priusquam discederemus, & Mantuæ in conuentu, & Senis, quotiens de regno ab oratoribus Rhenati fuimus interpellati, semper iuris viā obtulimus. Ipse vero plus in armis, quàm in iure confidēs, dum nos Mantuæ contra Tur-

cas

cas intenti sumus, classem validam cum filio in regnum misit, ex his pecunijs comparatam, quas cardinalis Auinionensis ex decimis cleri Gallici, contra Turcas promissis, triennio ante cōgregauerat. Barones regni ad res nouas concitauit, pacem illarum partium turbauit, rapinis, cēdibus, incendijs omnia foedauit, expeditionem contra Turcas impediuit, & quantum in se fuit, Christianam religionem pessundedit; quamuis speramus adhuc labores nostros pro communi utilitate susceptos, haud omnino perituros. Ferdinandus cum se in periculo cerneret, deficientibus à fide subiectis, & armis hostium in dies magis ac magis præualentibus, suam ruinam cognosceret, auxilium à nobis petijt, penes quos esset directum dominium: commemorauit foedus, de quo supra diximus, rogauit ne sibi pereunti deficere-mus, ne promissam postergaremus fidem: promissimus auxilia, iussimus bono animo esset: verum priusquam copias in regnū mitteremus, archiepiscopum Rauennatem eō direximus graue & iustum virum, qui partem vtramque iuberet ab armis discedere, & viā pacis, aut tractantibus amicis, aut iuris ordine quærere. Iter erat per terras iam Rhenato patentes faciundum: petitur à filio publica fides: ille se à patre missum, vt bellū gerat, non vt quærat pacē respondet. Interea Ferdinandū acrius urgebat armis, & prope iam erat, vt regno deiceret, adeo Regnicolarum inconstantia, ac perfidia res immutauerat. Nobis turpissimum videbatur, eum quem regem appellauissemus, vi atq. armis sine iudicio, sine legibus, sine causæ cognitione, paterno regno deturbari: misimus auxilia, non quæ Rhenatum regno priuarent, sed quæ Ferdinandū in sua possessione tuerentur: quod non solum ex foedere nobis incumbebat; verum etiam ex dominio regni directo, quod penes Romanam Ecclesiam consistit. Quod si non bene successit; nā copiæ nostræ debellatæ fuerūt, & iam hostes ad nos arma verterunt, & nostros populantur agros: nihil tamen minus de iustitia nostra confidimus. Non semper iusta superior inuenitur causa: sæpe Christiani, ac Iudæi in bello cecidere pro religione pugnantes: fatemur omnem à Deo victoriā esse, sed disponi aliam, permitti aliā, nec nos arcana Dei attingimus, cuius iudicia abyssus multa. At secundum quod homines iudicant; nemo est, qui bellum nostrum possit iniustum dicere, si partes nostræ semel succubuere: ita Deo placitum fuit non propter iustitiam hostis, quæ summa est iniustitia, castiga-

uit

Auit nos Deus noster (vt inquit Propheta) sed morti non tradidit nos: multæ tribulationes iustorum, sed de his omnibus liberabit eos Dominus. De iustitia partis aduersæ quid attinet disputare, quæ oblatam à vero iudice iustitiam respuit, & violentiæ viam eligit, ac vetante Domino prorumpit ad arma? Quo facto, etiā si ius ei competiisset ab eo cecidit; & præsertim quod (vt ante diximus) conatus nostros pro defensione fidei contra Turcas turbauit. Intelligitis iam plene quirites nostræ causæ honestatem, & quòd nullam contra nos iustam querelam relinquimus aduersarijs: præterimus scripta multa, quibus nomen nostrū de honestate conati sunt, & legationes ad cōcitandos cōtra nos principes missas: tacemus impedimenta præstita expeditioni contra Turcas apparadæ, quæ possunt trahi ad causam fidei: omitamus Iacobum Picininum eis militantem vexilla nostra iniussu nostro detulisse, Asculanamq. urbem nobis furto furripere tentauisse: silemus alia multa, vt breues simus, illud silere non possumus, quod idem Picininus nobis nouissime significauit, se scilicet duci Ioanni Calabriae militare, iussumq. esse nō Vrfinos modo, sed nos, subiectos nostros Romanos, Urbem, & omne Patrimonium beati Petri armis inuadere, minora fecisse quàm iuberetur, posthac imperata facturum, cuncta igni, ac ferro vastaturum. Nos vero compertum habemus, nō solum ex his qui deprehensi sunt, verum etiam ex chirographis conspiratorum, qui miro modo, & diuina quadam ope in manus nostras peruenere Iacobum Picininum conuenisse cum Tiburtio, & nonnullis baronibus per circuitum vrbs morantibus, Romanum populari agrum, Tybur diripere, iuuentute portas aperiente urbē ingredi, domos curialium, negociatorum, & opulentorum ciuium prædæ exponere, camerariū capere, ac pecunias eius inter se partiri, nepotem nostrum obtruncare, filiabus, & vxoribus vestris vim inferre, pueros ad militiam rapere, & alia admodum multa agredi nefanda, quæ procul dubio patrata fuissent, nisi noster exercitus ex Aprutio festinans, currenti occurrisset Iacobo, & nos urbē celeri passu repetissemus. Immortali Deo gratias agimus, quòd tam nefarios præuenimus ausus, & tantū auertimus malū. Quomodo igitur iusti aduersarij? quo pacto Ioannes excusatum se reddet, qui talia contra nos molitur & ducem Calabriae se vocitat? Si dux est Calabriae, & regis futurus hæres, & noster subditus est; & quid scelestius, quàm domi-

norum

norum fallere dextras? si nihil ad eum de regno. At Christianū se dicit; si Christianus, quo ausu Christi vicarium persequitur? aut qua conscientia ministro utitur Picinino? qui omnes per circuitum Ecclesiæ subditos pertentat? si quis adsit, qui vel prece, vel pretio suo de more fidem venalem habeat; quid Picininum nominamus, quasi fides vlla sit in armis, & non omnes militiæ astricti, periurio, infames sceleribus nobilitati, tanquam ministri diaboli, vrbes ac regna perturbēt? Picininus ex Perusinis ortus ipse sibi viderit, quem domestica trahunt exempla: Ioannē non satis possumus admirari, quem regio sanguine natum horrere scelera putabamus. Quidam vulgo dicunt, nec Ioannem, nec Picininum contra nos arma mouisse, Vrsinis tantum intulisse bellum; nos quæ certa comperimus exposuimus: illa verissima sunt, hæc falsa. sed esto Vrsinos dumtaxat inuaserint: an nō Vrsini Ecclesiæ subditi sunt? & qui eos lædit, nos non lædit? Nos & Vrsinorum, & Columnensium, & Comitum, & Sabellorum, dū in officio perseuerant, curam gerimus, & qui contra eos militat contra nos militat. Iustissima ergo sunt arma nostra, & honestū bellum pro subditorum salute susceptum. Sed quoniā de Sabellis fecimus mentionem, scitote Iacobum Sabellum vnū esse ex his qui cum Picinino conspirauere, quod si negauerit, præfidiū testimonium affert, quod in Palumbaria ab illo recepit. Rogauimus vt resiperet, ei jceretq. Braccianos milites, veniam præteritæ culpæ daturi: noluit audire: damnauit eum in Capitolio senator: iuste in eū animaduertimus, parsuri si se correxerit, nec boni patris officium redituro negabimus vnquam. Non sumus ergo belli amantes, nec sponte tractamus arma, nec pro re leui certamus: pro fide retinenda, pro auctoritate Ecclesiæ conseruanda, pro subditorum quiete, pro salute ciuium, pro focis, pro aris, pro vxoribus, pro liberis vestris quirites bellum suscepimus. Nec nos primi sumus, qui pro regno Sicilię, quod est Ecclesiæ, sumpserimus arma. Eugenij quarti, & Martini quinti meministis ferme omnes: patres vestri Clementes, Bonifacios, Nicolaos viderunt: Quis illorum nō bello se immiscuit, vt reges quos instituerant, pro gloria Romanæ sedis, in regni possessione serua- rent? Facestant igitur vani rumores, fileāt qui nos sine causa bellare contendunt, & vos filij amantiissimi, nolite his vocibus auscultare, compescite maledicos, veris tantum sermonibus aures adhibete. Si quis vnquam Pontifex dilexit otium, & huius vr-

bis

A bis amauit quietem, nos illi sumus, qui Romam tanquam patriam diligentes, & vos omnes pro sedis dignitate filios, pro patriæ charitate fratres, pro maiorum gloria veluti parentes habemus, & colimus: nam & nos ab origine Romani sumus Picolo minea domus quę nos genuit, Senas ex hac vrbe migravit, sicut multoties diximus. Dicunt aduersarij nos hanc urbem habere odio, & quo vultu hoc aiunt? qua ratione? quo colore? Hinc ortum habet prosapia nostra: Romani, ac Senenses semper amici fuere: hic nos sacri presbyteratus accepimus ordinem, hinc episcopatū, hinc cardinalatū, & summi Apostolatus apicē sumus adepti. Et quis eam ciuitatē odio habeat, in qua summis honoribus cumulatus fuerit? Semper amatus, nunquam læsus, amamus vos quirites, & super omnes homines magnificamus, nec nobis maior cura est, quàm vt Romanum populum honoribus, atque opibus cumulemus, quod sine pace fieri non potest. Atq. idcirco pacem semper quæsiuimus: verum vbi iustitia, & necessitas vrget, non solum bellare, sed vitam ponere sumus parati, ne vel dignitas nostræ sedis, vel huius Urbis gloria pereat, pacem quæ nihil insidiarum habeat, nihil turpitudinis secum ferat, nec recusauimus vnquam, nec recusaturi sumus. Hæc fuere quirites, quæ vobis nota esse voluimus: Sybillæ folium recitauimus, mendax, & vanus est, qui alia vobis suggerit: nolite audire mendaces, neque frangamini paucis incommodis agitati: post tempestatem aderit serenitas: sustinete modicum, cito finietur hoc bellum, & pax pulcherrima cum vestra, & nostra gloria reformabitur. Atque his dictis finem fecit. Romanos magna voluptas coepit intelligentes domino suo non animum tantum, sed vim, & iustitiam abunde suppetere, ingentesq. illi gratias egerunt, qui sibi belli originem, & cursum, & causas multis ignotas patefecisset; offerentesque pro voluntate Pontificis bona omnia, se ipsos, vxores, ac liberos quibusuis periculis obiecturos, quando tam iniquum, atque impium bellum mouissent hostes.

Dum ista fiunt, Sigismundus Malatesta, qui Mundauium, & Montemmarcium contra foedera Pontifici abstulerat, Senogalliam quoque pari modo eripere conatus est. Quod vbi non successit, molas omnes dirupit: Anconitanis, qui contra Efinos de finibus contendebant, auxilia misit: Robertus eius filius dux copiarum fuit, qui profectus in Efinum agrum, ferro, & igne,

P

cun-

Pius ij. origine Romanus

Sigismundi Malatestæ cum impietate perfidia, & miraculum Senensis monachi.

cuncta vastauit: homines, & armenta abegit. Vulgatum est per idē tempus venerabilē quendam monachū, natione Senensem, in agro Pennarū sancti Marini suo in facello imaginem beatæ Marię Virginis erexisse, ad quam veluti miracula facientem regionis accolę frequentes accurrerent, id ægre tulisse Sigismundum, iussisse monachum imaginem amouere, nec parentem, mississe qui noctu caperent, atque ad se ducerent daturum poenas, illos interceptum ore obstructo ducentes, cum tota nocte ambulassent, & iam se putassent Ariminum attigisse, summo diluculo apud facellum, in quo erat imago se reperisse, atque ira cōcitos, captiuum in alta cruce suspendisse, quæ ab eo index loci in triuio paulo ante fuerat erecta: sed mox sicarijs abeuntibus, fracto laqueo monachum cecidisse, repertum à rusticis, atque confotum reuixisse: quem rumore nota Sigismundi crudelitas, atque impietas, probabilem reddidit.

Aloysij Acti
crudele facti-
n°, & Braccij
Perusini mul-
to crudelissi-
mum.

Paulo ante Aloysius Actus Saxiferrati tyrannus, idest oppidum in Piceno non ignobile Alexandri sanctæ Susannę cardinalis patria, nepotem ex fratre in vincula coniectum strangulauit: veritus ne se aliquando tyrannide pelleret, aut partem dominationis vendicaret, soli omnes imperare volunt. Oppidani parricidium detestati, Ecclesiam sibi dominam acclamauerunt. Franciscus Picolomineus cardinalis Senensis summi Pontificis nepos, qui legatum Apostolicum in Picensibus agebat, cum manu prouincialium præsto adfuit, & oppido potitus, parricidam in arce obsedit. Ille animo fractus, ea lege deditioem fecit, ut saluus abire permitteretur, paterna priuatus hæreditate, ea tantum grauissimo scelere poena mulctatus. Parricidium Aloysij animaduersionē aliquam sensit: at Braccij Perusini nullā, quod eodem anno perpetratum est. In familia Balionum inter Perusinos nobilissima, principes erant Pandulphus, & Braccius ex germanis nati. Pandulpho filius adolescens, & quinq. filię fuerunt, ex Panthasilea coniuge Senensi: Braccio tres fratres. Spellum oppidum est Ecclesię inter Assisium, & Fulginium, in colle situm, qui valli Umbrię omnium pulcherrimæ adiacet. Hoc Baliones ab Ecclesia in foedum accepere communiter possidendum. Pandulphi pater Martino Pontifici charus, sibi neglectis nepotibus impetrauit, posseditq. solus, & moriens reliquit filio. Braccius eam contumeliam cum diu dissimulasset, tandem vindicare constituit, Iouisq. die mense Nouembrio, amicis sti-

patus,

A patus, qui arma sub pallio tecta ferebant, in forum prodit, occurrentem Pandulphum salutatur, & amice tamdiu alloquitur, donec aduentantem filium eius conspiciatur. Exin signum amicis præbet, quorum vnus exerto gladio Pandulphum à tergo percutit, atque in terram transfossum sternit. Braccius iacentem sua manu iugulat: ille moriens: Heu mi pater, inquit, nec plura locutus in subitam mortem clausit oculos. Id duobus modis interpretatum est; altero quia monuisset pater, ne Pandulphus cum filio Perusiam peteret, altero quod malam reliquisset hæreditatem odiosa bona. Dum Pandulphus occiditur, filius inuaditur, fugiens apprehenditur, ac confoditur, & cum eo Crispoldus, qui protegere adolescentem conabatur opulentus, & honestus ciuis obruncatur. Hanc sceleratissimam necē potentia delinquentis inultam reddidit. Braccium vniuersa pene ciuitas sequebatur, adeo ut non tam ciuis, quàm dominus videretur, aut oppugnare urbem, aut impunitum relinquere scelus oportebat. Pontifici perpetrati facinoris acerbissimum fuit nuncium, acerbius quod vendicari non potuit. Multa ferunt inuiti reges, plura Romani Pontifices, nec semper facinorosos plerere tutum est.

C Paulo ante hoc tempus Scotorum rex adolescens, dum aduersus Anglicos arma mouet, & castellum acriter oppugnat, quod sibi hostes eripuerant, ad tormentum bombardæ, dū ignis adhibetur accedens, fracto æris vase, fragmento euolanti percussus interiit. Pius audito infelici casu, exequias defuncto duxit. Rex Bossinæ sub idem fere tempus, ut piaculum traditæ Turcis Synderouię purgaret, ac suæ religionis fidem faceret, siue quod multi crediderunt, avaritiæ obtentu Manichæos, qui erant in regno suo quamplurimi, nisi baptismū Christi acciperent, è regno migrare coegit, substantia relicta: duo circiter millia baptizati sunt, quadraginta aut paulo plures pertinaciter errantes ad Stephanum Bosnæ ducem perfidiæ socium confugere. Tres principes hereseos in aula regis potentes episcopus Nonensis victos ad Pontificem duxit, quos Pius per monasteria relegatos, edoceri Christianum dogma curauit. Ioannes cardinalis sancti Sixti ad se vocatos instruxit, persuasitque tandem abiuratis erroribus, Ecclesiæ Romanæ, quæ nec falleret, nec falleretur, documenta suscipere; reconciliatos ad regem remisit: duo in fide permansere; tertius more canis ad vomitum rediens

Mors regis
Scotorum mi-
serabilis, Bossi-
nensis regis e-
médatio, Manichæorum-
que persecutio; obitusque
Guarrini viri
doctissimi, &
boni.

1460. ex itinere dilapsus ad Stephanum confugit. Ad quartum ca-
lendas Ianuarias, anni millesimi quadringentesimi sexagesimi
ab incarnatione Verbi, Pio Pontifici obitus nunciatus est clari
viri Guarrini Veronensis, qui rebus suis more Christiano rite
ordinatis obdormiuit in Domino. Fleuere docti transitum eius,
discipuli præsertim, qui ad eum tota Europa confluxere; Lati-
nas enim & Græcas litteras docuit, libros è Græcis Latinos fe-
cit complures, cuius labore Strabonem legimus: filios reliquit
eruditos: epitaphia ei multa edita sunt: nemo ex doctis æta-
te nostra melius nomen reliquit: corpus Ferraria seruat.

Nicænus car-
dinalis lega-
tus in Germa-
niam quid e-
gerit.

Nicænus cardinalis, qui ex Mantua legatus in Germaniam
perrexit, dum hæc aguntur, cum venisset ad Imperatorem
in Austriam, bellis flagrare omnia reperit; inde Hungari Im-
peratori minari, hinc Germanus Albertus, & Ludouicus Ba-
ioariæ princeps: Rex Bohemiæ, quamuis suscepto regni fœudo
in verba iurasset Imperatoris, occulte tamen insidias illi strue-
bat, atque Imperium sibi quærens Maguntinum electum, &
Federicum Palatinum comitem, promissis ingentibus corrupe-
rat, quoniam electores essent sibi, vt Imperium petituro, suf-
fragarentur; nam inutilis Federicus esset, & cederet procul du-
bio requisitus, potius quàm reipublicæ necessitatibus subueni-
ret; & iam hoc ipsum cum Federico ipse tentauerat, quamuis
neque consensum, neque dissentum obtinuerat. Albertus mar-
chio Brandeburgensis requisitus apud fratrem electorem ad id
operam dare, daturum se promissit, veritus si negaret, ne rex
erga Ludouicum hostem suum propensior fieret. Conuentus ob
eam causam frequentes habiti, modo Norembergæ, modo Bam-
bergæ, postremo apud Egram rex ad se principes conuocauit:
Quo in loco Federicus marchio Brandeburgensis princeps ele-
ctor, rogatus de Imperio quid sentiret, an Bohemo videretur cõ-
mittendum? Malim, inquit, mori, quàm huic petitioni consen-
tire. Dissoluta conuentio est. Rex deinceps hæreticis aperte fa-
uere, lites inter Germanos nutrire, Imperatori magis ac magis
insidiari. Nicænus etsi propemodū spem omnē amiserat rei bene-
gerendæ; principes tamen Germanicæ nationis, in Austriā con-
uocauit, promissa exacturus, quæ Mantuæ facta fuerant. Vene-
re legati nō principes, & illi verba daturi nō facta, tergiuersari
omnes, contradicendi causas longe quætere, discordias principū
adducere, nullis Nicæni suasionibus auscultare. Ille ne quid om-
mittere

A mittere videretur, quod ad rem conducere posset, profectus No-
rembergam, Maguntiam vsq. penetrauit, obuios quosque prin-
cipes, ac populos orans, ne fidei necessitati deessent, ne sinerent
Turcarum vires crescere, irent obuiam hosti, dum vinci posset.
Obturauerunt cuncti aures suas, verba eius quasi fabulas ex-
ceperunt: nemo inuentus est, qui suam operam religioni pro-
mitteret.

Apud Genuam Lygurum caput interea Franci dominio po-
tiebantur, non sine magno Ferdinandi regis damno, quorū clas-
ses armatæ Genuæ mare inferum infestantes, Caietanum, Nea-
politatum, litusque, & omnis Calabriae maritima loca popu-
labantur. Prosper Adurnus missis ad Pontificem legatis, posse
se Francos Genua eijcere, dominatumq. vrbis arripere dicit: &
commonitis amicis, constituta die per portam, quam sibi Con-
iurati aperuerunt, armatus ingreditur, palatium occupat. Aloy-
sius Vallensis gubernator, qui pro Francis vrbem tenebat, pau-
dus in arcem profugit, Castellettum appellant. Eò Francorum
omne præsidium se recepit. Nobiles Francorum amici, vrbe re-
lictâ, ad oppida sua profugiūt. Oppugnatur arx summa vi, ma-
chinarum omni admoto genere: obsessi impigre se defendunt:
C quingentos circiter fortes viros in arce fuisse tradunt. Ducta est
multis diebus obsidio, ita vt obsessores, & obsessi grauibus affi-
cerentur damnis, & isti iam fame laborarent, illis ad oppugnan-
dum vires deessent. Medio tempore Carolus Franciæ rex sup-
petias laturus obsessis, ingentes copias terra, mariq. compa-
rauit, & terrestri quidem exercitui Bailiū Constinentem præ-
fecit: maritimo Rhenatum Andegaviæ ducem, qui se regem Si-
ciliæ appellabat, bellicis rebus infortunatum. Prosper vbi ad-
uentare hostes accepit, Paulum archiepiscopū ex familia Ful-
gosia Petri fratrem, quem paulo ante vrbem inuadentem Fran-
ci obruncauerant, ad se accersit, bellicque socium assumit. Ar-
matur populus, ac plenus animi fertur in hostem, haud igna-
rus nisi vincat, extrema se omnia passurum. Terrestres Fran-
corum copiæ quasi ad prædam properant: prælium in conspe-
ctu vrbis committitur, locis arctis, & externo militi parum no-
tis, nec tam equiti, quàm pediti opportunis. Ibi archiepisco-
pus ante alios pugnam ciens ab equo defiliens scuto, galea, ac
thorace munitus, primus hostem ferit, stragemque haud par-
uam Gallorum facit, quindecim sua manu audaces viros, qui
cedere

Genuesium
assidui tumultus, & muta-
tiones, Gallo-
rumque cala-
mitas miserrima, & cruēta,
inauditaq. cę-
des.

cedere nollent, strauisse proditum est, tanta eum viciscendæ fraternæ necis cupido inceserat. Pugnatur vtrinque summa contentione, & acerbis animis. Gallos ignominia perditæ ciuitatis, & spes recuperandæ fortes efficit. Lyguos subeundæ pœnæ, & amittendæ libertatis metus his atq. illis furorem ira ministrat: diu victoria in dubio est; ad extremum Galli cedere incipiunt, quos Lygur infecutus terga feriens miserabilem edit cædem. Interea Rhenatus ad portum cum classe applicans urbem inuadit: fit tumultus & trepidatio in ciuitate, quæ propemodum capta videretur: sed victor exercitus fugatis, cæsisq. Gallis urbem ingreditur; ad cuius aduentum Rhenatus suis vt redeant signum præbet, quorum pars magna dum properat ad naues, instante à tergo Lygure, aut gladio confoditur, aut vndis rapacibus absorbetur. Rhenatus terra mariq. victus, disiecta classe Saonam contendit, Genuenses ingenti liberati metu festos dies egere, supra quattuor millia Gallorū, vel submersa, vel cæsa hoc prælio traduntur. Nunquam tantum sanguinis vno certamine nostra memoria fuderunt Itali, neq. enim cū externis gentibus pugnaere. Inter se dissidentes prælia incruenta gerunt, vt est hostis, ita belli mores induunt. Verū Prospero, nec prospera, nec fausta victoria fuit, cuius auspicijs de hoste sæuissimo triumphans, ingrata patria gratias indignas reddidit, quæ illo principatu amoto Spineta ei substituit Fulgosia gente natū. Et Franci, qui erant in arce spectata suorum clade, quæ in oculis eorū gesta est, salutem pacti arcis deditioem fecere. Ea Ludouico Fulgoso, & archiepiscopo custodienda commissa est. Spineta paucis post diebus ducatu cessit, cum non satis idoneus regimini videretur. Ludouicus principatum accepit: nec multo post archiepiscopus per arma Ludouico deiecto palatium inuasit, ducisq. nomē arripuit. Ludouicus in arcem profugiens, turri quæ archiepiscopi nomine tenebatur in suam potestatem recepta, comminari ciuibus coepit; quibus nō satis gratus erat ducatus archiepiscopi: conuenerunt tandem inter se partes, vt archiepiscopus accepta pecunia magistratui cederet, Ludouicus pristinam dignitatem resumeret. Incredibilis tanta regiminum mutatio, posteritati videbitur; nec nobis fidem fecisset historia, nisi nostra ætas præbuisset experimentum. Sepe vna die tempestate nostra, bis terue gubernatio ciuitatis mutata est: nec tota Europa urbem esse accepimus, in qua tot principū mutationes æuo nostro inueniunt.

A uenerint. Genuenses cum sibi ipsis leges dicunt, aut ducem aliquem creant, quem penes summa imperij consistit, aut capitaneos aliquos eligunt, quorum numquā diuturna potestas fuit. Tria sunt hominum genera, Populares, Capellatij, Nobiles, duces ex Capellatij assumuntur, quorum familiæ opibus & clientelis abundāt. Populares loco plebis habentur. Nobiles vrbi nō imperant, sed imperantibus (oppida enim circa urbem plurima possidentes) opibus atq. affinitatibus in vrbe potentes, quo volunt duces inclinant: verum auctoritate eorum sub Petro duce magnopere attenuata; cum rex Franciæ imperiū accepisset, nobilitas rursus exaltata est, cuius arbitrio Franci urbem gubernare. Expulso rege, & nobiles magna ex parte Genuam reliquerunt: Saonam, & vicina pleraque loca Gallorum præsidij retinentes, quibus assiduo metu diu postea Ludouicum pressere.

In Apostolatus sui exordio miserat Pius in Orientē Ludouicū quendam ordinis Minorū professorem, vt reges Christianos Iberiæ, Armeniæ, & Mesopotamiæ aduersus Turcas armaret in Asia, si Christianos expeditionē in Europā aduersus eosdē hostes parare contingeret. Fuerat Ludouicus sedente Calisto in Perside, vt aiebat, multosq. ibi Christianos inuenerat & amicos Christianorum, qui Turcis infensi essent. Is paulo post reditum Pontificis ex Mantua Romam applicuit, quem plures Orientalium principum oratores secuti sunt, quorum hæc sunt nomina: David Imperator Trapezuntius, Michaellem Aligerium misit: Georgius rex Persarum, & maioris Armeniæ, ac minoris Iberiæ cui pater fuit Alexander, Nicolaum Thephelum: Afam gener Imperatoris, ac Mesopotamiæ rex, ac Christianorū amicus non Christianus, cui pater fuit Carailucas Trucomanno, Mahumetem Trucomanno; Gorgora in Iberia maiori ducatum obtinēs, cui pater fuit Gazabecchi, Cassadan Carceccham; D Vrtebecus Armeniæ minoris dominus, Moratum Armenium. Legatorū sicut diuersi mores, ita & habitus fuere, adeo vt omnibus admirationi essent, & plebis quocumq. irent, in se oculos conuerterent, puerorumq. turbam secum traherent. Perfici oratores, in more nostrorum monachorū, seruata capillorum parua corona, totū caput tonsum; eius qui ex Mesopotamia venit parimodo, sed in vertice summo capillorum paruulus quidam manipulus visebatur, quemadmodum gentiles gestasse, flamines in pileo ferunt; his per Colchidem, & Scythiam transmissis

Orientalium
variæ ad Pii
legationes, &
habitus varij
& voracitas
inaudita, eorū
queoratio. Pij
responsum, &
creatio Patri-
archæ, & eorū
inanes pro-
gressus.

Tanai ac Danubio, in Hungariã iter fuit, deinde in Germaniã, ubi Federicum Imperatorem salutauere. Hinc profecti, Venetias magnis honoribus ab eius vrbs senatu excepti sunt. Quæ res fecit vt veri oratores crederentur, propter cõmercium, quod Veneti cum Orientalibus habent. Cum Romam venissent, non minorem gratiam inuenerunt. Recepti tanquam legati regum, occurrente prælatorũ ordine diuersoria, & cibos ex publico acceperunt, inter quos fuisse aliquos traditũ est, qui singuli diebus singulis libras carniũ haud minus viginti ederent. Auditi in confistorio coram Pontifice, in hunc modũ verba fecere. Misisti ad nos Ludouicum Bononiensem, professione Minorem, qui ait te Mantuam petiuisse, vt conuentu cum Christianis celebrato, Mahumeti Turcarum Imperatori bellum inferres, cupere principes nostros, cum tu in Europa illum oppugnares, in Asia tumultum excitare. Placuit sermo, oderunt Turcas nostri principes, te amant, & Christi vicarium venerantur, parendum tibi esse fatentur, eam ob causam cum grauibus inter se odijs discordarent, bellumq. gererent, iubente nuncio tuo, arma deposuere, parati cum iusseris aduersus Turcas ea resumere. Centũ viginti millia pugnatorũ cum volueris præsto aderunt in Asia vsq. ad Helespontum, & Thracium Bosforum, Mahumetis Imperium inuasuri, dum tu pari modo cum Occidentalibus populis aggrediaris Turcas. Ad hoc missi sumus, simulq. tuos obseculemur pedes, tanquam vicem Dei tenentis in terra: Nobis foederati sunt Bendias Mangrelia, & Arabia rex, & Panchratius Iberorum, qui nunc Georgiani vocantur, & Mania marchio Goria, & Hirmael Synopi dominus, & Casatimenæ, cui pater fuit Spediar, & Fabia dux Anogofia, & Charamannus Cilicia dominus, quorum maxima erunt præsidia. Illud tantum ex te nunc petimus, vt Ludouicum, qui nos huc adduxit super eos qui Romanum in Orienti ritum custodiunt, & tuæ sedis fidei consociantur, Patriarcham constituas. His dictis laudauit Pontifex principum desideria, & quæ obtulerant magni se facere ostendit, quæ Mantuæ gesta fuissent, exposuit se fecisse quæ potuisset, non concurrisse Christianos reges, sperare tamen concursuros, si norint Orientalium propositum, vtile videri legatos ipsos per Italiam transalpes in Galliam proficisci, eademq. regi Franciæ adduci Bugundia dicere, quæ se coram exposuissent, sine Francis expeditiones quæ dignæ sint, difficile fieri posse, eam esse nationem

nem

A nem, quæ sæpe aduersus infideles terra, mariq. gloriose certauerit, & nunc eam Turcis præcipue timendam fore. Assensere legati, verum expensas itineris, & Ludouici Patriarchatum petiere. Pontifex vtrunq. concessit, ea moderatione adiecta, ne Ludouicus se Patriarcham, aut scriberet, aut appellaret antequam reuerteretur, neve litteras eiuscæ dignitatis secum afferret; sed in custodia essent apud cardinalem sancti Petri, vt maior interea de finibus Patriarchatus haberi notitia posset. Iuere per Italiam, & Galliam, fuere apud Franciæ regem, & Burgundiæ ducem, nihil inuenere præsidij; omnes eius rei curã pro qua verba fecerunt, ad Pontificem remisere, tanquam eius esset, etiam sine ope regum Turcas euincere. Corrasere tamen mendicantes, non paruam pecuniam: Interfuere Caroli regis exequijs, qui per idem tempus obiit, & Ludouici coronationem viderunt nec plus à filio, quàm à patre obtinuerunt. Per verba plures ducti dies, tandẽ vacui redierunt. Medio tempore multa ad Pontificem delata sunt, quæ suspectã eam legationẽ reddiderunt, Ludouicũ mendacem & deceptorẽ esse, quæstus causa venisse cum eo viros ex Oriente, qui se regũ oratores assimulaissent, falsasq. principum litteras attulissent: & iam Ludouicus mandata Pontificis contempserat, qui se quocunq. locorum venerat, appellari Patriarcham iusserat, & honores qui sibi tanquam Patriarchæ deferebantur percupide acceptauerat. Constabat quoque eum, & in Hungaria, & in Germania eas dispensationes fecisse, quas nec legati de latere absque mandato speciali ausi fuissent admittere: ob quas res reuerso ex Francia non idem sibi, neque legatis fauor qui prius ostensus est. Reprehendit eũ Pontifex, qui mandata Apostolica neglexisset, nec habuit quod responderet: verũ ea tantum animaduersione mulctatus est, quod Patriarchatus litteras haud quaquam obtinere potuit, parumq. affuit quin recluderetur in carcere. Pepercit Pontifex non tam sibi, quàm socijs quos adduxerat; incertum enim erat veri essent oratores, an falsi: atque ob eam causam pecuniam pro reditu eis elargitus est. Ludouicus eos secutus, cum Venetias appulisset, ab ignaris quibusdam episcopis, & in sacerdotem, & in Patriarcham consecrari obtinuit. Quod cum Pontifex rescisset Patriarchæ Veneto scripsit, vt deceptorem in vincula reciperet. Ille præmonitus à duce Veneto propere fugam arripuit, nec postea quo peruenerint, aut quid egerint, vel ipse, vel comites eius in hanc vsq. diem auditum

auditum est: in his quæ longinquiora sunt multa fallendi occasio patet, & raro veritas inuenitur. Orientalia deinceps Pontifici, & Transmarina suspecta fuerunt, ea præsertim quæ viri e-gentes & famæ obscurioris attulere.

Alexandri & Vrbinatis aduentus in Vrbe: Sigismundi Malatestæ accusatio publica, & dictus dies, eiusque scelera nefandissima.

Post expugnatum, direptumque, vt diximus, Donidei oppidum, quod pridie calendas Nouembris Pontifici Sanctorum omnium vespas celebranti, nunciatum est, milites in hyberna concessere. Alexander apud Nepefinos, Federicus Vrbinas in Sabinis ambo in solemnibus Dominicæ Natiuitatis, ad visendum Pontificem Romam uenere; eiq. pro veteri more peractis vespis cum cardinalibus combibenti ministrare. Quibus paucis post diebus presentibus, publicum consistorium celebratum est. In eo Andreas Bentius Fisci aduocatus, vt erat à Pontifice iussus, orationem & longam, & luculentam habuit, in qua Sigismundi Malatestæ scelera detestatus est, rapinas, incendia, cædes, stupra, adulteria, incestus, parricidia, sacrilegia, prodiones læsæ maiestatis, & hæresis crimina; petijtque vt ad ea vindicanda Romanus Pontifex assurgeret, audiretq. supplicum voces, qui acerbissimum tyranni iugum, diutius ferre non possent; purgaret tandem Italiam teterrimo, & abominabili monstro, cuius vita nulli suis in oppidis viro bono, permetteret vitam. Auditus est summa omnium attentione Andreas, nemo eius verba non probauit, nemo mentitum esse dixit. Federicus & Alexander cuncta vera esse affirmare, quæ Sigismundo imputarentur: verum Andream sceleratissimam, & atrocissimam illius peccata quamplurima tacuisse, prodiones tot ab eo commissas esse, quot secum homines communicauerint, nullum qui sibi aliquid crediderit, non proditum abijisse: fidei catholicæ non vnum, aut alterum articulum, sed totum Apostolorum symbolum contemnere Sigismundum, & nihil de religione sapere. Pontifex accusatione audita: Duæ sunt, inquit, ciuitates, ad quas homines ex hac vita decedentes migrant: altera est cælestis Hierusalē vrbs, & patria beatorum: altera apud inferos reperitur, in qua Luciferi sedes est, & damnatorum ergastula. Maiores nostri in priori ciuitate complures ascriptos esse declarauerunt, quos tanquam sanctos venerari licet, & dulci adoratione colere: in qua re perficienda ea solemnitas obseruatur, quam canonizationem appellamus. Eugenius quartus prædecessor noster Nicolaum Tolentinatē canonizauit: Nicolaus quintus, Bernardinum Senensem: Calistus tertius, Vincentium

Valen-

A Valentinum & Hofmundum Anglicum. Nobis supplicatum est, vt Catherinam Senensem, Rosam Vituruiensem, & Franciscam Romanam sanctis Christi virginibus, seu viduis ascribamus, atque in cælestem relatas esse urbem declarem. Digna res, nam & virtutes suas id credimus meruisse, quemadmodum & scelerati in damnatorum numerum declarari merentur, sicut de Sigismundo possemus in presentiarum sententiam ferre, quando peccata quæ sibi obiecta sunt, nulla possunt tergiuersione celari, Agemus mitius, vocabimus reum, audiemus si comparuerit, telam iudicij ordinariam obseruabimus. Tu igitur dilecte fili cardinalis sancti Petri ad vincula, audisti quæ aduersus Sigismundum proposita sunt; tibi hanc causam committimus audiendam, cognoscendam, & sine debito terminandam. Quibus dictis solutum est consistorium. Cardinalis deinde inchoato iudicio suo præcessit ordine.

Ensis hoc anno in sacra nocte Natalis Domini benedictus, Philippo duci Burgundionum missus est. Antonius Noxetanus attulit, Pontificis aulicus, Græcis, ac Latinis litteris eruditus. Per hoc tempus Iacobus Picininus in Aprutijs hiemabat, crebris excursionibus Ferdinandi partes infestans. Mattheus Capuanus qui aliquando sub eo militauerat egregio vir corpore, & animo forti, eam prouinciam pro Ferdinando gubernabat, multaq. oppida, & Hortonensi Francisco, & Iosix Atriensi duci armis abstulerat: is cum Picinino sæpe congressus in fugam eum conuertit, ostenditq. magistro non esse discipulum contemnendum, inanemq. famam, quæ Picininum affirmaret inuictum. In Quadragesima, quæ secuta est. Pontifex in collegio de creandis nouis cardinalibus verba fecit; inter eos qui Senis creati fuissent nullum nominatum ex Ultramontanis, nisi præpositum Salzburgensem qui nondum publicatus esset. Italis tantum id honoris concessum, indignam rem videri nationibus reliquis, Gallos, atq. Hispanos, quasi contemnantur egre hoc ferre, Romanam Ecclesiam vniuersalem appellari, quæ orbem iudicet vniuersum, matrem, ac magistrā fidelium ad eius consilium ex omnibus Christianis prouincijs viros. excellentes accersire oportere, qui mores omnium calleant: comitia iam adesse creandorum cardinalium (quæ vocant quattuor tempora) in medium consulant ex Ultramontanis regionibus, qui nam idonei tanto munere censeantur, & quot creandi videantur. Horruere cardinales creandorum cardinalium

De ense Burgundo dato; & creatione nouorum cardinalium agitari cepta.

dinaliū audita mentione, quibus nihil augmento molestius est, a paucitate gaudent. Respondentes Pontifici, se plures esse dixere quàm oporteret, numerositate ipsa vilescere, nec prouincias multos optare cardinales, quibus essent oneri. Cōmendationes beneficiorū ecclesiasticorū plurimas obtinētes: si consilio opus sit, satis in collegio consilij: si legati mittēdi sint, neq. illos deesse, hortari, orare, supplices petere, præsentibus cardinalibus ne plures adderentur: Pontifex non posse regum, ac principum transalpinorum se preces effugere aiebat, nec sui honoris esse nationes externas præterire. Diu res in consistorio agitata est, cum Pontifex ordinationi nouæ incumberet, cardinales resisterent. Tandem conuentum est ea lege superfedendum esse, vt in Natalitio Saluatoris, si videretur Pontifici necessaria creatio cardinalium gererent omnes eius sententiæ morem, de numero, & personis tantum suffragia exquirerentur. Quod decretum sub anathematis poena iussit Pontifex secretum esse, efferentemq. præter Romanum Pontificem nullum posse absoluere. Dimisso consistorio interrogati cardinales quidnam esset actum, nulla ab his extorqueri certitudo potuit, coniecturis vsi qui magni secreti impatientes erant; alij nihil actum esse aiebāt, alij hos, aut illos creatos asserabant. Galli in suæ causæ fauorem frequentes litteras ad amicos misere, quibus Pontificem collegij impotentem affirmare, exauctoratum irrisui esse atq. cōtemptui, qui cardinales adnixus creare nouos non fuerit auditus.

Thomæ Paleologi fuga in Italiam, & in eum Pij beneficētia; Sinuessanus ducatus Antonio nepoti donatur; & deditio Terracinæ, eiusque situs.

Thomas Paleologus interea Constantini vltimi Græcorum Imperatoris frater, à Turcis Imperio deiectus, Romam venit, dimisso apud Anconam præcioso beati Andreæ capite, de quo postea suo loco dicemus. Pontifex profugum benigne excepit, misertusq. nobilissimi sanguinis mansionem ei in ædibus sancti Spiritus, nō procul à palatio, & in sumptus mestrusos trecentos aureos constituit. Cardinales ducentos addidit, cui & rosa aurea in die Dominica, quæ inde nomen habet, dono data est, qui honor nobiliori cædit. Inter hæc Ferdinandus, vt Pontifici maximo pro suscepto, defensoq. regno gratū sese ostenderet, ducatum Sinuessanum Antonio nepoti tanquā deuolutum commisit; Marinus enim proditoris, maiestatisq. reus, id dignitatis amiserat: verum possessione in hanc vsq. diem nō excidit: sæpe inuasus forti animo se defendit. Non semper in bello cadit, qui cecidit in iudicio: illius victoria domina est, huius ratio, quamuis

A uis & aliquando iudicia claudicant. Priusquam Romam rediret Pontifex, Terracinenses ciuilibus acti discordijs, tumultuare inter se coeperunt, desperantes enim res Ferdinandi secundari posse, cuius apud Sarnum vires cecidissent; alij Gallorum, alij Ecclesiæ præsidium implorabant: vicit pars Ecclesiastica, & priusquam Galli suis opem afferrent, ciuitatem Ecclesiæ nomine percurrit, coepitq. arcem oppugnare, in qua erat Ferdinandi præfectus. Missis ad Pontificem legatis, qui opem redeuntibus ad Ecclesiam postularent: nam Terracina iuris Ecclesiæ fuit. Alfonso eam Eugenio quarto, partē dedentibus ciuibus, partim per arma furrupuit, nec reddidit facta pace. Pius approbato Ferdinandi regno ita dimisit, vt post duo lustra ad Ecclesiam rediret. At cum iam suo opte ingenio à Ferdinando deficiens, proprium repetisset imperium, non censuit Pontifex recusandam, moxq. sui corporis custodes, quibus præfectus erat Ioannes cognomento Pazaglia, vir strenuus, eò transmisit, qui dedentem se ciuitatem pro Romana Ecclesia reciperent, atq. aduersus vim, si qua ingrueret tuerentur. Iam comitis Fundorū filius Balthassar Marconij comes, defectionem Terracinensium acceperat, collectisque repente copijs, montē qui vrbi supereminet inuasurus moenia conscenderat, & occurrentes extra portas ad pugnam ciues in fugam conuerterat. Nec dubium videbatur, quin ciuitas intra horam hosti diripienda traderetur; cum subito accurrens Pazaglia, præliumq. restaurans, victoriā hosti præripuit, fugatoque procul Marconio, Ecclesiæ ciuitatem, ciuibus vitam, ac fortunas seruauit. Præfectus arcis spectata Marconij fuga, suam salutem pactus locum tradidit. Id egre Ferdinando fuit, nec Mediolanensium dux æquo animo tulit, veritus ne regni rebus officeret. At Pius suam potius ciuitatem esse voluit, quàm Gallorum, neq. iniquū putauit desciscentes à Ferdinando Terracineses recipere, cuius pater ab Ecclesia deficientes recipisset. Terracinam prisca Ansurem vocauere, ea Volscorū caput fuit, nunc Romanæ Ecclesiæ maritima loca claudit, qua Fundos itur. Infero mari adiacet, non procul à Cyrceo Monte fabulosis poetarum carminibus memorabili. Rupes altissima viui lapidis excisa manu viam montes inter aperuit & mare: spelunca in summo est: Pessulum montanum appellant incolę: iter ad summum per cocleas ferro factas in lapide patet, vnus hominis capax, illic custos habitat, qui vectigal à transeuntibus exigit, facile negaturus

gaturus transitum, qui soluere recufauerint. Captura huius ciuitatis Antonio admodum nocuit: verum Pio nunquam tantum nepotum fuit, quanta Ecclesiæ cura, quæ hodie Campania appellatur, & Apostolicæ fedi paret: duas habet portas, alteram per Terracinam, alteram per Ceperanū, vtramq. Romanis Pontificibus patentes esse, exteris gentibus claufas, perneceffarium est, si Romanorū pecora faluare oportet, quod procurante Pio vsq. hodie factum est.

De portu Cornetano; & ciuitatis refectione Veteris, & scalarum Principis Apostolorum restauratione; & Pij morbo: & excommunicatione duorum Sigismundorum.

Cornetani Tusciæ populus, hoc tempore Pontificem aduentum, suas opes ex frumento esse dixere, quod Genuensibus, ceterisque nauticam exercentibus, vendere consueuissent, ad alienas prouincias deferendū grande in vectigal Apostolicū erariū accipere, grandius accepturū, si portus vrbi propinquus constitueretur cætearū capax nauium, veterem quo vterentur minoribus tantum nauigijs conuenire, quæ flante Austro tueri nō posset, effodiendum magis, & ampliandum esse, muro cingendum, & muniendum turribus. Nauaturos rei se operam, orare ne in opere tam necessario dimitterentur. Pontifex cui noua & vtilia ædificia cordi essent, vectigalium partem in id operis constituit, & iam turris præcipua sub aquas fundata ad lucem venit, ceteris structuris iacta sunt fundamenta. Incolæ Veteris ciuitatis, quæ de ruinis Centum cellarum extat, & portum habet egregium, & arcem munitissimam, mœnibus carebant; ad quæ conficienda rogatus Pontifex, parimodo portionem vectigalis contribuit, & iam opus propemodum absolutum est. Muri & alti, & spississimi oppidum cingunt. Corruerant sub Calisto Pontifice marmoreæ gradus scalarum, per quos in ædem sancti Petri ascendebatur: vetustas marmora ipsa corroserat, & diu calcata cōtriuerat, adeo nihil resistit æuo. Pontifex magno sumptu instaurauit, scalarumque ipsas cōmodiores, pulchrioresque reddidit, & statuis adornauit marmoribus candidissimis ex Lyguriæ montibus aduectis. In Quadragesima quæ sibi tertia fuit, grauissime ægotauit, pedes, manus, genua, humeros, atque omnes ferme artus obsidente podagra. Quæ res amicis acerbissima, qui tamen vt ieiuniū omitteret nunquā impetrare potuerūt. Liberatus præter opinionem vulgi, quinta feria maioris hebdomadæ in publicum apparuit, duosque Sigismundos excommunicauit, Austrialem propter vim cardinali sancti Petri illatam, & Malatestam, qui census Ecclesiæ Romanæ debitos dissoluere neglexisset, quod etiam in se-

quenti

A quenti anno factum est, post aduentum sancti Andreæ caput, quemadmodum suo loco dicemus.

Dum hæc aguntur voluens animo Ferdinandus quantum suis rebus Terracinensis defectio nocuisset, opinantibus omnibus ob eam rem subtracta sibi Romanæ Ecclesiæ præsidia fore, vnicū eius rei, & valentissimum remedium existimauit: si Antonius Pontificis nepos, qui iam militiæ ascriptus esset, ad se cū copijs mitteretur: sic enim intellecturos omnes Præsulis animum sibi non esse aduersum. Missis igitur Romam legatis, Antonius vt ad se iret, magnopere contendit. Annuit Pontifex, vtque nepotē instructiorem mitteret, Ioannem ex familia Comitum Romanorum ei adiunxit, qui paulo ante à Picinino defecerat egregium copiarum ducem, & Venetorum olim stipendijs honoratum: huic sexcenti equites fuere, ducenti pedites, Antonio equites octingenti, pedites quadringenti: his additus est Petrus Summensis cum pedibus ducentis, equitibus triginta, hæc militum manus in ipsa maiori hebdomada, iter in regnū per medios hostes accepit. Dux Soræ, & Honoratus Caietanus impedire transitum aggressi non præualere. Restabat apud Mignanum difficilior transitus, vbi coherentes asperrimi colles vallem modicam, & angustam relinquunt, angustiore reddebat palus, & hæc ipsa muro claudebatur. Mignanum oppidum est nobiliū Neapolitanorum, quibus Rattæ cognomentum indidere. Beneuentanus archiepiscopus, quem postea Pius deposuit, ex hac gente ortum habuit, præsidium hostes imposuerant, quo prohiberi Antonio transitū putauere, sed longe decepti sunt. Quamprimum Ioannes & Antonius huc appulere, mox impetu facto muri obicem discicere, & aperto aditu illæsi transiuerunt, vnus tantum vulneratus est, qui paulo post apud Capuam obiit. Andreas Lucensis Iacobi episcopi Papiensis, qui postea cardinalis assumptus est germanus nobilis eques, qui dum strenue magis, quam caute pro impedimentis, quæ hostes inuaserant contendit, nondum recepta galea, sagitta confossus est oculus: ceteri alacres in Capuanum peruenere. Qua re cognita lætitiā ingens Ferdinando, fiduciaque accessit, hostibus metus, quibus Pontificis animum haud quaquam immutatū esse constaret. Fama enim vulgatum erat ob Terracinam à Pontifice captam, deinceps nihil ab eo Gallis formidandum esse. Auctus igitur his copijs Ferdinandus, dum in consilio quærit, qua hostes aggrediendi sint,

opti-

Profectio Antonii nepotis in regnum, Vulturini decursus, & Castimaris per Antonium expugnatio.

optimum factum existimatum est, Castellum maris in primis oppugnari, idest oppidum non procul ab hostio Vulturni egregie munitum, in quo validum erat ducis Sinuessæ præsidium, & oppidanorum armata iuventus. Vulturinus ex Apennino cadens longo fluxu apud Capuam ponte iungitur, deinde per plana ad hoc castellum placide labitur, & in proximo exoneratur mari, fluuiorum qui Campaniam irrigant maximus. Campaniam nostra ætas terram Laboris appellat, inde accepto vocabulo, quod maxime arabilis sit, & homines sua facilitate, & fructuū prouentu ad laborandum, idest agros excolendos inuitet. Quidam ex eo corruptum vocabulum existimant, quod in Campania, nō procul à Capua, populi fuerint Leborij appellati. Approbato consilio expugnandi castelli prouincia, Antonio demandatur, quam & si natura sua perardua erat, frequentes tamen pluuia, & aquarum assidua inundatio difficiliorem reddidit. Oppidum humili loco situm, ac fossis latioribus aqua plenis defentum, adiri nō poterat, quin augete pluuia diluuium, castra in quis Antonius erat equos atq. homines instar paludis inundauerat; nec tamen pertinax dux ab incepto destitit, neq. ad horā intermissa est oppugnatio. Ex ipsis vndis equites, & pedites emergentes, missilibus oppidanos infestabant: verū cum irriti conatus viderentur, bombardæ adductæ sunt ex Neapoli validissimæ, quæ lapidem iacentes grandiores, vno ictu & partem muri deicerent, & duas, tresue domos oppidanorum penetrarent, & obuia quæq. prosternerent. Pugnatū est & bombardis, & alijs machinis diebus aliquot, & non pauci hinc atq. inde interempti sunt, verum plures ex hostibus. At dux Sinuessæ propinquus pro mortuis, ac faucijs integros in horas milites sufficiebat, & Antonio non cum hostibus solum, sed cum pluuia, & inundantibus aquis, & argillosa terra, & cum exercitu, qui retinebatur inuitus, pugnandū erat: nihil tamen animo fractus propositum tenuit, & bombardarum auxilio, quæ muros assidue quatiebant, victoria tandē potitus est. Attonitæ, & perterritæ mulieres frequentibus hominum funeribus, cum modo filios, modo parentes, ac viros ante ora sua cadentes cernerent, & ipsarum aliqua, nonnumquam ictu lapidum tactæ corruerent; vlulatu, ac clamore horribili, & planctu lacerantes ora per oppidum discurrentes, vt hostibus tandem cederent; qui reliqui fuerant viros hortari atq. obtestari cœperunt: Perijisse iam populi

Apuli magnam partem, nec repelli humana ope hostem posse, qui diuinis restitisset impedimentis, nec pluuia potuisset arceri, quid si redeat serenitas, quis retinebit impetum? igne ac ferro periturum oppidum, pacificendam cum hoste salutem, priusquā oppidum ingrediatur. Milites qui præsidio erant, veriti ne ab oppidanis traderentur, simul cum illis deditioem fecere. Antonius præter laudes, & nomen victoris, nihil in ea pugna lucrifecit: spes fuit oppidum non parui prouentus ei relinquendum, qui pro duce Sinuessæ, à quo tenebatur subrogatus esset: verum Ferdinandus ad ecclesiam Capuanā pertinere affirmans, apud se retinuit, tantum concepta semel Terracinensis indignatio potuit; siue lucri dulcedo fuit, castelli eius expugnatio, haud parui momenti fuit, quæ Vulturino clauso ab iurisdictionibus hostiū, non solum Capuanum, sed Auerfanum, & Neapolitanum agrū liberavit.

Restabat aliud oppidum, Sarno adiacens fluuium, non procul ab eius ostio, Scaphatum accolæ vocitant, per quod hostes in Neapolitanum vsque ad turrim Octaui, quam Græcam appellant, nihil non infestum relinquebat: placuit & hunc aditum hostibus auferre; negociū Antonio datum, qui non minori, vel animo, vel ingenio Scaphatum, quam maris castellū expugnauit, nec minus hic quam ibi vel laboris, vel periculi fuit. Quo in loco dum tenet oblidionem, alterū maris castellum cum parte copiarum ex improviso adhortus cœpit, ac diripuit: Arcem quæ munitissima erat, obtinere non potuit; cuius præfectus, vt antè diximus auro corruptus, quamuis esset Cathelanus, ad Gallos defecerat. Duo sunt in regno Neapolitano oppida, quæ maris castella vocantur: verum alteri discretionis causa Vulturini cognomentum addidere: hoc cuius arcem venditā diximus, in litore maris sitū est e regione Neapolis ad radices montis, in quo

Surrentum, & Litterarum ciuitas ad Occidentem, & memorabilis ad Orientem Amalphitana rupes iacet, castellis, palatijs, & oppidis adornata quamplurimis; Turris Græca, cuius fecimus mentionem, octauo distat à Neapoli milliario, atq. ideirco octaui dictam putant, non Octauij: villa est, & ipsa in maris litore, loco eminenti, sine mœnibus, rusticano ædificata more. In medio Lucretiæ domus fuit, quam adamasse Alfonso diximus, paulo urbaniores: In rupe, quæ mari imminet, palatium regis fuit, rege indignum, nihil in eo inuenisses, quod laudare posses:

Q vilis

Expugnatio Scaphati, & alterius castelli maris direptione per Antonium facta; Turris Græca, Alfonso successus, & Vesuuus mons sulphureus, ac Plinij maioris mors.

vilis aula, & vilius cubiculū inhabitauit, prospectus tantum ex vnicā fenestra in mare gratissimus patrię placuit: vnde & Neapolis, & Castellū maris, & insula Caprearum, & Mysenum, & alios complures intueri montes licebat; & sub ea in ipso maris littore fons limpidissimus dulcis aquę, ac frigidissimus scaturiebat. Alfonso per æstatē hic frequenter secessus fuit, siue quod aerem, & ventulos salubriores inuenit, siue quod à Lucretia cū locum incolente disiungi nō potuit. Per noctem in palatio suo dormiebat, securitatis causa, muris altioribus, & militum excubijs defensus: dies apud Lucretiam duxit, cubiculo in eius horto exædificato. Villę supereminet Veseuus mons, qui nunc ab oppido Summa nomen ducit, vitibus consitus, quę arboribus sustentatę, vini Gręci grati copiam gignunt. Hunc olim arsisse ipsa terrę facies ostendit cineri similis, & lapides nigri, atq. combusti, quales videmus ex minera ferri, expresso superesse metallo. Ipse mons biceps est, qualē ferunt esse Parnasum, Nysa, Cirraque memorabilem. Vnus erat antea vertex, & sub eo sulphuris magna vis, qua incendio occulto consumpta, dehiscente terra, summum cacumen subsidens, duos reliquit colles, & vallem inter ytrunque non modicam, & baratrum aperuit; ex quo cum incendium emerisset, supra quā credibile videretur, Magnum ceciderunt Plinium secundum Veronensem, qui naturalem scripsit historiam, cum esset præfectus Romanę classis apud Mysenum in statione manentis, eō visendi gratia accurrisse, & dum incaute miraculi causam perscrutatur, noxio exhalante vento, ac puluere suffocatum esse, atque hunc excellenti viro fuisse obitum. Hęc de Turri Gręca dixisse placuit, quę per hoc tempus virtute Antonij saluata est, redacto in potestatē Ferdinandi Scaphati oppido, clausoq. hostibus Sarni transitu.

Gesta Ferdinandi, Beneuenti restitutio; archiepiscopi pfidia, & Picinini progressus.

Ferdinandus anno superiore expugnato Formicularū oppido, eaq. Baronia cum comitatu Cerretano, Casertano, sanctę Agathes, compluribus oppidis in potestatem acceptis, castella quę fuerant Iacobi Antonij Serini sex recuperauerat, agrū omnem Salernitanum, quem Foriam vocant, cum vicis pluribus, atque castellis armis obtinuerat. In Calabria per suos duces feliciter pugnauerat. In Apulijs per equites, quos ab Epyro, atq. Albania accersuerat, hostium agros vastauerat, Caudinamq. vallem ingressus montis Sarculi arcem, Ducentam, Milactianū vallum, Arpadium, & alia plura oppida, partim vi, partim deditione

Aditione acceperat; atq. in conspectu hostiū, qui apud Iosualdum confederant, oppida duo Serram & Montem apertum expugnauerat, & à Neapoli Paludiū vsque, quod octo millibus à Beneuento abest, per passus circiter quadraginta millia, Apuliā versus iter aperuerat: Luceriamq. prope ad septimū milliariū peruenerat, oppido sancti Bartholomei (quod de gaudio vocitant) armis obtento. Beneuentum quod olim Samnitum caput fuisse memorant, per id temporis ad Ecclesiā redierat: prius Alfonso paruerat, & ante illū multos annos, vel regibus, qui præcesserant, vel tyrannis. Ferdinādus ex conuentione Pio restituit inuitus, cum aliter regni concessionem obtinere non posset. Iustum necessitas fecit. Pius Rauennatem præfulem eō transmiserat, qui urbē pro Romana Ecclesia gubernaret. Nutabant animi ciuiū, & Alfonsi odio infensi filio, ad Fracos inclinabant. Loci archiepiscopus, qui esset Andagauensium partium, dies ac noctes urbem lustrabat armatus, & assimulans vereri ne Cathelani per factionem aliquā intromitterentur, seruare ciuitatē pro Romana Ecclesia publice aiebat; occulte vero cum hostibus sentiens, aperire illis portas adnitebatur. Occupatio Caudinæ valles Romanorum olim clade memorabilis, quos Samnites subiugum misere, & Rauennatis custodia diligens insidias auertit. Archiepiscopus vbi detectā fraudē intellexit, relicta plebe sua, ad fratrum castella confugit, & quasi priuatus homo, & apostata sui ordinis, dimisso episcopali habitu, per Gallorū castra discurret. Dū Ferdinādus Castello maris ab Antonio expugnato, terrā Laboris expurgare hostibus contendit, Picininus in Aprutijs cū Mathæo Capuano, & Marcoantonio audacibus copiarum ductibus sepe manus conferuit: verum nunquam totis viribus periclitatum est: cum ipse Lauretū, illi ciuitatem Pennarū obtinerent. Mathæus Picininū prouocaturus in equū profectus, campū adies vniuersas produxit. Picininus in monte, qui propinquus erat castra continuit, nec pugnādi copiā fecit, haud ignarus incauti ducis esse sine prærogatiua, nisi necessitas vrgeat prælium committere. Temeritatem hostis futuram sibi honori putauit, cuius tanta esset audacia, vt ex loco uel iniquo pugnā miscere non dubitaret: non successit consiliū. Mathæus postquam horis aliquot frustra descendere Picininum expectauit, receptui signum dedit, atq. in urbem reductis copijs, sumpto cibo, non diu moratus, iterū cum parua militum manu speculatū quid hostes

agerent agressus est. Illi in oppidum se receperant. Proficiscitur ad Laureti usque fontem, qui non procul à moenibus erat, & iaudacia sp̄e faciente, clamoribus irritare Braccianos pergit, quos tumultuarie assumptis armis occurrentes, ac manus conferere audentes, loco disturbat, atque in oppidum non sine dedecore redire compellit. Ea res estimationi Picinini non parum detraxit, qui paulo post, dimissis Aprutiorum montibus, in quibus rerū inopia laboraret, ad interiora regni congressus, in terrā sancti Seuerini comitum descendit. Ioannes Rhenati filius ad eum venit, qui iam pridem modo in Apulis, modo in terra Laboris fuerat. Capta sunt primo aduentu nonnulla castella, quæ absque præsidio relicta, non tam virtuti hostium, quàm fame cesserunt. Ventum est ad oppidum, quod Montorium appellant, in valle profunda, non procul à Salerno; paruum inerat præsidium, verum oppidani non rudes moenia tutabantur: pugnatum est diu promuris, quos ascendere miles sepe adnixus, sepe repulsus est; atrox ibi prælium commissum, in quo non pauci hinc atque inde perire, inter quos Vademontensis comes inter Gallos nobilissimus, & Ioanni Andegauēsi sanguine iunctus; qui dum inter primos acri animo muros oppugnat, nec cedētibus suis vult cedere, ictu lapide mortem appetit. Omissa est eius diei oppugnatio, dum viri clarissimi funus ducitur. Postera die reintegrato certamine, cum iam fessi oppidani concussa, & iam ruitura tueri amplius moenia nequirent, pacti corporū, ac rerum salutem se se dederunt; sed quæ fides armati militis? ingressus exercitus obuios quosque trucidauit, rapinæ omnia exposuit, oppidum incendit, mulierum pudicitiam foedauit, sic Gallus dum necem amici vlciscitur fidem uiolat.

Cosentia defectio, & eius recuperatio, ac direptio, & opes.

Circa idem tempus in Calabria non parua rerum mutatio facta est. Cosentia eius prouinciæ primaria ciuitas, negotiatores plurimos aluit, qui res suas ad exterarum nationes deferentes, & illic alienas importantes, maximas opes congefferunt; atque ut Neapolim in terra Laboris, & Aquilam in Aprutijs, ita & Cosentia in Calabria, ceteris præstare urbibus asserebant, non tulere diuitiæ se ipsas crescentibus opibus, & ambitio, & luxus creuit: certissima discordiarum fomenta. Dissentiētes inter se ciues qui Ferdinandi odio tenebantur, impatientes oculi ad Gallos defecere. Mansit arx in potestate regis, quā cum versari in periculo didicissent, Alfonso Hispanus, Robertus Ursinus, & alter Robertus S. Seueri-

A Seuerini comes, egregij copiarum duces præsto affuerunt, atque intromisso per arcem milite in urbem descendere. Pugnatum est in ipsis viarum angustijs, cum ciues in extremo periculo pro tutandis aris, ac focus arma sumpserunt: verum breuis ea contentio fuit, cum hinc miles nutritus in castris, & assiduo labore duratus, illinc urbana, & mollis iuuentus arma versaret, superati ciues, partim cæsi, partim capti hosti victoriam reliquere. Urbs direpta ea perpeffa est, quæ victoribus placuere. Prædam supra septies centena millia auri nummum æstimauerunt: exercitus argento, & auro grauis inde abiit. Antiqua ciuitas apud quā Alaricum magnum Gothorum regem in alueum propinqui fluminis sepultum tradunt, patratæ proditiōis, hoc modo poenas dedit.

Dum hæc aguntur in regno, Alexander Sfortia, & Federicus Urbinas aperto iam Veris tempore, apparatus, atque ornatis copijs, eò se profecturos aiunt, quo Pontifex iubeat. Non erat ducis Mediolani eadem sententia, quæ Pontificis, illi optimū factu videbatur, reddita nonnullis factiosis baronibus Ecclesiæ subditis, pace quamcunque optarent, exercitum aduersus Ferdinandi hostes in regnum propere mittendum fore; sic enim bellum citius finiri posse; eademque Cosmæ Florentini opinio fuit. Pontifex expugnandum ante omnia eos barones censebat, qui leges pacis honestas respuissent, nec pugnandum foris, nisi domi pax esset; neque ferendum, ut subditi suis superioribus leges dicerent: ab illis hostes Ecclesiæ in agrum Romanum adductos ad urbem usque moenia prædas fuisse factas, iussos tenere pacem, atque hostem remittere, contempsisse. Vicit sententia Pij; ambo duces in Sabinum ducentes, dum vix castra locassent, multa in deditiōem oppida acceperunt; tyranni enim, atque oppidani magno belli apparatu perterriti, se, ac sua omnia in manu Pontificis posuerunt; cum præsertim magnas illas bombardas in castris intellerent adductas, quas paulo ante Augustinus Placentinus eiuscæ artis egregius opifex, iubente Pontifice fuderat, quarum primam ex nomine patris Pij Pontificis, Siluiam appellauit; alteram ex nomine matris Victoriam, de qua Campanus poeta clarissimus hos versus edidit.

Barones quidam Romani factiosi multis oppidis spoliati, & Pij constantia in eis persequebantur.

Rumpere quæ videor sonitu Victoria cælum,
Cumque suis muros turribus eijcere.
Arma iuuo, tueorque Pij, quantum erigit ille
Voce bonos, ictu tantum ego sterno malos.

Q 3 Tertiam,

Tertiam, quæ nondum ad prælium ducta est, Aeneam, quod id fuerit ante Præsulatum Pontificis nomen; & hæc reliquis maior quæ trecentorum pondo emisit, ille ducentorum, in quis tanta vis reperta est, vt nulla murorum moles resistere valeret. Aucto itaq. ex bombardis timore, seditiosi per amicos gratiam Pontificis quæsierunt, quibus supplicantibus Pontifex pepercit, & oppida nonnulla, vbi vitâ degere possent, reliquit; sicq. tyrannos ad res nouas spectantes, e finibus Ecclesiæ bello submouit.

Alexandri gesta in Aprutijs.

Alexander dum ista geruntur profectus in Aprutios, Populi comitem ad Ferdinandi obedientiam reduxit, & comitissam Coelani, Sulmonem, Theanum, quam Thetidis urbem putant, & alia eius regionis oppida, quæ nutare videbantur, in officio confirmavit. Matthæus Capuanus sancti Flauiani oppidum vi expugnauit, castella plurima Iosia abstulit, Theramum impetita nocte adiens, adiuuatis exulibus, perfracta porta, ciuitate absq. sanguine potitus est.

Canonizatio sanctæ Catherinæ Senensis.

Inter hæc Pontifex rogatus à suis ciuibus beatâ Catherinam Senensem inter sanctas Christi virgines referre, accito episcoporum concilio, qui tunc erant in vrbe, de vita, & miraculis inquisitione per tres cardinales facta, qui omnia quæ inuenerant coram retulere. Interrogato conuentu quid videretur, cum respōdissent vniuersi canonizandam virginem fore; in Basilica beati Petri suggestum apparari iussit, in quo re diuina peracta orationem habuit de laudibus virginis, quam hic non inferuimus in volumine reliquarum orationum conscriptam. Ea finita summo cardinalium, episcoporum, abbatum, & aliorum qui assistebant prælatorum consensu, adhibitis solemnitatibus consuetis, Catherinam ipsam in Cathalogo sanctarum virginum ascribi mandauit, cōmemorationē eius fieri quot annis instituit, visitantibus sepulchrū in quo iacent ossa, in ecclesia S. Mariæ super Mineruā, indulgentias septē annorū concessit, ac canonizationis litteras ipse dictauit, quæ inter alias eius epistolas continentur.

Consultatio de vrbe discessu, & Pij ad Federicū dissuadentē confutatio, animiq. magnitudo.

Ardere iam Roma coeperat feruente Iulio mense, fugere cardinales caumata, nec curiales immorari velle, æstiuum aerem cuncti horrere. Pontifici haud satis tutum videbatur hoste propinquo, ab vrbe procul abire. Sorani adhuc, & Aquilani, & multi per Aprutios insidiabantur Ecclesiæ: statuit igitur Tybure reliquum æstatis agere, sic & ciuitatem nutantem in officio retineri, & noxium vrbe flatum euitari posse. Quod cum accepisset

Fede-

A Federicus Vrbinas copiarum ductor, Romam veniens, ac Pontificem maximū adiens: Si verū est, inquit, quod accipi Pie Præsul, non possum nō admirari, iturū te Tybur est rumor: quis hoc cōsiliū dedit? an excidit memoria illius populi perfidia? Plebs est inimica tibi, Picinini cōsilijs auscultat, Euersum diligit, nihil magis odit quàm tuū caput, his te hominibus credes, qui sæpe hoc anno ciuitatē tuis militibus clausurunt, hostibus aperuerūt? Age Pontifex, consule tuæ saluti, serua dignitatem, serua & nos qui ex tua vita pendemus: in te vno spes nostra sita est, tecum cadimus, tecum surgimus, salua caput tuum quod cum tota saluatur Ecclesia. Laudauerunt qui aderant cardinales & aulici Federici verba; nam & illis plena periculorū Tyburtina profectio videbatur. Pontifex in hunc modum respōdit: Qua perfidia vel potius dementia Tyburtini hoc anno sint vsi, non sumus oblitus; quippe quod eorum opera in extremas difficultates incidimus, si obtinuisset Picininus Tybur, quod prope affuit, Roma excedere oportebat, quando extra mœnia nihil erat tutum: nec Romanus est, qui carere pecoribus possit; facilius cum Tybure Romā perditam, quàm Tybur cum Roma recuperaueris: Nobis curæ est dubiam ciuitatem, & prorsus nutantem in partem nostram adducere, atq. in officio retinere: quod facile fiet nobis illic per aliquot menses habitantibus; nec nos terret plebis amor in Picininum, aut in nos odiū: mutabile vulgus est: nullius populi diuturna voluntas, nunc odit, nunc amat, multitudinis consilia ex utilitate pendent; & quæ maiora possunt emolumenta præstari populo, quàm ea quæ Romana curia secū affert? Locantur domus, venduntur fruges, vina, & pecora mutantur in aurum, ad infimas quascumq. res etiam lucra perueniunt. Sciunt hæc Tyburtini, atq. idcirco petunt, vt ad eos eamus, nō est occasio prætermittenda, ibimus, aut fugient qui seditiones parare consueverunt, aut territi filebunt, & se se nobis subijcient. Boni ciues, quorum non est vrbs omnino vacua, nobiscum sentient; & quis erit, qui vel hiscere contra nos audeat, curialibus, & militibus, & parte ciuium hinc atq. inde stipatos? Non sumus eius animi, vt nostra in ciuitate vim timeamus, ipsi metuent qui peccauere, & nobis facultas erit arcem erigere, & ciuitati frenum imponere: Nouimus vulgi mores victoriæ omnia parent. Edomitis tot tyrannis cum Tiburtio, cunctis qui male sapiebant cadentibus animis occlusa sunt ora. Acquieuit his dictis Federicus, atq. in ca-

Q 4 fra

stra se recepit, quæ non procul erant à monte Coelio: montem A Coelium vocant Monticellum, quem Deiphebus tenuit.

De genere armorum apud veteres, deq. Troiano bello Pij sermo; de ingressu Tyburis, & data venia, & arcis constructione.

Pontifex paucis post diebus ex vrbe intempesta nocte descendens, ad Anienem, orto nondum sole, peruenit. Quo transmisso, Federicum, & cardinalem Theanensem obuiani habuit cum decem equitum turmis, qui ad pontem vsque Lucanum securitatis causa fuerunt comites. Oblectatus est Pontifex splendore armorum, & equorum, ac militum ornatu: nam quid pulchrius castrorum acie ordinata? Fulgebat sol in clipeis, & galearum, cristarumq. facies mirabilem reddebat splendorem: quot fuerunt armorum turmæ, tot quasi siluæ lancearum apparuerunt. Iuuentus huc atq. illuc currere, equos in gyrum flectere, enses vibrare, hastas circumferre, dimicationis speciem ostentare. Federicus qui multa legisset, interrogare Pontificem, an prisca duces æque ac nostri temporis armati fuissent. Pontifex & in Homero, & in Virgilio genus omne armorum inueniri descriptum dicere, quibus nostra vitur ætas, & alia multa quæ obsoluerunt. Poetas etsi fingunt aliqua, ea tamen plerumque describere, quæ in vsu aliquando fuerunt, neq. prorsus à vero discedere. Incidit & sermo de Troiano bello, quod cum penitus extenuare Federicus adniteretur, Pontifex magnum fuisse ostendit, nec sine causa tantam eius extare memoriam. Cumque de Asia quoq. mentio fieret, quæ minor vocatur, nec de limitibus conueniret, Pontifex postea nactus ocij paululum apud Tybur Asiã ipsam descripsit ex Ptolemæo, Strabone, Plinio, Quinto Curtio, Iulio Solino, Pomponio Mella, & alijs veteribus auctoribus, quæ sibi visa sunt ad rei cognitionem idonea suscipiendæ: sermo dulcis, & alacer inter Pontificem, & Federicum de antiquis historijs ad pontem vsq. Lucanum protractus est. Illic dimisso exercitu, Pontifex iterum Anienem transiit. Populus Tyburtinus ad secundum miliarium, cum ramis oliuarum, & cantibus eum excepit; simul capitulationum, & seditiosa iuuentus, & pacis amatores ciues conueniunt, qui lecticam Pontificis subeuntes, cum tremore pariter ac amore suum dominum in urbem portauere. Nonnulli qui plus deliquerant, suam magis culpam, quam Pontificis clementiam aduertentes in exilium sponte abierunt, horum bona proscripserunt, reliquis omnibus venia data est. Duo fuerunt rebellionis duces, Toccus, & Clemens quidam nomine, ille astutia, hic clientela potens, amici ambo ac Picinino per foedera iuncti, qui sæpe

aperi-

A aperire hosti portas tentauerat, auctoresq. fuerant ne miles Ecclesiasticus intromitteretur. His Præsul ad se vocatis, ac blande compellatis, impunitatem gestorum promisit. Exin concione ciuium se coram habita, errata populi, & stulta consilia, & quo fuisset in periculo ciuitas exposuit. Postremo ut arcem constructam æquo animo paterentur suasit; docens multis rationibus id esse urbi salutare, quod facile obtinuit, cum viri boni, ad compefcendos temerarios arcem necessariam esse cognoscerent. Seditiosi obtenta venia peccatorum, aduersari Papæ, qui fuisset in eos clementissimus non auderent. Iecit igitur fundamenta in sublimiori loco

B vrbis, vbi veterem fuisse ruinam adhuc exstantes indicabant. Duas erexit turres, quarum muri viginti pedes spissitudinis habuerunt, altitudinis altera centum triginta, altera centum; reliquis muris suam proportionem attribuit: fossam latam, ac profundam circumduxit: cisternas duas effodit: portam marmoribus adornauit, in quis hos versus insculpi iussit.

Grata bonis inuisa malis, inimica superbis

Sum tibi tybur enim sic Pius instituit.

Extat & hoc Campani Epigramma.

De Tyburtina, quam nunc Pius erigit arce,

C Quid vulgus tota sentiat vrbe rogas.

Esse Pium mitem, nec tam punisse nocentes,

Quam ne quid noceant consuluisse ferunt.

Cumque sit ingenio princeps mitissimus aiunt,

Argolici gratiam Tyburis esse fidem.

Nil igitur doleas Tybur, si clauderis arcem,

Non Pius hoc, sed tu surgere cogis opus.

At tu si quereris, scimus quæ causa querelæ

Aeneas Phryx est, Tybur es Argolicum.

D Opus quamuis multi laboris, & magni sumptus esset, vno tamen anno absolutum est, excepto dupplici muro, quem statuit ab arce, vsq. ad portam vrbis producere, cui deinceps nauabitur opera. Fabrica viginti millibus aureis perfici non potuisset, nisi operarios & Tyburtini, & alij Ecclesiæ subditi sine mercede adhibuissent. Structuram cuncti laudauere, & opus per necessarium existimarunt, quo vicinorum audacia, & ipsius vrbis temeritas compefceretur, nec minoris vtilitatis iudicata est arx Pia in Tybure, quam moles Hadriani in vrbe, quando & Tyburtina ciuitas alterum Romæ munimentum censetur.

Tybur

De Tybure,
& eius situ,
& edificijs pri-
scis, & agri ex-
imia amœni-
tate.

Tybur apud veteres fama notū, in angulo iacet præalti montis, non procul ab eius radice ex plano circiter mille passibus il- luc ascenditur. Pars vr̄bis in qua sita est arx à reliquo monte qui supereminet, lata & profunda fossa discinditur, à porta, quæ in oliueto, & Penestre ducit, vs̄que ad alteram Anieni propin- quam, qua itur in prata, à priori quam diximus porta, vs̄que ad aliam, qua recta est ad Lucanum pontem via, & Romam respi- cit. Præruptæ rupes vr̄bem custodiunt, & murus, quem constru- xit rex Alfonso, dum illic ageret repente excitatus. Reliquas vr̄bis partes Anio ipse tutissimas reddit, adeo in profundum de- mersus, vt vix pateat in eum intuitus. Hic fluuius ex montibus oritur, non procul à Sublacensi monasterio, vallem nemorosam percurrit placido meatu, vs̄q. ad monasterium ipsum, illic obie- ctu rupium, multo fragore in profundū labitur, nec prius quie- scit, quàm relictis scopulis, & ingentium saxorum repagulis in plana descendit. Ferunt sub specu quod Benedictus inhabitauit, olim murum fuisse, qui retento amnis cursu, in superiori valle la- cum fecerit, atq. inde vocari monasterium Sublacense; postea de- cidente muro, defecisse lacum. Amnis per vallem amœnam fer- tur, & æstiuo tempore opacam, inter prata, & agros, & castel- la complura ad monasterium sancti Clementis iterum obiectu montium coarctatur, nec sine rumore, & gemitu spumofus ad Vicumarū peruenit, & quamuis postea quietius incedat, nus- quam tamen placidas vndas habet, donec prata Tyburtina cō- tingit, ibi paululū clementius labitur. At vbi muros attigit Ty- burtinos, & ad ducentos circiter passus, relicta à sinistris vr̄be percurrit, deficiente iam via inter prominentia saxa magno ca- su, maiori murmōre, ac strepitu in subiectam ac profundam val- lem præcipitatur vno saltu, vt audiri humanæ voces nequeant, nec prius querelas ponit, quàm prope ad Lucanum pontem peruenit, per quē dimissus, iam placidus est, & nauigabilis, si ar- borum impedimenta tollantur. Non procul à ponte Miluio in Tyberim deuoluitur, nostra ætas Tyberonē appellat: iungitur dimisso Tybure pontibus quattuor: primū sub ipso oppido, Pō- ticulū appellant: alterum Lucanū, vbi moles marmorea pro tu- mulo quondā erecta nobilissimæ Plautiorū familiæ, nunc arcis vs̄um præstat: tertium Mammeum quem condidisse tradunt Mammeam Imperatoris Alexandri matrem: quartū Salarium à Narsete Eunuco conditum, aquas habet in omni cursu lym- pidas,

pidas, & admodum gelidas, in quis trutas complures inue- niunt. Pars Tyburis vltra Anienem iacet parua, & ob ciuium seditiones parum inhabitata, quæ ligneo ponte iungitur. Su- pra fluuium ciuium ædes, & altissimæ rupes pro muris sunt. In ipsa vr̄be nihil est, quod magnopere mireris, præter ædifi- cium quoddam vetustum, maximis & altissimis fornicibus ere- ctum; portam hodie Obscuram vocant: inde olim fuit in vr̄bē aditus, & depositis ibi mercibus, vectigalia soluebantur; atq. fue- runt olim seu negociatoribus, aut publicanis, seu claris viris am- pla, & pulcherrima diuersoria, nunc bobus stabula patent, & su- per testudinibus, sublimiq. tecto horti olerum excoluntur. Cernuntur & reliquæ cuiusdam templi, seu Vestæ, seu alterius Dei, in Anienis rupe altis erecti columnis, & non procul ab arce ve- stigia erant nobilis Amphiteatri, quæ arx omnia consumpsit. Pars Anienis per ciuitatē deriuata, & molis, & edificijs, ac fon- tibus satisfacit, vr̄bemq. ipsam magnopere exornat. Extra vr̄bē ad tertium circiter milliarium, Hadrianus Imperator nobilissi- mam villam exædificauit, instar magni oppidi. Extant adhuc templorū sublimes, & amplæ testudines. Cernuntur & aularū, & cubiculorum semidiruta ædificia. Visuntur & peristyllorum, & maximarum columnæ porticum, & piscinarū, ac lauacro- rum vestigia, in quæ deriuata quondam Anienis portio, æstiuos refrigerabat ardores. Vetustas omnia deformauit, quos picti ta- petes, & intexta auro aulea, muros texere, nunc hedera vestit. Sentes & rubri creuere, vbi purpurati confedere tribuni, & regi- narum cubicula serpentes inhabitāt, adeo fluxa est mortalium natura rerum. Inter hanc villam, & Tybur vineta, & oliueta pulcherrima iacent, & inter vineas omnis generis arbores inue- nies, & punicarum maximum numerum, quæ granata produ- cunt poma, magnitudinis, & saporis eximij. Vndiq. circa vr̄bē æstiuo tempore amœnissima vireta, in quæ laxandi animi gra- tia Pontifex cum cardinalibus sæpe exiuit, & modo in aliquo gramine sub oliuis confedit, modo in viridi prato super Anie- nis labium, vnde spectaret perlucidas aquas. Prata sunt in valle reducta, multis aquarum fontibus rigata, secundo à Tybure mi- liario, per quæ olim ex Aniene deriuata vis aquarum, altissimis fornicibus ad montes ducebatur, qui Romam prospectant. Inde per subterraneos meatus, siue ad Hadriani villam, siue ad vr̄bem mittebantur. Extant adhuc ipsorum aquæductuū magnæ mo- les,

les, ac sublimes, verum interruptæ; in quis construendis quanta fuerit impensa, ruina etiã hodie docet. Pius in his pratis, & circa scaturiētes fontes, ac circa vmbrosas arbores sepe quieuit; aut de republica cum cardinalibus agens, aut legationes audiens, quæ ipsum quocunque iret, sequebantur. Habitauit Pius Tybure apud Minores, loco edito, vnde urbem licebat inspicere, & in subiectam planiciem Anienis cursum, & hortorū per placida vireta, nec aliud erat quod oblectaret. Domus antiqua, & ruinosa plena muribus fuit, qui ad magnitudinem cuniculorum huc atque illuc discurrentes, inquietas noctes reddebant. Venti quoque quorum ditissima ciuitas est, infesti erant, nec pluuias arcere licebat in habitaculo rimoso, & nimium vetusto, cuius reparandi monachi religiosi parum, nullam curam susceperant. Hos Pontifex deiecit, cum essent Conuentuales, & vitam ducerent inhonestam, & loco eorum Obseruantes introduxit.

De origine Tyburis, & quid ei contingit secundum Blondū. Blondus Flavius Tybur sextodecimo ab vrbe milliario distare arbitratur, & à Græcis (Stabone teste) multo ante Romam fuisse conditum. Virgilius Tyburtium conditorem facit, cuius frater Catillus propinquo monti nomen dederit; eamque ciuitatem vnã ex quinque fuisse, quæ arma Aeneæ vincerint; Superbum vero ideo dici, vel quia nobile fuerit, vel quod à senatu Superbi fuerint appellati Tyburtini. Virgilius sub Albunea Tybur esse ostendit: Seruius Albuneam altum esse fontem exponit in Tyburtinis montibus, ab aquæ qualitate sic appellatum: & Plinius Tyburtinum lapidem ad consternendam ornandamque urbem plurimū valuisse affirmat: & Helius Spartianus de Hadriano Imperatore ita scribit: Tyburtinam villam mire ædificauit, ita vt in ea & prouinciarum, & locorum celeberrima nomina poneret. Tybur simplicium Pontificem Romanum genuit. Federicus primus Imperator hanc urbem ab alijs Theutonicis spoliata, ac dirutam restituit: supra eam montes sunt ardui, & late diffusi, in quibus fortissimi Equicoli olim habitauere: hæc Blondus. Pontifex hoc in loco paulo minus quàm tres menses habitauit, non sine alacritate animi propter loci amoenitatem, quamuis curis vrgeretur assiduus, & bellorum, & quas vel pacificus suggerit Pontificatus.

Inuasio Aquilanorum per duces Ecclesiæ, & præda. Nicolaus interea cardinalis Theanensis, & Federicus Vrbinas cum copijs in comitatu Albi, & Tagliacotij duxere, quorū parte in potestatem Vrsinorum redacta, cæctoq. Picinini præsidio,

A dno, in Aquilanum ducere statuerunt, infestisq. signis planiciem omnem vrbi subiectam, vno incurſu populati sunt: captiuos supra ducentos abduxere, boues, iumenta, mulos, greges, & armenta omnis generis, vt est terra animalium altrix, prope innumerabilia abegere frumenta in arcis munda, & quæ à solo sperata erant, quæ adhuc hærebant diripere. Collecta præda, & in vnum congesta apud sanctum Victorinum, quod est vrbi ad quartum milliarium rus propinquum castra locauere, vt videri ex Aquila vexilla, & tentoria possent, non sine magna ciuium ignominia, qui tanquam paruas Ecclesiæ copias antea contempſissent, & in oculis constitutas populi agros, & suburbana spoliari prædia tolerassent; nec ausi essent occurrere, solamque vrbs salutē in mœnibus collocassent: sensere quid posset Ecclesia, & qui se feroces, ac magnanimos iactitauerant, damno & pudore mulctati sunt: digna Dei ultio. Aquilani quondam, Martino Quinto sedente, Ecclesiastico præsidio aduersus Braccium defensi fuerunt, & aduersus Pium Pontificē postea cum Braccianis arma iungere: ingrata ciuitas, nec diui Bernardini corpore digna, quæ aduersus matrem, & liberatricem suam Romanam Ecclesiam cornua præsumpsit erigere; sed non peccauit impune: dispoliatus est ager Aquilanorū primo, & deinde vrbs muri magna ex parte, & multæ ciuium ædes, & templorum non parua ædificia terremotibus agitata corruerunt. Cardinalis, & Federicus vbi nulla ab hostibus pugnandi copia facta est, cum præda recesserunt, ac per vias asperrimas, & præcipites Auezanum petiere: sæpe intereundum cum hoste cōgressi, Paternumque oppidū primo, & deinde Auezanum ipsum per compositionem acceperunt. Reliqua comitatus Albi, & Tagliacotij castella, partim ui, partim conuentionibus obtinuerunt, his demptis quæ erant in potestate Columnensium, quibus Pontifex pacem esse voluit, ne maius excitaretur incendium. Aquilani medio tempore suis rebus consulturi melius, legatos ad cardinalē misere, inducias belli petentes, quæ his conditionibus concessę sunt: vt abstinentes ab armis per annum quiescerent; quibus peractis, exercitus in agrū Romanum redūctus, per Campaniam aduersus ducē Soræ profectus est, qui agros Campaniæ Romanæ infestabat. Primo aduentu agrum eius vsq. ad Soram populatus, parum abfuit, quin à ciuibus admitteretur, quibus vita ducis ingratiſſima esset. Præuentus ab eo retrocessit, & ad Castellucium castra sunt posita, quod

ingens; & diui Bernardini, & Antonij Petrucij Senensium dissimillima comparatio, Antonij captiuitas, atque Sorani ducis perfidia.

quòd opportuno in loco iaceret ad prohibēdos comineātus. In eo Antonius, cuius supra meminimus, cum peditum præsidio ad custodiam excubabat. Hic vir olim magnus, ac primarius apud Senenses fuit, quem natura multis ornauit dotibus, statura procera, & honesto corpore, litterarū doctrina, faciētia, prouidentia, consilio, liberalitate, & animi magnitudine: quibus rebus mirum immodum vrbānam sibi plebem conciliauit: verum his virtutibus ingentia correspondere vitia, mens infida, ambitio, ac proditorum iuge studium. Primæ eius proditorum apud Lucenses emerere, quorum tyrannum Paulum Guinigium, quem sibi compaternitatis titulo deuinxerat, dolo captum in manus Francisci Sfortiæ tradidit, nec ipsi Francisco postea fidelis fuit, à quo in Aquapendente præfectus, vt ante diximus, oppidum Eugenio uendit. Prodidit & Nicolaum Picinimum, à quo recepto stipendio fugit. Florentinis sæpe mētitus est, à quibus ne noxius esset annuam stipem accepit. Profectus aliquando venatum, cum Brolium peruenisset, id est oppidum Florentini agri, non procul à Senis, inuitatus ab eius loci nobilibus, accepit: in arcem ascendit; atque inter bibendum captos hospites coniecit in vincula, & oppidum non paucis diebus retinuit: Alfonso regi Aragonum, & Eugenio Pontifici sæpe fidem mentitus est. Postremo multis modis prodere patriam est adnixus, propter quod in exilium actus ad summam peruenit inopiam. Duo fuerunt eodem tempore viri apud Senenses, moribus profus disparēs, Bernardinus, & Antonius: ille optimus sacræ Theologiæ magister, canonicusq. iuris doctor, valde adhuc iuuenis effectus sacrā militiā in ordine Minorū sectatus est: hic pessimus, nil vnquam nisi arma ad quodcunq. facinus parata gestauit: ille prædicator eloquentia, ac suauitate sermonis, grauitateque præstans quocumq. venit, tanta cum hominum frequentia, vt cum ecclesiæ multitudinem non caperent, in plateis pulpita collocarentur, pacem prædicauit: hic nulli seruans fidem, belli semina sparfit: ille nil aliud curabat, nisi quæ ad religionem pertinent, sæcularium nihil cupiens: hic religionis contemptor nil sibi satis esse putabat: illum virginem obiisse prodiderunt: hic nullam venerem intentatam reliquit: deniq. ille suis obediens superioribus, reformata diui Francisci regula, vita austeriore instituta, sacratissimum Dei Iesu nomen in quadam tribus litteris depictum tabella circumferens, dum omnes homines hor-

hor-

tatur,

Atatur, vt illud proprijs in domibus ad dæmones expellendos seruarent, omnibus amatus è vita decessit, & inter Christi sanctos Confessores à Nicolao quinto relatus est: hunc contumacem, omnibus odiosum, quem patria extorrem, cum omnes ferme Italiæ tyranni è suis dominijs eiecissent. Soranus tandē dux cōplexus in Castellutio (vt dictum est) cum præsidio collocauit, qui cum ex muris venientes Ecclesiæ copias vidisset: En, inquit, comites Ecclesiasticum exercitum cernitis? finite, veniant, cum feminis pugnabimus: diuites nos præda faciet: video pallere aliquos, quid timetis? An Ecclesiæ clauēs, pluris quàm gladios nostros facitis? Religio vobis metū incutit, & inanē Papæ nomē veremini, quem Christi vicarium vocant? vana superstitio est. Is Dei minister est, cuius præualet gladius: mihi nullus vnquā sacerdos imperabit; despicio id genus hominū. Talia vociferanti, lapis tormento missus æneo silentiū imposuit, qui iuxta eū propugnaculi partē deiecit: Appropinquans enim castello Federici miles manu balistis, & minoribus bombardis, quas vocant spingardas, pugnam pro muris cōseruit. Situs loci arduus, expugnationem diebus aliquot retardauit. Interea Soranus auxilia vndiq. acciuit. Sinuessæ dux turmas equitum sex adduxit. Honoratus **C** Caietanus strenuus dux, veteranusq. miles duas, Carolus Balionus vna, Caudolani duas misere, & alij alias; Breuiq. superior Sorani exercitus, numero militū Ecclesiastico factus est. Itaq. prouocare ad pugnam Federicum obtrectantē irridere; verū Ecclesiæ ducē compellare, cui templa magis quàm castra conueniant, & muliebri corde exercitos non audeat intueri gladios: Ille rumore contempto, nō quid dicerent, sed quid agerent hostes prouidere, vim repellere, insidias euitare, castra eius hinc hostiū castris iuncta fuere in Castellutio, ita vt obsidētis, & obsessi locū tenerent, & hinc hostis impetum propulsarent, inde oppido insultarent: **D** Ea belli facies vtriq. exercitui grauis, diebus paucis perdurauit. Postremo cum Federicus summa vi oppidum aggressus expugnasset, atq. in oculis hostium direptum incendisset: Soranus, & qui ei suppetias attulerant, relictis castris, non sine dedecore abierunt, Antonius captus, in vincula coniectus est, & in Vrbinate agrum transmissus, vbi in hanc vsq. diem diri carceris incommoda perfert, & qui tantopere sacerdotes contempsit, nunc sacerdotum auxilia implorat. Soranus paulo post, relictus ab amicis, cum spem aliam nullam haberet, missis ad Federicum legatis,

tis,

tis, his conditionibus pacem pepigit; vt liceret sibi ad Calendas
vsque Iunias nullarum partium esse, quia ex illo tempore Fer-
dinandi vexilla erecturus esset, & se voluntati eius permissurus,
ob cuius rei obseruantiam, duo oppida in Pontificis manu tra-
didit, opportunis sita locis, & egregie munita, Fontanam, &
Oliuerij domum; atque ita hiemis aduentu, milites ad hyber-
na rediere. Soranus suo more fidem e mentitus nihil seruauit
eorum, quæ promiserat, quamuis pacta cum Federico percusa
fa, Ferdinando regi stipulationibus, & iuramentis fortioribus
promisisset.

Gesta Ferdi-
nandi in Apu-
lis, & ditissi-
mi templi cõ-
pilatio, Pijq.
reprehensio.

Ferdinandus in Apuliam profectus post vastatos Troiæ, Lu-
ceriæ, finitimæq. regionis agros, & paulum Sanguinis, cum om-
nibus oppidis, in obsequium, & fidem receptum, in mōtana que
sancti Angeli appellatur duxit exercitum, atq. omnia castella
eius regionis, primo incursu in verba sua iurare compulit, præ-
ter duo Ischitellam, & sancti Angeli montem, ad quem propter
loci opportunitatem, & quia totius regionis erat caput, exercitum
admoit; missisq. legatis, cum oppidani deditioem facere recu-
sarent, dato prælij signo, tametsi erat oppidum in editissima ru-
pe situm, & propugnatoribus abundaret, post mediam tamen
ferme horam, quam oppugnari coeptum, militum virtute captum
direptumq. est. Tyrannus loci Lōysius minutulus in arcem se
recepit, qui nunc mons sancti Angeli vocitatur, olim Garganus
dictus est, mutationem nominis ab æde recepit, quæ in summo
cacumine Michaeli Archangelo dicata est, propter miraculum
Tauri, quod illic contigisse memoriæ prodidere. Locum accola
summa religione colunt; afferunt & externi munera auri, & ar-
genti, vota supplices multa persoluunt, ex quibus ditissimum
construxere templum. Hoc Ferdinandus suo magno malo com-
pilauit; hic enim bellum sibi prolixius, ac periculosius, quis ei du-
bitet factum esse? Non sunt impunita sacrilegia, odere superi-
suarum raptores rerum, nec religionis hosti semper arrident:
transit & ad posteros contemptæ diuinitatis pœna. Pius cum ac-
cepisset nobile templum direptum esse, admodum doluit, Ferdi-
nandumq. grauioribus increpauit edictis. Ille in uictum se reci-
pisse Deo sacrata dona respondit, necessitati non potuisse obuia-
re: exercitum propter inopiam rebellaturum fuisse; nisi id spo-
lij inter milites diuisisset: verum non abstulisse se aurum à Deo,
mutuum accepisse, redditurumq. cum vsuris, si regni victor eua-
serit.

A ferit. Pontifex cum factum mutari nequiret, recepta promissio-
ne futuræ satisfactionis acquieuit.

Priusquam Pontifex vrbe discederet, cum Sigismundus Ma-
latesta aperte rebellasset, & coactis non paruis copijs, agrum Ec-
clesiæ inuadere statuisset, Bartholomeus episcopus Cornetanus
magno vir ingenio, & qui paulo ante gubernationem Perusinā
dimiserat, aduersus ferocē hostem ad exercitum, qui erat in Pi-
ceno legationem accepit, vt malo bonus, fallaci prouidus oppo-
neretur. Locauerant castra Ecclesiastici in valle quadam apud
annem Neulam. Hostes ad tertium milliariū aberant. Cicchus
B Brandolinus non multis diebus ante, Pontificis stipendio acce-
pto, proditor ad proditorem defecerat: Foroliuensis hic natio-
ne fuit, ex familia magni Brolij, quem primum, eiectis Theuto-
nicis, ac Gallicis, ceterisq. ducibus externis, Italicam militiam
ad eum splendorem, in quo nunc est, aiunt instaurasse. Cicchus
indignum tali vel auo, vel proauo se reddidit; qui prima stipen-
dia proditione scœdauit, ac dignū Tyberto germano, cuius pau-
lo post detecta proditionis scelera, causam præbuere, vt sibi ipsi
mortem consciret. Sigismundus Brandolini lætatus aduentu, ac
copijs auctus, aggredi hostem constituit. Quod cum rescisset per
C exploratores Cornetanus, accersitis in tentorium belli ducibus,
vt ad se prælium pararent, admonuit; & quanta quisque virtu-
te præstaret, in hostium aduentu periculum faceret, custodibus
non procul ab hoste constitutis, qui motum omnem illius explo-
rarent. Sigismundus intempesta nocte armato exercitu, ac tur-
mis in ordine positis, cum exploratores parum diligenter suum
expleuissent officium, circa ipsum Solis ortū, ad Ecclesiæ castra
peruenit, priusquam vallum oppugnare, quam aduentare visus
est: trepidatum tam repentina inuasionē totis castris, neq. dux,
neque miles satis præsentī animo fuit. Cornetanus huc, atque il-
D luc discurrere, hortari duces, ac milites arma raptim caperent,
fossam, vallumq. tuerentur: nunc corde opus esse si viri sint, nō
eiciantur inuiti, pugnarent audaci animo, si non pro Ecclesia,
at saltem pro gloria, neque illam ignominiam subire vellent, vt
castris exuerentur: Qua re nihil est militi scœdus. Paruerunt a-
liqui, quibus honesti maior cura fuit, inter quos promptior, &
audentior visus est Petrus paulus Foroliuensis, cuius supra feci-
mus mentionem, qui aliquandiu hostis impetum retardauit: sed
dum cognito Sigismundo plenus animi extra ordinem progre-
ditur,

Sigismundi
victoria, eius-
que inaudita
perfidia.

ditur, illumq. vulnere appetit, nondum obligata galea ab igno-
to milite obruncatur. Hic viri fortis exitus fuit. Ioannes Fran-
ciscus cognomento Notus de Balneo, & Alexander Mathelicæ
dominus, & Ioannes Picininus, & alij nonnulli egregie suo loco
pugnantes castra defendunt; sed non omnibus in locis par vir-
tus reperitur. Ingrediuntur ex alia parte hostes, ex alia fuga ab
his incepit, quibus frigidior erat circa præcordia sanguis, inter
quos inuentus est Ludouicus Maluetius Bononiesis, qui cum e-
quites quadringentos stipendio Pontificis aleret, quadraginta
tantum duxerat in castra, atque nec armis, neque equis, vt par
erat, in tanta necessitate instructos. Laudatus hic aliquando apud
Venetos fuit, cum illis militaret, hic nomen amisit. Fugien-
te Ludouico cum iam castra tenerentur ab hoste, & Cornetanus
fugæ se commisit. Pars exercitus ad propinqua Ecclesiæ oppi-
da confugit: pars capta est. Tercenti & amplius equites in ma-
nus hostium peruenere; inter quos præcipui fuerunt Ioannes
Franciscus, & Alexander; impedimenta plurimum, & ipsius Cor-
netani intercepta sunt. Sigismundus hac victoria potitus, Ni-
dostorium cum exercitu petijt, ad quem locum non pauci con-
fugerat ex reliquijs Ecclesiasticis, qui seruari oppidum posse diffi-
si, pacti sibi, ac rebus suis salutem quæsiuere. Sed quæ pacta Sigis-
mundum ligent? cohortem in egressos è vestigio misit, & quæ
secum ferebant, simulq. arma, & equos illis abstulit, & oppido
capto, atque inimice direpto. Alia duo non procul inde per de-
ditionem accepit, & violata fide exposuit prædæ. Quibus rebus
attoniti Picenses, quo se verterent nesciebant; quâuis Franciscus
eius prouinciæ legatus ciuitates ambiens, spem auxilij propin-
quam faceret.

Profectio Ia-
cobi Papien-
sis in Picenū,
& Ecclesiasti-
ci exercitus
confirmatio,
& pmissio no-
ui ducis.

Pontifex Iacobum Papiensem episcopum ad res reuifendas
misit, qui accepta pecunia mutuo ab amicis, Ecclesiæ exercitus
reliquias in vnum collegit, & dato nouo stipendio opportunis
locis, vt hosti resisterent disposuit; & ad Pontificem iam Tybu-
re manentem rediens, statum rerum enarrauit, exercitum satis
fortem esse ad prohibendam hostium excursionem: verum Im-
peratore carere, qui tantis copijs præesse norit, aut quem tot vi-
ri fortes vereantur, paritatem ducum discordiam parere, arma-
tos equites presbyteros togatos contemnere, sacerdotes de bello
gerendo, aut pace componenda consulere posse. At cum factum
opus est, & iam dextra gladiū stringit, cessare sacerdotis impe-
rium.

A rium, nec audiri vocem presbyteri, armatum militem nulli obe-
dire, nisi fortiori, ciuitates Piceni trepidare, nutare multorum a-
nimos, ad fortiores inclinari populos, nisi dux adsit expertus, &
cuius auctoritas magna sit, verendum esse ne prouincia ingens
aliquod detrimentum patiatur. Res in consilio agitata est: vnum
inter omnes inuenerunt, cui ducatus tanti exercitus committen-
dus videretur. Neapolionem gentis Vrsinæ principem, qui &
Alfonso regi, & Venetis summa cum laude militasset, & in ma-
gnis exercitibus duxisset ordines, inuidia procerum Romanorum
impedimento erat, Vrsinorum gloriam animo non æquo feren-
B tium, nec satis tutum videbatur eam familiam, quæ ceteris po-
tentia præstaret, in Romano agro potentiorē efficere. Sed vicit
omnia necessitas: Neapolio dux creatus in Picenum missus est,
& cum eo Iacobus Vintimiliensis episcopus, qui legatum age-
ret; cuius aduentu confirmati prouincialium animi, nuncios Si-
gismundi defectionem expectantes è vestigio eiecere: Sigismun-
dus qui vsque ad montem Luponis profectus erat, exerci-
tum sine duce contemnens, vbi Neapolionem adesse
cognouit, virum nobilem, & fama clarum, qui
Pontificalibus copijs præfectus esset, retro
in sua recessit. Cornetanus episcopus,
C qui missionem iam pridem peti-
uisset, successore aduenien-
te, ad ecclesiam suam
perrexit.

COMMENTARIORVM

P II. II. PONT. MAX.

LIBER SEXTVS.



Dyetheri Maguntini pernicioſa oratio in conuentu Germanico, & Rodulphi efficax, ſacrumq. reſpoſum.



A PVD Germanos interea frequentes conuentus habiti ſunt, procurante Dyethero electo Maguntino, qui extra Eccleſiam factus, quoniam non ſatiſfecit mercatoribus, à quibus mutuum pro diſſoluenda annata iam pridem acceperat, tanquã iniuria fuiſſet affectus, ad futurum concilium appellauit: conuocatiſq. pluribus Germanorũ conuentibus, proceres vt appellationi ſuã adhererent, magnis precibus inuitauit; ſicq. & aduerſus Romanam Eccleſiam, & contra Imperatorem multa molitus eſt. In eaq. ſuprema orbis capita erigere cornua, & calces iacere non dubitauit; nec cenſuras veritus Eccleſiaſticas, quamuis excommunicatus, ſanctuarium ingreſſus, diuina foedans miniſteria, miſſarum ſolemniſus per cõtemptum interfuit. Quod cum Pontifex maximus accepiſſet, Rodulphum decanũ Vormaciẽſem, & Franciſcum canonicũ Toletanum, alterũ ciuiliſ iuris interpetrem, alterũ Theologicę doctrinę magiſtrum, ad eum miſit, vt res Germanicas inſpicerent, atq. ipſius Dyetheri, aut mollirent animum, aut furori reſiſterent. Conuenerant Maguntiaẽ oratores principũ Germanorum, cum quibus & Gregorius Amburgeniſis aderat, Sigifmundi Auftrialis legatus, tanquam hæreticus iam pridem damnatus. Suafere legati, ne homini hæretico cõmunicaretur: ſpreuerunt verba Dyetherus, Gregoriũq. in primis audiendũ ad conuentum, cui præſidebat admiſit, & quæ uellet dicere iuſſit, cuius oratio plena blaſphemiã, atq. errorũ fuit: vnde poſtea non iam Gregorium ſed Erroriũ appellauere catholici. Poſt eum & Dyetherus ipſe verba fecit in hunc ferme modum. Quibus me modis perſecutus fuerit ſuperioribus diebus Romanus Põtifex, nullum veſtrum arbitror, viri fortes, ignorare: repetam tamen breuiter, ſi quis ignoret, quæ norunt omnes. In primis cũ eſſem ad eccle-

A ad eccleſiam Maguntinã electus, miſiſſemq. procuratores pro veteri conſuetudine, ad impetrandam confirmationem vſque Mantuam, vbi tum erat Romanã curia: diu preces meas ſuſpedit, contempſitque, procuratores vacuos remiſit, cum nollet indignis petitionibus aſſentire: petebatur magna vis auri confirmationis cauſa, iuramentum inſolitum exigebatur, illudq. inter cetera prorsus indignũ requirebatur, vt conuentus nationis ſuo in iuſſu non cogerem. Prætereo alia multa nationi Germanicę grauiffima de decimis, atq. indulgentijs, ad quas præſtare iubebar aſſenſum: ſubſtinui quoad potui non acerbo animo dilationem. Remiſi procuratores, nouas adieci preces, pecunias obtuli, quas conſueſcent mei prædeceſſores Apoſtolico arario pro confirmatione inferre. Diu protracta res eſt. Poſtremo cum alio modo confirmationem obtinere nequirem, iuraui præter conſuetudinem, antequam annus elaberetur ad præſentiam me Pontificis conferre, negociatores rogati à meis procuratoribus in ſeſe onus faciendę ſolutionis, & me ſibi in formula, quam vocant Camera, obligatum aſſumpſerunt. Præterijt tempus, non potui in præfixo termino ſatiſfacere, excommunicatus ſum, & publice denunciatus. hæc de mea cauſa. Cæterum quantum ad vos attinet, quid ſibi vellet vel decimas, quas petunt, vel indulgentias, quas afferunt, arbitramini? Bellum contra Turcas gerendũ aiunt, pecunia opus eſſe: inſidiæ ſunt, quod ſi me audiueritis, non præualebunt fraudes. Ego ad futurum concilium appellauit, non tam quod iniuſte ſum excommunicatus, quàm ne prouinciales mei decimarũ onere afficiantur. Vnicum hoc nobis remedium aduerſus Apoſtolicę ſedis imperium relictum eſt. Vos ſi ſapienter exemplo meo, & vobis ipſis, & ſubditis veſtris peropportune conſuletis. Cũ ea dixiſſet, & iam propemodum perſuaſa concio videretur: Aſſurgens Rodulphus patria lingua (nã & Dyetherus Theutonice verba fecerat) in hunc modum locutus eſt. Da veniam Dyethere, ſi hoc in conuentu præſtantiffimorum virorum, ſummi Pontificis innocentiam defendurus, calumnias tuas repulero; & vos proceres pro cõmuni omniũ patre, magiſtro, & domino loquenti benignas aures adhibite. Contumelioſus eſt Chriſti vicario Dyetherus: falſam calumniã illi irrogat: procul à vero abſuit oratio ſua, iniuriã intulit, non accepit. Audite rem geſtã; ſi mentiar adſunt procuratores, qui Dyetheri negocia apud Mantuã tractauerunt; ipſi testimoniũ

perhibebunt. Rogatus Pontifex maximus Dyetherum in Ecclesia Maguntina confirmare, facturum se dixit quod peteretur quamprimum electus ad curiam proficisceretur, conuentum haberi Mantuæ, de tuenda religione consulturū. Vocatum eò fuisse præcessorem suum, par fore subrogatum illi id concilium, adire pro sua prouincia, quæ maxima esset responsurum, quis hoc reprehendat? quis Pontificem accuset de tuenda orthodoxa fide sollicitum? pium desiderium, piam Præfulis mentem male interpretatur Dyetherus. Iubent sacri canones eum qui electus est Romanum adire Pontificem, confirmationemq. coram petere. Quid delicti est eum aduentum requirere, qui iure debetur? Vocatos ad synodum episcopos parere oportet, & quæ synodus maiorem ob causam æuo nostro celebrata est, quàm Mantuana, si licuit iam consecratos illic episcopos accersiri, non licuit electos? si fuit honesta vocatio, quis recusationem laudet? Turpiter ad Pontificatū venisti Dyethere, prima tuæ dignitatis rudimenta inobedientiam prætulere, à rebellionē coepisti. Dicis ingentem pecuniarum summam fuisse petitam. Quid agis bone vir? siccine verum? procul abijs? caue ne mendacijs auscultes, mentiti omnes sunt, qui vel nummum vnum abs te flagitatum asserunt, vltra summam in camera prætaxatam, decem millia auri nummum principalis taxatio requirit, minutaq. quæ vocant seruitia, & litterarum expeditio, & oratorum sumptus circiter quattuor millia deposcunt. Nec ex te quicquam vltius, vel exactum est, vel postulatum; neque vnquã memoria nostra Maguntina ecclesia minus soluit Treuerensis, quæ multo minor est. Sub Calisto tertio triginta millia dedit. Quid habes, quod queraris? Nimia Pontificis benignitas superbum te fecit: iam vero quod de concilio generali, & conuentibus nationis asseruisti, quis toleret? nunquam hæc excogitata fuerunt, ne dicam petita: nam quid ad te Germanica congregatio? liberū est Theutonicis quando venit Imperator conuenire; generalis concilij conuocatio Romani Præfulis est, non Maguntini; illū mandare fas est, te obedire oportet: arbitraris concilij nomen odiosum esse Pio? falleris: nihil tam illi iocundum fuerit, quàm in conuentu totius Christiani orbis apparere; in quo tandem & tua, & aliorum rebellium contumacia plecti posset: si adsit generalis synodus, præsentia eius erit. Ipse caput, ipse dux, ipse moderator habebitur: te multi præcedent, quamuis non esca

doctri-

A doctrina, vt magna in Ecclesia audeas apparere. Nam quid diceres, qui vix vnum, aut alterum proferre verbum latine nosti? En qualem inuenimus generalis concilij assertorem, bene habet Ecclesia, quando ad te denique ventū est, ex cuius arbitrio concilium pendeat. De decimis, atque indulgentijs non videris memoriæ tenere, quæ tua sponte obtulisti daturum te illis cursum in tua prouincia: verum partem cupere, vendere tuas operas voluisti: nec tunc prouincialium te cura tenebat, nec miserebaris subditorum, nec spoliari Germanos auro dolebas, dum portionem acciperes. At Pontifex destinatam in opus fidei pecuniam B partiri tecum nefas duxit, cuius tibi retinendę animam nunquã induxit, quod Deo dandum esset, sacrilegiū existimauit ad priuatos transferre vsus. Non est Pius, qui vnum dicat, alterum faciat; quod habet in corde, habet in ore. Ego mensarium noui, qui dedit argentū, neque in obscuro res acta est. Pontifex suam portionem, cardinales suam, reliqui ministri suam acceperunt. Extant libri camera, extant publica documenta, extant idonei testes. Vellet mercator, qui tua causa ad inopiam vergit verum te dicere; mendacium tuū, & sibi in arca, & tibi in consciētia damnosum est. Dicis iniustam esse tuam excommunicationē: quomodo iniusta? si in eo tempore non satisfacisti, in quo sub pœna C excommunicationis dissoluerē mutuum tenebare? at siue iusta, siue iniusta timenda fuit: spreuisti censuras, non timuisti percussus anathemate, diuinis te officijs immiscuisti, factus extra Ecclesiam, ingredi Ecclesiam non horruisti, polluisti sacras cæremonias, non honorasti, nec veritus es irregularitatem incurere: sed appellauisti dices. Quando appellasti? sane iam cum lata esset excommunicationis sententia, & iam Romæ, Maguntia, Colonia, multisq. alijs in locis publicata. Rursus oro, à quo iudice prouocasti? ab eo certe qui non habet in terra superiorem; D nam quis maior Papa in terris? quæ celsior auctoritas? quæ sublimior dignitas? quæ potestas altior, quàm Iesu Christi vicariatus? ab eo appellasti Dyethere, qui tamē egre ferres, si quis prouincialium tuorum à te ipso appellasset, sed quem appellasti iudicem? quem prouocasti tuæ causæ cognitorem? Futurum concilium, dicitis, appellauisti: & vbi est futurum conciliū? vbi sedet? vbi tribunal eius requiremus? Pulchra inuentio, vt impunita sint scelera, vt liceat sine metu iudicij aliena inuadere. Is iudex appellatur, qui nusquam reperitur. In conuentu Mantuano ad-

R + uersus

uerfus hanc nequitiam lex edita est, quæ appellanti ad futurum concilium, eam irrogat poenam, qua rei maiestatis, & fautores hæreticorum plectuntur. Intelligis quæ te poena expectet Dyetheri; quamuis Apostolicæ sedis decreta parui existimas, cui non satis errasse fuit, nisi & alios tuo errore inuoluas, quando & hos proceres, ut appellationi tuæ astipulentur hortaris. At vos viri prudentes, quid sibi velit hæc appellatio, & quantum secum afferat veneni, plane intelligitis. Fugite hanc pestem, nolite Dyetheri causa, & animas vestras, & nationem perdere: ad gehennam omnes ædificant, qui sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ obedientiam declinant. Et quid erit natio nostra, si licet ad futurum concilium appellare? Quis episcopus? quis iudex suo satis officio faciet? quæ manebit obedientia? quæ sententia executionem habebit? omnes qui appellant à Romano Præsule ad futurum concilium supremum tribunal esse fatentur, quod appellant. Si ne medio igitur ad futurum conciliū patebit appellationis via: ea enim est supremi tribunalis prorogatiua, ut sine medio prouocetur. Perniciosum est hoc virus, & nationi nostræ, & Apostolicæ sedi, quæ profecto non meruit, ut nobis auctoribus suam eminentiam perdat: Ipsa mater nostra est: ipsa nos Christo regenerauit: ipsa nos lacte fidei nutriuit, & veræ doctrinæ lumine illustrauit. Nolite patres, nolite fratres matrē contemnere, nolite conculcare Apostolicam sedem. Et ubi requiremus gloriam nostram, si hæc perierit? Quid hoc mali est? Superiores cuncti contemnis, & dum liberi omnes esse volumus, nemo non seruit. Decimas, & indulgentias horretis, quæ pecunias nationis exhauriunt: bono estote animo, nihil ab inuitis Papa requirit. Bellum aduersus Turcas indixit; sperauit quod oratores vestri Mantuæ promiserunt ratum futurum, decimas, atque indulgentias eorum consilio decreuit, ex quibus pecunia ad bellum nec essariæ cogerentur: si non placet religioni opem asserre, liberi estis: consulite in medium tam vobis vicini, quam Italici. Turcæ sunt, communi periculo res agitur: nolite arbitrari ab inuitis auxilia Pium expectare. Ego & collega meus fidem facimus nationem Germanicam, nisi sponte sua voluerit, nihil collaturam, cuius rei si opus fuerit decretum dabimus. Vos pro vestra circumspectione Christianæ religionis statum, & inualescentem Turcarum potentiam, & pericula, quæ nostris capitibus imminet, & quibus modis instanti ruina sit occurrendum, iudicabitis. Hæc

Rodul-

A Rodulphum in conuentu Maguntino perorasse nonnulli affirmauerunt: plerique quamuis egregie locutum, pauciora tamen, & minus libere dixisse tradiderunt: constat conuentum eius oratione persuasum, nihil eorum fecisse, quæ Dyetherus efflagitauerit, Gregoriumque inde confusum abiisse, ac testes, qui pro Dyethero producti fuerant, aduersus eum deposuisse.

Conuentu dissoluto, fractus animo Dyetherus, a postolicis nuncijs ad se vocatis, multa de rebus gestis locutus, futurum se deinceps alium virum promisit; appellationi renunciaturum, ac Pio dum viueret pariturum, si speraret se veniam, & gratiam inuenturum. Illi de venia nihil dubitandum esse dixere, gratiam non se intelligere qualem vellet: cum declarasset annatam sibi remitti suum desiderium esse, quia paupertate premeretur, neque affirmare sperandam gratiam, neque negare facturos se de re ipsa Pontifici verbum: verum difficile esse Apostolicæ cameræ iura dimitti ab eo Pontifice, qui multis esset grauatus oneribus: appellationem si reuocauerit suæ rei consulturum. Victus his Dyetherus, accersito tabellione, & paucis testibus appellationi, quam publice interposuerat, occulte renunciauit, ut quem non tam appellasse, quam & appellationem reuocasse pudebat. Idem C fecerat paucis diebus ante Federicus Rhenensis Palatii comes, cum Rodolpho instruente appellationi, quæ Dyetherus interposuerat, male se adhesisse didicisset: sed neuter in via permansit, ambo ad vomitum rediere. Dyetherus diuina & humana iura contemnens, nulla excommunicationis absolutione obtenta, diuina profanauit officia infra tempus à iure statutum, episcopalem ordinem neglexit accipere: creditoribus nunquam satisfecit: iuramentum, quo se curiam petiturum astrinxerat impudenter violauit: nouas aduersus Pontificem excitare turbas procurauit: canonicos ecclesiæ suæ per contumeliam eiecit: bellis cruentissimis se immiscuit: villas, & ecclesias incendit: subditis grauissima imposuit onera: alijs vxores abstulit, alijs substantiam arripuit: sacerdotia pretio vendidit: reddendi iuris nullum adhibuit studium: foeda omnium rerum facies, apud Maguntinos capituli nulla reuerentia, lamentari populus, conqueri clerus, nemo suum præsulem laudare. Quibus Pontifici renūciatis, cum omnes ex Rhenanis partibus venientes, Dyetheri regimen accusarent, vitamque turpissimam esse dicerent; non censuit Pius temeritatem, ac nequitiam hominis ulterius ferendam fore;

Dyetheri per iuria, & flagitia, eiusque depositio, & Rodulphi electio, eorumque contentiones.

fore; si modo potentem aliquem inueniret, quem posset aduersus Dyetherum erigere in ecclesia Maguntina pontificem, ne sententiã frustra ferret. Misit igitur Ioannem Flastrandium decanum Basiliensem vnum ex cubicularijs suis in Germaniam, qui facta Dyetheri inspiceret, & an inter canonicos Maguntinos quispiam esset inquireret, qui se Dyethero auderet opponere, opibus, atq. amicis munitus. Illi successor datus; inuentus est ex antiqua & nobili domo cognomento Nassau Adulfus, clero, & populo dilectus, & quem canonici pro uldubio Dyethero prætulissent, si libera fuisset electio capituli, & non in paucos facta cõpromissio, pecunijs, & malis artibus patuisset. Septem sue re compromissarij, vt ante diximus, tres Adulfum, tres Dyetherum elegere, septimus tribus millibus emptus ad Dyetherum accessit. Ex maioribus Adulfi complures ecclesiæ Maguntinæ præfuerunt, quorum memoriam mirum immodum prouinciales extollunt. Fuit & aliquando Imperium in eius familia, quæ apud Germanos illustris habetur, & in Adulfo doctrina, & mores generi respondebant. Hunc cum Ioannes conuenisset percussatus est, an animus sibi esset aduersus Dyetherum Maguntinam ecclesiam accipere. Adulfus inducijs ad respondendum obtentis, rem ad amicos defert: conuentus difficilis erat magnorum virorum sine suspicione. Simulant igitur peregrinationem ad Aquasgrani, quo tempore eò concursus habetur, conueniunt intereundũ Coloniae Agrippinæ, & discussso in vtramq. partem negotio, acceptandã Ecclesiam censent: Adulfo promittunt auxilia, iuramentis sese obligant, scribuntq. Põtifici, si litteræ prouisionis eo modo mittantur, quo sit cum Ioanne conuentum, nullum fore dubium, quin Dyetherus eiiciatur. Conscij eius rei fuerunt Ioannes archiepiscopus Treuerensis cũ Germanis suis, Georgio episcopo Metensi, & Carolo marchione Badensi, Vlricus comes Virtembergẽsis, & Ludouicus Lanchrauius Hassiæ, & tres canonici in capitulo Maguntino præcipui. His suaforibus, atq. impulsoribus, & Adulfus acceptare Maguntinã ecclesiã, & Pius Pontifex illi cõmittere persuasus est. Ioannes rebus ita constitutis, ad Pontificẽ redijt, cum Tybur petere statuisset, atq. illuc eũ secutus, quæ inuenerat exposuit. Quinq. cardinales aderant: Rothomagensis, Zamorrensis, Spoletanus, S. Susannæ, & Vicecancellarius. His Pontifex accersitis, Dyetheri scelera, & contumaciã proponit, & quid in tãta rebellione sit agendũ per-

cuncta-

A cunctatur, secreto sub poenæ excõmunicationis indicto. Censent omnes deponendum, cuius tot, tantaq. crimina referrentur, nec opus esse tela iudicij aduersus Dyetherum, qui publice ad futurum concilium appellasset, peierassetq. nec statuto tempore sacris pontificalibus fuisset initiatus: manifesta crimina nõ eger ordinario processu. Adulfum & sua virtute, & progenitorũ claritate Maguntinã moereri ecclesiam. Deponitur è vestigio Dyetherus, Adulfus in eius locũ sufficitur, liberantur vasalli à iuramẽto præstito, iubenturq. nouo electo iusiurandũ fidelitatis exhibere. Fiunt litteræ, ac Ioanni cubiculario summo silentio in Germaniam perferendæ traduntur, qui tanquam aliud acturus Basileam proficiscitur, ac deinde per Rhenum ad constitutam diem Maguntiam nauigat. Adfunt coniurati, & cum eis Ludouicus comes Feldensis ex Baioariæ ducibus, conuocatur capitulum, conueniunt frequentes canonici, & cum his Dyetherus adest. Ibi Adulfus litteras Apostolicas in manu tenens, archiepiscopum Maguntinum sese constitutum à Romano Pontifice declarat, Dyetherumq. depositum, iubetq. litteras legi, ac sibi possessionem Ecclesiæ tradi. Dyetherus rei nouitate attonitus, aliquandiu quid agat incertus: tandem appellare se, inquit, à Pontifice non bene instructo ad eundem bene instruendum. Canonicis parere se cupientissimis animis Pio Põtifici dicunt; Adulfumq. complexantes in episcopali solio collocant, eiq. obedientiam præstant. Exultat vniuersa ciuitas, clerici alter alterum inuitant, eamq. diem esse fatentur, qua tandem sæuæ tyrannidis excusserint iugum. Dyetherus postquam sibi capitulum, & vniuersum aduersari clorum animaduertit, cũ paucis clam urbem egreditur, & ad munitissima quæ sibi parebãt oppida confugit. Quod si Adulfus, quemadmodum facultas fuit, eum interceptisset, & se ipsum, & Maguntinam ecclesiam, atq. omnes circumiacentes regiones, ingentibus (quæ postea secutæ sunt) calamitatibus liberaisset. Non prouident omnes omnia, & ipsa sæpe felicitas hebetat intellectum, Adulfum nimia confidentia decepit, qui tanquam cum capite membra omnia suæ recepisset ecclesiæ, contempsit aduersarium: secutum est deinde bellum, in quo cum superior esset Adulfus, & in dies secundioribus successibus vteretur, Dyetherus per amicos agere de concordia cœpit, cessurumq. Adulfo polliceri, si sibi castella quædam dum viueret, relinquerentur possidenda, ex quibus honeste sustentari posset.

Coa-

Conuenerant vtriusque legati non procul à Maguntia, formulamq. pacis ediderant, quam partes acceptauerunt, & Dyetherus quidem subscripserat, & iureiurando firmauerat. In ea cautum erat archiepiscopatus honorē apud Adulfum remanere, Dyethero redditus aliquos cedere, & oppida quædam in quibus ageret æuū. Sensit ea Palatinus, neq. pacem ecclesiæ Maguntinæ e re sua fore putauit, cum Adulfus marchioni Badensi, & comiti Wirtembergensi suis inimicis est amicus. Missis igitur nuncijs ad Dyetherum, stulte illum agere dixit, qui nobilem ecclesiam, & primam inter Germanos ecclesiasticam dignitatem sponte dimitteret, degeneris esse animi, honores refugere, Isenburgensem familiam, de qua natus esset, sua culpa perpetuo futuram infamem, quæ alioquin inter Germanos, & nobilis, & torneamento digna censeretur. Caueret ne tantā suo generi notam inureret: si hostis per se ferre nequiret impetum, nollet idcirco ignominiosam amplecti pacem, futurum se auxilio, neq. passurum Adulfi partes victoria potiri: percuteret foedus secum, conditiones æquas inuenturū, superaturumq. proculdubio tandē Adulfum. Annuit Dyetherus contēpta iusiurandi religione. Quis enim semel periurus iuramento tenetur, & non iterum atq. iterum perierat? Conuenere simul ambo, Palatinus Dyethero validū promisit exercitum; Dyetherus ei castella quædam munitissima, & magni census, pro quibus armis antea decertauerāt illico tradidit, quæ supra ducenta millia æstimauerunt. Duæ res Palatinum traxere, auaritia scilicet, & inimicitia Badensium, quibus incommodum afferre cupiebat. Tum vero ambitioni suæ morē gerere videbatur, si Maguntinam ecclesiam, cum qua sæpe contenderat, ferro, & igne dilaniatam cerneret.

De comite Palatino, eiusq. progenie, & belli atrocitate inter Maguntinos.

Libet pauca de Palatino referre, quando eius mentio incidit. Pater eius Ludouicus princeps elector fuit, & in Baicarica familia primus apud Theutones, consilio & opibus pollens, in cuius custodia Ioānes vigesimus tertius Romanus Pontifex, cum in Constantiensi concilio fuisset depositus, aliquādiu mansit, ab eo ad successorem Martinum quinque postea transmissus. Huic tres filij fuere: Ludouicus, Federicus, & Robertus: Ludouico, qui primogenitus erat, electoratus cessit, & omnis hæreditas, quæ ad comitatum palatij Rhenensis pertinet, Federico nō magna dominij portio, Tertius Ecclesiæ traditus est, Herbipolēsem præpositurā sortitus. Ludouicus ex domo Sabaudia duxit uxorem

A rem Margaritam, quæ prius Loysio regi Sicilia nupserrat, & illo defuncto ad patrem vidua redierat, iam natu grandis, nec viro iunior ad secundas nuptias migravit, ex quibus natus est Philippus, quo paruulo pater decessit, & matre ad tertias nuptias transeunte in familia Wirtembergensi, accepto viro, tutela eius ad Federicum delata, qui ex tutore pater voluit fieri impuberē, atq. adhuc vix verba formare valentem pupillum sibi filium arrogauit; prouincialibus non tam consentientibus, quàm dissentire timentibus, & vt pupilli tutelam vtiliter gerere videretur, iureiurando se astrinxit uxorem nunquam ducere: sic non patris modo naturalis, sed adoptiui quoq. habiturum hereditatē. Ad virilem ætatem prouectum interea, se qui annos supra triginta natus esset, & prouinciam gubernaturum, & electoratus officio satisfacturum: non stabat iuris auctoritate quod gestū erat, Imperatoris non accedente decreto. Rogatus est Imperator arrogationem confirmare; reiectæ sunt preces tanquam indignæ; Federicus tamen nihilominus pro electore se gessit, nec ceteri electores eum recusauere. Fuerunt qui dicerent, Nicolaū Pontificem quintum adoptioni robur adijcere non abnuisse. Nobis ea res incognita est, quamuis Federici ambitionem plane cognouimus, cuius temeritas an auaritia maior sit, difficile iudicaueris.

C Turpe fuit nepotem ac pupillū suo regno spoliare: turpius vt ampliores obtineret opes celibem vitam promittere. Forsitan dicet aliquis continentem fuisse, ac libidinis expertem; immo vero aliena coniugia inuasit, virginibus vim intulit, & inter scorta versatus, turpissimam egit vitam: in nulla re præterquam in armis gloriam nactus, in quibus & aliquando temeritas viri fortis præbuit opinionem. Hunc cum belli socium Dyetherus accepisset, equatæ sunt propemodum hinc atq. inde vires; tum villæ incensæ, vastati agri, oppida diruta, certamina adeo multa cruenta, & crudelia peracta, cædes passim perpetratæ, multæ captiuitates, raptæ virgines ac nuptæ, nulli ætati venia data, non ecclesijs parsum, non monasterijs; diuina & humana vtrobiq. foedata. Dyetheri pater cum sæpe filium admonuisset, ne Romanam Ecclesiam contemneret, ne Maguntinam laceraret, postquam se frustra conari animaduertit, subito dolore correptus interiit. Vir nobilis, & qui apud Maguntinos archiepiscopos in consilio primum tenuisset locum.

Hæc dum Germanos inter aguntur, apud Francos rex Carolus

Causa belli Gallici, & Anglici.

lus fato fungitur, cui omnes Gallia paruerunt, quibus hodie Franciæ nomen est. Scripturi pleraque digna memoratu, quæ sub hoc rege contigerunt paulo supra ætatem nostram, ordiemur; sic enim clarior fiet historia. Nortmannia prouincia est Gallia ad Oceanum pertingens, hinc Morinis, quos nostra ætas Piccardos appellat, inde Venetis iuncta, quos Britones vocant. Nortmanni idest Boreales homines ab ultimo Septentrione per Oceanum nauigantes, flumen ingressi Lygerim, circumiacentem regionem occupauerunt, eique de suo nomine vocabulum indiderunt. Hanc reges Angliæ per successionem ad se spectare aiebant: Franci suam esse affirmabant. Hæc belli præmium, & causa fuit: Pugnatum est sæpe variante victoria in agro Pictauiensi, cum totis viribus belli fortuna tentaretur, atrocissimam, & cruentissimam pugnam commiserunt, in qua multi proceres ceciderunt, inter quos Ioannes Bohemia rex, qui vel cæcus consanguineo regi supplicium tulerat, cõfossus interiit. Ipse autem rex Francia, item Ioannes nomine captus in Angliam ductus, nec multo post moerore confectus vita excessit, relictis quattuor filiis, quorum senior Carolus eius nominis quintus regno potitus est. Ludouicus secundo genitus Andegauensem ducatum accepit, & deinde regnum Siciliae consecutus, obiit in Italia. Tertius ducatum Bituricensis obtinuit. Quartus Philippus cognomento Audax sine principatu remansit: idcirco dictus Audax, quia capto patre, cedentibus reliquis, nec de prælio fugit, nec capi sustinuit, sed animo præsentis multa uirtute corporis, sua se uirtute saluauit. Carolus paternum bellum profecutus magnis se cladibus inuoluit, cum regnum, & Hispani, & Angli lacerarent; nam rex Nauarra, sumptis armis, portionem non paruam Galliarum inuaserat. Sed intelligens Carolus duos se simul hostes, eosdemque reges ferre non posse, alterum sibi placandum statuit, alterum insequendum, pacem cum rege Nauarra mercatus; Anglicos armis aggressus tota Gallia pepulit, paucis castellis in Nortmania, circa fines Britanniæ, & in Aquitania Burdigala ciuitate, cum nonnullis oppidulis hosti relictis. Victor pace potitus ad reformationem regni se conuertit, castella, & arces, & villas magnifice edificauit, monasteria pulcherrima construxit virorum, ac mulierum, quibus amplissima prædia largitus est. Dirutas urbes instaurauit, & ad pristinum nitorem reduxit. Creuerunt sub eo mirum modum regni opes, & aucta est maiorum gloria. Huic vi-

ta fun-

A ta functo, filius successit Carolus sextus, qui uxorem ex domo Baioaria Isabellam duxit. Alteri filio, qui ducatum Aurelianensem sortitus est, ex filia Vicecomitum Galeatij filia, Philippi soror nupsit. Initio regni huius Frandenfes bellicosi, & audaces populi Morinis contermini, & Oceani accolæ, Ludouicum comitem è regno pepulere: huic plures erant comitatus Arthesij scilicet, Burgundiæ, Niuerniæ Rothel, vnicamque tantum filiam habebat tantæ possessionis hæredem: hanc Philippo Audaci despondet auxorem, auxilia regis aduersus Frandenfes pactus. Rex his nuptijs lætatus, ducatum Burgundiæ patruo donat. Bipartita enim Burgundia est, ducatus regi Francia subest, comitatus Imperio. Congregatur exercitus, & iunctis viribus in Frandenfes itur, qui prælijs aliquot superati pacem petiere, quam cum paulo postea violassent, iterum bello pulsati sunt, & in loco, cui Rosembecca nomen est, summis vtrinque viribus concurrere. Victor regius exercitus, supra triginta millia Frandenfium cecidit, atque ultra procedens, Grandauenfes subigere conatus est. Illi non tam libertatem, quam vitam ponere parati, occurrentes in armis, pugnae copiam fecere. Rex audaciam gentis admiratus, periculosumque ducens cum his manum conferere, qui vitam contempnerent, sistere signa iussit, missoque caduceatore, æquas pacis condiciones obtulit, nec illi clementiam regis contempserunt. Dies placiti apud Tornacum statuta est, vbi auditis controuersijs, pax demum reperta, quæ usque in hanc diem Tornacensis appellatur. Per idem tempus noua lis cum Britonibus orta. Ij sunt Galliarum populi, qui ex insula Britanni olim (vt antea relatum est) pulsati, eas incontinenti terras occupauerunt, quas Veneti prius incoluerant, ex quibus dicta est ciuitas Venetensis. Huius gentis principem regi Francia, tanquam Nortmanniæ duci, subiectum esse Gallici voluerunt, & homagij iure obnoxium. Id Britones negauere, ob quam rem indignatus Carolus, Frandenfi victoria tumens, Britones hostes regni declarat, congregatisque copijs in eos ducit, haud dubius quin gentis proteruiam compescat. Sed cum Cenomanos præterisset, & iam iam ingredi Briatanniam pararet, gloriabundusque patentibus in campis medias per acies obequitaret: Heu fallaces mortalium spes, & inanes hominum cogitatus, morbo, quem vocant maniam, subito corripitur, mutatur in alterum hominem, stulta loquitur, & stultiora tentat, nec recte respondet interrogatus. Quod cum proceres animaduertissent,

magno

magno moerore affecti, omisso belli consilio, regem in Parisios reducunt, vbi grauescente in dies morbo, mens illi prorsus excidit; existimabat nonnunquam se vitreum esse nec tangi patiebatur, virgas ferreas vestimentis inferebat, multisq. modis sese amabat ne cadens frangeretur; habebat tamen dilucida intervala, pudebatq. prioris vitæ ad se reuersum, atq. idcirco solitudinē amabat. Ferunt eum aliquando turrim altissimā ascendisse, in cuius cacumine cum monachum quempiam offendisset, interrogassetque quid ageret, & ille respondisset, turris altitudinē se mirari, iussisse vt deorsum saltaret; sic enim & sublimitatē turris metiretur, & rem memorabilem efficeret: monachum maiora se facturū dixisse si iuberetur, iturum ad radicem turris, atq. inde in sublime saltaturum: Regem noluisse credere nisi iurato, & monachū pro seruanda vita simulasse se iurare. Multa in hūc modum stulti regis acta referuntur. Proceres vbi corruptum eius cerebrum plane intellexerunt, ne regnum sub infano principe rueret, curatore opus esse censuerunt, sed nō tam perniciofa regis dementia, quā procerum contentio, atq. ambitio fuit. Regi tres erant patruī, & moribus & ætate ad regendū idonei, erat & frater Aurelianensium princeps, qui se præferendum, quamuis iuniorem, & inexpertum arbitrabatur. Proceres incerti quem potissimum eligerent, in diuersas trahebantur sententias. Crescebat indies de gubernatione contentio, nec lis erat de paupere regno, nec tam regis curam, quā regias opes querere principes videbantur. Interloquendum cum pertinacius instaret Aurelianensis: Quid tu, inquit, Philippus audax, iam senex ad nepotē, regem vis regere, qui te ipsum nescis regere? Ille veluti cōtumelia tactus, & infania iuuenili accensus, Philippo colaphum incussit, quę res & sibi, & regno fuit exitium; nam quamuis Philippus, vt erat sapiens dum vixit, nepotis scelus pro regni pace reliquit inultum: Ioannes tamen eius filius paternā iniuriā impacato ferens animo, nihil Aurelianensi pacifice loquebatur. Extabant, & alijs de causis simultates, quę mortuo Philippo apertissima odia pepererunt. Accesserat & mulierum malignitas, & cæcus amoris furor, iuuenes ambo, & sine parentum fræno, delicijs afluentes, in amorem nuptæ feminæ ceciderunt, eoq. dementiæ prolapsi sunt, vt quam virum fallere nossent, sibi quisquā fidam putaret, neq. possent riualē ferre, adeoq. atroces inimicitie hinc esarsere, vt alter alterius vitæ insidiaretur: præ-

occupauit

A occupauit facinus Ioannes, ac ficarium in se paratum, maiori pretio conductum, aduersus æmulū conuertit. Sicarius, Aurelianensem è curia, vt mos erat, cum paucis noctu domū redeuntem, mula vectum obruncauit, ac per tenebras euasit incognitus. Latuit aliquandiu scelus, sed cum peracto funere, proceres auctorem tantæ nequitię inquirerent, hærentque coniecturis: Ioannes, in aurem ducis Andegauenfis patruī sui placide insuffrans, in vltionē inquit paternæ iniurię meo iussu necatus est; Aurelianensis obstupuit senex, multisq. verbis nepotem increpitans, qui fratrem regis interfecisset, vt quamprimū abire suasset, nec speraret tantum scelus inultum fore. Ille in Flandriā aufugit, quę patris dotalis fuerat. Regni proceres, nefandi execrati cædem; Aurelianensis interfecti filios, præcipuis honoribus extulere: Ioannē parricidij damnauerunt, & exercitibus in Burgundiam ductis, magnam prouinciæ partem depopulati sunt.

Per idem tempus in agro Leodiensi, qui semigermanicus est, quamuis sermone vtatur Gallico, eoq. corrupto. Coruus in alta rupe sibi nidum construxerat, & oua posuerat, diuq. fouerat. Id conspicatus accipiter, nactus horam, qua coruus abesset, con-

B fractis ouis, nidum occupat: rediens coruus, iniuriam vlcisci pergit: pugnant ambo diu; postremo non tam satiati, quā lassī, velut ex composito certamen relinquunt, & alius in Orientem, alius in Occidentē volat. Postridie in eadem regione; accipitrū, coruorumq. tot per aera turmę volitare visuntur, vt cæli aspectum tanquam nubes auferant. Implentur clangoribus vicinæ valles, & magnus insonat æther. Nec mora, velut à peritissimis ducibus ordinatæ acies, prælium committunt, & ij vnguibus, illi rostro acriter præliantur; nunc hi, nunc illi cedunt vulnera, penas euellunt, & cadentibus plumis impletur regio. Agrestes inuisam antea, inauditamq. rem demirantur, & spectaculo fluentes insolito, iussis stare bobus, & rastris depositis, stupidi atq. attoniti, belli exitum pro aratris manent, haud ignari, quin magni aliquid hoc miraculo portendebatur: victi tamen corui magna occasione, relicto nido abierunt. Paulo post in eodem loco, crudelis pugna commissa est. Duo de pontificio Leodiensi contendebant, & quando scissa erat ecclesia, hinc Gregorio duodecimo, illic Benedicto tertiodecimo, Christi tunicā ad se trahente, nec poterat iuris ordine lis terminari, ad arma ventum est. Ioannes Burgundię dux, vni ex contendenti bus adfuit, alteri Leodienses

De coruorū,
accipitrumq.
pugna formi-
carum prælijs
mirabilia.

S opem

opem tulerunt. Conuenere ambo exercitus in eum locum, ex quo pulsus fuerunt: coruis pugnatum est, vi nō minori, quā ira: victoria Burgundis cessit: ex Leodiensibus duo. & triginta millia cæsa: ossa in facello recondita, quod eius rei memoriā continet. Capto Leodio, episcopatus ad victorem peruenit. Non sumus nescij fabulosum videri, quod de prælio auium retulimus. Quis enim tantam illis inesse rationem arbitretur, vt ad certam diem locumq. pugnaturæ conueniant? Verum difficile est egregijs assertoribus fidem non adhibere; nec nostra ex potestate credulitas pendet; nobis inuitis abit, redijtq. fides. Maius narrabimus, quod se vidisse Nicolaus cardinalis sanctæ Cæcilie, cuius auctoritas superiori narrationi astipulabitur. In agro Bononiensi, cū Eugenij copie aduersus rebelles oppidum castra tenerent: formicæ minuscule, siccam, seu pyrum, seu aliam arborem infederant, accessit maiuscularum multitudo, prioresq. loco deiecit, multis morfu peremptis. Viderunt hæc plurimi è castris milites, & cum aliquandiu de prælio horum animalium locuti essent: Ecce formicarum minutarum infinitum agmen, truncum arboris circumuallant, & cateruatim ascendentes non sine disciplina & ordine, tanquam munitionem aliquam oppugnaturæ, in hostes pergunt. Quibus visis maiusculæ superne sese expediunt, & loca occupant opportuniora, ne circumueniri possint. Ascendunt paulatim turmę minorum, & cominus pugnam ineunt. Maiores rostro valentiores, modo has, modo illas trucidant, laniant, conterunt: cadit infinitus numerus, & acruus interemptarum crescit in horas. Verum vbi pes pedi, & rostrum rostro committitur, & confertissimæ miscentur acies, vnamq. maiusculam decem aut viginti minusculæ circumstantes aggrediuntur, crebrisq. lacerant vulneribus, necessario pauciores cedunt, & in fugam versæ, vbi ad summū arboris verticem perueniunt, vsque ad vnam omnes necantur. Hæc non cardinalis modo, sed omnis Ecclesiasticus spectauit exercitus. Auditor pro suo arbitrio de his iudicium faciet: nos apud auctores veri periculum relinquimus. Ioannes autem Leodiensi victoria elatus, exercitum (si vera est fama) centum millium pugnatorum in Parisios duxit, atq. in campo castrametatus est, qui ex Vlmoandini nomē habuit; aduersarios inde ad pugnam prouocans, qui cū essent tantis viribus impares, haud quaquam occurrere præsumpserunt, quamuis latrocinij potius, quā prælijs Burgundum lacerarent, ipse

campos

A campos tenens, & vndiq. insultans, late populatus agros multisq. direptis oppidis in modum triumphantis domum reuertit. Intercessere deinde pax modo, modo bellum: nulla quies diuturna fuit.

Paulo ante id temporis Riccardus rex Anglię reddita Francis pace, & accepta in vxore regis filia, cum nonnulla in Nortmannis oppida restituisset, ab Henrico duce Clocestrię nepote suo in vincula coniectus, & in carcere necatus fuerat: regnum ui vsurpatum, Henrico cessit, quamuis essent mortuo rege propinquiores consanguinei, qui secundum leges præferendi videbantur. Sed quæ vox legibus inter arma? multas metus leges facit, nec parricidam audent à regno repellere, quem tuetur ferum. Ille cum aliquandiu regnasset non incruentus Henricum ex se genitum regni successorem reliquit. Magnus hic vir fuit, animo & ingenio excellenti: qui regno Anglię à patre per parricidium quæsito, Francorum etiam coronam adiungere curauit: cuius propositum, & Francia bellis fessa, & odia procerum adiuuabant. Rupta igitur Riccardi pace, classe admodum magna comparata, regem se Franciæ, & Anglię vocitans, in Nortmanniam descendit; occupatisq. nonnullis oppidis, & vastitate agrorum facta, in Piccardiam penetrauit: sperans Burgundię ducem, qui ceteris Francis esset infensus, in sua castra venturum, atq. iunctis cum eo viribus, facile hostes superatum iri. Continuit se domi Burgundus, neq. adeo suo se regi respondit inimicum esse, vt Anglicis Franciam vastantibus, adiungi comes posset, quamuis regni, & regis hostis declaratus esset. Interea Ioannes dux Aurelianensis, eius qui fuerat interfectus filius, coactis in vnum Francorum viribus, exercitum ferme sexaginta millium pugnatorum contraxit, atq. hosti obuiam perrexit, meditantiq. fugam, & per compendia viarum in Angliam properanti, stulto consilio iter præclusit. Recte admonent, qui fugientibus hostibus argenteum pontem sternendum aiunt: raro fugiendo vincitur: sæpe aditum fugæ non patuisse profuit, cum desperatio virtutem exacuit, vt est illud poeticum: Vna salus victis, nullam sperare salutem. Henricus vbi se vndiq. clausum animaduertit, caduceatorum ad Francos mittit, qui omnia de Gallis occupata restituant, sibi suisque redditum in Angliam impetret. Quem cum Franci superbia elati uacuum remisissent, accersitis ordinum ductoribus, Comperit, inquit, habeo milites, in bello plurimum valere iustitiam, nec tam ope humana, quā Dei brachio parari victoriam: Nos cu-

De rebus Anglię, eorumq. regum, & bellis aduersus Gallos.

Oratio Henrici regis Anglorum ad commilitones, & conflictus Galorum.

pidi gloriæ, & opum auidi, regnum alienum per iniuriam inuasimus. Non tulit diuina pietas iniquum propositum; nosque propemodum in hostium manus dedit: circumuenti vndiq. sumus, nec victoriæ aduersus tantum exercitum, nec spes fugæ relicta est. Illud me reficit, & subleuat, quod ab initio dixi, ex iustitia pendere victoriam, fautoremq. piæ causæ Deum esse: resumite omnes animum, & gaudete mecum. Adest nobis diuina gratia, quæ iniustam causam nostram, reddidit iustam: misimus ad Francos pacem orantes: reddere ablata promisimus, tantum nos incolumes abire sinerent: nolunt pacem, corpora nostra ad eadem petunt, sanguinem nostrum sitiunt: maior est eorum arrogancia, quàm nostra fuit: superat eorum iniquitas, nostram, superbissime responderunt: At superbis resistit Deus: ibi erit victoria, vbi minor est culpa, cras præliū expectate, quantū quisq. animi, ac virium habet, tantum in pugna repræsentet: verū non tam vestris ex manibus, quàm Dei dextera salutem sperate, quæ vt nobis secunda sit; peccata nostra confiteamur, humiliq. corde diuinam misericordiam imploremus. Atq. his dictis fecit ipse primus, quod alios hortabatur, exemplum: regis multitudo secuta. Nec illa nocte aliud quàm de salute animarum in castris Anglorum cogitatum est; omnes tanquam morituri, sequentis diei prælium expectabant. At inultum se casurum nemo sperauit. Longe alia nox, aliæ vigiliæ in Francorū castris fuere: lætari omnes, bibere, gloriari, per nox alea in manibus esse, nunquam tubas, nunquam cornua cessare, proceres alter alterum inuitare; inter vina, & epulas captiuos Anglorum partiri, deque his, tanquam de pecunia iactis ludere talis; ac sortiri. Cum illuxisset, structis hinc & illinc aciebus, primi qui pugnam inciperent, nobiliores delecti proceres, atq. (vt est in Gallis consuetudo) dignioribus, primæ mandatæ acies, sed non tam facile vibratur lancea, quàm talus iacitur, nec tam leui manu cursus equorum regitur, quàm feminarum ducitur corea. Indurati pluribus bellis Anglici, & assueta malo iuuentus, non magno negotio, delicatam Gallorum nobilitatem reijciunt, & ruptis hostiū ordinibus in medias turmas cōglobati feruntur: atq. obuios quosq. prosternunt. Franci vbi primos cedere animaduertērūt, neq. auxilio, neq. consilio suis fuere, simul spe perdita, fugā omnes fecerunt. Victor Anglicus, vsq. ad noctē insecutus hostē, ceden-
do, capiendq. fessus; cum rediisset in castra, longe plures capti-

uos,

A uos, quàm capiētes inuenit. Veritusq. nocturna pericula, seruatis nobilioribus, omnem plebē, & ignota capita iussit interfici. Hostile factum, & inhumanum, non tam cruentum prælium, quàm victoria fuit. In hac pugna Antonius dux Brabantia cecidit, & Eduardus Barrensiū cum duobus fratribus, & proceres ac nobiles multi periere: duces Aurelianensis, Borbonij, & Alenconia, & comites, atq. barones cōplures captiui in Angliā ducti sunt, de quibus Henricus apud suos magnifice triūphauit.

Rebus Francorum in hunc modū afflictis, haud aliud remediū, qui reliqui erant regni proceres, adhiberi posse putauerunt, quàm militum magisterium, ad comitem Armeniaci deferre, ei que belli summam credere. Id officij Gallici Contemstabilem vocant; multa huic cum Burgundis leuia fuerunt prælia, in quibus non aliud nomen inuocatum est, quàm Burgundorum, & Armeniacorum, atq. hinc duæ factiones in Gallia emerferunt, capitalibus odijs inter se decertantes. Per idem tempus Ioannes nondum regi suo conciliatus, cum per amicos porta sibi quædam Pariensis promitteretur, collecto raptim milite, celeri cursu, ad vrbs moenia proficiscitur, & patefacta porta, cum copijs ingreditur. Non multis ante diebus rex eò se receperat, adducto filio infante, quem mandauerat in arce nutrirī. Aurora fuit, cū Burgundi ciuitatem intrarunt, quorum audito tumultu, captaiam vrbe, nobilis quidam eques natione Brito, qui postea Parisiensis præpositus dictus est, posthabitis alijs curis, in arcem ad regis filium properauit, nudumq. lectulo eripiens, quàm celerissime per Bastiliam, & occultas vias vltra Lygerim fluuium transportauit. Quam rem alij Francia salutem, alij malorū omnium quæ postea emerferunt fuisse seminarium tradidere: vrbe capta rex in potestatē Burgundi venit, cuius erat patruelis, pro dignitate honoratus, pro demētia custoditus. Armeniaci, & Grandif-
D prati comites, & regni cancellarius, ac Meldensis episcopus, & alij multi proceres, ac sacerdotes in carcerem coniecti sunt, atq. illic diu macerati. Dein absente Ioanne Armeniacorum exercitus, vt dominum suum liberaret, per arcem ingressus vrbe inuasit, sed inerat validum Burgundi præsidium, quod populo ciuitatis adiunctum, facile Armeniacos repulit. In eo tumultu, trepidante adhuc ciuitate, licitor iudicij cognomēto Capeluca, multis ex plebe concitatis, in carceres impetum fecit, perfractoque ostio, omnes quos supra nominauimus crudeliter obruncauit,

Burgundorū,
& Armeniacorum bella,
crudelitasque
imanissima,
Capoluca, &
luporum voracitas.

nec nobilitati parcens, nec sacerdotio, cunctorum indigna mors A
vifa. Armeniaci tantum comitis necem violatæ religioni impu-
tauerunt, qui paulo ante aureum beati Ludouici feretrum è sa-
crario abstulisset, ac reposuisset argenteum. Adijt sequentibus
diebus, & alios carceres Capeluca, ac non solum criminis reos,
sed pecuniæ quoq. debitores interemit. Ibat hic feroci animo,
tetro vultu, terribili aspectu per urbem, cruentis stipatus satelli-
tibus, & Armeniacorum se hostem dictitans, quorū principem
interfecerant, quemcumq. odio habuit Armeniacum vocitans
iugulauit. Occidebantur oppulenti ciues quocunq. irent, nec di-
uitibus mulieribus parcebatur: non forum, non templum tu-
tum erat, nulli sua domus securum refugium satis præbuit; in-
grediebantur furibundi satellites egregias ciuium ædes, & alta
irrumpebant palatia, cæsisq. dominis, constupratis matronis, su-
pellectilem omnem diripiebant. Quidam viros nobiles ex altis-
simis fenestris præcipitarunt, locatis in via socijs, qui cadētes cu-
spidibus exciperent lancearū. Erat foeda res urbem nobilem, in
qua philosophiæ, & omnium bonarum artium vigerent studia,
latrocinij, cædibus, adulterijs, atq. omni turpitudini patentem
cernere. Nec miserius quicquam illa ciuitate fuit, quæ vnus tor-
toris exposita libidini, nihil sanctum habuit, nihil tutum; cruore C
& turpitudine omnia plena viscebantur, nulla sine luctu domus,
nusquam lætitia: pavor & tremor cuncta possidebat. Ea cum ac-
cepisset Ioannes, misertus ciuitatis de se benemerentis, eò redijt.
Intranti urbem Capeluca, tanquā vnus ex proceribus lateri co-
mes adhesit, atq. vsq. in regiam inter primos adequitauit. Inter-
rogatus dux, cur tantum honoris scelerato impenderet homini:
respondit se nobilem virum putauisse, qui multis stipatus comi-
tibus occurrisset. At vbi certior factus est Capelucam esse, qui
tot præstātes viros interfecisset, atq. urbem nefando cruore sce-
dasset, nihil moratus hominem capi, & ad supplicium rapi iussit.
Qui cum ducebatur ad mortem, quamquā se vrbis liberato-
rem assereret, & auxilium plebis imploraret, nullū reperit adiu-
torem; deditq. suorum flagitiorum meritam poenam. Non ta-
men hoc modo pacata ciuitas est. Restabant supra decem millia
latronum ex plebe foederatorum, qui prædæ cupiditate, & scele-
rum impunitate allekti, Capeluca fuerant comites, potens & ti-
menda multitudo, quæ nec rapinis abstinere, nec eijci, aut capi
facile poterat. Vfus vasframēto Ioannes Armeniacorum manū
in pro-

A in propinquum vrbi castellum aduentasse dicit, seq. illos obfi-
dere velle: parat copias, & ordinato exercitu, iter arripens, prio-
res ire Capeluca satellites iubet, qui nihil fraudis suspicantes,
læti urbem egrediuntur. Ioannes retro portas claudi iubet, nec
redeuntes admitti sinit. Illi vbi delusos se vident ignari quid a-
gant, sine duce, sine pecunia, sine consilio, alij huc, alij illuc dis-
currunt; multi ab hostibus capti, atq. occisi sunt: plures inedia
perierunt, qui per nemora latitantes, etiam bestiarum esca fue-
runt; atq. in hunc modum ciuitas liberata est. Sed quæ pestem
hominum euaserat, ferarum rabie vexari cepit. Lupi qui latro-
num cadauera in siluis deuorassent, vias publicas turmatim ob-
siderent, & ad portas vsq. ciuitatis venientes humana rapere cor-
pora, nec tutum iter cuiquam, nisi armato, & pluribus stipato so-
cijs patere omnes viarum aditus, & omnis per circuitum agros
à lupis obtineri, nulla non die eorum audiri ploratus, qui vel fi-
lios, vel consanguineos ab immanibus feris deuoratos quereren-
tur; fuitq. cum bestijs nō minus atrox, quàm cum viris bellum.
Digna Dei vltio, vt qui cum fratribus conuenire nequissent, fe-
rarum moribus raperentur.

Henricus Anglicus his cognitis, tempus idoneum nactus, ad
C occupandam Franciam cū defunctis nati maioribus regij fan-
guinis iuniores atrocibus inter se odijs concertarent. Rex men-
te excedisset, & plurimi in Anglia proceres capti detinerentur.
Iterum classe parata in Nortmanniam descendit, expositisq. in
terra copijs, non pauca eius regionis oppida occupauit. Quod
intelligentes Delphini gubernatores; hic vnicus regis erat fi-
lius, quem supra seruatum ex captiuitate Parisiensi diximus, nō
aliam saluandi regni viā inuenire posse putauerunt, quàm Bur-
gundo reconciliari: sic enim vnitis viribus potentissimo regi ob-
sisti posse. Per communes igitur amicos cum Ioanne agunt, vt
D constituta die ad Monterianum se conferat, de pace acturum:
nam & Delphinus eò conuenturus sit. Id oppidum ad confluē-
tes Ionam, & Sequanam situm est. Proficiscitur eò plenus fide
Burgundus, nihil doli, nihil insidiarum timens, atq. vt primum
ad conspectum Delphini venit, recognoscens domini sui filium,
eundemq. consanguineum, reuerentiam pro veteri amore fa-
ciens in adorantis modum ad principis genua sese prostrauit.
Tum præpositus Parisiensis, is qui puerum regium trans Lyge-
rim, vt diximus, asportauerat: Aduenisti proditor, inquit, & tuā


tecum aduentavit dies, sanguinem tuum regio sanguini reddes, & proditi regni poenas dabis. Ego te manibus meis Aurelianensis quem occidisti manibus parentabo, atq. accepta bipenni, magnanimum ducem Delphini pedes obsculantē interfecit. Quod scelus non tam triste Francis, quàm lætum Anglicis fuit. Henricus vbi occisum tantum principē audiuit: Hæc, inquit, Burgundi nex mea vita est, hoc mihi nuncium Franciæ regnum affert, & alteram capiti meo coronam imponit: missisq. legatis ad Philippum vnicum Ioannis filium admodū adolecentem: Doleo, inquit, patrem tuum tam crudeliter occisum esse, generosum, & fortem principem in eius sanguine: non Gallia modo, sed omnis Christiana religio læsa est. Tu si vir fueris, & Ioānis filius, haudquaquam paternam mortem inultam sines. Abūde tibi ad vindictam suppetunt facultates, quòd si tuis armis non satis confidis, adsunt mea. Ego tecum in tuo genitore sum læsus: vnus enim sanguis sumus, tecum pariter vlciscar, nec tu sanguinis tui Delphinum putato: nam quo pacto rex demens, & impotens eum genuerit? Abusa viri morbo regina hoc monstrum ex alieno concepit, à quo tuus genitor obruncatus est. Placere Philippo Anglici mandata, nec mora fœdus cum eo percussit, pace cum fatuo rege his legibus composita. Filiam eius Catherinā ante dementiam natam Henricus vxorem ducat, regnumq. viuo rege gubernet, mortuo, Franciæ coronam ferat, Delphinus tanquam ex adulterio genitus, & perduellis, exhæres esto. Ab eo tempore Anglicus, qui se iam pridem Franciæ, atq. Angliæ regem nominauerat, mutato titulo, pro rege Franciæ regni gubernator, & hæres appellatus est, cui non solum Parisij, ac Burgundi, & Nortmanni, sed omnes ferme citra Lygerim habitantes paruerunt, & in Aquitania, Burdegalia cum pluribus oppidis, eius imperium secuta est. Quibus peractis, profluuium ventris, vt aiunt, extinctus, in occidentali monasterio apud Lundonias cū patribus suis conditus est. Vir certe clarus, & inter reges sui temporis facile princeps. Anglia ei obsequentissima fuit, Scotiæ regē captiuum habuit, Francos multis, magnisq. prælijs fudit, eorumq. regem in gubernationē accepit. Subiectis populis ius incorruptū dixit: plumeos lectos Anglicis interdixit. Ferunt animum ei fuisse, si regnū Franciæ totū obtinuisset, vini vsum auferre, omnesq. vineas aratro vertere, nihil tam eneruare hominū vires quàm plumas, & vina potanti. Post eius obitum Carolus quoq. Fran-

ciæ

Aciæ rex, intra semestre tempus moritur. Henrico ex filia Caroli natus filius: item Henricus nomine hæres fuit, quē Anglici sui regni diademate in vrbe Lundoniarum honestatum, in Franciā duxere, & apud Parisios septem annos natum coronauere. Secuti sunt eum qui patri paruerant; accesserunt, & noui, aut armis edomiti, aut metu tracti; gubernationē regis patrius gessit. Cloestriæ dux manu promptus, & consilio validus, qui prioris belli reliquias infectatus, non paucis cladibus Gallos afflixit. Ferunt qui boni rerum existimatores habentur, in his Galliarum tumultibus, plus quàm ducenta hominum millia, ferro, ac fame perijsse. Obsessum est ab Anglicis per hoc tempus Aurelianum, quamuis eius vrbes princeps captiuus in Anglia degeret. Id viri nobiles detestati sunt, tanquam degeneris animi sit eius viri arces oppuguari, cuius corpus in potestate habeas. Aurelianensis postquam suos ciues obsidione premi cognouit, vt se Burgundo traderent ad eos scripsit: cupientibus obtemperare, prohibitus ab Anglico non annuit. Burgundus, atque hinc origo dissensionis inter Philippum, & Anglicos ducta est. Accessit quòd altera Philippi soror duci Cloestriæ nupta, dum hæc agebantur, nō sine opinione sumpti veneni mortē obiit. Crescebant Indies hinc atq. hinc simultates, nō tamen in animū Burgundi cadere potuit, vt ad eos reuerteretur, qui patrē occiderant; nocebat minus solito Francis, & sua custodiēs temperabat ab armis.

Interea desperatis pene Francorū rebus, puella sexdecim annos nata nomine Ioāna, pauperis agricolæ filia, in agro Tullensi cum porcos custodiret, diuino afflata spiritu, sicut res eius gesta demonstrat, relicto grege, ac parentibus posthabitis, ad præfectum proximi oppidi, quod solū eius regionis in fide Francorū remanserat sese confert, ductoresq. petit, qui sibi ad Delphinum iter demonstrent. Quærit præfectus itineris causam: habere se inquit diuina mandata, quæ ad illum perferat, sibi, & regno salutaria. Ridet præfectus, amentemq. putans spernit. Instantem multis prætentat modis; fit mora plurium dierum, si forte mutaret puella propositum, aut in ea aliquid reperiretur indignum. At vbi constans, & immutabilis, nulliusq. conscia turpitudinis inuenta est: Quid scio, inquit præfectus, an hæc Dei voluntas sit? sepe regnum Franciæ diuina seruari præsidia: forsitan & nostris diebus aliquid in cælo, pro nostra salute ordinatum est, quod per feminam patefiat; selectisque tribus spectatæ fidei seruis,

Ioannæ puellæ gesta miraculosa, & supra fidem aduersus Anglos.



seruis, puellam ducendam ad Delphinum commendat. Decem ferme dierum iter faciendum erat, & agros medios, aut hostis tenebat, aut amicus hosti. Transijt cunctas difficultates inoffensa virgo, vestibus induta virilibus, Delphinumq. apud Bituriges morantem adiit, qui fractus animo tot cladibus acceptis, non iam de regno tuendo, sed de loco quærendo, vbi securam vitam securus agere posset, anxius erat. In Hispania regis Castellæ, ac Legionis ea ætate florentes opes habebantur, qui cum Delphino & consanguinitatis, & amicitia vinculo iungebatur: hunc rogare statuerat, vt regni Franciæ curam, & coronam suscipiens, angulum sibi aliquæ terre concederet, in quo tuto latitaret. Tablia meditantem virgo conuenit, & restitutis præfecti litteris audiri petijt. Delphinus rei nouitate permotus, dilusionemq. veritus, Castrensi episcopo confessori suo inter theologos apprime docto, puellam examinandam committit, nobilibusq. matronis seruandam tradit. Interrogata de fide, ea respondit, quæ Christianæ religioni conueniunt: examinata de moribus, pudica, & honestissima reperitur: fit pluribus diebus examen, nihil in ea fictum, nihil dolosum, nihil arte maligna excogitatum inuenitur, in habitu sola difficultas manet. Rogata cur vestes viriles mulieri prohibitas induisset, virginem sese ait, virgini vtrunque habitum conuenire, sibi à Deo mandatum esse vestibus, vt virilibus vteretur, cui & arma essent tractanda virilia. Sic probata rursus in conspectu Delphini reddita: Ego ad te, inquit, veni regum sanguis Dei iussu non meo consilio: Is mandat vt me sequaris, si parueris restituam tibi tuum solium, Remisq. propediem tuo capiti coronam imponam. Delphinus rem difficillimam, quæ promitteretur ait: Remorum ciuitatem, in qua reges coronari solerent, remotissimam esse, & ab hostibus obtineri, nec usquam iter patere tutum; Aurelianum, quæ media ciuitas esset, ab Anglicis obsideri, nec vires Francos habere, quibus miseris obsessis subueniretur, multo minus coronationi nauare operam posse. Nihil his mota virgo: Non vana, inquit, promitto, si Deo credis, & mihi crede: eius nuncia veni, arma tibi ministrabo diuinitus, & inuisibili ferro aperiam iter, parebunt quocumq. ieris populi, & ultra tua signa sequentur nobiles. Nec tu mihi obsidionem Aurelianensem obieceris, hanc ego ante omnia dissoluam, & ciuitatem liberam dabo, tantum mihi hos equites qui te penes adsunt concedito. Res aliquandiu in consilio diuersis sententijs agitata est, alij captam mente puel-

A te puellam, alij dæmonio illusam, alij Spiritu sancto plenam putabant, & ij Bettuliam, atq. alias olim ciuitates per feminas suis se saluatas referebant: regnumq. Franciæ sæpe diuinitus adiutum, nunc quoq. per virginem, quam Deus mitteret, posse defendi, idq. fragili commissum sexui, ne Franci suo more superbientes in sua virtute confidant, nec vesanam puellam quoquomodo putandum, cuius consilia sensu plena essent: vicit hæc sententia, & Aurelianensem prouinciam puellæ crediderunt. Dux femina belli facta est: allata sunt arma: adducti equi: puella ferociter ascendit, & ardens in armis, hastam vibrans saltare, currere, atq. in gyrum se vertere, haud aliter coegit equum, quam de Camilla fabulæ tradunt. Quod cum proceres aduertissent, nemo inuentus est, qui ducatum feminae contempserit. Nobilissimus quisq. assumptis armis percupide sectatus est virginem, quæ paratis omnibus itineri se commisit. Difficillimus per terram ad Aurelianum patebat aditus. Itinera quæq. præcluserat Anglicus, tribusq. vrbs portis, trina obiecerat castra, eaq. fossa, & vallo munierat. Puella haud ignara Lygerim fluuium propter moenia ciuitatis decurrere, naues occulto in loco frumento onerat, atq. cum copijs ingreditur, & obsessis de sua profectioe comonitis, veloci remigio, & rapidi fluminis vsa cursu, prius in conspectu ciuitatis est visa, quam hostes venturam cognouerint. Accurrunt armati Anglici, conscensisq. nauiculis, frustra ingressum virginis remorari conati sunt, multisq. acceptis uulneribus, terga dederunt. Illa urbem ingressa, ac summa ciuium alacritate suscepta, commeatum omnis generis, iam fame pereuntibus importauit. Nec morata sequenti luce castra hostium, quæ portam præcipuam obsidebant, magno furore inuadit, repletisq. fossis, atq. aggere, ac uallo disiecto, Anglos perturbat, ac potita munitionibus, turres, & propugnacula quæ hostes parauerant incidit. Idemq. confirmatis oppidanorum animis, per alias portas egressa in alijs castris efficit. Cum diuisi Anglici pluribus in locis essent, nec castra castris subuenire possent, per hunc modum soluta & penitus deleta est Aurelianensis obsidio, cæsisq. hostibus quicumq. ad eam conuenerant, vt vix cladis nuncius extiterit. Nec huius rei gloria alteri quam puellæ data; quamuis strenuissimi, ac peritissimi bellatores, & qui sæpe ordines duxerant interfuere. Tantam suorum cladem, atq. ignominiam iniquo animo Talbotes tulit inter Anglicos duces fama clarissimus; qui assum-

assumptis quattuor millibus equitum ex omnibus copijs delatorum, in Aurelianum duxit, congressurus puellæ, si ausa esset occurrere, haud dubius quin portas exeuntem, vel caperet, vel occideret; sed lōge aliter euenit. Eductis virgo cohortibus, ut primum hostem conspicata est, sublato ingenti clamore, atq. impetu horribili facto, Anglicorum signa peruadit, inter quos nemo inuentus est, qui consistere, aut vultum ostendere auderet. Subitus omnes metus, atq. horror incessit; qui & si numero superiores essent, pauciores tamen sese fore arbitrabantur; & innumera biles copias puellæ militare putabant. Nec defuere qui pugnare Angelos in parte aduersa existimarent, nullamq. sibi victoriam promitterent, contra Deum præliantibus. Cecidere de manibus nudi enses, scuta, & galeas quisq. proiecit, leuiorem ut se fugam committeret. Talbotis nec hortamenta audita sunt, nec minâ pensitata: facta est foedissima fuga, virgini solum ostensa terga, quæ fugientes infecuta vniuersos, aut coepit, aut interfecit, excepto cum paucis duce; qui postquam suos de fuga irreuocabiles vidit, velocibus equis impetum hostis euasit. Harum rerum fama ad vicinas gentes, & deinde ad remotiores delata, semperque maior itinerando facta, stupore omnium mentes impleuit. Delphinus iam puellæ monitis credens, cuius dicta firmauerat, facta, supplicationes Deo per omnia templa decreuit, & ad suscipiendâ coronam sese accinxit. Nobilitas vniuersi regni miraculosis puellæ operibus auditis, postquam solemnia coronationis apparari didicit, incredibili cupiditate uisendi virginem, tota Gallia assumptis armis accurrit. Atq. intra mensem supra triginta equitum millia, proprijs stipendijs militatura ad Delphinum concessit; qui tantas adesse armatorum copias magis ac magis lætatus, ex Biturigibus, apud quos plerumq. morabatur arrepto itinere; præcedente in armis, & vexillum regium gestante puella, in Remos duxit. Media quæq. oppida in potestate hostium erant, populiq. omnes nouis adacti iuramentis, fidem seruare Anglico, ac Delphinum hostiliter accipere decreuerant. At ubi eum, puellamq. prope adesse cognouerunt (mirabile dictu) nemo contra armatus occurrit, nemo portas clausit, nemo venientibus maledixit. Quocunq. vētum est, effuse obuiam plebes, Delphinum tanquam dominum salutarunt. Certantes inter se quonam pacto suum principem maioribus honoribus afficere possent. Cum prope Remos ad quadraginta ferme stadia peruenisset

Aset exercitus, magnopere in ciuitate trepidatū est. Nihil Anglico tutum videri, nutare optimates, plebis animos res nouæ alligere. Fuerunt inter Anglicos, qui suaderent sacrum oleum, quod rex inungitur, aliō transferendum, ne perdita ciuitate, rite coronari hostis posset. Opinantur Gallici candidam olim columbam è cælo missam, beato Remigio eius vrbs antistiti, liquore olei attulisse, quo reges inungerentur, idq. summa religione custodiunt, neq. imminui putant, quamuis à Clodoueo vsq. in hæc tempora permulti reges illo sint vsi; negantq. verū esse regem, qui hoc oleo non sit delibutus. Ob eam causam cum de transportando liquore, sæpius Anglici consulissent; diuina voluntate præpeditum propositum arbitrantur. Delphinus vrbi propinquus, caduceatores misit, qui ciuitatem tradi iubeant, coronationemq. suam Remensibus annuncient. Illi primarios ciues legāt, qui tempus consultandi petant. Puella legatis nihil responderi iubet, nihil morandum in tempore, quod Deus statuisset cuncta esse gerenda. Paret Delphinus virgini, retentisq. legatis, & præmissis ordinibus equitum celeri cursu ciuitatem perit. Mira res, & apud posteros fide caritura: nullus vel in porta, vel in vrbe reperitur armatus, togati ciues extra moenia occurrunt. Delphinus sine conditionibus, sine pactis, absq. vlla contradictione patentes portas ingreditur, nemo reclamatur, nemo signū indignationis ostendit: diuinū opus cuncti esse fatentur. Franci dū portam vnā ingrediuntur, Anglici altera fugiunt. Pacifica & quieta ciuitas, suū dominum benigne amplectitur, & quæ paulo ante velut hostem aspernebatur, nunc tanquam patrem miro affectu, & summis honoribus excolit. Fit magnus circa Delphinum salutantium concursus, maior circa puellam, quam veluti diuinum aliquod numen intuebantur. Facta sunt hæc die sabbato, in profesto beatæ Mariæ Magdalænæ, & in ipso festo, apud monasteriū sancti Remigij, magna populi frequētia, multis proceribus, ac prælatis circumadstantibus. Delphinus more maiorū sacro inūctus oleo, regni Franciæ diadema suscepit, acclamante multitudine Carolo regi. Id enim nomē Delphino fuit, vitam, ac victoriam. Mansit rex ea in vrbe quattriduo præter consuetudinem. Mos enim Franciæ regibus est, die quæ coronationē sequitur, templū quoddam peregrinando petere, cui sanctus Marchon præsidet, atq. ibi ægrotos curare. Miraculum Galli vulgauerunt, morbū quendam humano in gutture nasci, qui solo regis tactu, & arc-

nis qui-

nis quibusdam curetur verbis: idque post coronationem in hoc templo fieri. Non est peregrinatus statuta die nouus rex. Impedimento fuere Burgundorum legati, qui salutatum venerant, & aliquid ad concordiam afferebant. Quibus auditis, quarta die peregrinatio facta est, in qua de curatione morborum nihil satis compertum habeo, quamuis Gallici omnia illa credant fieri miraculose. Post hæc puella cum nouo rege Laudunum petit, neque restituta reperitur: paruere omnia regi. Idem fecere quæcumque oppida intra Parisios, Laudunumque iacent: populis, ac plebibus vniuersis, summa cum exultatione obuiam effusis. Fuit & spes data regi Parisiorum vrbis capiendæ: sed cum in agros eorum duxisset, nec quisquam occurreret, deceptum se intelligens retro abiit. Puella vero acriori animo assumptis quibusdam cohortibus vsque ad portam excurrit, quæ ducit ad forum porcorum, eamque magno impetu, non sine spe potiunde civitatis incendit, vbi dum fortius quam cautius pugnat, intusque summa vi resistitur, sagitta in incertum missa vulneratur; vt primum sauciatam se animaduertit, è pugna recessit. Comites ab oppugnatione cessarunt, atque hic fauor puellæ minui coepit, quæ inuiolabilis antea credita vulnerari potuisset, neque deinceps nomen eius tam formidabile Anglicis, aut tam venerabile Francis fuit: breui tamen curato vulnere, rursus in castra venit, vbi pro veteri consuetudine arma tractans nihil memorabile fecit. Haud procul ab vrbe rex abierat, expectans si forte mutatis ciuium animis reuocaretur: nihil ex opinione successit. Dux Cloestriæ, qui tum Parisijs præerat, regnumque Anglicis ministrabat, summa diligentia cauit, ne quispiam ciuium ad Carolum exiret. Ipse vero copias educens, castra castris opposuit, quingentis circiter passibus ab hoste distans. Spectarunt sese biduo hostiles exercitus, & quamquam præludia quædam furtaque belli commiserint, nunquam tamen collatis signis congregi præsumpserunt. Exin pene intaeti, incertumque cuius maiori dedecore, abierunt. Anglici Parisios reuertere, Franci Biturgias, receptis denuo in fidem quicumque in medio erant populis, cum alio itinere rediissent. Puella vbi coronatum regem, & in sua sede satis tuto locatum cognouit: quietis impatiens, in hostes rediit, & oppida multa expugnauit armis, multa in deditioem accepit, nonnulla quæ hostes obsidione premebant, celeri subuentione liberauit. Postremo cum Anglici Compendium obsiderent munitissimum oppidum, ac Parisijs infensum,

A sum, cupiens obsessis opem ferre, eo se cum copijs confert: sentiunt hostes aduentum atque insidias venienti parant. Iter ei per vineas faciendum erat, & angustas semitas, quas ingressam & à tergo inuadunt. Pugnatur in arcto loco magna contentione, vbi circumuenta virgo, cum explicare aciem nequiret, nec par esset certamen, nec fugiendi facultas daretur, deditioem facit. Ioannes Lucemburgensis nobili loco natus Lignei comes, qui tum Anglicis militabat, puellam captiuam duxit, & aliquandiu in vna ex suis arcibus asseruauit. Quidam alio modo captam tradunt: Philippum ferunt Burgundiæ ducem aduersus hostem profectum, qui Piccardiam populabantur, apud Auxonam fluuium venationi operam dedisse. Qua re cognita puella, quæ non longe abesset, sperasse incautum intercipere, lectisque sex millibus equitum in venatores irruisse. Philippum præcognito impetu, repente suos in ordine redegeisse, aduenientemque virginem prælio excepisse, in quo Ioannes eam ceperit. Philippum captum ad se duci prohibuisse, cui indecorum videretur etiam vincendo cum femina decertasse: vtcumque sit, captam in bello virginem constat, ac decem millibus aureis venditam Anglicis, Rothomagumque ductam, quo in loco diligenter examinata est, an sortilegijs, an dæmonio vteretur, an quicquam de religione prauè sentiret: nihil inuentum est emendatione dignum, nisi uirile indumentum, quo illa utebatur. Neque hoc ultimo supplicio dignum censuere. Retrusa est in carcere adiecta necis poena, si amplius uiriles vestes indueret. Illa quæ arma tractare didicisset, & exercitio militari gauderet à custodibus pertentata, qui modo sagum militare, modum lorica, modo thoracem, & alias armaturas coram afferebant, incauta uirilibus aliquando, & indumentis, ac armaturis se adornauit, nesciens quia mortem indueret. Credibile est uiuente uirgine, quauis capta, Anglicos se nunquam satis tutos existimauisse, qui tot prælijs ab ea superati fuissent: timuisse fugam ac præstigia, atque idcirco necis causam quæsiuisse. Iudices ubi puellam uiri habitum recepisse cognouerunt, tanquam relapsam igni damnauerunt. Cineres eius ne honori aliquando essent, in Sequanâ fluuium proiecere; sic Ioanna obiit mirabilis, & stupenda virgo, quæ collapsam, ac pene dissipatam Francorum regnum restituit, quæ tot tantaque clades intulit Anglicis. Quæ dux virorum facta inter militum turmas pudicitiam seruauit illæsam, de qua nihil unquam indecorum auditum est; diuinum opus an humanum inuen-

inuentum fuerit difficile affirmauerim. Nonnulli existimant, cum A
Franciæ proceres, prospere succedentibus Anglorum rebus inter
se diffiderent, nec alter alterius ducatum ferre dignaretur, ab ali
quo qui plus sciret, hoc vas framentum excogitatum, vt virgi
nem diuinitus missam assererent, ducatumq. petenti admitte
rent; neq. enim hominem esse, qui Deum ducem recuset: atque
in hunc modum rem bellicam puellæ creditam, & armorum im
perium datum. Illud exploratissimum est, puellam fuisse, cuius
ductu, Aureliani soluta est obsidio, cuius armis omnis terra su
biecta est inter Bituriges, ac Parisios, cuius consilio Remenses in
potestatem recepti sunt, & coronatio apud eos celebrata, cuius
impetu Talbotes fugatus, & eius cæsus est exercitus, cuius au
dacia Parisiensis porta cremata, cuius solertia, atq. industria res
Francorum in tuto repositæ sunt. Digna res quæ memoriæ man
daretur, quamuis apud posteros, plus admirationis sit habitura,
quàm fidei. Carolus & si virginis obitum acerbissime tulit, non
tamen sibi ipsi defuit, multa per se, multa per duces suos, non so
lum aduersus Anglos, verum & aduersus Burgundos prælia gef
sit digna memoratu, quæ fortasse huic operi inferemus.

Progressus
Caroli regis,
Martini Pa
pæ mors, pax
Burgundi cū
Carolo.

Attrita tot calamitatibus Gallia, vasti deserti faciem, non re
gni præferebat: ciuitates habitatoribus vacuæ, ac dirutæ iace
bant, exuste villæ, vastati vbiq. offendebantur agri, nusquã pau
cis iter tutum, si quis latrones euasit, in feras incidit. Martinus
quintus Columnensi ortus familia, Romanæ præsidebat Eccle
siæ, qui tantarum Gallicæ gentis afflictionum misertus, Nicolaum
sanctæ Crucis cardinalem, vitæ sanctimonia, & ingenij dexteritate
clarum, in Galliam misit, de concordia inter reges acturum,
sed restabant adhuc seditionum non parua reliquæ, quæ pacem
omnem excludere. Interea Martinus misso in Germaniam lega
to Iuliano sancti Angeli cardinale, qui Hussitarum populis a fi
de Christiana deuiantibus bellum indiceret, ac Basiliensi concilio
propediem inchoando præsideret, naturæ satisfecit, atq. in basili
ca Lateranensi sepultus est: cardinales Eugenium quartum na
tione Venetum ei suffecerunt: qui Martini legatos in suis pro
uincijs confirmavit. Coepit deinde concilium Basileæ, ad quod
frequentes ex omni orbe Christiano episcopi, & regum lega
ti conuenerunt, & Iulianus in Bohemia profligatus eò se contu
lit. Eugenius conuentum dissoluere primo conatus est, quod vbi
non successit, rogatu principum confirmavit: Nicolaumq. sanctæ
Crucis

A Crucis cardinalem iam rebus infectis ex Francia reuersum, qui
cum Iuliano simul præsideret, illuc transmisit. Exortis deinde
inter concilium & ipsum grauissimis contentionibus, Nicolaus
inde recessit, Florentiæq. morantem Pontificem adiit, à quo se
cundo in Galliam missus est; si forsitan meliores regum animos
inueniret. Aeneas cum eo profectus, vt ante diximus, inde in
Scotiam penetrauit. Conuentus Galliarum & Angliæ princi
pum apud Atrebates indictus est. Philippus Burgundiæ dux cū
coniuge & omni curia eò se transtulit. Conuenere ex Francis,
Borbonij & Alenconij duces, ex Anglicis cardinalis Vinto
niensis & Vintoniæ comes, ex Basilea Cypriorum cardina
lis aduentauit regis frater, quem propter nobilitatem proceres
ad tractatum concordie admiserunt: quamuis secretiora, & quæ
plus ponderis habuere, ad Nicolaum solum deferebantur: aper
te iam descuerant ab Eugenio Basiliensis concilij patres, appel
lationes ab eo recipientes, sacerdotia conferentes, & alia pluri
ma facientes, quæ ad Romanum Pontificem pertinent, & cardina
lis Cyprius, in Atrebato legatum de latere gerens, cuncta exer
cebat auctoritate, concilij quæ sedis Apostolicæ fieri consueuere.
Indigna res visa cardinali sanctæ Crucis, qui & si alijs legatio
nis suæ facultatibus parcissime fuerat usus, tunc totas laxauit
habenas, ne concilij auctoritas dignitatem primæ sedis exclude
ret. Suasit hoc Thomas Sarezaneus insignis theologus, qui po
stea, vt relatū est, summi Apostolatus apicem adeptus, ob me
moriā magistrī sui Nicolaus appellari voluit, eius nomine quin
tus. Populi, vt apertā sedis Apostolicæ auctoritatem viderunt,
relictō Cypriensi legato, omnes fere ad Nicolaum se conuere
re: frequentes ante huius ædes turmæ astabant, ante illius hostiū
solitudo fuit. Ob quas res nihil inter se pacifice duo cardinales
loquebantur, nec iam simulatibus, sed apertis odijs diffidebant.
D Ridicula res, mediatore his opus erat, & pacis arbitro, qui ma
gnos inter reges tractaturi concordiam venerant. Productus est
conuentus diebus pluribus, & vniuersalis cōcordia multis que
sita modis; cum pacis Anglico nullæ conditiones oblatæ place
rent. Nicolaus seorsum inter Philippum & Carolum de con
cordia egit, illumque tandem suo regi conciliauit, & à iure iu
rando, quod Anglico præstiterat, auctoritate primæ sedis absol
uit; satius esse arbitratus, ex duobus regnis alterū saluare, Fran
cis inter se pacatis, quàm perseuerantibus odijs, vtrūq. perde
re, cer-

re, certūq. illi fuit Burgundo & Franco in gratiā redeunte breui Anglicos ex Gallia disturbari posse, illosq. tandē suo regno contentos intra insulā quieturos, aut certe Galliā difficillime vexaturos: nec vana cogitatio, ea enim dies fuit, quæ regnū Franciæ Carolo restituit, adeoq. gloriosum fecit, vt quæ sui prædecessores ante annos supra ducentos amiserant, ipse primus recuperauerit, ac Gallias omnes ad pristinā prope felicitatē reduxerit, tantū illi Nicolaus cardinalis, & Apostolica sedes, placato Burgundo beneficiū cōtulit. Oblitus eius rei Carolus, quamprimū in paterno folio sese confirmatū cognouit, proculq. abiit metus hostiū, aduersus primā sedē superbię cornua erexit; promulgataq. inter subiectos sibi populos pragmatica sanctione, Romani Pontificis iugū, idest Christi obedientiā, & eius vicarij reuerentiā excessit.

De pragmaticæ sanctionis origine, & impietate: & quē admodū sub Pio extincta. Dicere hic cōuenit, quid sibi pragmatica sanctio velit, & quo modo apud Gallos locum sibi vendicauerit. Pragmaticam sanctionem quidam rescriptum principis esse dixerunt: nos melius Sanctionem de causis possumus appellare. Pragma enim Græce, Latine causam sonat: apud Gallos autem pragmatica sanctio, lex quædam de negotijs Ecclesiasticis fuit, episcoporū consensu, & regis edicto firmata: eius origo ex Basiliensi concilio in hunc modum prorupit. Inter patres, qui Basileæ conuenerunt, & Eugenium Pontificem maximum complures viguere discordiæ, quæ multorum malorum in Christiana religione seminarium fuere, & cum supremam apud se auctoritatem esse pars utraque contenderet, altera excommunicauit alteram; vixq. tandem post multos annos, sedente Nicolao quinto in vnionem reuentū est, & in vnis caulis, & sub vno pastore grex Domini conqueiuit: at durante diuisione, & sedente concilio, cū auctoritas quæ quondam episcoporum consueuit esse, non abbatibus tantum, sed præpositis, prioribus, canonicis, simplicibus presbyteris, & vilibus monachis cōmunicaretur, multa illic decreta præter bonum & æquum edita sunt ad eneruandam Romanæ, primæq. sedis eminentiam, sicut in multitudine consueuit, quæ semper inimica principi popularem asserit libertatem. Aderant ex Gallia, Germaniaq. multi inferiores gradus homines Ecclesiastici, qui cū non potuissent culpa sua in Romana curia crescere, eò se contulerant, atq. ingentibus odijs Apostolicā sedem prosequabantur. Aderant & nonnulli episcopi propter scelera suis ciecti sedibus: qui duces plebis in concilio facti condendarum le-

gum

gum auctores fuere, ea suadentes quæ maxime grata multitudi-
ni viderentur, & Romani Pontificis potestatem, dignitatemque
restringerent. Tunc de concilijs per decennia celebrandis statu-
ta lex est, & vniuersali synodo subiectum esse Romanum Præ-
sulem declaratum. In his quæ vel fidem concernerent, vel subla-
tionem schismatis, aut vniuersalis Ecclesiæ reformationem: de
numero, & qualitate cardinalium constitutio edita, sublata an-
nata, prohibita reseruationes beneficiorum, his exceptis, quæ
continentur in corpore iuris: electiones prælatorum, quæ ma-
gna ex parte obsoleuerant, instauratę; confirmationes episcopo-
rum, quæ toto ex orbe ad Romanū Præsulem deferebantur, con-
cessa; metropolitanis, & ipsorum primatibus expectatiuæ gra-
tiæ sublata, appellationes omisso medio reiectę, etiam ad primā
sedem interposita. Atque in his omnibus decretum irritans ap-
positum, si quid aduersus ea conari Pontificem maximum, aut
attendere contingeret. Ediderunt & alia multa, quæ speciem
quamuis præferrent honestatis, plena tamen fuere veneno: si
codicem illorum decretorum legeris, qui permagnus est, pauca
inuenias, quæ non aut primę sedis odio, aut effrænata libertatis
cupiditate constituta videantur. Ea cum accepissent Galliarum
episcopi, Ecclesiam regni sui apud Bituriges conuocauere; & in-
specto decretorum volumine, ea quæ sunt visa sibi vtilia acce-
ptauerunt, alia reiecerunt. Per paucas constitutiones, vt promul-
gata fuerant, in consilio admiserunt, & alias quidem truncaue-
runt, alias extenderunt, tanquam legis condendæ auctoritas a-
pud eos esset. Condiderunt suo ex arbitrio nouum decretorum
codicem, in quo cuncta comprehenderunt, quæ vel Constantię,
vel Basileę in Apostolicę sedis derogationem atque contemptū
sancita fuere. Nec veriti sunt per se ipsos Romano Pontifici le-
gem præscribere, atque cancellos, vltra quos progredi nequeat
statuere. Erat iam sextus ac decimus annus regni Caroli: Incar-
nationis vero Dominicę octauus ac trigesimus supra millesimū
& quadringentesimum, cum prælati Galliarum nonis Iulij per-
actum pragmaticæ sanctionis librum, eidem Carolo approban-
dum obtulerunt: qui tanquam oblitus diuinæ gratiæ, quam per
puellam senserat, & quantis se beneficijs cumulasset Apostolica
sedes; misso cardinali sanctæ Crucis, qui Burgundos sibi conci-
liauit, profanas, & iniquas constitutiones approbavit, & in om-
ni ditione sua seruari mādauit, grauissimis poenis aduersus eos

T 2 statutis

statutis, qui contraferent, decretumq. ipsum regis, & confituta prælatorū pragmaticæ sanctionis nomen obtinere. Ad quā abrogandam plures in Franciam ab Apostolica fede missi legati, dum Eugenius, Nicolaus, Calistusque vixit, nihil profecerunt: quarto & vigesimo demum anno, vt postea dicemus, sub Pio secundo deleta, & extincta est. Ob hanc legem prælati Galliarū, qui se futuros liberos arbitrabantur, in seruitutem maximam redacti, & quasi laicorum mancipia facti, coacti sunt in parlamento Franciæ de singulis causis respondere: beneficia vel regis, vel aliorum principum potentum nobilium arbitrio conferre, minores annis, indoctos, monstruosos, atque incestuosos ad sacerdotia prouehere. Si quos pro malefactis condemnassent, his poenam remittere, excommunicatos absq. satisfactione absoluerunt: nulla censurarum apud eos libera facultas mansit. Si quis Apostolicas litteras in Franciam detulit, quæ pragmaticæ sanctioni aduersarentur, reus exitit mortis. De causis episcopalibus, de metropoliticiis ecclesijs, de matrimonijs, de hæresi in parlamento cognouerunt, adeoq. debacchata est laicorum temeritas in Gallia, vt sacratissimum Christi corpus in pompa, vt sæpe accidit pro veneratione plebium, aut ad ægrotos pro viatico delatum, sub potenti manu regia sistere iuberetur. Episcopi, & prælati reliqui, digniq. veneratū sacerdotes, ad publicas carceres raperentur, Ecclesiastica prædia, bonaq. omnia clericorum leuibus de causis, ex decreto sæcularis iudicis arrestata, paterentur laicis, & multas in hunc modum impietates, sacrilegia, hæreses, & ineptias pragmatica sanctio peperit, quæ ab ingrato rege, aut iussa fuerunt, aut permissa.

Libido Caroli, & Delphini filij gesta.

Sed iam ad ea reuertamur, quæ illi circa regnū obtigerunt. Filius ei vnicus erat ex Mariâ Rhenati Andegauensis sorore, Ludouicus acris ingenij adolescens, cui & Delphinatus Viennensis iure obuenerat, vt est apud reges Fræciæ primogenituræ, propter quod auunculi eius Caroli Andegauensis ingens habebatur apud regē auctoritas; & consiliū eius ceteris præferabatur, nec loquenti sibi quispiā contradicere audebat, qui & regina sorore & nepote regni herede, tumens, atq. insolescens cunctis importabilis videbatur; maxime vero Alēconij, ac Borbonij ducibus, & Bastardo Barboniensi, qui simul coniurantes ei sciendi Caroli vnica viā censent, si Delphinū ei infensum reddant: rex in libidinē pronus, nonis indies connubijs iungebatur, & relicta vxore legitima, alie-

na fo-

Ana foedare matrimonia, & virgines corrumpere non verebatur. Multa erant in palatio scorta regia, magno empta pretio. Carolus amicorum conciliator, non tam sanguinis propinquitate, quàm lenocinijs regis gratiam retinebat. Hunc inimici ad Ludouicum deferunt, matris iniuriā, & auunculi turpitudinē detegunt. Marcescere regem inter meretrices, negligi regnum, cuncta ruere dicunt: audeat iam tandem aliquid factus adolescens, aut Carolū à palatio deturbet, aut abeat ipse à rege; sic futurū, vt eius desiderio concubinae expellantur, & regina sui thalami compos fiat. Accedebant & matris lacrymæ, quæ per singulos dies se spretam, relictamq. lamentabatur, non ignara germanum esse, qui sibi pellices opponeret. Ferunt Delphinū his motum, vnam ex illis nudo infectatum ense occidere voluisse, illāq. necem haud alibi effugere, quàm in regio cubiculo potuisse, atq. hinc primum inter patrem & filium manifestas inimicitias exarsisse: Ludouicum insalutato patre ad Niuernenses secessisse, regemq. raptim comparato exercitu in Alenconium duxisse, & expugnatis non magno negotio plerisque munitioibus, ducē in deditioem accepisse. Exin contra filium profectum, cum ciuitates Niuerniæ Delphinū aduersus patris imperium tueri non auderent, eum vt à se abiret, rogauerunt. Ille in Borboniū se recepit: nec diu post metuens Borbonij dux regis iram, filium patri conciliauit. Quæ res Bastardo eius fratri haud feliciter cessit: qui paulo post captus, & in profluentem demersus violati paterni iuris in filiū poenas dedit. Duo duces in gratiā rediere, vt semper aduersus imbecilles defæuiunt leges. Alenconius cū postea ad Anglicos deficere cogitaret, cōprehensus est, & capitali sententia damnatus. Verū propter sanguinē regium, ex quo prodierat, seruata vita vsque ad mortem regis in carcere contabit. Quod de pellice Delphini gladio infectata diximus, quidam postea gestū tradunt cum ille à rege secundo discessit. Interiecta deinde nū longa mora Rhenatus à regno Siciliae Cathelanorū deiectus armis, filiam suam Margaritā Henrico regi Angliæ in matrimonium collocauit, permittente Carolo rege, qui eo coniugio inducias belli sibi & regno salutares plurium annorum cum Anglicis obtinuit; quibus ab hoste securus, suorum tantum exercituum onere premebatur, quos nec alere poterat, nec tuto dimittere, & necessarium ducebat post tot, tantasq. bellorū clades prouinciā tantisper quiescere. Profectus est igitur ipse cū magna

militum parte, extra regnum in terras imperij, magnoq. metu A
Tullenses, ac Metenses affecit, neq. ab eis recessit nisi muneri-
bus placatus. Episcopo uero Metensi Spinale, insigne oppidum
aduersus iura religionis eripuit: cum alia copiarū parte, in qua
supra triginta equitum millia fuisse traduntur, Delphinum in
Helsatiam misit. Hanc prouinciam prisca Heluetiam vocauerunt,
inter Iuram montem, & amnem Rhenum iacentem: In altiori-
bus tamen partibus ad alpes Italiae protenditur, & à Rheno la-
cum Lemannum, Rhodanumq. procurrit. Olim Gallica regio
fuit, & situ, & lingua, nunc demptis paucis, quos Sabaudenses
appellant, & ad Rhodanum vergunt, & lingua, & moribus Ger-
manica est: qui montana eius incolunt loca. Eluetij olim, nunc
Suizzari appellatur, feroces ut ante diximus populi: inter hos
& Helsatiae ciuitates Austriaci iuris, mortale uigebat odiū, &
bellum ardebat atrox. Basilea ex qua nondū concilij nomen ex-
cesserat, cum Suizzaris arma iunxerat: aduersus quam rogatus
ab Austrialibus Delphinus exercitum duxit, ingentemq. illi vr-
bi, & patribus in ea congregatis metū incussit. Suizzari ex foe-
dere societatis ciuitati quattuor millia militum lectissime iuuentutis
auxilio misere, quos cum Delphinus appropinquare animadu-
uertisset, medium inter Basileam & Suizzaros cum equitatu se-
se opposuit, pugnaq. copiam fecit: nec illi detrectauere certamen,
quamuis loco campestri, & late patenti aduersus numerosa equi-
tū agmina pedites pugnaturos essent: procurrit Suizzarorū acies
prior, atq. hostium tela, & ipsas equitum hastas rapido impul-
sas cursu, clypeorum obiecta testudine reiecit, nec paruam Gallo-
rum edidit stragem. Pugnatum est summis utrinq. viribus: ad ex-
tremum, cum non à fronte solum, sed à tergo, & à lateribus cir-
cumuenti Suizzari premerentur, nec cataphractos equos perfo-
dere possent, aut eorum vim sustinere; nō tam uicti quam uin-
cendo fessi nimis audacis praesumpti facinoris, poenas dedere:
nam paucis fuga dilapsis, obruncati omnes in campo iacuerunt:
rarus tamen inultus interiit. Plures reperti sunt, qui lanceis tran-
fossi, ad obruncandum hostem per ipsas hastas uindictam acci-
pti vulneris petiere. Delphino non tam iucunda, quam necessa-
ria ea victoria fuit, tanto empto cruore, nec Basilienses amplius
infestandos censuit, quorum expugnatio difficilis uidebatur. In
Argentineses duxit, & late populatus agros, diuitem abegit
praedam. Verum excepta Suizzarorū clade, quae vires illorum
valde

A valde attriuit, non tā illis grauis molestusq. fuit, aduersus quos
rogatus intulit arma, quam ipsis rogantibus iniurius, & perni-
ciosus: quorum non opes solum, sed liberi, atq. vxores praeda fue-
runt. Reuersus ad patrem, aduersus Armeniaci comitem duxit
eius filium, quem supra diximus in carcere necatum, quia senti-
re cum Anglicis videretur, & sororem apud illos nuptui tradere
cogitaret; cepit eum Delphinus ex improviso congressus, &
captum duxit ad patrem; cui cum se purgasset, in auito folio re-
stitutus est.

B Circa idem tempus Franciscus quidam non ignobilis eques
genere Aragonensis, notus in armis, & Anglo militans, capto
per furtum oppido Fosorsi, quod in Nortmannia situm, in pote-
state ducis Britanniae fuit, duorum potentissimorum regū Fran-
ciae, atq. Angliae interrumpisse pacem visus est. De qua re dum
inter ipsos vltro citroq. missis legationibus contenditur. Flochet-
tus non paucis equitibus à rege Franciae profectus, quadrigas
oneratas foeno in quo milites armati laterent, per pontem quo
Sequana fluuius iungitur, & Francis praebet in Nortmanniam
iter, edoctos agrestes ducere iubet; atq. in medio pontis ad por-
tam arcis, quae pro custodia loci illic erat erecta sistere: ipse in
C insidijs cum cohortibus signum expectat, quo recepto, cum mili-
tes à foeno dilapsi portam perfregissent, trucidatisq. custodibus
locum inuasissent, repente aduolans, & pontem & arcem in po-
testatem recepit. Qua re cognita nil amplius de violato foe-
dere disceptatum est. Rex Carolus aperte se hostem Anglorum
dicentis, per eundem pontem in Nortmanniam traiecit copias.
Ex altera parte Franciscus Britanniae princeps duxit exercitum
tanquam erepti sibi Fosorsi vlturus iniuriam. Dux Somerseti Nort-
manniam pro rege Angliae cum imperio tenebat. Qui postquam
tantam belli molem in se verti cognouit; Talbotum copiarum
D ducem, cuius supra meminimus rebus gestis insignem, Rotho-
magi apud se esse iubet, sperans eius armis, ac consilio ciuitatem,
cuius nutare animos animaduertent, posse in fide contineri: sed
frustra consilium fuit. Rothomagenses ubi regem appropinqua-
re didicerunt, missis legatis vitae ac rerum suarum pacti salutem
exercitum intra urbem recepturos, & imperata facturos se pro-
miserunt. Quibus in fidem acceptis, Talbotus cum duce, & cete-
ris Anglicis in arcem profugit, cuius oppugnatione coepta in-
teruentu Rhenati Andagauensis, his conditionibus de pace con-

Anglorū in-
felix bellum
aduersus Frā-
cos, & Talbo-
tis virtus, at-
que mors.

uenit, vt Anglici, quæ obtinebant oppidis in omni Nortmannania excederent: Dux & Talbotus cum suis liberi essent. Sed cum præfecti oppidorum non parerent, dux Somerseti dimissis in arce Talboto, & duobus priuignis suis clam nauigauit in Angliam. Arx paulo post dedita est, & priuigni ducis cum Talboto in potestatem Francorum peruenere. Talbotus cum esset clara apud omnes fama, quam non malis artibus, sed robore corporis, & ingenij dexteritate in aperto Marte quæsiuisset, data fide quod aduersus Fracos nullo deinceps in prælio militaret, libere dimissus est: tanta est apud omnes gentes virtutis admiratio: Hic anno Iubilei (vt fama est) Indulgentiæ causa Romam venit. Quidam putant, vt eius promissi quæreret absolutionem, quo erat Gallis obnoxius: nobis ea res incomperta est. illud constat, Talbotum cum in Angliam redisset, iamq. Carolus euicta omni Nortmannia; Burdegalam quoq. armis subegisset, non sine magnis copijs ab Henrico rege in Guasconiam, quæ pars Aquitanie fuit, cum imperio missum, & Burdegalam Claudiani quondam patriam, & alia pleraq. oppida, quæ ab Anglicis descuerant, partim vi, partim voluntaria deditioe recuperasse. Quibus cognitis Carolus euestigio duos exercitus instruxit, & alteri generum suum comitem Clarimontis ducis Borbonij filium præfecit, & cum quindecim millibus pugnatorum, ac totius Gallicæ militiæ robore ad Burdegalam recto itinere contendere iussit. Alterum quem ipse ductauit ex purpuratis suis conscripsit. Stamporum comes paulo post in castra venit, octingentos equites fortissime iuuentutis ex Britannia ducens. Hos Carolus sequi priorem exercitum mandauit: qui cum septem vt aiunt, leucis à Burdegala constitissent, paruū quoddam castellum oppugnare coeperunt, occupata prius turri, & sagittariorum præsidio munita, quæ inter castellum & Burdegalam media fuit. Talbotus vbi cum duobus exercitibus pugnandum esse cognouit, eum prius aggredi statuit, quem minori negotio superari posse arbitratus est. Egressus cum robore sui exercitus ex Burdegala, vesperi ad turrinam, quæ diximus occupatam, peruenit, eaq. primo impetu expugnata sagittarios circiter quinquaginta comprehesos interemit. Exin mane profectus, cum accepisset regium exercitum, fugam parare, veritus ne sibi è manibus præda dilaberetur, iussis alijs sequi cum quingentis galeatis equitibus, & octingentis sagittarijs, propere in hostes aduolans tumultuarium prælium iniit.

Consul-

A Consultauerant inter se hostes retro pedem fugiendo referre: verum pudore propinqui, regis experiri belli fortunam decreuerant. Erant eis tercenta circiter tormenta ænea, quæ curribus aduexerant: ea via, qua Talboto veniendum fuit, opposuerunt: multas præterea machinas hinc atq. inde locauerunt, quibus ignari hostes confici possent. Vt ergo furens Talboti miles itinere, quod vnum petebat in castra hostium nescius machinarum procurrit, dato tormentis igne primo congressu trecenti ferme milites ex Anglicis ictu lapidum periere. Quod vbi Talbotus animaduertit, filium, qui prope aderat egregium adolescentem vt abiret, & ad meliora sese tempora referuaret admonuit. At respondente filio non esse sibi ex eo prælio fugiendum, in quo pater periturus esset. Ego inquit, fili, multis rebus clarissime gestis, nec mori sine gloria, nec fugere sine dedecore possum: te nunc primum militare incipientem, nec fuga infamem, nec mors clarum faciet. Cum filium non tam paterna monita, quam pietas ipsa moueret, cohortatis socijs, vt forti animo pugnam reintegraret, testudine suorum facta in hostes, qui castrorum munitiones nunquam exire præsumperant audacibus inuectus animis, haud paruam illorum stragem edidit. Sed cum hostes partim loco, partim tormentis, ac numero militum longe superiores essent, & iam crus Talboto lapis è tormento missus arrupisset, cæsis maiori ex parte suis, & ipse cum duobus filijs altero legitimo, altero extra matrimonium nato, & vno genero procumbens cecidit. Hic post tot sumptas ex hoste victorias clarissimi viri exitus fuit, quem Britonum potissime constantia, & audacia prostrauit. Burdegala iterum in potestate regis Francorum facta est.

Priusquam ista fierent, Delphinus iterum noua in patrem irapercitus, ab eo discessit: indignationis causam fuisse commemorant, quæ supra diximus, de pellice matri molesta. Agnes quædam cognomento bella non abiecto loco nata, ad curiam regis venit: Isabellam Rhenati coniugem ex prouincia secuta, abeunte domina, inter ancillas Mariæ reginæ remansit non sine infamia vulgati corporis. Hanc rex, cum esset facie pulcherrima, & sermone blando amare occœpir, breuiq. tempore adeo perditæ arsit, vt nec ad horam ea carere posset, in mensa, in cubiculo, in consilio lateri eius semper adhæsit. Si quis aliquando vel confessor, vel alius auctoritate potens, regem de adulterio coarguit; negabat consuetudinem stupri se habere, verum oblectari facietijs, & blan-

Delphini exiliū, & fuga ad ducem Burgundiam, & ducis liberalitas atque vtriusque oratio, & Caroli mors.

& blandimentis feminæ; licere sibi vt ceteris regibus fatuum aliquem penes se habere, cum quo laxandi animi gratia versaretur, nec distare femina, an masculus esset; sibi feminam obtigisse, quæ suis deliramentis multos immisceret iocos, atque his nugis excusari volebat: sed minime illam vt fatuam habuit, cui & optima prædia, & dona multa concessit, atque in palatio post reginam secundo loco honorauit, & duas ex ea substituit filias, quas postea Ludouicus regnum adeptus tanquam sorores complexus est, & mox alteram nuptui tradidit. Agnes igitur (vt plerique tradunt) secundi discidij occasio fuit, quæ vix, vt antediximus, Delphini manus euasit: quidam turpiorem afferunt causam. Iacobus Scotorum rex, qui Carolo esset amicissimus, & Anglis infensissimus, sæpeq. Francorum regno sese commodissimum præbuisset, quattuor filias iam viro maturas, & forma præstantes ad amicum misit viris tradendas, quando per se dare dotem nequiret. Carolus natu maiorem Ludouico tradidit, aliæ alijs nupsere, præter vnã, quæ morbo quodam correpta, blefa, & femimuta effecta est. Sigismundus Austriæ vnã earum duxit. Illud constat, Delphinum postea vxorem odio habuisse, illamq. morbum tificum incidisse, ex quo decessit, siue hæc, siue illa, aut altera causa fuit, Ludouicus in Delphinatum secessit, ibiq. pluribus annis immoratus est, nec reuocatus à patre, redire dignatus: sed illo inconsulto, & vt quidam volunt, spreto, secundum matrimonium contraxit cum Carola ducis Sabaudia filia. Carolus, etsi ægre tulit, Delphini tamē opera dissimulauit, donec Anglis ex Francia pulsus, procul ab hostili metu remansit. At vbi pax alta toto regno parta est, Don Martinum Comitem (ita enim vocauerunt) cum copijs aduersus filium misit, vt illum, occupato Delphinatu, captiuum ad se duceret: cuius aduentum cum Delphinus accepisset, nihil cunctatus, cum paucis fugam arripuit, adeo sibi metuens ac trepidans, vt semper à tergo instare, atque vrgere patris equites existimaret: atque idcirco cum peruenisset ad montes, qui Burgundiam cingunt, reperissetq. summo in cacumine sancti Claudij templum, id quasi Asylum ingressus, non prius egredi ausus est, quam exploratum habuit, nullos adesse in circuitu, qui se quærent. Ioachim copiarum ductorem, qui ad insequendum missus erat, tradunt aliqui, spatium illi fugiendi præbuisse, haud vtile arbitratum regio nocere sanguini: ob quam rem ab eo postea regnum adepto, bene habitus est. Delphinum cum

A cum venisset ad Philippum Burgundia ducem, his vsu verbis fuisse tradunt. Regius sanguis nullius terræ dominus extorris, & exul ad te venio (Burgundorum princeps) iram patris fugio, & inimicorum insidias, qui mihi regis animum abalienarunt; excussus omni argento, Delphinatum exiui: mendicare panem oportet, & longinquas adire prouincias, nisi me recipis, apud alios nusquam tutus ero, nisi incognitus. Non est pater meus qui flecti precibus queat, iugulabor si manus eius incidero: Tu vnus es, qui aduersus eius furorem saluare me potes. Quibus dictis madidos oculos defixit in terram. Philippus vbi filium regis ad se venientem conspiciatus est, pronus in terram cecidit, ac more Gallico suo domino adulatus, in amplexus & oscula venit, atque hoc sermone ægram mentem solatus est. Non es sine terra pulcher consanguinee, cuius est omnis prouincia mihi subiecta: Tu meus dominus es, & mea omnia tua sunt. Pater tuus in me nullum habet imperium, ita in Attrebatensi pace conuenimus: illo mortuo, tua hereditas erit, & me tibi parere oportebit. Cur non hodie futurum amplectar dominum, & non regni heredi paream? Pone metum, regem apud me, non exulem geres: patri nihil in te licebit, in domum tuam venisti: impera me, meosq. omnes, tua iussa capeffere fas est. Sic exceptus Delphinus proprias aedes inhabitauit, & annua quattuor, & viginti millia auri nummum accepit ex publico, & ad venationem, atque alias voluptates idonea loca, præcepto principis facto, vt primum in Burgundia caput Delphinum cuncti venerarentur. Interea Delphinatus à rege receptus est, & omnia Delphini asportata bona: amici eius aut in carcerem coniecti, aut in exilium missi: vxor cum vna tantum tunica, & paucis famulis, & argenteis duodecim tantum poculis, quas vocant Tazias, sequi virum permissa est, ad quem lacerata prorsus, & deformis venit. Rex his cognitis, Burgundo mandauit, filium suum vti ad se remittat. Ille Carolum nihil imperij in se habere respondet: Delphinum, qui sit futurus dominus non posse inuitum remittere, suasurum vt sponte sua ad patrem redeat, futurum sibi voluptati si paruerit, cui patris, & filij discidium nunquam placuerit. Mittuntur vltro citroq. legati, Delphinus iturum se ad patrem pollicetur, si eius inimici ex curia pellantur, cum quibus non posset tuto esse. Rex, qui consilio illorum regeretur, quos Delphinus odio habuit, iniquum filium esse dicit, qui patri vellet præscribere leges, & pro suo arbitrio istos,

aut

aut illos eijcere. In hunc modum res pluribus annis ducta est. A videbaturq. regis animus armis ex Burgundo filium vindicare velle, & sæpe copias ad fines Burgundię transmisit. Nec Burgundus sibi defuit; congregavit & ipse suas copias, & opportunis locis cõstituit, ne qua fieri posset improuisa excursio. Nõ erat Burgundo mens bellũ regi inferre, sed illatũ propulsare. Rex modo volens, modo nolens, nunquam diu in vno proposito fuit: verebatur & Burgundum, & filium; nec satis suis ducibus confidebat, & iam senio frigidus, & inter scorta laguens, nihil magnum audere poterat, quamuis Armeniaci comitem omni priuatum imperio inter Parisios custodiri mandauerit, de cuius incestu cum B sorore commisso supra retulimus. Dedit & auxilia Rhenato Andegauenſi aduersus Ferdinandũ Siciliae regem. Misit legatos ad conuentum Mantuanum, vt præscriptum est: conatus est omnes Italiae potentatus aduersus Pium Pontificẽ armare, nec potuit. Postremo validas armatorũ cohortes aduersus Genuenses transmissit, quæ vt ante diximus funditus deletę fuere. Ipse paulo post patris dementiã imitatus, veneno se periturũ existimans ab omni cibo abstinuit, nec prægustanti filio credidit, qui alter supererat nomine Carolus, annos circiter quindecim natus. Adstantabant amici, & consanguinei, pereuntemq. fame regem cernentes multis precibus vt ederet frustra suadebant: Sic rex inedia maceratus, & morbo quodam, quem illi aiunt in guttore prouenisse, vita excessit: Rex suo æuo & magnus, & memorabilis, cuius in vtramq. partem admirari fortunam licet.

Pietas Pij, & Ludouici coronatio, eiusque eximie virtutis præludia, & extinctio pragmaticæ incepta.

Pius morte regis audita apud Tybur, exequias ei non sine lacrymis duxit. Delphinus in paterno regno ab exilio reuersus summa omnium concordia exceptus est. Inimici nil ausi aduersari: suo pte ingenio exiliũ assumpserunt: vicini reges ac populi frequentes legationes ad eum congratulatum misere. Ex Italia quoq. oratores accesserunt, Veneti, & Mediolanenses, & omnium admiratu digniores Florentini. Pontifex episcopum Atrebatensem legatum misit, qui nouo Regi benediceret, eiq. religionem Christianam commendaret: suaderet pragmaticam sanctionem è regno auferre, & egregium aliquid aduersus Turcas pro Catholica religione parare principium regni eius admiratione dignum. Coronatus est summa pompa & pace, adstante Philippo Burgundię duce, & omni Galliarum nobilitate. Prima eius professio extitit, pragmaticam sanctionem, quam pater induxerat se pro-

A se prorsus eliminare, & Apostolicæ sedi in rebus Ecclesiasticis summum imperium permittere, nec opus monitore Atrebatensi episcopo fuit, id iam pridem facturum se beato Petro Apostolorum principi vouerat, si paternum solium aliquando conscenderet. Venientibus ad eum Parlamenti rectoribus, & sua officia confirmari petentibus, dure respondit, qui vel iustitiam viderent, vel iura ignorarent: Surras, & histriones, & ioculatores ex curia pepulit; purpureas vestes eos tantũ deferre passus, qui certum nobilitatis gradum attigissent: monasterijs, & ecclesijs multa donauit. Carolo Andegauensi veniã dedit, leges plurimas pro regni vtilitate, aut nouas edidit, aut antiquas instaurauit. Quæ cum accepisset comes Don Martinus, de clementia tanti principis sperans, è latebris erumpens, incognitus ad cubiculum regis peruenit, atq. ibi prostratus: Ecce me, inquit, rex peccaui in te dominum meum, da mihi veniam, & noli agere mecum secundum iniquitates meas, sed pro tua magna misericordia, suscipe me in gratiam tuam. Obstupuit rex, viso ante se homine inimicissimo, quẽ statuisset inter primos perdere: moxq. ita fatus est: Sacri penates, & quam tibi de nostra clementia persuasisti opinio, vitam tibi hodie seruant. Abi extra regnum, & amplius conspectui nostro ne te obieceris, nisi pro tuis operibus iudicio statuum: dicenti, iter periculosum, neq. pecunias se habere, quibus in exilium proficisceretur, argentum dedit, & comites, qui tutũ educerent. Hæc laudata contra pleraq. indigna visa sunt tanto principe. Pecunias diligenter conquisiuit, tributa grauiora imposuit, stipendia comminuit, & quibusdam proceribus prorsus ademit. Quæ res multum sibi fauoris detrahit apud eos, qui soliti ex publico viuere, ad priuatam mensam redacti sunt.

Ad Pium (dum ista geruntur in Gallis) oratores ex Cypro Oratorum adulterini regis Cypriorũ explosio, & di-
venere, Episcopus Nicosiensis, & insignis quidam doctor, ab eo missi, qui deturbato vero rege per arma Aegyptiorum Iacobus Luclinianus Ioannis regis filius se se regem constituerat: de rebus Cyprianis alio loco dicemus: nam & Carlota regina paulo post regno pulsa ad Pontificem venit. Pontifex indignos hos oratores censuit, qui tanquam regis nunciij exciperentur: nemo his obuiam iuit, non xenia missa, auditi priuatim, & increpati sunt qui eius legationem acceperint, quem scirent adulterinum esse regem, & inimico principi Christianæ religionis iuratum; multa illi in causa Iacobi sui regis dixere, verum prorsus, & longe men-

ge mendicata. Qui vbi de rebus publicis nihil impetrare poterunt, ad priuata se conuertere, vt saltem aliquas secum afferre litteras possent more Romanæ curiæ obsignatas, quas plebibus ostenderent, & pro sua libidine interpretarentur: sed Pontifex græcanicæ artis non ignarus, eos prorsus vacuos remisit. Quod acceptissimum fuit oratoribus Ludouici Sabaudia ducis, qui præsentés aderant.

Scâderbechij
firmacostans-
que amicitia,
& eius in re-
gnum aduen-
tus, atq. gesta,
græueq. cum
Picinino col-
loquium, &
illius perfidi-
a

Georgius Scanderbechius dum ista geruntur, qui paulo ante non paruum suorum manum suppetias Ferdinando miserat, nō satis amico factum extimans, nisi per se ipsum illi militaret, nouo delectu militum habito ex Albania, quæ olim pars Macedonia fuit in Italiam nauigauit. Inuentisque prioribus copijs, in agrum Tarentini principis ducens, longe lateq. terram populatus est. Equitatus eius leuis armaturæ fuit, equi veloces, & assueti malo in prouincia plana, & late patenti nihil tutum dimisere; nulla tam procul armenta latuere, quæ vnus diei cursu non apprehēderint, aptissima furtis ac rapinis acies, bello inutilis, quod more Italico geritur aduersus enses, ac tela nostra inermis. Præfectus arcis Tranensis per idem tempus occulta cum hostibus consilia inierat, atq. inarrhatus auro defectionē parabat. Quod cum rescisset Georgius Tranum profectus, illum quasi amicum ad se vocat; venientemque capit, & arcem nouis custodibus implet, eoq. modo saluata est magni momenti ciuitas, quæ quamuis postea in hostium potestatem seditione ciuium peruenerit: retenta tamen arce, per capitula pacis iterum Ferdinandi facta est. Cum procul aliquando Iacobus Picininus eius turmas contemplatus esset, misit tubicinem, qui fidem eunti ad se publicam daret: Georgius ad medium circiter spacium cum duobus comitibus profectus, Picininum cum totidem ad se proficisci mandauit, profectumq. multis verbis coarguit, quod aduersus regem de se optime meritum militaret; & cum se diceret Aragonensem, Gallorū signa sequeretur, immemor eorū beneficiorum, quæ sibi, & patri præstitisset Alfonso: Picininus purgare se, quod inuitus à Ferdinando defecerit, fidem sibi non seruatum dicere, Mediolanensem principem multis modis accusare, qui se inter & Ferdinandum dissidium procurauerit. Interloquendum paulatim pedem referre, secumq. auditorem ducere, signūq. suis vt prope accurrerent, atq. illum interciperent, dare. Præsentit Georgius dolos, & interrupto sermone, ad suos celeri

A celeri cursu sese recepit.

Princeps Tarentinus cum sæpe subditorum querelas audisset ante Albanensium ora fugientium, in hunc modum scripsisse fertur. Ioannes Antonius princeps Tarenti Georgio Albano salutem. Decebat te, quem bello clarum fortuna fecerat, hostes, quos aliquando pro Christiana religione propulsandos elegeras, ad internitionem vsq. persequi: & non illis paululum irritatis relicto campo in Italiam aduersus Christianos arma proferre, quæ tibi causa contra me est? quid ego aliquando in te peccavi? quæ vnquā inter nos antea fuerunt iurgia? dispoliasti agros meos, & in meos subditos crudeliter debacchatus es, bellumque prius intulisti, quàm indixisti. Dicis te pugilem fortissimum esse Christianæ religionis, & eam insequeris gentem, quæ iure merito Christianissima vocitatur. Aduersus Francos conuertisti ferrum, quorum est Sicilia regnum: sperasti te forsitan aduersus effeminatos Turcas, aut imbelles Græculos pugnam conferturum, quorum consueueris terga ferire: alios hic viros inuenies, quamuis horribilem tuum aspectum ferunt, nemo tamen faciem tuam fugiet; vltro te laceffet miles noster, nec faciem Albanam timebit Italicus sanguis; nouimus genus vestrum, quasi pecora extimamus Albanos. Pudet tam vilem gentem hostis habere loco; nec tu tibi tantum negotij arrogasses, si potuisses domi manere: fugisti Turcarum impetum, & cum propriam tueri domum nequies, alienam inuadere cogitasti. Deceptus es, nisi pro domo quæris sepulchrum. Vale. Ad hæc responsum in hanc sententiam redditum accepimus, Georgius Albania dominus, Ioanni Antonio principi Tarenti salutem. Nactus cum hoste religionis inducias, nolui amicum meo auxilio fraudari: sæpe mihi Alfonso aduersus Turcas periclitanti suppetias misisti; ingratus fuerim, nisi filio rependerim vices. Illum ego tibi regem fuisse memini; cur non succedit patri apud te filius? Patrem adorasti, & filiū quæris eijcere? Vnde hæc tibi auctoritas? Tuum ne aiunt an Romani Pontificis esse Sicilia reges constituere? Ego Ferdinandum regis filium ab Apostolica sede regem declaratum adiuturus veni aduersus perfidiam tuam, & innumerabiles prodiones procerum regni huius. Dabit poenas temeratae fidei, nec semper impune peierabitis: hæc mihi tecum belli causa, non minus hic mereor, quàm dum Turcis insto: nec tu melior Turca es: sunt enim qui te putant nulli sectæ ad-

Principis Tarentini litteræ ad Scâderbechiū, illiusque viui mordaxq. responsum.

dictum.

dictum. Tu mihi Francos obijcis, & nomina Gallorum, qui-
 bus pro religione magna prælia decertauerint? Nolo de rebus
 antiquis dislerere, quæ fortasse multo minora fuerunt, quam fa-
 ma feruntur: illud constat, ætate nostra frequentes Aragonen-
 sium classes Aegeum percurrisse pelagus, Turcarum vexasse lit-
 tora, multas ex hoste prædas attulisse. Timuit aliquando Tur-
 ca Aragonenses, & Troia in hostium faucibus, vsq. in hanc diem
 Aragonensium armis defenditur. Quid mihi vetera commemo-
 ras, & noua præteris? Mutantur familiarum mores, & arato-
 res ad regnum, reges ad aratrum redeunt: nec virtute diurnio-
 rem nobilitatem inuenias. Non me fugit te olim Gallico generi
 fuisse infensissimum: nam te potissimum adiutore Alfonso Gal-
 los eiecit; nescio quæ noua virtus emerfit, sidus fortasse aliquod
 nouum illuxit, quod inter Gallos demiraris. Despicias deinde gen-
 tem nostram, & quasi pecora ducis Albanos, more tuo contu-
 meliose loqueris, nec nostri generis originem nosse videris: ma-
 iores nostri Epirotæ fuerunt, ex quibus ille Pyrrhus prodijt,
 cuius vix ferre impetum Romani potuerunt, & qui Tarentum
 & alia multa Italiae loca armis occupauit. Non est quod Epi-
 rotis viris fortissimis Tarentinos obijcias madidum genus ho-
 minum, & ad legendos pisciculos natum. Si dixeris Macedoniæ
 partem esse Albaniam, longe nobiliores concedis auos, qui sub
 Alexandro vsq. in Indiam penetrauerunt; gentibus vniuersis, quæ
 occurrerunt, in medio incredibili felicitate prostratis. Ex illis or-
 tum habent hi homines, quos tu pecora vocas: si sumus pecora,
 & non est mutata rerum natura, cur fugitis homines ante pecora?
 Superioribus diebus sæpe factum est periculum Albani an Apu-
 li armenta fuerint: neque ego quempiam adhuc reperi, qui meum
 vultum ferre potuerit, tuorum militum, quam bene armata sint
 terga pulchra didici, thoracem adhuc nullum spectare potui, nec
 faciem cuiuspiam noui, nisi eorum quos in vincula conieci. Nec
 ego tuam quaero domum, quando mihi mea satis est: verum do-
 operam ne tu, qui sæpe vicinos proceres è suis possessionibus præ-
 cipitasti, etiam regem possis eijcere, & quod iniqua mente per-
 suasisti, regnum inuadere; in quo labore si fortasse cadens sepe-
 liar, vt mihi auguraris, præmia tamen feret animus à rectore om-
 nium Deo, si non perfecti, at meditati & pertentati egregij fa-
 cinoris. Vale. Tot ampullosa verba vltro citroq. missa, non si-
 uit Mahumetes Turcarum dominus magni aliquid producere,
 qui

A qui rupto induciarum foedere, crebris excursionibus vexare Al-
 banos coepit, eaq. res Georgium ex Italia quamprimum reuo-
 cavit, ne dum aliena tueretur, perderet sua.

Pius interea ætate iam exacta, inuitatus à Ioanne sancti Six-
 ti cardinali, vt monasterium Sublacense, cuius esset administra-
 tor inuiseret, transmissio apud Tybur Aniene, sinistram eius ripam
 secutus laxandi animi gratia, cum quattuor cardinalibus peræ-
 gre proficiscitur. Primaq. illi nox peracta est in Vicouaro: qui-
 dam Varronis vicum, quidam Vari appellandum censent: op-
 pidum est in alta rupe situm, trianguli formam gerens, duo late-
 ra prærupta tuentur saxa hinc riuo scissa perenni, inde ad Anie-
 nis cursum vsque protensa: tertium latus altissima turris, & arx
 munitissima defendit, & fossa manufacta. Ad sunt vestigia pri-
 scæ nobilitatis magna pars muri ex quadratis ingentis molis la-
 pidibus, quales in antiquis operibus cernimus: iacent statuæ in
 frustra disiectæ, nondum posito artificis ingenio, & columnæ plu-
 res. Franciscus Vrsinus vrbs præfectus nobile sacellum inchoa-
 uit ex marmore candidissimo, adornauitq. statuis egregijs, &
 floribus vt nostra sunt tempora non contemnendis: morte præ-
 uentus non absoluit opus, nec successores inter se armis pro he-

C reditate contententes, manum adhuc extremam apposuere. Pius
 indulgentias loco ascripsit, vt perfici aliquando posset: cubiculum
 ei in ædibus fuit, quæ Anieni supereminet, ex quo gratissimus
 reddebatur aspectus, & simul ex propinquo monte transflumen
 adhuc viridi & frondoso nemore cooperto. Ima circa fluuium lo-
 ca, aut prata fuerunt, aut vineæ; colles vsq. ad medium vitis oc-
 cupauit: cetera glandifera quercus. Ex hoc loco ad sanctum Cle-
 mentem peruentum est, quasi ad passuum duo millia accolæ mira-
 religione colunt, & viri opinione sancti inhabitant eremitæ. Pla-
 na loci est facies: verum retro in Anienem adeo profundæ rupes
 D incumbunt, vt vix pateat in aquam aspectus. Pontifex sacellum
 ingressus, oratione facta, & benedictis eremitis iter profecutus
 nusquam procul ab Aniene recessit. Multa videbantur hinc atque
 inde castella in summis edita iugis, ex quibus viri passim ac mu-
 lieres, senes, pueri, ac puellæ cateruatim descendentes Pontifici
 occurrebant benedictionem excepturi, & alij vinum, alij cibaria
 offerebant. Pontifex apparari sibi in via prandium iussit, quo in
 loco limpidissimus aliquis scaturiret fons; incredibile dictum est,
 quot lucidi in Anienem riuum decurrant, quot scaturiant in vtra-

Secessus Pij
 ex Tybure, &
 multorum lo-
 corum acco-
 modata de-
 scriptio.

que ripa perennes aquæ, verū sub oppido Hauſta tantus aquarum ex viuo ſaxo emergit impetus, quantum molæ quattuor, aut plures requirant pulſu perpetuo agitandæ: fons eſt inter ſaxa quaſi ad aræ magnitudinem patens, non altior homine, in fundo glarea nitens, quæ pluribus in locis pro venarum ſcaturigine, non ſine dolci murmure ſalit: aqua ipſa chryſtallina ad fundum vſque perſpicua, gelida, & dulcis. Super hunc fontem Pontifex cum cardinalibus prænſus eſt, ad potus ſingulos lymphas recentes exhauriens, idem & cardinales fecere. Quibus nõ tanta in vini ſuauitate, quãta in aquæ frigiditate voluptas fuit. Plebs omnis in pratis vltra fontem cibo excepta eſt: quamuis eſſent turbæ multæ, quæ ad viſendum Pontificem ex caſtellis propinquis accurrerant. Peracto prandio agreſtes locorum, vt Pontifici gratificarentur, ingreſſi flumen aduerſus aquæ curſum piſcari cœperunt: Pontifex iuxta ripam (erant enim prata & agri) iter habens, piſcantes intuebatur: illi ad omnem piſcis capturam, ſublato clamore Pontificem ſalutabant, trutaſque ipſas (neque enim alium fere piſcem producit amnis) ad miniſtros Pontificis deferbant: atque ita non ſine ingenti voluptate magnam itineris partem peregit.

Oppidum Sublacenſe, & diui Benedicti aſperrima habitatio, monachorumq. ſanctimonia.

Cum ventum eſſet inter vineas oppidi Sublacenſis, ibi cardinalis occurrit, & paulo poſt ſacerdotiũ monachorumq. pompa. Exceptus eſt Pontifex ſummo populi deſiderio; neq. enim memoria hominum Romanus Pontifex illic alius fuerat. Oppidum eſt multa plebe refertum; rupem domus obſedere, altera ſuper alterã ſitã: in ſummo cacumine arx eſt propemodũ inexpugnabilis, niſi ualle interiecta rupe altior immineret. Anio magnam oppidi partem ambit: ex oppido ad monaſterium Sublacenſe eſt uia duorum milliarium per abruptas petras, & difficiles aditus, quos facile liceat hoſti præcludere: ubi ad monaſterium uentũ eſt, ibi tantum in plano ſpatij repertum, quantum ad Eccleſiã clauſtrum, & officinas cœnobio neceſſarias conſtruedas opus fuit: quæ omnia magno ſumptu conſtruxere priores. Hic Pontifex cum vineã nouam magna ui ferri in ſaxo plantatam uidiſſet, rubentibus uuis uberem, undique muro ſeptã, & oliueto cinctam uirenti, & in medio torcular, ac domum ad habitandum candidã, perconctatus quis noui operis auctor eſſet: reſponſum accepit; Episcopum quendam Siluenſem, hominem Hiſpanum, ex Luſitania natum, eccleſiaſticarum pomparum tædio,

A tædio, & mundialis curæ odio fatigatum, Eccleſiæ ſuæ renuntiaſe: reſeruataq. ſibi annua penſione, ex qua poſſet honeſte vitã traducere, huc profectum inter fratres non mutato habitu degere, diuinis officijs intereſſe, celebrare quãdo ſibi ex animo detur: præter libertatem & veſtem nihil à monacho diſtare; ab hoc domum & vineam conſtructam, cuius magna ſint prouentura monachis emolumẽta. Pontifex ad ſe episcopum vocauit, & cognita cauſa renuntiationis Eccleſiæ, ac delectę ſolitudinis, propoſitum laudauit, qui nouerit pro cæleſtibus terrena commutare: ille paulo poſt ex hac vita deceſſit. Beatus profecto, ſi (vt B credibile eſt) verus fuit mundi contemptus, & ſpreta noſtri ſæculi dignitate, quæſita eſt maior. Pars monachorum in hoc monaſterio, quod Sublacenſe diximus appellari, dies ac noctes gratiſſimas Deo laudes canit; Pars in altero, quod ſpecus vocitant, ad quod mille paſſibus aſcenditur, via difficili, & ferro facta, adeoque præcipiti, vt abſque horrore adiri nequeat: hinc profundiffima in Anienem deſcendente rupe, inde altiffimo imminente ſaxo, nec acceſſibilis vlllo pacto, niſi modo ad dexteram, modo ad ſiniſtram varios agens flexus in anguis morem ab imo vſq. ad ſummum ducta, & pleriſq. in locis muro deſenſa fuiſſet: Monaſterium ſub altiffimo ſaxo ædificatum eſt, ita vt magna pars eius vicem tecti gerat, partem exterius conſtruxere ædes: ipſa ſacra & officinæ monachorum multæ intra ſaxum patent. Benedictus magnus ille monachorum pater, & Deo plenus, in quo Nurſia totum quod habuit bonitatis effudit, priuſquam domus aliqua hoc in loco conſtructa eſſet, aut homo quiſpiam habitaret, ſolus in hac eremo pænitentiaſe ſibi locum delegit: procul ab humano cultu nulli cognitus niſi Deo, in duriffimo ſibi lapide lectum ſtrauit: hic ſe vigilijs ac ieiunijs macerauit, hic Deo gratiſſimum præbuit famulatum: ſecuti ſunt eum D diſcipuli, & cœpta eſt habitari ſpelunca, ſicut in altis ſcopulis nidos videmus arundinum in crepidine lapidum; ita eſt hoc monaſterium cernere affixum ſublimi ſaxo, ex quo ſæpe fruſtra concidunt, quæ aut monachos perimunt, aut ædificij ruinam faciunt: multa hic ſancti viri miracula referuntur, & tintinabulum oſtenditur, quo diabolus illuſiſſe bonis operibus conatus eſt: monachi circiter viginti hic degunt, (vt par eſt credere) Deo cari, nunquam carnes edũt, vinum multa domãt aqua, ieiunia longa producũt; luxuria eſt duo oua comediffe, oleribus & pane

vescuntur; adsunt & legumina: his epulis mensam onerant, bre-
uissimum tempus cibo datur, nec multo maius somno; reliquū
in oratione consumunt: rem diuinam peragūt summa deuotio-
ne, & psallunt Deo confidenter: maior pars senum est, quorum
plerique inoffensa valetudine ad octuagesimum annum perue-
nere, vultu alacres, & alloquio venerabiles: quorum vnica cura
est, dissolui tandem, & esse cum Christo. Pius cum superius, atq.
inferius in vtroque monasterio rem diuinam coram se celebrari
iussisset, & omnia loca exosculatus esset; quæ fama vulgaret Be-
nedicti corpus tetigisse: spirituales gratias elargitus, quas mona-
chi petiuere, & omniū consciētij abunde saturatis, ad oppidum
pernoctaturus descendit: indeq. die sequenti transmissio per pon-
tem Anienem montem præaltum, ac difficilem superauit, & in
vallem nemorosam descendit, in quam defluentes aque, non in-
uenientes exitum, stagnum quoddam efficiunt, & palustria loca
siluestribus idonea porcis: prope adsunt prata, & vndique colles
altissimis vestiti nemoribus. Hic Pontifici prandium apparatus
est, ad quod cardinalis Theanensis se contulit: Federicus Vrbi-
nas cum exercitu sequebatur aduersus ducem Soræ profectu-
rus, atque ea factururus, quæ iam supra facta descripsimus: neq.
enim ex tempore suo nobis historia texitur: rem gestam trade-
re ex vero conamur, quocumque tandem occurrerint vel anno,
vel mense, nisi hoc diligenter fuerit à nobis notatū: fortasse hoc
laboris alius assumet, vt suis quæque temporibus reddat. Nobis
non tantum ocij fuit. Cardinalis Theanensis facto cum Ponti-
fice prandio, ad exercitum redijt: Pontifex benedicto populo,
qui multus erat in pratis, per asperrimos, ac nemorosos montes
in Campaniā descēdit è regione oppidi Palliani. Nicolaus quin-
tus id oppidū familiæ Comitū eripuit, in penā cōmissi criminis.

Zinazanum,
Cauæ, & ter-
ra tenax ibi
permirabilis.
vrbsq. Præ-
nestina.


Prosper cum fratre vrbis præfecto, & nepotibus occurrit, se
suaq. Pontifici offerens: cum ad locū ventū esset, ex quo licebat
Zinazanū intueri, desiliens equo præfectus, & ante Pontificē ge-
nua flectens: Illa, inquit, domus mea est: palatiū egregiū, & al-
ta tecta demonstrans, quæ Martinus quintus sibi & suis gentili-
bus ædificauit. Oro huc descende Pater, neq. hospitij dedignare:
quod persæpe tuus antecessor inhabitauit, & locum, & dominū
si veneris tua præsentia magnificabit. Inerat Pontifici eius loci
ingēs visendi cupido: de quo multa vel puer audierat, & an Mar-
tini opera sua excederēt anxius erat agnoscere. At cū præfectus
supe-

A superiori anno cuncta Pontificis mandata contempsisset, indi-
gnus visus est, qui tanti hospitis præsentia gloriari posset: ger-
manus eius Adoarus Marforum dux in oppido Cauarū, quos
quidam Gabios esse putant, Pontificem excepit, & summis cu-
mulauit honoribus. hic res miranda visa est, & quæ nulli fidem
factura videatur, nisi cuius oculi testes fuerint. Terra est ante
oppidum argillosa, paruam implens scrobem, in qua siue bacu-
lum, siue gladium impegeris, atque ad morulam dimiseris, nulla
vi possis educere: narrata est historia Pontifici; fabulam puta-
uit, noluit credere, nisi postquam cubicularijs ac medicis ad vi-
B sendum missis, rei periculum factum est. Tonfor Pontificis cum
impactum ferrum nullo ingenio, nulla vi posset extrahere, atto-
nitus relicto gladio ad Pontificem rediens, dicatum dæmoni lo-
cum exclamauit: qui ferrum lignumq. omne immisum in ter-
ræ viscera retineret. Plinium non latuit hoc miraculum: cuius
illa sunt verba: Ad aras mutias in Vehiente, & apud Tuscula-
num, & in silua Ciminea, loca sunt, in quibus in terrā depacta
non extrahuntur. Ex Caueis ad Præneste ventum est antiquū,
& memorabile oppidum, & magnis Romanorum cladibus insi-
gne. Ruinæ hodie sunt antiquæ nobilitatis: lacera hinc atque
C inde palatia iacent, & templorum disiecta frustra, & murorum
quadrati lapides vix credibilis magnitudinis. Agrestes habitant
pauci, quos sola soli retinet vbertas, sub Eugenio melior fuerat,
sed rebellante aduersus Ecclesiam loci tyranno, Patriarcha Ale-
xandrinus natione Cornetanus exercitū vrbi admouit, quam-
uis inexpugnabilis videretur, ardui montis defensa situ, nec pro-
pugnatoribus destituta; victoriam peperit præcisus aqueductus,
qui vnicus vrbi præbebat potum: direpta ciuitas est, atque in-
censa, & omni soluto muro absque habitatore relicta: ecclesiarū
campanæ ad Cornetum delatæ, Stephanus Columnensis sub
D Nicolao quinto muros instaurauit, habitatores reduxit, & arcē
in summo vertice montis ædificauit.

Dimisso Præneste, Pontifex Passaranum circa meridiem ve-
nit: sub oppido largus, & limpidissimus fons emanat, cuius a-
quam eam esse ferunt, quam præfectus arcis ex altissimo puteo
per funes exhaurit: ad hunc fontem Papæ, & cardinalibus in ta-
bernaculis, quæ de ramalibus raptim composita fuerant, coenā
parauere, erat enim ieiunium, pisces è proximis lacubus multi-
tudi satsfecere. Exhinc Tybur reuentum est, atque inde pau-

Reditus in
Tybur, & de-
inde in Urbē.
ac variarum
legationum,
gentiumq. oc-
cursus.

lo post pridie nonas Octobris Romam reditum, ductis in obli-
 dum numero quicunque magis seditiosi videbantur, inter quos
 præcipui fuere Ioannes, Toccus, & Clemens. Redeunti Pon-
 tifici cardinalium ordo obuiam factus est, & Thomas Amoreæ
 Despotus, & legatorum diuersarum gentium, ac regum ingens
 caterua externis moribus, ac vestibus admirabiles. Præcipue ve-
 ro in se omnium conuertit oculos regis Poloniæ legatio, quam
 proceri iuuenes eleganti facie, ac flauis crinibus post tergum ven-
 to dimissis, in veste viridi non pauci præcedebant, altis ac præpin-
 guibus infedentes equis, manu balistas more gentis vno ex late-
 re, & alio gladium, & pharetram ex pelle lybistidis vrsæ sagit-
 tis plenam gestantes, super crines aut leuem pileum viridi colo-
 re pennatum, aut ex floribus ferta tulere, supra humanam spe-
 ciem visa iuuenum forma. Qui appropinquante Pontifice ab
 equis desilientes proni in terram cum legationis principi-
 bus Saluatoris Vicarium adorauerunt, quem antea
 nunquam viderant. Ipse Urbem ingressus sum-
 mo ciuium fauore exceptus, salutatis in
 Basilica sancti Petri beatis Aposto-
 lis, in palatium Apostolicum
 sese recepit, cum non tres
 menses integros
 abfuisset.



COMMEN-

COMMENTARIORVM

P. II. PONT. MAX.

LIBER SEPTIMVS.



B AEC in Italia dum geruntur, apud citeriores Hispanos inter patrem & filium noua suscitantur incendia, quæ sine nostri sæculi nequeunt infamia recitari. Ioannes Alfonso regis Aragonum germanus, cum sine regno degeret, Blancam Nauarrensi reginam duxit uxorem, & dotale regnum ea conditione accepit, ut masculo nascenti, cum venisset ad ætatem, cederet. Regnavit pluribus annis, filium ex coniuge Carolum sustulit, & filias duas, quarum alteram comiti Fuxi dedit uxorem, alteram, quæ matris nomen tulit, Henrico regis Castellæ filio copulavit: quam sua culpa (vir enim erat impotens) cum cognoscere non posset, quasi arctam repudiavit, & aliam superduxit ex domo Portugallensi, quam felicioribus auxilijs nuptam, prius ingraudatam, quam corruptam esse dixerunt: fuerunt qui vim feminis in ostio effusi secretos penetrasse panniculos affirmare: quidam ab alio cognitam crediderunt. Henrico iam rege heredem cupiente, qui suus haberetur illa femina peperit. Carolus cum ad virilem ætatem peruenisset, maternum regnum repetijt: negavit pater se dum viueret regni fascibus posse carere, nec ferendum esse sub rege filio priuatam vitam patrem agere. Ventum est ad arma, adeoque crudelibus odijs decertatum, ut alter in alterum infestis hastis procurere non dubitauerit: auertit astantium pietas tantum nefas, & vtriusque ferrum in alienas diuertit acies. Regnum multæ calamitates afflixere, cum pars procerum filio, pars patri auscultaret. Sæpe pax facta est, sæpe bellum innouatum, nunquam diuturna quies. Pampalonia caput regni diu in partibus Caroli fuit: vnde profecti prædabundi milites, vniuersam provinciam vexauerunt. Impotens tandem Carolus, qui patris impetum sustineret. Egredius regnum, vicinorum regum frustra imploravit auxilia. Po-
 stremo

Gesta & inter-
 stina bella Ca-
 thalanorum,
 & patris ad-
 uersus filium.

V 4 stremo

streimo in Italiam venit sub Calisto tertio, & ad Alfonso pa-
 truum Neapolim vsq. profectus est, à quo benigne visus, eos ho-
 nores accepit, qui regis filio deberentur. At cum ille paulo post
 obiisset, in Siciliam nauigauit, vbi per annum, & mēses aliquot
 obseruatus est. Cum Lupus insulā gubernans, & Siculi omnes
 eum in honore haberent, originē ex Siculis ducentem regibus,
 Ioannes interea excepto Neapolitano cuncta fratris regna nul-
 lo resistente ad se traxit. Quibus cognitis inops consilij, & om-
 ni reliqua spe destitutus Carolus, reconciliandam sibi patris gra-
 tiam statuit; & assumptis secum Lupo, ac præstantibus Sicilien-
 sium legatis, quibus intercessoribus vteretur, in Maioricam na-
 uigauit. Interuenerūt & Cathalani oratores, qui patri pro filio
 supplicarent: data est venia seu vera, seu ficta. Carolus ad Bar-
 chinonenses, quasi tutissimum aliquod asylum confugit: duxe-
 rat iam pridem, Blanca mortua, Ioannes alteram vxorem Ioan-
 nam regni Castellæ Admirati filiā, quam ita perditē adamauit,
 vt sine illa vix ad horam viuere posse crederetur, vt sunt in ado-
 lescentulas coniuges deliri senes. Ex hac illi altera soboles ma-
 sculina exorta est, Ferdinandus, cui parentes regnum cuperent.
 Regina vbi priuignum Barchinonæ appulisse didicit, ad eum sa-
 lutatum venit, & quasi filium complexa est ante se natum, atq. C
 vt potuit muliebribus blandimentis deliniuit. Nō multo post ius-
 sit rex curias apud Ilerdam conuenire. Ita enim vocant provin-
 ciarum conuentus. Vocatus est eō Carolus tanquam de regni
 rebus grauioribus cum ceteris proceribus tractaturus. Tum pri-
 mum filius post longam peregrinationem in patris conspectum
 non sine honore, & paternę charitatis ostensione admissus: ve-
 rum breui beniuolentia mansit. Inuentæ sunt (vt amici regis
 dixerunt) litterę, quæ Caroli aduersus patrem nouam rebelli-
 onem indicarent. Quærebatur ex domo Portugallię coniux Ca-
 rolo, annuente patre: ipse vero clam eō sororem Castellæ re-
 gis ducere parabat, vt eo fauore hereditatem vindicare mater-
 nam posset, & patris contra se frenare furorem. Hisce litteris (si-
 ue veræ, siue confictæ fuerunt) inuentis, multa iam nocte Caro-
 lus in suo cubili captus est, & tanquam reus maiestatis, in vnū
 ex castellis extra Cathaloniam missus. Regina illi comes ad mul-
 tum itineris fuit, vt honestior captura videretur. Cathalani reco-
 gnita, indignū facinus à rege patratū dicunt, curias liberar esse
 oportere; regi non licere hominem liberū ex Cathalonia captū,
 in alias

A in alias prouincias mittere: peccatū esse in filio regis, qui sit futu-
 rus heres: cui tandem securitas erit, si non est primogenito regni?
 præstare mori potius, quàm patrias abrogare leges. Conueniūt
 apud Barchinonem frequentes Cathalani, ac septem & viginti
 viros eligunt, quibus summa potestas tradita est prouidendi ne
 quid respublica detrimenti patiatur: ij sexaginta oratores viros
 primarios ad regem legant, qui violatā patriæ iura querantur,
 & Carolum in pristinam libertatem restitui petant; nisi postula-
 ta reportent, bellum indicant. Rex aliquandiu superbam lega-
 tionem suspendit; hinc turpitudinem, inde periculum timens, pu-
 debat subditorum imperio parere: quod nisi facerēt, totam in ar-
 mis, non iam Cathaloniam tantum, sed ipsam quoq. Aragoniā
 aduersus se futuram cernebat, & iam plurimi Aragonenses ad
 Cathalanos defecerant. Victus pudor necessitati locū dedit: de-
 generes animos impotētia reddidit. Leges pacis ex arbitrio Ca-
 thalanorum dictæ in hunc modū fuere. Carolus liber esto, prin-
 cipatumq. Cathalonix pleno iure gubernato, quoad pater vi-
 xerit; eo defuncto cuncta regna obtineto. Ferdināus in partem
 successionis, auri ducenta millia nummum habeto: Ioannes in
 Cathaloniam inuocatus ne ingreditor; si pedem intulerit, per-
 iurus, ac priuatus habetor, atq. impune occiditor. His ita com-
 positis, ac iureiurando firmatis, Carolus Barchinonem reuer-
 sus est, ingenti Cathalanorum exultatione susceptus, tanquam
 de rege, eodemq. patre triumphator: sed non longa ei hæc glo-
 ria fuit, qui paulo post morbo correptus interiit. En vana homi-
 num præfagia: Hunc cum venisset in Italiam affirmabant Ca-
 thalani, & Aragonenses omnium regum, qui sunt in Europa fu-
 turum maximum, cui non Alfonso patri, patriq. regna tantum
 iudicabātur accessura: sed vlterioriq. Hispanię, Legionis, ac Ca-
 stelle hereditario iure ad eum ventura censebant. Henrico ad ge-
 nerandū vt ante diximus impotente, Deo longe aliter placuit.
 Præcessit patrem filius, priusque mortem obiit, quàm vel ma-
 ternum regnum assequi posset. Cathalani magna spe destituti
 fratrem eius Ferdinandum ad se mitti principem, & reginam,
 quæ tutrix esset impuberis: petierunt regē, quem sibi subiratum
 non ignorabant, nulli consilium fuit admittere. Venit regina cū
 filio, & pluribus mensibus apud Barchinonenses commorata, id
 primo studium adhibuit; vt aduentū viri populo suaderet. Quod
 vbi non successit, nunc istum, nunc illum ex primoribus Catha-
 lanorum

lanorum ingentibus promissis ad se traxit, scissionemque non paruum inter primores fecit. Et iam erant qui regem accersendum dicerent: sed vicit obstinatio vulgi, & nonnulli, qui reginam auscultare videbantur, capti, & summo supplicio affecti sunt. Per idem tempus agrestium ingens multitudo, ex quorum censu maior pars Cathalanorum vivebat, in libertatem se vendicavit, vltraque respondere suis dominis cessavit. Id reginæ haud ingratum fuit, existimanti facile Cathalanos eo verberare posse domari, petituos aduersus agrestes auxilium, nec habituros nisi regem in Cathaloniam admitterent. Longe secus euenit: superbiores in dies Cathalani effecti sunt, omnem agrestium rebellionem reginæ imputantes. Erat in ciuitate Ioannes quidam cognomento Caponius homo audax, & dicendi copia vehemens equestris ordinis, qui apud Alfosum aliquando in pretio fuerat: hic suo more per forum atque omnes plateas vociferans, populares aduersus reginam incitare adnitebatur: ob quã rem ab ea comprehensus est, & in carcerem coniectus, atque longo tempore maceratus.

Reginæ fuga, defectio Cathalanorum, obsidio reginæ, eiusque liberatio, & Cathalanorum de sanctitate mendacia.

Crescebat in dies ciuitatis odium aduersus reginam, adeoque processerant hinc, atque inde iniuriæ, vt nec iam vltra regina ciues, nec ciues reginam perferre possent, & illa cum iam sibi timeret educto filio, ad Gerundenses concessit. Exhinc iam non amplius dissimulari rebellio potuit. Cathalani regem, qui per Belagerium in Cathaloniam intrasset, periurum esse dixerunt, ac regno priuatum rupto foedere, quod iurisiurandi religione firmasset. Rex non prius se Cathaloniam ingressum fuisse aiebat, quàm illi aduersus reginam, & filium Ferdinandum rebellassent, licuisse sibi aduersus improbos subditorum ausus, vxori & filio opem ferre. Cathalani subito furore commoti, Ioannem hostem prouinciæ declarant, atque impune occidendum: ciues proceres, episcopos, & cuiusuis generis homines, qui ex Cathalanis ad Ioannem defecissent publice proscribunt, eorumque bona in publicum referunt, si quos comprehendere possunt, obtruncant; famam quoque dispergunt. Carolum paterno veneno interfectum obijisse, eiusque sepulchrũ sepe cum lacrymis adeũtes signa, & prodigia ab eo patrata referunt; alteri visum restitutum, alteri auditum affirmant. Inueniuntur qui se podagra, & qui lepra, & qui hydropisi liberatos aiunt: quidam etiam abscissam sibi linguam reintegratam apud sancti viri sepulchrũ asserunt: tanta est mentis

Atiendi licentia. Concurrunt vndique terra & mari ex longinquis regionibus ægrotantes: frequentatur in dies sepulchrum; & fortasse in tanta multitudine, aliquem fides curat, aut suapte natura morbus desinit: cuncta miraculo cedunt, & omnia efferuntur in maius, & audita pro visis referuntur. Placet figmentum Cathalanis, quasi pro viro sancto aduersus regem arma sumpissent. Cosmas Vicentis episcopus simulandi ac dissimulandi peritus artifex, & infensus regi, qui sibi Sagobricensem abstulisset ecclesiam, epistolam per orbem diulgat, & miracula Caroli, exploratam viri sanctitatẽ affirmat. Afferuntur vndique dona languentum, & cera impletur templum, eoque dementia ventum est, vt iubente Cathalanorum senatu, ad Pium Pontificem pro defuncti canonizatione sit scriptum, Pius quęcunq. in ea re scripta, dictave fuere contempsit, atque irrisit, & ipsa deinde per sese fictio elanguit; Cathalani postquam regem intrasse prouinciã cognouere, coactis ingentibus copijs Gerundam petiuere, & occupata Ciuitate noua, quæ in plano iaceret, & secum sentiret, reginam cum filio in veteri, quæ locum editũ, & munitissimum habet, & à solis sacerdotibus ac Iudejs inhabitatur, obsederunt. Ioannes, qui sepe Castellæ regis auxilia implorasset frustra tandem ad Ludouici florentes opes confugit, qui tum recens patri successerat in Francia, & magno nomine regnare coeperat, atque ab eo suppetias in hunc modum mercatus est: filius comitis Fuxi Ioannis ex sorore nepos Magdalenã Ludouici sororem in vxorem ducito, ac Nauarræ rex esto comitatus Rossilioni, & Ceritanis, & quęcunq. à Pyrenæis iugis in Galliam vergunt ad Ludouicum pertinento: aduersus Cathalanos tot Gallorum copię mittuntur, quæ perdere gentem sufficiant: Nec mora comes Fuxi, & alij duces Ludouici quindecim millia militum in Cathaloniam traduxere, quibus coniunctæ Aragonensium copię, reginam post quadraginta dies, & cum iam carnes equinas edere coepisset, ab obsidione liberauerunt, & aliquot oppida ex potestate hostium ademerunt. Interuenere pleraque certamina, verum non magna, neque admodum cruenta, in quibus Cathalana res semper inferior visa est: in captiuis tamen sequere Gallici, quibus præcidere guttura, sacrificium fuit: creuit animus regi, atque ad ipsa Barchinone suburbana promouit castra, statuitque terra & mari inimicam urbem & quasi regum perniciem obsidere, tandemque victam ferro proscindere.

Barchi-

Legati Barchi-
nonensis ora-
tio ad regem
Castellæ, vr-
bisq. deditio,
ac crudelitas
Gallorum in
Francauilla.

Barchinonenses aduersus duos potentissimos reges se frustra conaturos animaduertentes, nisi externis opibus adiuuētur legatos ad Henricum Castellæ regem properè transmittunt, quorū principem fuisse tradunt Ioannē Caponem, cuius supra meminimus: eius verba in hanc sententiam fuisse didicimus. Salue regum maxime, Cathalani ad tuas opes confugiunt, se suaq. omnia felici coronæ dedentes tuæ. Accipe munus, quod ad te defero tua celsitudine dignum: Barchinonem tibi opulentissimam ac pulcherrimam urbem, & omnem Cathaloniam dono; nec tu alienam prouinciam donari existimes, libera est, & sui iuris Cathaloniam: Ioannes antea rex cum primogenitum filium contraq. ius fasq. coniecisset in vincula, eumq. tandem liberasset, ita cū Cathalanis conuenit, ne deinceps vllō vnquam tempore prouinciam ingrederetur; si pedem inferret, principatu excideret. Intulit; priuatus est. huc accedunt sacræ parentum leges, quæ regno indignum censent: si quis arma externa in regnum adduxerit, En Galli adsunt efferata gens, quæ ferro, & igne grassatur: hanc Ioānes introduxit. Quid dixerim de comitatu Rossilionis Franciscis dato, & à corona nostra direpto. Hæc qui faciunt, & periuri sunt, & regno priuati. Cathaloniam iam rege carens, ad te recurrit, te protectorem, te regem, te dominum vocat. Noli vocantem spernere, digna est amplexu tuo, quæ te petit sponsa: nec tu primus fueris, qui ex Castellæ sanguine regnaueris in Cathaloniam: non adibis terram tuo generi incognitam saepe Castellani reges eius regionis potiti sunt, & multa illic ossa tuorum iacent progenitorum, quæ magnopere timent ne ferro effodiantur Gallico. Audi voces eorum de tumulis clamant: Veni Henrice, veni, libera nos de manu Gallica. O si audires voces populi, qui te desiderat, & nobilitatem prouinciæ cerneret, & quanta est expectatio regni tui; profecto quod offerimus vltro quæreres. Nam quis alio quando regum fuit, qui non extendere regni limites adnixus sit, cum iure potuit? Ego tuo regno magnam hodie accessionem afferero, eamq. iustissimam: neq. hic magnis exercitibus opus est, satis fuerit si te dixeris velle. Dic te Cathaloniam dominum, & salui sumus: vmbra tui nominis nos tuebitur, Gallicus miles diu manere in Cathaloniam nequit, neq. Aragonensis est, qui tecum contendat: quod si prorsus armis opus fuerit, Castellam, virosq. nummos, habet Cathaloniam. His dictis persuasus Henricus legatos Barchinonem misit, qui Cathalanos in sua verba iurantes acciperent.

A acciperent. Misit & aliquas copias in Aragoniam ad Ioannem Differitanum, qui apud Alchanitium, & vicina oppida res Aragonenses perturbauit. Ingressi sunt & equites circiter quingenti Castellanos Barchinonem, fama. facta est, regem ipsum cum maximis exercitibus properare. Quæ cum accepisset Ioannes, haud quaquam tutum existimauit obsidioni Barchinonensium incumbere; quorum esset munitissima ciuitas, & populus ferocissimus, & locus is esset obsidentium, cui facile possent comatus prohiberi. Retrocessit igitur, & ad villam Francam locauit castra. Gallici primo incursum iam imminente nocte, scandere muros, & oppugnare oppidum cœpere. Pugnare amplius non permisere tenebræ: triginta iuuenes, qui saltu in oppidum descenderant, relictī à suis trucidati sunt. Sequenti die summo diluculo Gallicus furor ad moenia procurrat, atq. admotis scalis, summa vi adnixus, oppidum capit. Quærentur triginta viri, qui superiori vespero muros transcenderant, inueniuntur cæforum cadauera: quibus visis nulli deinceps misericordiæ locus fuit: debacchâtes in sanguine Galli, obuios quosq. iugulauere supra trecentos & quinquaginta viros, neq. enim plures eius loci habitatores fuerant, vno impetu necauere: à pueris, ac mulieribus egre temperatum est rogando, obsecrâdo, atq. etiam flendo: rex tandem fragili sexui, & ætati teneriori veniam impetrauit. Iacebāt per vicos & plateas horrenda interremptorū cadauera, & cruore cuncta infecta erant: tetrum spectaculum, & miserabilis loci facies, sine viris relictæ feminae patrios lares omni substantia vacuos vlulando seruauere.

Post hæc aduersus Ioannem Differitanum ductus exercitus, nonnulla eius Castellam ferro ac igne vastauit, Perpinianum nobile oppidum est, magnæ urbis instar populo plenum, & opibus abundans, Cathalanicis iuris, citra Pyrenæum situm, quod in communi gentis rebellionem Barchinonensium consilia secutum, magistratus regios eiecit: aggressumq. arcem oppugnare, adeo valida cinxit obsidione, vt nihil inferri possit: & iam disiectæ turrets & conquassata machinis propugnacula, muriq. multis in locis aperti, inuitare ad irruptionem hostes videbantur, & præsidium quod inerat quingentorum circiter virorum robustissimæ iuuentutis, iam fame cœperat laborare, equina tantū carne, eaq. perparce conuescens. Instare oppidani dies noctesq. muros quate, ignes, ac lapides, & putrida cadauera, resq. foetidissimas ad obfessos

Obsidio Per-
pinianensis,
& subsidium
Gallicum, vr-
bisq. expugna-
tio.

obsessos iacere, admouere, scalas ascendere, properare, *virgere*, pugnam pro moenibus assiduam gerere, pro faucibus integros sufficere, nullam miseris obsessis permittere requiem. Interea Gallica manus à Ludouico missa virorum fortium, cum arce appropinquasset, dato signo, vt se irrumpente obsessi quoque in hostes irrumperent, maximo impetu in oppidanos fertur, vrgentur & à tergo & à fronte Perpinianenses, nec potest vrba militia castrensis faciem sustinere. Exercitatus assiduis prælijs Gallicus miles, quasi cum pecudibus pugnet, stragē edit: fugiunt tandem Perpinianenses multa occisione cæsi: fugientes sequitur hostis; simulq. oppidū ingreditur, nec mora Perpinianenses mandantes, Ludouici magistratus admittunt, & qui iam multis saculis vltra omnium memoriam ad reges Aragonum spectauere, nostra demum ætate Gallici iuris effecti sunt. Dum hæc geruntur, sæpe legati & Ioannis, & Ludouici regum ad Henricum vltioris Hispaniæ regem profecti, & ab illo ad hos missi de concordia tractauere. Postremo induciæ ad tres menses dictæ sunt, & vox facta tris reges apud Baionam conuenturos, cuius veritatem rei exitus declarabit.

Res gestæ in Neapolitano à Ferdinando rege, et eius hostibus: matrimonium contractum cum Antonio Pij nepote, & regis filia, & omnium copiarum numerus.

Inter hæc Ferdinandus ad Iesualdum castra ponit, non parui momenti oppidum Auellini comitis, per quod ex Apulia comitatus ad Nolanos deferebantur, qui alioquin rei frumentariæ penuria premebantur. Picininus vt obsessis opem ferret, cum copijs appropinquauit, nec tamē ausus est hostes inuadere. Oppugnatum summa vi oppidū, tandem concussis moenibus, in deditioem acceptum; præsidium quod inerat, magna ex parte cæsum. Exin paternum, & alia pleraq. eiusdem comitis oppida partim ui, partim deditioem in potestatem regis peruenere. Postremo, & ipse comes, & aliquot alij eiusdem prouinciæ tyranni deditioem fecere. Capiebantur castella in hostiū conspectu, nec illis animus erat periclitantibus subuenire, ne de summa rerum pugnare cogerentur. Picininus in alto monte castra locauerat, Ferdinandus proximos infederat colles facturus pugne copiam, si hostis descenderet. Spectabant se ambo exercitus, & leuibus prælijs alter alterum laceſſebat, prouocabant se inuicem, ac subtili ingenio confundere acies conabantur, si forsitan in errorem percurreret hostis: hinc Sfortiada, inde Bracciani, ante alios equites bellum ciere, lanceas currendo in hostes frangere, ense pugnam incipere. Sic multos duxere dies, nullo insigni commisso certa-

A *so* certamine, cum sibi quisq. timeret; nec fortunam experiri sine magna prærogatiua auderet. Prior tandem Picininus è loco discessit, & longis itineribus ad hyberna profectus est; quibus dispositis, Venusiū occupauit, Horatij patriam fame laborantem. Rex pariter suis per hyberna dispositis, Neapolim redijt; Mariamq. filiam suam Antonio Picolomineo in matrimoniū copulauit, dotis nomine Amalphitano concessio ducatu: qui tamen in casu restituendæ dotis, quoad viueret Antonius, ab eo repeti non posset. Addidit & iustitiæ magistratum, quod inter septem regni officia præcipuum censent. Factæ sunt nuptiæ ingenti multitudinis alacritate, persuadentibus sibi populis nunquam deinceps Romani Pontificis auxilia defutura, cum nepoti Papæ regis filia nupsisset. His & alia ingens accessit lætitia; Vrsus Vrsinus, qui pro Tarentino principe Nolam in Terralaboris Marilianū, & alia pleraq. oppida cum valido præsidio retinebat, procurante archiepiscopo Rauēnate Apostolicæ sedis legato cum omni exercitu sibi credito ad Ferdinandum defecit, & qui alieno nomine Nolam custodiebat, suo retinuit, eius vrbs comes effectus: atq. in hunc modum ad primum & sexagesimum annum iam peractum res bellica in regno Siciliæ ducta est, nutante adhuc belli fortuna, & in annum proximum vtrique parti spem ministrante exercitibus adhuc integris, ac per diuersas prouincias pro rerum necessitate collocatis. In Calabria pro Ferdinando sex equitum turmae duci sancti Marci fuere, Marco Bareſi duæ; comiti Terranouæ vna, Balduino duæ; Colæ Iacobo vna; pro Rhenato marchioni Crotoniati, & comiti Nicaſtrenſi septem; principi Rossani vna; in Aprutio pro rege militauere Matthæus Capuanus, & Ludouicus Maluetius sex turmas habentes; & cum pari exercitu magnus Mareſcallus, & fratres: quibus oppositi fuere Caudo læ cum quinq. cohortibus Franciscus Ortonēſis, & Montorij comes cum duabus. In Terralaboris duci Amalphitano quinque turmae fuere; Iacobo Comiti duæ; Vrso Comiti tres. Erat & in propinquo Federicus Vrbinas duodecim cohortium ductor. Præter has, extraordinarias turmas duxerunt Iacobus Caietanus vnam; comes Grauinæ vnam; Fabritius Lagoniſſæ vnam; Robertus Vrsinus quattuor; comes sancti Seuerini septem; comes sancti Angeli vnam; dux Venusij duas; Barnabos vnam; Ioānes comes quattuor; Sfortianorum vero, quibus præfuit Alexander, viginti fuerunt turmae insigni apparatu & valido militum robore.

His

His oppositę hostiũ acies fuerũt, principis Rossani in Terralabõ
 ris quinque; Sorani ducis duę; Iacobi Picinini quatuordecim;
 principis Tarentini quindecim; ducis Melfię duę; ducis Ioannis
 Rhenati filij duę; Herculis quattuor; Ioãnis Cossæ vna; comitis
 Campibassĩ, & Iacobi Montis agani quinque; comitis Capac-
 ciæ vna. Atq. his armis munitæ partes æstatẽ expectare futurã
 decreuere. Peditũ quoq. par numerus vtramq. partem sequeba-
 tur. Maiora militũ hyberna in Apulis cõstituta sunt, apud quos
 belli pondus expectabatur, quorum pars maior ad Gallos, &
 Tarentinum defecerat. Ad Pium dum ista geruntur, Carlota
 regina Cypri Ludouici Sabaudij ducis vxor profecta est, rebus
 afflictis auxiliũ petens. Scripturi aduentus sui causam, & qui-
 bus honoribus excepta fuerit, haud ab re visum iri arbitramur
 de Cypro insula, & de fortuna regum paulo altius sermonem
 ordiri.

De Cypro.

Cyprus cadentibus rebus Romanis diu sub Imperio Græco-
 rum fuit, qui post Constantinum apud Bizantium regnauere.
 Riccardus Angliæ rex Græcos ex insula deiecit, cum Hierosoly-
 mam classe petens, eo tempestate delatus, portu prohiberetur.
 Indignatus enim arma, quæ in Saracenos parauerat, in Græcos
 vertit, eisq. insulam abstulit, spoliataq. firmo suorum præsidio
 communitam reliquit. Nec diu postea Guidoni Lusiniانو gene-
 re Gallico, qui de Hierosolymitano regno contēdebat eam per-
 misit; Guido ab Anglico acceptam sibi & posteris vsque in hæc
 tempora obtinuit. Post varias successiones regnum ad duos fra-
 tres peruenit, quorum alter nomine Petrus classe instructa cum
 Cathalanis, & Gallicis Alexandriam Aegyptiorũ inuasit, ingres-
 susq. urbem mediam diripuit: & quamuis occurrentibus inume-
 rabilibus Barbarorum copijs fugæ sese commiserit, ingentem ta-
 men prædam, & ditissima spolia reportauit. Nec multo postea
 vt nulla reperitur sancta regni societas, à fratre interfectus est,
 & regnum ad occisorem delatum; cui nec longa quies, neque
 impune parricidium cessit. Cum solemne conuiuiũ instituisset,
 quod annis singulis instruere mos erat dira calamitas obtigit.
 Inuitati Genuensium, ac Venetorum mercatorum iudices, quos
 Bailiuos appellant, magna inter se concertatione de priori con-
 fessu certauere: cumq. rex Venetis propensior videretur, indignati
 Genuenses armis suam dignitatem retinere statuerunt; tectis-
 que sub veste gladijs regiã ingrediuntur. Quod rescientes Vene-
 torum

A torum primores, qui in insula erant, regem adeunt, atq. insidias
 suo capiti paratas dicunt: iuuentutẽ Genuensium ad maturan-
 dum facinus armatam intrasse palatium. Rex missis è vestigio,
 qui rem inquirant, inuentos cum armis Genuenses in sublimem
 palatij locum rapi iubet, atq. ex altissimis fenestris in forũ præ-
 cipitari, statuta militum cohorte, quæ lanceis, ac gladijs cadentes
 exciperet; tantũ maligna potuit accusatio. Reliqui etiam per
 Cyprum commorantes Ligures perquisiti, ac necati sunt, ita vt
 vix vnus ex tanta clade superfuerit, qui rem gestã in patriã re-
 nuntiaret. Accepit tamen dux Genuensiuũ ac senatus paulo post
 B atrocem iniuriã suorum, atq. in vltionẽ erectus, intra quadra-
 ginta dies potentissimam classẽ armavit, & in Cyprum misit:
 cuius aduentus eodẽ fere tempore & auditus, & visus est. Frego-
 sius classi præfectus expositis in terrã copijs, mox Nicosiam pro-
 fectus ægre defensam cepit, atq. vna excursionẽ regem ac regi-
 nam, & vniuersam insulã in potestatem suam redegit; interfe-
 ctisq. nefandi consilij auctoribus ingenti ditatus præda, maiori
 cum gloria, & breuiori tempore quã speraretur, domũ redijt.
 Rex cum coniuge in carcere diu seruatus est, & regina prægnãs
 in captiuitate peperit. Tandem venia data est, & regnũ tributa-
 C rium factum: vrbs nobilissima, & totius insule præcipuũ Empo-
 rium Famagustã vocant, nos Fanum Augusti appellatũ olim
 credimus, de regno recepta Genuensi populo applicata fuit, por-
 tu, ac vectigalibus diues. Puerũ regi natum Ianum appellauere,
 quod in Genua fuisset editus, quam nostra ætas Ianuam vocat.
 Aduersus hunc, cũ patri successisset, in vltionẽ direptæ Alexan-
 driæ, Soldanus Aegypti Melchela validissimã classẽ transmi-
 sit, qua veluti tempestas horrida cuncta corripit; Cyprios oc-
 currere ausos prostravit in campo; Ianum regem captiuũ abdu-
 xit; Nicosiam regni caput diripuit, ecclesias incendit; & omnem
 D ferme populũ rapuit in seruitutem; vacuas vrbes, & insulã pene
 solã reliquit. Rex tandẽ centũ & viginti quinq. millibus aureis
 redẽptus, & tributarius Aegyptiorũ factus, in regnũ redijt. Dum
 insulam Aegyptij spoliarent, & eorũ nauigia paucis custodibus
 seruarentur, in littore nauis Veneta, quæ peregrinos quot annis
 Hierosolymã vehit, voto peracto rediens, huc applicuit, & pau-
 lo post sex Cathalanorũ naues aduentarunt, quarũ patroni Ve-
 neto suaferunt, vt signa deponeret, simulq. classẽ Aegyptiam
 aggredere, futurũ vt opulenta spolia referrent. Paruit Vene-
 tus;

atus; Cathalani inter noctis tenebras mutato consilio dilabuntur. A
 Aegyptij in ortu lucis ad littus redeunt, nauim Venetã solam,
 & sine signo inuentã adoriuntur, ac breui expugnant, iubentq.
 peregrinos, si viuere velint, erectis digitis Christũ negare. Mira
 virtus, nemo repertus est, qui pluris vitã, quã fidem fecerit: ob
 quã rem viri triginta, qui prælio superfuerant, vincti deponun-
 tur in littore, atq. ibi lapidibus cæsi, & obruti vsq. ad vltimũ spi-
 ritum Christo benedixerunt: felix exitus, & optimo cuiq. optan-
 dus: feminas in captiuitatẽ ductas, apud Alexandriam Veneti
 mercatores redemerunt; inter quas vna ex nostratibus fuit Pien-
 tiã nata, vidua & sancta mulier. Ianus per tot aduersã vitam a-
 gens, tandẽ Ioanne filio impubere relicto, mortẽ obiit. Puer in-
 ter feminas educatus, cum virilẽ ætatem attigisset, mulierem se
 magis quã virum ostendit, inter epulas atq. delicias torpens,
 semper sub tutoribus & curatoribus vixit: vxorem tamen duxit
 ex familia Montisferrati, quã in Cyprum aduecta, peractis nu-
 ptijs siue aeris intemperie, siue (vt fama est) veneno mox perijt,
 & comitatus eius pene vniuersus interiit. Nec postea repertus
 est ex occidentalibus regibus, qui suam illi filiã despondere vel-
 let. Itum est ad Græcos, & in Peloponesso quẽsita coniux ex Pa-
 leologorum prosapia Helena nomine ingeniosa & cordata mu-
 lier; verũ Græca instituta perfidia, Latinis inimica sacris, & Ro-
 manã hostis Ecclesiã. Quã vbi consummato matrimonio viri
 recordiã cognouit, non tam reginã, quã regem egit: regnũ ip-
 sa gubernauit: magistratus veteres deposuit, novos instituit: sa-
 cerdotia pro suo arbitrio ordinauit; & eliminato Latinorũ ritu,
 Græcanicũ superinduxit; belli pacisq. leges dixit. Viro satis fuit
 conuiuari, delicijsq. affluere: atq. in hunc modum vniuersã insu-
 la in potestatẽ Græcorum redijt. Potentissima apud reginã eius
 nutrix habebatur; & apud nutricem filius, atq. is rerum domi-
 nus: ipse enim matrem, mater reginam, regina regem regebat.)
 Ioanni ex concubina Iacobus natus est magni spiritus adole-
 scens; ex coniuge, Carlota filia, quã postquã adoleuit, Ioanni
 regis Portugalliẽ patrueli primũ nupsit. Vir eius consensu pro-
 cerum in regnum accersitus est, qui viuente socero rem admini-
 straret: iam enim muliebris regiminis non minus tãdebat popu-
 lum, quã pudebat. Adueniẽti Portugallensi, celebratisq. nu-
 ptijs, cũcta in eius manu posita sunt, forma regiminis correpta;
 diuina & humana reformata negotia, Romanã Ecclesiã ritus
 instau-

A instauratus; reginã ac nutrici adempta potestas. Nutricis filius
 noui principis faciem veritus Famagustam concessit, quo ex lo-
 co matri suasit, si se cum filio saluam vellet, veneno vt Portugal-
 lensẽm extingueret, quo viuo vitã ipse diu seruare nõ posset; nec
 furdo cantata fabula: venefica mulier, consentiente regina (vt
 fama fertur) nobilissimum principem toxico substulit: atque ita
 priores illecebrę, & damnata Helenę imperia rediere. Filius quo-
 que nutricis gloriabũdus ex Famagusta rediens quasi dominus
 & rerum omniũ moderator receptus est; qui Carlotã ludibrio
 habens, multis eam contumelijs affecit. Illa ad fratrem confu-
 giens suas conquesta calamitates, opem petijt. Iacobus nõ tam
 sororis gratia, quã regni sibi parandi, Græculũ cunctis insultan-
 tem sua manu interfecit, coepitq. cum amicis id agere, vt rex
 appellaretur, quod iam pridẽ in animo gesserat: vt primũ enim
 sapere aliquid coepit, videns patrẽ mentis inopem ex matrimo-
 nio virili prole carere, ad regnũ aspirauit; indignũ existimans,
 aut sororem sibi, aut sororis virũ præferri. Quod præfagiens He-
 lena, viro persuaserat, vt filium regni cupidũ, extra matrimoniũ
 natum, Ecclesiã traderet, ac sacris ordinibus initiaret; sic futurũ
 vt regnandi spem poneret. Vacua per id temporis pastoris regi-
 mine ecclesiã Nicosiensis erat, hanc Iacobo spondent; postula-
 riq. præsulem curant, atq. in possessionem deducunt: quod Ro-
 mana Ecclesiã nunquã ratum habuit. Sed post Græculi cãdẽ,
 regina & nutrix aduersus Iacobum insurgentes, eum vrbe regia
 pepulerunt. Ille apud iudicem Venetorum aliquandiu latitans,
 tandem apparato nauigio concessit in Rhodum: quo in loco nõ
 sine honore habitus est. Interim Carlota suasu matris, ac proce-
 rum Ludouico Sabaudia ducis filio nubit, eumq. quã celerrime
 ad se proficisci hortatur. Medio tempore Iacobus spe regni
 amissa, per amicos apud Nicolaũ Pontificem maximũ instat, vt
 D ecclesiã Nicosiensi præficiatur, sed Helena & Carlota contra ni-
 tuntur, negantq. sanguinariũ hominem, & qui regnũ seditioni-
 bus agitet in Ecclesiã militia recipiendum: litterę casu à Iacobo
 intercipiuntur, qui contracta amicorũ non parua manu in Cy-
 prum nauigans, clam regiam urbem ingreditur, eorumq. domos
 adiens, quos sibi norat infensos, cunctos interficit, bona inter a-
 micos partitur, & tanquã victor in ciuitate moratur. Regina in-
 terim moritur, & paulo post rex; uir muliere corruptior: quã-
 uis forma & habitu corporis regio dignus honore uideretur: sed
 X 2 quã

quàm erat exteriori decorus specie, tam fuit ignauus, & turpis animus. Inter hæc turbato multifariâ regno accersitus crebrioribus nuncijs Ludouicus apud Venetias classe parata, in Cyprum nauigat, magnoq. omnium applausu, ac fauore rex appellatur. Iacobus eius aduentum haudquaquam expectare ausus, consilio & ope, ut aiunt, Marci Cornarij patricij Veneti potentis amici, qui sibi nauigiū concessit, cum amicis ferme centum in Alexandriam nauigauit, Soldanum quamprimum liceret conuenturus, eiusq. opem imploraturus. Soldanus missis obuiam primoribus suæ curiæ, eum ad se quàm celerissime venire iussit, & magnis honoribus uenientem accepit: qui ut in conspectu datus est; Supplex, B inquit, ad te confugio (regum maxime, ac potētissime) tu mihi dominus es, & ut clemētia tua spōdet, adiutor & tutor eris. Ioānes pater meus, qui tibi quot annis tributum pendebat, superioribus diebus è vita decessit, nec præter me virilem sobolem reliquit. Soror mea Carlota virum sibi ex Gallis accersiuit; eum Cyprij regem susceperunt, me posthabito, quem regnare par fuerat; sed tuum est regnum Cypri, tuum est diffinire quæ regnare oporteat. Natura masculis non feminis imperium dedit, nec æquitas permittit regum filios extraneis cedere. Respice, oro, fortunam meam, nec me rege natum paterno regno mihi iure debito priuari sinas: paternam hereditatem à te postulo, qui meus iudex es, nisi causam meam suscipis, exul à patria regius sanguis alimenta mendicabo. Indigna hæc tuo nomini inuretur nota, qui subditorum iustas causas non defenderis: nec è re tua fuerit me repulso, cuius maiores seruire tibi didicerunt, Gallicum hominem Cypriorum regno præesse. Nosti superbiam gentis, & quanta superioribus sæculis Aegyptiorum imperio attulerint Gallorum classes incommoda: nunquam Alexandria, aut aliæ maritimæ vrbes pacem habebunt, tenentibus Cyprum Francis Occidentalibus regibus: quod si me foueas, tam tua Cyprus, quàm Aegyptus erit. D Nec tu difficilem rem credideris paternum atque auitum mihi regnum restituere. Multi sunt, qui meis rebus student: nec aliud optant quàm tuo fauore præditum me redeuntem cernere. Parua classis in solium paternum collocabit. Satis amicis meis fuerit tua signa uidisse, & tuis auspicijs bellum geri, cetera ipsi expedient. Nec dubita breui me seruum tuum Cypri regem uidebis. Tantum facito, ut te uelle intelligam. Mouerunt ea uerba non Soldani modo, sed omnium qui aderant animum,

nec

A nec quisquam fuit, qui non indigna pati adolescentem arbitraretur, eiq. subueniendum existimaret. Erat enim Iacobus duos & viginti natus annos, forma egregia & statura corporis patri perquam similis. Verum animi dotibus & eloquentia longe dispar. Placuit Soldano subuenire supplici, moxq. regijs ornamentis allatis, Iacobus veste purpurea de more indutus, ceterisq. insignibus adornatus, quibus regibus uti mos est, in conspectu Soldani, & omnium procerum rex declaratur, qui Soldano huiusmodi iuramento se astringit. Per Deum magnum & altum, misericordem & benignum, formatorem cæli & terre, & omnium B quæ in eis sunt, & per sancta hæc Euangelia, per sanctum Baptisma, per Ioannem Baptistam, atque omnes sanctos, ac per fidem Christianorum, promitto & iuro, quod omnia quæ nouero, aperta erunt domino meo altissimo Soldano Aegypti, cuius regnum Deus fortificet: ero amicus amicorum suorum, & inimicorum inimicus. Nihil eum celabo, neq. piratas in regno meo patiar, neque his victum, aut auxilium dabo; Aegyptios, qui meo in regno seruiunt emam, & libertate donabo. Auri quinque millia nummum in calendis Septembris, aut Octobris tributi nomine in templis altissimis Hierusalem & Lamech singulis annis C offeram, Colosseos prohibebo, ne piratis arma ministrent. Quæcunque digna cognitu nouiter emerferint Soldano renuntiabo, in iustitia & ueritate procedam: nihil mea in parte fraudulentum erit. Quod si aliquid horum neglexerim, ero apostata, & mandatorum sancti Euangelij, Christianæq. fidei præuaricator: dicam Euangelium falsum esse, negabo Christum uiuere, & matrem eius Mariam virginem fuisse: super fonte Baptismatis camelum interficiam, & altaris presbyteris maledicam, diuinitatem negabo, & Iesu nuncij humanitatem adorabo, super altari cum Iudæa fornicabor, & sanctorum patrum maledictiones D in me omnes recipiam. Sic iuratus per urbem circumductus præcipuis honoribus cumulatus est, classe decreta, quæ illum mox in Cyprum ueheret. Prius tamen litteræ in hanc sententiâ Soldani nomine ad Ludouicum Sabaudiū Carlote maritum scriptæ sunt. Venisti ab occiduis partibus, ut alienum regnum in Oriente inuaderes, ac paterna hereditate filium exueres, vana est cogitatio tua. Cyprius mihi vectigalis est, & meum de rege iudicare, nisi quamprimum abieris, Aegyptio peribis gladio: si Carlota uxor tibi cordi est, potestatem facio, ut eam tecum auferas: si tamen

X 3 prius

prius recesseris quàm secundo monearis. His acceptis toto re-
 gno trepidatum est, ingensq. moeror omnium mentes peruasit,
 cum neque Soldani iussibus resistere possent, neque sine turpi-
 tudine obedire. Postremo cum remedium nullum aliud inueni-
 rent, legatos ad Soldanum mittere placuit, qui eius mentem le-
 nirent. Miserunt & simul Rhodientes viros ex religione prima-
 rios, qui apud Cayrum conuento Soldano Ludouici Sabaudij
 causam humilibus verbis defendere conati sunt; nil eum de iu-
 re Soldani ablaturum venisse dicentes, Ioannem Cypri regem,
 Carlotam filiam vnicam ex matrimonio suscepisse, quam se-
 cundum Christianas leges regni reliquisset heredem: Iacobo ex
 concubina nato, regnum nequaquam deberi: maritum pro con-
 iuge Christianorum more coronæ iura fortiri: hortari ne regni
 consuetudines iustus iudex confunderet, neve Christianis Chri-
 stiana inter se iura negaret: Ludouicum Soldano in omne tem-
 pus amicum vassalumq. futurum, tributumq. suis temporibus
 libentissime præstiturum, Iacoboq. decem millia auri nummū
 singulis annis quoad viueret traditurum. Re diu in consilio a-
 pud Soldanum agitata, iam eò ventum erat, vt postulata Ludo-
 uici pene admitterentur, triginta millibus aureis super adiectis
 (hanc enim summam loco impensarum Soldanus exposcebat) C
 nec Ludouicus pro retinenda pace abnuebat. Sed ambiens Ia-
 cobus modo istos, modo illos amicos, ac Soldani purpuratos fi-
 dem domini accusans, qui se paulo ante regem declaratum de-
 sereret, Gallicæq. perfidiæ proderet, purpuratos quosque in cu-
 ria potentes hortabatur, vt Soldano suggererent, ne Gallicis o-
 ratoribus auscultaret, neve se semel in fide receptum relinque-
 ret. Aderat ei Soldani filius æqualis ætatis, qui eius calamita-
 tis miserebatur: aderant & tres Mamaluchi in palatio potentes,
 qui precibus assiduis Iacobum commendabant: sed parum eo-
 rum conamina valuissent, nisi Maumethes Turcarum Impe-
 ratoris legatus opportuno in tempore affuisset: qui verba huius
 modi habuisse fertur. Accepit amicus tuus Turcarū Imperator
 Maumethes, te Iacobum Cypri regem appellasse, eumq. in pa-
 trium regnum statuisse restituere; digna res, quæ de tuo folio ma-
 naret, & nostræ religioni accommoda. Sed renuntiarum postea
 est, te mutato consilio pacem cum rege Gallico pacisci, & quem
 iuuare cœpisti, velle deserere; tanquam ignores quanto profe-
 quatur odio gentem nostram Gallicus sanguis, neq. Godfredi,
 Bal-

A Balduiniue, aut aliorum huiusce gentis facta mente teneas, qui
 sæpe maiores nostros magnis cladibus afflixerunt. Vide quid a-
 gas, si pax tibi cum Gallico genere cordi est, cum nostro bellum
 expectas; nec tibi cum solis Turcis inimicitias futuras putes; Ae-
 gyptij, Syrij, & Arabes, quibus præes summo te odio persequen-
 tur, nec tuus tibi filius hærebit, qui religionem nostram Gallica
 no sanguini prodideris: quod si promissam fidem Iacobo serua-
 ueris, classemq. pararis in Cyprios, Maumethes quoq. alterā
 parabit in Rhodios, & vtriusq. insulæ spolia tua erunt: solum
 tantum insulæ Rhodiæ Maumethes sibi seruatum cupit. Pla-
 cuerunt Soldano Turci oblata, atq. in eius postulata consensit.
 Apparata est è vestigio classis, & Iacobus cum magna militum
 manu in ea vectus Cyprum appulit. Non tulerūt eius impetum
 Galli, quamuis Rhodios adiutores haberent, neq. ausi apud Ni-
 cosiam expectare, in castellum, quod Cerines appellatur, sese re-
 ceperunt. Iacobus reliquis omnibus in potestatem receptis, obsi-
 dionem aliquandiu circa castellum tenuit. Deinde spe potiun-
 de munitionis deposita, dimissis custodibus, qui Gallos ab incur-
 sione prohiberent, Nicosiam reuersus ad reformationem regni
 se conuertit, legatosq. ad Pium Pontificem misit, qui multa pe-
 terent faciem honestatis habentia. Re vera nil aliud querebat,
 quàm Christiani regis apud sedem Apostolicam nomen vsurpa-
 re: sed contra illi euenit, neq. enim oratores suos tanquā regios
 (vt ante diximus) Pontifex admisit.

Carlota, quæ Rhodum petierat, comparatis aliquibus auxi-
 lijs, cum noua militum manu, quam sœcer ex Sabaudia miserat
 ad virum quem Cypri reliquerat apud Cerines, redijt eo propo-
 sito, vt Nicosiam peteret, non parua spe freta recuperandi regni
 Iacobus consilijs eius exploratis, iter interceptit, confertoq. præ-
 lio multos Gallorum interficit, reliquos in castellū repellit: quo
 D in loco vsq. in hanc diem Ludouicus obsidionis incōmoda fert.
 Reliquæ partes insulæ Iacobo tanquam regi parent, excepto Co-
 lossi oppido, quod Rhodij tenent, & Famagusta, quàm Genuen-
 sium esse diximus. Carlota viro dimisso iterum contendit Rho-
 dum, ærumnarum deinde plena in occidentem nauigans, Tybe-
 rina cum appulisset hostia, Romam & Christi Vicarium visere
 statuit, missisq. nuncijs qui aditum peterent aduerso flumine ve-
 sta apud ædem sancti Pauli descendit in terram. Pontifex car-
 dinales, & vniuersam curiam occurrere iussit; aduenientemque

Carlote regi-
 næ Cypriæ
 aduentus in
 Italiã, eiusq.
 oratio ad Piū
 & liberale re-
 sponsum.

in aula consistorij publice excepit, ac deinde in parte palatij seorsum collocavit; cibariaq. illi & familie magnifice administravit. Mulier quattuor & viginti annos nata videbatur: statura mediocri, lætis oculis, facie inter fuscam & pallidam, sermone blando, & Græcorum more torrenti simili, vestitu Gallico, moribus qui regio sanguini conuenirent. In primo congressu exosculatis Pij pedibus pauca locuta est: verū postridie cū inter paucos Pontificē conuenisset, hanc per interpretē orationē habuit. Infelices domus meæ casus non te arbitror (Maxime Pontifex) ignorare: nam quæ regio in terris nostris nō plena laboris est? Quis nescit Cypriorum erumnas, & miserā regni fortem? Bis ego infelix nupsisti: Virum quem duxi ex Portugallia, repentina & immatura mors abstulit: quem accersivi ex Sabaudia Ludouicū, obsessum ab hoste reliqui: liber an captus sit, ignoro: Vnicam ex matrimonio filiam in spem regni parentes educauerunt: Successi patri, & reginæ nomen paterno iure adeptā, cum viro cœpi regnare. Frater extra matrimonium natus, si frater est, qui sanguinem suum persequitur, auxilijs ab Aegypto quesitis, hereditatē meam inuadit, regnum occupat, me atq. virum ad necem quærit. Vnicum nobis refugium apud Cerines seruatum est: illic eruentas euasimus infesti germani manus. Insulam reliquam, præter Augusti Fanum & Colossum, hostes tenent: at qui hostes? Christianos fortasse, aut aliquos religionis amicos aduersari nobis existimas? Pone hanc opinionem, cum inimicis crucis Christi bellum gerimus. Aegyptij Cyprum tenent, nostræ religionis infensissimi hostes, Maumetheæ infantiæ sectatores: his data libertas est, quos velint ex regno pueros asportare: templa Dei nostri destruere, Maumethæos ritus inferere: frater meus pseudochristianus foedissimo iuramento Soldano se astrinxit, vt regno potiretur. Verum longe deceptus est, penes eum nomen regis, penes Admiraglium Soldani, potestas erit. Conata sum quoad potui, mihi & Christo regnū seruare: vicit Maumethes: expulsi ambos sumus: spes modica cum viro apud Cerines restat, si manet adhuc. Ego dum ad te nauigo auxilium petitura, Venetorum naues incurro, quarum gubernatores cunctis me bonis excusserunt: vix vnica retenta veste & commeatu modico ad te sum nauigare permiffa: regno deiecta inops & nuda prorsus ad te confugi. Subueni oro bis propemodum viduæ: miserere regij sanguinis, miserere infelicis regni, ne prorsus ab orthodoxa fide recedat, ne

suis illi

pro

A pro Christianis subeant Aegyptij: Tu pater religionis es ac magister fidei: te decet in primis curare, ne Christianus cultus imminuatur. Si perit Cyprus, peribit & Rhodus, nec Creta saluabitur, ad Siciliam vsque & ipsa Italiæ littora Barbarorum classes enauigabunt, ab Aegypto, ab Africa, à Syria, Asia, & Græcia timendum erit Italiæ, nisi occurris in tempore, nisi prius subuenis quàm Orientis insulæ hostium fiant. Mihi si opem tuleris non deest animus paternum recuperare regnum, breui parua manus occidentalium militum victoriā dabit. Non sunt Aegyptij, qui vires occidentalium ferant. Nec ego ex te omne auxilium flagito. Ad focerum pergere institui, & amitam, focrum, & propinquos Galliæ reges: inde (vt spero) quantum sat fuerit exercitus cogam. Tu mihi triticum dato, & vinum quod obsessis afferam. Sed neq. nisi adiuues in Sabaudiam ire possum, tempestatibus agitata nequeo ferre amplius mare, neq. in nauibus est quod edam: terra quoq. iter mihi clausum, nec equos habenti, nec argentū. In tua sum manu Pōtifex, pereō, nisi porrigis manū. Atq. his dictis illacrymata subtricit. Pius ita respondit: Pone lacrymas, atq. confide filia, non te deseremus: nota tua nobilitas, & tua calamitas nobis est: indigna pateris, non insolita: instabile regni solū est: nulla potentia longa: hos erigi, illos deprimi Deus permittit, & nunc in tuo genere thronū tuum fratri dedit, te in exilium misit: tui foceri, vt arbitramur, & tui vni peccata luisi focer rogatus in Mantuano conuētū ea pro defensione fidei aduersus Turcas promittere, quæ reliqui Italiæ principes pollice rentur, nullo pacto persuaderi potuit, vt vel minimi auxiliij spē faceret. Vir tuus cum ad te nauigauit, huiusmodi quam dignatus est ad nos vsq. Mantuam proficisci, quod sibi erat facillimū per Padū ad ostia Mintij euocō: contempserē nos ambo pater & filius, propter quā rem diximus inter cardinales: contemnit Ecclesiā Sabaudia domus, nec religioni dignatur polliceri opē, hic adolescens qui modo in Cyprum nauigat, poenas dabit: do tale regnum se possessurum existimat: fallitur, ei cietur: vtinam manus hostiles euadat. Pater eius, qui nobis auxilia aduersus Turcas negauit: ad nos supplex veniet filio rogaturus opem: faxit Deus vt nos opitulari possimus. Euenere prædicta, vtinam falsum fuisset quod tunc expressimus. Placuit Deo contumaciam plectere & Sabaudienfis, & tuæ domus. Quotiens mater tua Apostolicæ sedis mandata contempsit: portant filij peccata

cata parentum; nemo sine causa miser est. Deus his casibus te probat, filia: in eo spera, & ipse te liberabit: horridam tempestatem placida serenitas sequitur: in quiete finitur labor. Quæcumque postulasti ex nobis ferēs: equos dabimus, quibus ad focerum pergas, & sumptus itineris, frumentumq. & vinum in Ancona rediens paratum inuenies, quod nauibus ad obsessos vehas: exercitum ipsa in Sabaudia, & in Gallia coges, quo regnum uendices, Regina pro responso gratias egit, mansitq. deinde diebus circiter decem Romæ, donec Basilicas martyrum præcipuas uisit, & adlocuta Pontificem quater aut quinquies impetratis quas uoluit pro se suisq. comitibus gratijs, itineri se commisit. Pontifex singulos cardinales singulos ei elargiri equos iussit, & ad numerum usq. necessarium ipse suppleuit, dispensatoremq. addidit, qui sumptus itineris ministraret, etiam extra terras Ecclesiæ, si necessitas ingrueret. Comitatus eius equitum circiter quinquaginta fuit, quem Senenses Pontificis secuti exemplū per suos fines abunde pauerunt: idem fecere Florentini, & Bononienses, & deinde reliqui, per quorum prouincias usq. in Sabaudiam uentum est. Cuncti, ut reginam decebat, summis honoribus exceperunt, nusquam minusquam in Sabaudia bene uisa: hic toruis oculis, tristi uultu, uerbis acerbis, ac durissimis admissa est. Quid tu (focer inquit) hoc tempore ad nos uenis? Quæ honestas mulierem iuuenem relicto viro ab ortu in occidentem nauigare? tot aliena hospitia quærere? Auxilia, inquis, quæsitū ueni: at isthæc uirum decebat magis quærere. Quotiens auxilia misimus? Quotiens opem tulimus? nunc homines, nunc arma, nunc frumentū, nunc aurū suppeditamus; & quis modus rebus erit? Sabaudia exhausta Cyprus: quicquid pinguedinis fuit ad uos trāsiiuit, uacua prouincia est. Vos in Cypro regnum perdidistis, & nos propediem in Sabaudia carituri sumus imperio; quando eò uentum est, ut uestri causa uectigalia, & omnes census alienasse oportuerit: nec meliora his locuta est focrus, eademq. amita. Propter quas res moerens omni spe posita regina infelix retro per Mantuam &

De Sabaudia, & qui in ea, quæ uel fortuna regnauerunt, & de Amedei uita, & antipapatu.

Venetias in Rhodum nauigauit; nec causa est in Gallias proficisci, iam per gustata apud Sabaudenses Ultramontanorum liberalitate, & magnificentia principum. Libet hic, quoniam Sabaudia mentio incidit, pauca de principibus eius terræ in medium adducere, quæ a uo nostro digna memoratu contingere: quamuis in principio huius historiae nonnulla

A nulla de Amedeo & eius pontificatu dixerimus. Sabaudia in alpihus sita est, quæ Galliam ab Italia determinant, & à mari Ligustico usque ad Heluetios protenditur. Arelatensis prouincia partem Sabaudia contingit, partem Delphinatus, & Rhodanus magnam percurrit partem: præcipua Sabaudiensis dignitas circa Lemannum lacum, cui & Gebenna, & Laufana nobiliores ciuitates adiacent. Sabaudensem domum ex gente Saxonica profectam memorant. Olim comites fuere Sigismundus Imperator in Constantiensi concilio extincto comitatu ducatum erexit. Primus eius gentis dux Amedeus fuit, cuius imperium & ultra & citra montes late patuit. Duodecim pontificales ecclesiæ in eius ditioe fuere. Vxorem duxit ex domo Burgundia Philippi ducis sororem. Filiarum alteram Philippo duci Mediolani tradidit; alteram Ludouico regi Sicilia, cuius supra fecimus mentionem: Ludouico filio primogenito coniugem ex Cypro copulauit: affinitate omnibus fere Christianis regibus iunctus est: fortunatissimum uiciorum miseriam fecerunt. In Gallia Burgundorum, & Armeniacorum dissidia flagrauerunt: & Angliæ furor regnum vexauit. In Italia Veneti & Florentini aduersus Mediolanensem principem implacabili odio contenderunt. Amedeus procul ab armis in montibus regnans nunc horum, nunc illorum arbiter eligebatur; atque unus omnium existimabatur, qui sibi & alijs recte consulere nosset. Diu ad eum, quasi ad alterum Salomonem hinc Itali, inde Galli pro consilio de rebus arduis recurrerunt. Postremo & ipse quoque uanam & fluxam huius sæculi sapientiam ostendit. Eo iam sene, Basiliense conciliū coepit, quocum statim ab exordio Pontifex maximus Eugenius discordauit. Obierat uxor Amedei, quæ unica eius fuerat: striges, ut aiunt, futura uane prædicentes Amedeum adire, eiq. summum Pontificatum obuenturum prædixerunt; quod in concilio deponendus Eugenius esset, & ipse substituendus. Amedeus siue hac spe ductus, siue alioquin suo pte ingenio repleto quidem charitate & religione, relicto ducali fastigio, & omni sæculi pompa procul eiecta, gubernatione subditorum primogenito commissa, ad eremum concessit. In ripa lacus Lemanni è regione Laufana altissima fuerunt nemora, & sub his prata decurrentibus aquis irrigua: horum magnam partem muro cinxit, inclusitq. ceruos & damas, & quæ non sauiunt in homines feras. Prope in littore lacus ecclesiam edificauit, sacerdotes induxit, præbendas

bendas erexit, & dignitates aliquas & mansiones construxit, in
 quis canonici commode degerent: nec procul hinc palatium ma-
 gni operis composuit, fossa & propugnaculis opportune muni-
 tum: in eo septem mansiones fuere, sex æquales dignæ, quæ car-
 dinales reciperent, nulli sua defuit aula, nulli camera, & antica-
 mera, & secretaria quædam cubicula, seu pretiosarum rerum re-
 ceptacula; septimam principi dicatam, nemo rege aut summo
 Pontifice iudicasset indignam: hic Amedeus habitauit, quæ sex
 proceres secuti sunt, grandæui & ætate prope pares, quorum
 vxores iam pridem obierant, nemo nõ sexagesimum annum atti-
 gerat; & quoniam equestris ordinis milites fuerunt, & sæpe in
 bellis ordines duxerāt, nec sine gloria militauerāt, in ipsa muta-
 tione secularis habitus sub Amedeo decano & magistro suo pro-
 fessionem nouam induerunt: & sancti Mauritij appellari milites
 voluerunt: neque enim procul ab eo loco sanctus Mauritius cum
 legione Thebea pro Christi nomine martyrium pertulit: cuncti
 penulam, & pallium, & cingulum, & baculum retortum, qui-
 bus eremitas uti videmus, assumpserunt, & barbam prolixam
 nutriuerunt, & crines intonso gestauerunt: loco Ripalia nomē
 fuit, mille passibus fere ab oppido Tononio distanti. Cardinalis
 sanctæ Crucis, cum iret secundo in Galliam de pace acturus, huc
 nauibus appulit: Amedeus per siluam, quam diximus muro cin-
 ctam obuiam venit ad portam, quæ erat in littore. Spectaculo
 digna res, & quam vix posteri credant. Princeps sæculi potentis-
 simus, Gallis atq. Italis metuendus, quem aureis vestibus orna-
 tum, purpurati admodum multi circumstare consueverunt, &
 secures præire, atque armatorum sequi cohortes, & turba po-
 tentum; nunc sex tantum eremitis præcedentibus, & paucis se-
 quentibus sacerdotibus in veste vili & abiecta legatum Aposto-
 licum excipit. Veneratu digna societas visa, Crucem auream e-
 remitæ in pectore gestauerunt, id tantum nobilitatis signum re-
 tinuere, cetera contemptum sæculi præseferabant. Venere in am-
 plexus cardinalis & Amedeus; & multa se inuicē charitate de-
 osculati sunt. Nec satis cardinalis aut admirari, aut collaudare
 conuersionem principis poterat, quamuis suspecta mutatio ca-
 lumniatoribus erat, dicentibus Amedeum scilicet sperare Papa-
 tum, atq. idcirco eremitam factum. Mansit in hoc habitu, & in
 hac eremo Amedeus annos circiter octo: & quauis curā regimi-
 nis ad filium relegasset, grauiora tamen ad se deferri negotia vo-
 luit:

luit: nec ducatus titulo se priuauit, nec rem pecuniariam alteri
 quam sibi credidit. Interea Basilienses aduersus Eugenium sto-
 machati, ad eius priuationem procedere statuerunt; quod cum
 perfici nequirent, episcoporum deficiente numero, Amedeus cun-
 ctos suæ ditionis episcopos atq. abbates, & insignes presbyte-
 ros ad concilium misit: quibus adnitentibus depositio Eugenij
 tandem extorta est, & ipse paulo post Amedeus decreto concilij,
 iam per Eugenium reuocati, ad summum Pontificium accer-
 situs. Eugenius antequam deponeretur, concilium ex Basilea
 Ferrariam transtulerat, ut ibi cum Græcis conueniret, de quo-
 rum tunc vnione agebatur; uerum nec omnibus translatio concilij
 placuit, nec Eugenij depositionem reges ac principes acce-
 perunt. Maior pars orbis Eugenio adhæsit. Germani neutralitatē
 induerunt, sola Sabaudia, & Suizzari, & pauca quædam dio-
 ceses priuationem Eugenij, & Amedei assumptionē admiserunt.
 Legati ex Basilea in Sabaudiam missi viri præstantes, quorum
 princeps fuit Ludouicus cardinalis Arelatensis, Amedeum apud
 Ripaliam quæsiuere, eiq. decretum electionis obtulere: qui ha-
 bito consilio procerum (conuenerat enim eo in loco cuncta Sa-
 baudia nobilitas) facturum se dixit quod de se patres sanctæ sy-
 nodi decreuissent. Quo dicto mox in conclauis receptus est, &
 abrasa barba tonsaq. vertice, corona breui capillorum dimissa,
 pontificalibus indumentis adornatus, iterum in publicum redijt.
 Tum sedens pro tribunali pallio Pontificali, & mitra præ-
 ditus, ex duobus filijs Ludouicum seniore Sabaudia ducem
 creauit. Philippum natu minorem Gebennarum comitem, de-
 inde Tononium se contulit, pluresq. ibi dies curiam tenuit, &
 adueniente demum estate per Lausanam, & Solotrum appa-
 ratu magno Basileam petijt, ibiq. præsentibus filijs in suggestu an-
 te maiorem ecclesiam erecto, astante patrum conuentu, in ma-
 gna frequentia plebium, quæ ad rem nouam & insolitam è vicin-
 nis regionibus concurrerant, per cardinalem Arelatensem in e-
 piscopum ordinatus est, & Apostolico diademate coronatus,
 scrinarijs & aduocatis Felici quinto, (id enim nomen inditum
 est) à Deo electo & coronato vitam acclamantibus, solemnitas
 omni ex parte celebris fuit, quamuis vnus tantum cardinalis
 adesset, atq. idcirco despicienda videretur. Ceremoniæ cunctæ
 seruatae sunt: pompa per urbem mirabili ornatu deducta. Con-
 uuiuium ingenti apparatus sumptu, cuius omnis curia particeps
 fuit.

fuit. Mansit deinde pluribus mensibus in Basilea Felix; concilio præfuit; causas diffiniuit; episcopos creauit; cardinales assumpsit; Federicum Imperatorem illac transeuntem clam audiuit, neque enim ille, quasi Pontificem in publico voluit honorare. Hæc apud Eugenium audita, magnum incussere terrorem. Basilienses antea sine duce, sine capite facile contempserat; at Felice Pontificium acceptate, magno principe, vniuersis Christianis regibus aut consanguinitate, aut affinitate coniuncto, qui annos quadraginta subditos suos in pace summa iustitia, ac prudentia gubernasset, cuius opes inestimabiles crederentur, non Eugenij modo, sed omnium cardinalium, curialiumque mentes ingens metus peruasit. Iulianus autem cardinalis sancti Angeli ciuis Romanus, qui diu in Basiliensi concilio præfuisset, in consistorio cum allato nuncio de nouo Pontifice trepidare omnes animaduertent: Tria, inquit, sunt (Beatissime Pontifex, nisi fallor) quæ tibi Felicem aduersarium metuendum reddunt; coniunctio, quæ illi cum regibus est; sapientia, qua præditus existimatur; & ingens pecuniarum vis, quam illi per tot annos pacifice regnanti succreuisse putant. Hæc times? ij sunt hostes, quos vereris? cum his tibi bellum futurum est? fratres mei, qui ante me locuti sunt, multa de his rebus dixere, easque supramodum extulerunt, atque insuperabilem aduersarium his eminentem dotibus existimauerunt. At si me audias, metum tibi omnem adimam, facile ista contemnes, hinc tibi victoria dabitur, vnde times exitium, neque consanguinitas eius, neque affinitas nocitura est tibi. Irridebunt reges, non adorabunt hominem, qui è sæculari principatu ad ecclesiasticum euolauerit; virum sanguinum, qui sæpe in bellis fuerit obuersatus, indignum sacerdotio iudicabunt. Vxorem dicent in sæculo duxit, & filios procreauit, & nunc in altari sacratissimam Christi Hostiam audet offerre? inuidebunt, & maledicent homini, nemo amabit. Inter sæculi principes rara charitas est; nec tanta propinquitas vsquam reperitur, quæ tollat inuidiam laborantibus consanguineis, nunquam Amedeus auxilio fuit; Burgundos in bello reliquit, & Francos: qualem se præbuit amicis, tales eos inueniet; gaudebunt venisse tempus quo vices reddant, deseret tunc dubita: Nemo illi non emptus adhærebit. Amedeum sapientem putauimus, qui multis annis feliciter regnasset; non sua credo prudentia, sed aliena miseria felix fuit. Decertantes inter se hinc Itali, inde Galli, quietam Sabaudiam reddiderunt: nos quod

erat

A erat temporis attribuiimus homini; fecit sapientiæ suæ periculū Amedeus; neque se paruo inuoluit negotio; in re omnium maxima peccauit. Ruent sua consilia, Felicem vocant: sed sæpe rebus aduersa sunt nomina. De pecunia minus dubito: nunquam enim tanta est quantam prædicant, neque exponunt qui cumulāt. Nihil est quod tam nobis profit, quam pecuniosum aduersariū existimari; cuncti ab eo aurū petent, neque impetrātes inimici abibunt. Hæc mihi de nouo electo sententia est. Qui aliter sentiunt (meo quidem iudicio) nihil sentiunt. Nec vana Iuliani opinio fuit. Carolus Franciæ rex cum aureorum triginta millia petiuisset, neque impetrasset, Eugenium ei præposuit. Idem fecit dux Mediolani, qui centum millibus aureis & Bononiā vendere, & Nicolaum Picinum cum nouem millibus equitum in eius exercitu frustra tentasset adscribere. Solebat Amedeus dicere cum aurum ab eo peteretur, pulcherrimam sibi sobolem esse, nolle se filios inopes relinquere. Cum mansisset per æstatem, & quæ secuta est hiemem Basileæ, nec Pontificatum eius Christiani reges amplecterentur, sequenti tandem vere in Sabaudiam redijt, & paulo post concilium ex Basilea ad se vocauit, cum patres edito Imperatoris illinc deijcerentur. Postremo cum iam se omnibus contemptui esse cerneret, nec spes vlla esset obedientiæ nanciscendæ, mortuo iam pridem Eugenio, ac Nicolao quinto suffecto, interuentu Caroli Francorum regis, pacem Ecclesiæ dare decreuit. Renuntiauit Apostolatui, & Nicolao reconciliatus, quæ verum esse Pontificem professus est, cardinalatū ab eo accepit, & legationem quoad viueret, cardinalis Sabinensis appellatus, atque ita demum moriens apud Ripaliam sepultus est: Felix & sapiens habitus nisi Pontificatum affectasse in senio fama fuisset. Philippus comes Gebennensis prius obiit quam pater Pontificati cederet; Ludouicus solus retinuit imperium, vir mansuetus, & amans ocij, & qui parere quàm imperare aptior esset; uxorem duxerat ex Cypro Annam regiam sororem audacem feminam, quæ subesse nesciret. Hæc viri abusa ingenio regimen ad se traxit: magistratus pro arbitrio instituit atque destituit. Sacerdotia quibus voluit impetrauit; Cyprienses in rerum culmine collocauit. Sobolem & pulchram procreauit, & numerosam: Carolam filiam Delphino Franciæ, qui postea rex factus est, copulauit. Ludouicum secundo genitum, de quo ante diximus, in Cyprum misit nepti virum datum; Amedeus primogenitus

nitus domi mansit, non satis corpore validus, quamuis ex domo Franciæ duxerit vxorem Caroli regis filiam. Philippus ad Francorum curiam se transtulit: duo reliqui admodum pueri, viuentē adhuc auro, ad episcopatus eminētiam prouecti sunt, & alter ecclesiæ Tarantasiensi præfectus; alter Gebennensi, qui non diu vixit. Multæ in Sabaudia nouitates exortæ sunt post Amedei Pontificatum: nobiles contra nobiles contenderunt: & Bolomearius, qui vnus erat ex consultoribus acceptandi Pontificatus in iudicium raptus, tanquam falsæ cuiusdam sententiæ fuisset auctor, ad necem damnatus est, & ingenti lapide ad collum suspenso in lacum præcipitatus: sub imperio femine cuncta per auaritiam administrata sunt; & Græculi pro sua libidine Sabaudienfibus insultauere. Redijt tandem Philippus ex Francia, atq. ingressus palatiū paulo post Carlotæ recessum Græculos omnes eiecit: duos Sabaudienses inter primos nobiles, qui erant matris carissimi, & plurimum posse videbantur, interfecit: Ioannem Varasium ferro sua ipse manu necauit: Iacobum Valpergium in lacum præcipitauit. Quibus calamitatibus afflictæ mater infelix morbum incidit, ex quo paulo post expirauit. Pater vel inuitus in lectulo languens, vrgente prouincialium conuentu, filio veniam dedit, cuius nutu in hanc vsq. diem prouincia regitur: frater maior minus idoneus regno videtur: Philippū cuncti sequuntur, qui renouato foedere cum Suizzaris omne iugum excussit, quod rex Francus per Ludouici desidiā, & muliebri regimen in Sabaudiā intulerat. His casibus per nostrā ætatem Sabaudienfes acti sunt, quos huic operi non iniuria duximus inferendos.

De creatione nouorū cardinalium.

Ludouicus Franciæ rex dum ista geruntur Atrebatensi episcopo, & Antonio Noxetano, qui iussu Pontificis in Franciā iuerant, tactis sacrosanctis Euangelijs, palam promittit pragmaticam sanctionem sese propediem abdicaturum: quoniam id Deo uouerit, atq. hoc ipsum Pio Pontifici scribit: petijtq. multis precibus episcopum Atrebatensem, & protonotarium Lebreteum cardinalatus honore donari, haud indignum sese existimās, qui vnis litteris duos cardinales impetrare mereatur: quod si altero carendum sit, episcopo carere non posset. Accedunt & Philippi Burgundiæ ducis epistolæ, Atrebatensis assumptionem magnopere flagitantes. Pius multos dies ante comitia rem cum cardinalibus tractat: Ultramontanos neglectos fuisse dicens, oportereq. ex eis aliquos creari, neq. iam disceptandum de assumptione, quæ

ne, quæ pridem fuisset promissa, de numero, & de personis agendum. A Francorum rege, Burgundiæq. duce Atrebatensem peti, ab alijsq. regibus alios: sine dedecore, & fortasse sine damno Ecclesiæ, non posse negari quod petitur. His dictis cū Pontifex maiorem cardinaliū partem in suam sententiā venisse cognosceret, congregato collegio, secunda feria ante quattuor Aduentus temporā de cardinaliū creatione sermonem habuit, & numerū exposuit, & personas nominauit. Respiciebant cardinales taciti alter alterum; & cum ex ipsis vultibus intelligerent summo Pontifici annuendū esse, nemo ausus est aduersari; cuncti laudauerē nominatos, atq. in eorum creatione consensere. Tunc Pontifex non expectata sexta feria, in qua pronunciari cardinales consueuere, statim annuente ac requirente collegio, pronunciationē fecit; iussitq. in diem, quæ prope aderat, eiusmodi solemnitate statutā, silentio tegi. Cardinales ex Italicis creati sunt Bartholomæus Rouerella archiepiscopus Rauēnas, qui iam pridem in regno Siciliae legatū gesserat, doctrina, consilio, & morū integritate conspicuus. Iacobus episcopus Papiensis, natione Lucensis, priuilegio Senensis, & ab ipso Pontifice, qui dexteritatem ingenij dilexisset Picolominea donatus familia. Franciscus Mantuani principis filius, nondum viginti natus annos: verum qui corpore longe maiorem præferret ætatem & grauitate ac prudentia prope senili: illi ad titulum presbyterij assumpti; hic ad diaconatum. Ex Gallicis Ioannes episcopus Atrebas, egregius vir, doctrina, ingenio, ac diuina quodammodo memoria præstans, Ludouicus Lebreteus ex regio Francorum sanguine ortus, placidæ conuersationis, & cuius vita generi conueniat. Ex Hispanis Iacobus episcopus Vrgellensis domo Cardonea, litteris & moribus ornatus, cuius maiores ad regni quondam fastigium peruenerē, his tituli presbyterorum assignati. Cooperat iam Pontificem vexare, chiragra, atque ardore vrgere intolerabili: propter quod publicatio cardinalium in confistorio patenti sine ipso facta est. Cardinalis Nicænus de laudibus eorum verba fecit: digna creatio iudicata, quæ de viris excellentibus facta esset, & qui possent Ecclesiæ prodesse, vel suo ingenio, vel amicorum auxilio. Nec minus collaudata est Pontificis prudentia. Ex creatis nouiter cardinalibus, vnus tantum aderat Iacobus Lucensis: cui Pontifex lectulo decumbens, sua manu vel agrotā rubrum galerum imposuit. Rauennati,

nati, & Vrgellensi aulici Pontificis pileos tulere: reliqui po-
stea curiam petentes pro more ijsdem insignibus honestati fue-
runt.

De extinctio-
ne pragmati-
cæ, & ense
Gallorum re-
gi donato.

Inter hæc Ludouici Franciæ regis litteræ afferuntur, quibus
iam damnata, ac sublata penitus pragmatica sanctio nūciatur,
quas cum Pontifex in consistorio recitasset, non potuit lacry-
mas præ gaudio continere; cum se tandē sedente, perniciosum
virus ab Ecclesia remotū cerneret, & suo temporis datum Galli-
cæ nationis obedientiam ex integro ad Romanā Ecclesiam re-
dire. Redijt & Antonius Noxetanus, & nouas attulit litteras,
quibus idē confirmabatur, petebaturq. magnopere Atrebaten-
sem creari cardinalē. Pontifex creatū rescripsit, & cum eo simili-
ter Lebreum, vt integrū esset regi gaudiū, qui pro sua religione
duos cardinales meruisset obtinere. Remisit & Antoniū, qui en-
sem sacra Natiuitatis Dominicæ nocte sacratū dono regi affer-
ret, vaginā inclusum ornata gemmis, & auro, atque his versibus
inscriptum.

Exerat in Turcas tua me Ludouice furentes

Dextera: Graiorum sanguinis vltor ero;

Corruet imperium Maumethis, & inclyta rursus

Gallorum virtus, te petet astra duce.

Sigismundi
Pandulphi he-
resis & dam-
natio, atque
exustio, Bene-
uentaniq. de-
positio.

Pius interea accersito consistorio, cardinalem sancti Petri ad
Vincula, quæ de Sigismundo Malatesta inuenerit referre iubet.
Is causæ documentis inspectis constare asserit, Sigismundū pla-
ne hæreticū esse, qui resurrectionem mortuorū inficietur, & ani-
mas hominum mortales fore testetur, nec de futuro regno que-
quam speret: homicidia deinde, stupra, adulteria, incestus, sacri-
legia, periuria, prodiciones, & infinita propemodū turpissima &
atrocissima scelera eius probata; nec dubiū quin summo suppli-
cio dignus sit: interrogantur sententiæ cardinaliū: cuncti dam-
nandū censent: fit publice iudiciū, damnatur reus, qui Romanū
Præsulis maiestatem læserit, atque impia de Christiana religione
præsumpserit affirmare: vitamq. omni flagitio & turpitudine
foedatā duxerit. Priuatur vicariatu, & omni dignitate atq. ho-
nore; ijsq. poenis subijcitur, quas in hæreticos, & supremæ maie-
statis reos humanæ leges statuerunt. Interea pro gradibus basilicæ
S. Petri ex arida materia ingens pyra extruitur, in cuius sum-
mitate imago Sigismundi collocatur, hominis liniamenta, &
vestimenti modū adeo proprie reddens, vt vera magis persona,
quàm

A quàm imago videretur: ne quem tamen imago falleret, scriptu-
ra ex ore prodijt, quæ diceret. Sigismundus hic ego sum Malate-
sta, filius Pādulphi, rex proditorū, Deo atq. hominibus infestus,
sacri censura senatus igni damnatus: scripturā multi legerunt.
Deinde astante populo, igne immisso & pyra, & simulacrum
repente flagrauit. Per idem tempus & Iacobus archiepiscopus
Beneuentanus, de quo supra locuti sumus, quoniam proditor
esset in Apostolicam sedem, & beneficia ecclesiastica, sa-
crosque ordines venderet, & falsam cuderet pecuniam, de-
positus est: eique substitutus Alexius natione Senensis, ex Clu-
B sina ecclesia ad Beneuentanam translatus: vir probus & ami-
cus Pontifici, & qui olim Aeneam sacro presbyteratus ordine
initiauit.

Paulo ante id temporis Romam venerat Ioannes de Castro Aluminis in-
Pontifici iam pridem notus, cum Basileæ negotiaretur, & locum uentio, maxi-
teneret Papæ Eugenij depositariatus: huic pater fuit Paulus iu- musq. prouen-
reconsultus sui temporis clarissimus, & qui cathedram multos tus.
annos Patauij rexit, atq. omnem Italiam consilijs impleuit; cū
frequentes ad eum litigatores concurrerent, & iudices eius au-
toritati multum tribuerent; cuius doctrina solida, & sine dolo
C esset. Reliquit moriens plurimas opes, & duos filios iam ætate
prouectos, quorum senior patris studia sectatus est, non illauda-
tus iuris interpres; alter ingeniosus fuit, & qui litteris melius
quàm ceteri studuisset: didicit grammaticam, & historias per-
uoluit; sed varijs peregrinationibus deditus, in ciuitate Constā-
tinopolitana permansit, & magnas opes in ea contraxit ob pan-
norum tinturam, qui sub fide sua Italiæ confectos illuc asporta-
bantur propter aluminis mineriam regionis illius foecundissi-
mam, quam quotidie perspiciens, & aluminis confectioem,
& ex qua petra vel gleba extrahi posset, facillime didicit; & cū
D Dei iudicio in direptione, & excidio vrbs illius à Maumethe
Turcarum Imperatore sub anno M. CCCC. liij. omnia amisif-
set, satis exultans quod gladium & ignem immanissimæ gentis
aufugisset; post tandem Pij assumptionem ad eum venit, cui ef-
set compaternitatis foedere iunctus, à quo cum præmia & com-
missariatum generalem super omnibus redditibus camere Apo-
stolicæ tam in vrbe quàm extra, & in prouincia patrimonij obti-
nuisset; dum montes, collesq. omnes percurrit, atq. in viscera ter-
ræ naturæ secreta rimatur; nec glebam, nec saxum reliquit inta-

atum. Tandem in agro Tolfano aluminis lapidē reperit. Tolfæ
 vetus oppidum est duorum fratrum Ecclesiæ Romanæ subdito-
 rum, non procul à Centumcellis, & Vrbeuetula: hic montes al-
 ti à mari introrsus recedunt, siluis & aquis fœcundi, per quos
 dum Ioannes ambulat, nouam herbæ faciem offendit: miratur,
 inquit; deinde certior fit similem nasci herbam in montibus
 Asiæ, qui Turcarum ærarium alumine ditant: videt lapides
 albos, & qui minerales apparent, mordet, falsedinem reperit,
 excoquit, experimentum facit, alumen producit; accedens-
 que Pontificem: Hodie, inquit, tibi victoriam de Turca affe-
 ro; aureorum supra trecenta millia quot annis ille à Christia-
 nis extorquet propter alumen, quo diuersis coloribus lanas
 inficimus: quia non reperitur apud Latinos, nisi paululum
 apud insulam Hisclam, quæ olim Aenaria dicebatur. Puteo-
 lis vicinam; & in Lipareo Vulcani antro, quod à Romanis
 olim exhaustum propemodum defecit. At ego septem montes
 inueni, adeo huiuscemodi materiæ fœcundos, vt septem orbi-
 bus sufficere possint; si iubes accersiri artifices, apparari forna-
 ces, excoqui lapides, Europeis omnibus alumina ministrabis, &
 omne Turcæ lucrum deficiet, quod tibi additū duplicato dam-
 no illum afficiet. Materia & aqua abunde suppetit: & portum
 habes propinquum in Ciuitateuetula, in quo naues onerentur
 in occidentem nauigaturæ: licebit iam tibi aduersus Turcas
 bellum instruere. Hæc tibi minera neruos belli ministrabit,
 & auferet Turcæ, hoc est pecuniam. Deliramentis similia vi-
 sa sunt Ioannis verba; Pius somnia existimauit, & inanes Astro-
 nomorum fabulas: idemque cardinales omnes arbitrati sunt.
 Ioannes, quamuis sæpe reiectus esset, à proposito tamen non re-
 cessit, nunc hunc, nunc illum interposuit, qui sibi Pontificis
 aditum iterum atque iterum aperirent, coram quo posset expe-
 rimentum inuenti lapidis facere. Pontifex rerum peritos ad-
 uocauit: illi veritatem aluminis probauere. De lapide quæsi-
 tum est ne fraus inesset. Missum ad mineram, & inuenta eius
 lapidis ingens uis: vocati sunt artifices ex Genua, qui aliquan-
 do in Asia Turcæ alumina tractauerunt. Ii cum loci naturam per-
 omnia inspexissent, similem esse dixerunt Asiaticis montibus
 alumen ferentibus; & præ gaudio illacrymati ter quaterque
 genua flectentes, Deum adorauerunt, eiusque pietati benedi-
 xere, qui tantum donum nostræ contulisset ætati. Decoxerunt
 lapides

A lapides, & alumen multo præstātius, ac pulchrius exijt, quàm
 illud Asiaticum. Missum est & ad Venetos, & ad Florentinos;
 factum periculum, res ipsa opinionem superauit: & primi Ge-
 nuenses pro viginti millibus aureis mercatū fecere. Postea Cos-
 mas Medices quinq. & septuaginta millia auri nummum in eā
 rem contulit: atq. tantum prior annus attulit præter omnium
 opinionem; propter quod Pius Ioannem censuit dignum, quem
 singularibus prosequeretur honoribus, & cui statua erigeretur
 in patria, in qua scriptum esset: Ioanni de Castro Aluminis in-
 uentori; nec sine parte lucri dimissus est. Fratribus Tolfæ domi-
 nis, in quorum fundo minera reperta est, immunitates datæ, &
 pars quota emolumenti concessa. Hæc diuino munere sub Pio
 Pontifice maximo Ecclesiæ Romanæ accessio contigit: quæ si,
 vt par fuerit, tyrannorum manus euaserit, & caute Indies ad-
 ministratur, augetur, & Romanos Pontifices ad ferenda Chri-
 stianæ religionis onera non parum adiuuabit. Nec defuere qui
 rem versibus celebrarent, inter quos & Campani hoc Epigram-
 ma ad Pium extat.

Esse tuos cælos tantum qui dixerit, errat:

Deq. Pij longe fallitur imperio.

C Ipsa etiam tellus, quod habet tibi contulit, & se

Præbuit, eruptis prodiga visceribus.

Parte alia raucum æs, aliaq. excussit alumen,

Datq. alio argentum tertia vena loco.

Abdita telluris gremio hæc latuere tot annos,

Et soli domino nunc patuere suo.

Tu quod nunc auri restat, ditissima tellus,

Ne furti rea sis, hoc quoq. redde Pio.

Creatis vt relatum est cardinalibus, Atrebatensis postquam
 se nauigare in portu cognouit, nec sibi de quæsitâ nimitū dignita-
 te ambigendum, quæ prius tacuerat de Ludouici animo ad res
 Siculas, scribere cœpit, filiam regis paruulam Ioannis Andega-
 uensis filio Rhenati, nepoti fere coætaneo desponsatam esse: gene-
 ro regnum optari: facturum omnia Ludouicum, vt Ferdinan-
 dū è solio pellat. Pontifici non ex vsu fore Francorū familiæ ad-
 uersari; auxilia, quæ Ferdinando missa fuissent, reuocanda: sic
 regis animum placari posse, & pragmaticam sanctionem certis-
 sime sublatum iri. Afferebantur & Interamnensis episcopi fre-
 quentes litteræ, qui postquam ex Anglia discesserat ad nouum

Atrebatensis
 instabilitas, &
 Ludouici le-
 gatio dignif-
 sima, eorūq.
 oratio, ac Pij
 responsum &
 de pragmati-
 cæ extinctio-
 ne latitia.

regem in Franciã se contulerat. Is locutum se semotis arbitris cū Ludouico scribebat, cuius ea sententia esset; ita demū pragmaticæ sanctioni finem imponere, si de regno Siciliae ei mos gereretur cupere genero regnum: Ferdinando, quæ princeps Tarentinus possideret, relinqui posse, & ne regni titulum amitteret, Sardiniam adijci; Antonio Pontificis nepoti Calabriae partem donari; Ecclesiae Romanae sua iura seruari, sic regem pacis causa statuisse. Hortari ergo episcopus, ut ea fierent, quæ magno regi placerent, sic pragmaticam morituram fore, & Romanam curiam ad pristinum splendorem redituram: Alioquin regem cum Venetis foedera initurum, ingentes copias per Sabaudiam in Italiam missurum, Mediolanensi bellum illaturum, cui necesse fuerit exercitus e regno reuocare. Remansurum cum Ferdinando solum in bello, Pium sub tanto pondere periturum: & quæ Pontifici scripsit, eadem Francisco Mediolanensi crebris litteris inculcauit. Timuit ea Franciscus, & misso Prospero Camulio viro docto, & qui dudum in Gallia versatus esset, cum Pio de summa rerum consultauit. Pius contemnenda Interamnensis episcopi scripta censuit: qui se vltro ingessisset ad res sibi non commissas: de regno Siciliae, quæ significasset sua non regis esse inuenta: expectandos Ludouici oratores, qui propediem vaturi essent: hos certam eius mentem allaturos; tum consilium captandum, neq. fugiendū hoste non viso. Placuit Francisco deliberatio. Ludouicus paulo post legatos ad Pontificem ire iussit Riccardum Constantiensem, & Ioannem Atrebatensem cardinales, quos secuti sunt Andegauensis, & Sanctonensis episcopi, & abbates aliquot, & proceres nobilissimi, quorum princeps fuit Petrus comes Caluimontis moribus & ætate grauis: fuerunt & doctores & secretarij nonnulli regis inter oratores adnumerati. Præclara legatio, & digna rege, quæ magno equitū numero, & longo famulorum ordine, cum dies multos in itinere absumpsisset, tandem tertio idus Martij Romam ingressa est, occurrente cardinalium collegio propter cardinales, qui missi à rege venerunt. Consistorium deinde publicum habitum in palatio Apostolico: legati solemnī pompa ad palatium ducti: Pontifex in maiestate sedit in alto solio: cardinales solita tenuerunt scamna: episcoporum & notariorum ordo ad scabellum Pontificis pro more locatus: cetera multitudo, quæ aderat frequentissima, aut stetit aut in terra sedit; id spatium occupans, quod cardinales inter & Pontificis

A ficiis tribunal fuit. Legati regis postquam Pontificis pedes exosculati sunt, & regias litteras reddiderunt, à tergo cardinalium e regione Pontificis fortiti locum, atque ibi stantes iussi quæ dicere vellent. Ibi Atrebatensis de Francorum nobilitate, de regni gloria, atq. amplitudine, de Gallorum viribus, de Ludouici præstanti virtute, de pragmatica sanctione, quo pacto regnum Franciæ inuasisset, & quomodo illam Ludouicus eliminasset, longam orationem habuit; ac publica documenta exhibuit, quibus constabat Ludouicum regem ex omni regno, ac ditione sua pragmaticam sanctionem eiecisse, illamq. protinus extirpasse, & ad nihilum redeigisse, obedientiamq. Romanæ, primæq. sedi, ac Pio Pontifici tanquam Iesu Christi vicario veram & integram restituisse, denuoq. restituere: esset enim Ludouici animus Pontificis filium gerere, atq. ab eius voluntate, nutuq. nunquam discedere. Fecit & de Turcis mentionem, quorum gladius non sine magno catholice fidei periculo Christianis ceruicibus immineret. Cogitare Ludouicum de religionis tutela, si regnum Siciliae Andegauensi familiae pateat, & Genua Gallicum subeat iugum, ut par esset, missurum in Græciam contra Turcas equitum quadraginta millia, peditum, qui arcibus vtantur, millia triginta, qua manu facile possit Maumethes ab Europa deturbari; & iterum Syriam cum sacro sancto Christi sepulchro recuperari, multaq. circa hæc magnifice locutus est, ampullosa miscens verba, & aperta mendacia pro veris affirmans. Pontifex postquam Atrebatensis expectatum & diu desideratum finē fecit, legationem regis, & pium animum multis verbis collaudauit; regni Franciæ originem exposuit, & regum gloriosa gesta. Multa de Ludouici virtute, multa de pragmatica sanctione locutus; quæ & ipsa inter orationes eius scripta est: qua finita, Pius Atrebatensem ad se iussit accedere, atq. in eodem consistorio, rubrum pileum capiti eius imposuit, & inter cardinales sedere mādauit. Indixit & triduo Iustitium, & supplicationes per omnia templa fieri, & pompas sacrorum per urbem duci. Dimisso consistorio vniuersa curia, & urbis populus exultauit: ad noctem luce-igne, canere tubæ, campanæ resonare omnes, saltare iuuenes, choros ducere, cantare viri, ac senes inter sese gloriari, qui priusquam morerentur, sublatam pragmaticā vidiissent: laudare Pontificem, cuius tempore id donum datum esset: regem extollere, cuius mentē tanta incessisset pietas, tanto res videri dignior at-

que admirabilior, quanto minus sperata fuisset. Neq. enim quisquam erat, qui post quattuor & viginti annos inueteratū pragmaticæ morbum sub Pio Pontifice auferri posse consideret: satis consultum iri Apostolicæ sedi existimabant omnes, si malum non ingrauesceret.

De concertatione regni Siciliae, & induciarum.

His ita peractis accedentes Pontificem legati regij de regno Siciliae longam faciunt querelam: id olim à Romanis Præfibus propter obsequia, quæ accepissent, domui Franciæ datum; multo sanguine quæsitum: Aragonenses violenter intrasse: Apostolicam sedem, non tam Hispanis quàm Gallis obnoxiam, indignè agere si illos præferat: Misisse Pium auxilia Ferdinādo aduersus Rhenatum, iniuste actum; deinceps reuocāda fore: id Ludouicum petere non indignum audiri, qui pragmaticam abstulerit, & aduersus Turcas tam validum exercitum obtulerit. Pontifex de meritis Francorum erga Romanam Ecclesiam, deq. gentis gloria nihil se demere ait, nec de regni iure velle differere, cuius esset certissimus iudex, & quod sæpe Frācis obtulisset in principio sui Apostolatus: Ferdinandum integrum regnum possedisse concessione Apostolica, à possessore patre heredem institutum petiuisse regni proceres atq. omnem Italiam coronam possessori tradi, fuisse traditā ex decreto senatus, cum Mantuæ conuentus ageretur tuendæ religionis causa: Andegauensem inconsulto Pontifice naues, quas cardinalis Auinionensis ex pecunia Ecclesiæ comparauerat aduersus hostes fidei mittendas, inuasisse, atq. ex his classem iustruxisse, qua in Campaniam missa, regni pacem perturbauerit, Ferdinandumq. magna ex parte sui regni eiecerit: decuisse Pium suppetias ei mittere contra violentiam, ne rex à se constitutus incognita causa destitueretur. Non se Francis Aragonenses, sed æquitatem præferre. Subtracturum haud rogatum auxilia de regno, si cessantibus armis res ad iudicium redigatur. Sed cum tantopere parua præfulis auxilia de regno auocari petantur, si armatorum septuaginta millia facile regi est, vt Atrebatensis asseruit, per Italiam contra Turcas in Græciam atq. Asiam mittere? instruantur hæ copiæ, atq. alpes transire incipiant, & omnes cedimus ei. Tum Genua regi patebit, & nulla de regni adeptione mora fiet. Multa in hūc modum vtrinq. iactata sunt. Postremo cum nihil ex Pontifice, nisi honestum extorqueri posset, super inducijs faciendis hoc modo conuentum est. Ait Pontifex placere sibi inter contendentes de regno,

A regno, inducias modis conuenientibus fieri, in eum finem, vt illis durantibus, aut amicabili tractatu, aut iudicio lis sopiretur. Atque in hunc sensum pluribus verbis scripta cedula ad regem missa est, vt si vellet de tempore & de modis, conuenire posset. Inter oratores regis, Andegauensis & Sanctonensis episcopi cū se conuersos ad Apostolicæ sedis reuerentiam, cuius antea persecutores fuerant verborū artificio, & frontis impudentia simulassent, erratorum veniam petiuisent, lacrymas emisissent, ingentes Deo gratias reddidissent, qui se tandem à tenebris abstraxisset pragmaticæ sanctionis, & ad candidam lucē Apostolicæ veritatis perduxisset, quæcunq. voluerunt impetrauere, atq. onusti gratiosis indultis in patriam reuerterunt.

B Circa hoc tempus legati Georgij regis Bohemię Romam venere; quorū principes fuerunt Procopius Rabesteynus, & Sdenoco Cosca inter barones regni memorabiles. Procopius iam pridem Pontifici, cum in minoribus ageret, notissimus fuerat, & amicitia singulari coniunctus, & in pluribus legationibus socius, cū ambo Imperatoris consiliarij fuissent: propter quas res percipide amicum veterem Pius complexus est, & donis non vulgaribus profecutus. Cosca inter paucos regi acceptus erat eius perfidiæ comes: Procopius nunquam à fide catholica deuiauerat: his duo sacerdotes additi fuerunt lingua prompta, & Hussitarum insanæ audacissimi assertores. Honorati sunt tanquam oratores, & catholici regis, & in auditorio publico auditi. Procopius nomine regis obedientiam præbuit; alter ex presbyteris voce sonora, atque oratione præcipiti conuenta Bohemorum cum Basiliensi concilio, quæ vocant compactata, confirmari Apostolicæ sedis auctoritate petiuit; id regem cupere, id regnum expectare; id nisi concedatur, pacem inter Bohemos esse nō posse. De communionem vtriusque speciei multa disseruit, & quasi sanctam, diuinamq. appellauit, tanquam sine illa non esset salus. Pontifex obedientiam regis benigne amplecti se ait, veram & integram esse confidens. Quale olim fuisset Bohemiæ regnū, quàm diues quàm floridum, ac religiosum; deinde quantū decidisset, exposuit: vt corruissent altissima palatia, nobilissima templa, amplissima monasteria, regnum ad inopiam ac miseriam peruenisset; id hæreses peperisse, & ab Ecclesia Romana recessum. Voluisse Bohemos aliquos plus sapere, quàm oporteret: peregrina dogmata introduxisse: eripuisse sacerdotibus tempo-

ralia

Bohemorum legatio, & eorum hæreses, ac petitiones insanæ, Pijq. responsum.

ralia bona, tanquam nihil possidere eis liceret, qui essent de sorte Domini. Tunc articulum inuentum, quem de ciuili dominio vocant, quod sacerdotibus prohibitum asserunt. Dixerunt & verbum Dei alligatum non esse, licereque passim omnibus prædicare: delicta vero publica nulla ferenda, neque magisterium cuiuspiam tolerandum, quem constaret mortali culpa irretitum. Tum quoque in lucem venisse communionis articulum, quem vocant vtriusque speciei, & necessarium existimant ad salutem: cuius non Ioannes Hus, aut Hieronymus Constantiæ cremati, aut doctor aliquis diuinæ legis excellens interpres, inuentor fuerit: Iacobellum quendam Grammatici ludi magistrum eius erroris fuisse repertorem, qui cum legisset apud D. Ioannem: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quid agimus? inquit, illudunt sacerdotes nobis, paradisi portas claudunt, dum sanguinem nobis prohibent, soli ad vitam ingredi volunt. Auditus est ab indoctis, crediderunt imperiti saluari neminem posse, nisi sub specie vini de calice biberent: & doctore, atque auctore Iacobello effectus articulus, qui diceret: Communionem sub vtraque specie ad necessitatem salutis pertinere: cuius contrarium in Basiliensi concilio declaratum est. Dixit & quomodo compactata ab eodem concilio indulta fuissent, & quales intercessere conditiones, & vt Bohemi impositas sibi leges neglexerunt, communionem vtriusque speciei his tantum indultam fuisse ex regno Bohemiæ, & marchionatus Moraviæ, qui eius usum antea habuissent, & qui eam desiderarēt: ipsos vero etiam infantibus calicem tradidisse, & inuitos compulisse de calice bibere: Sacerdotes iussos dicere verba quædam, populum sub vtraque specie communicantes, minime paruisse. Conuenta mille modis à Bohemis fuisse violata, frustra vocari amplius compactata, quæ vim habere desuissent: verum quod rex peteret, in consultatione cum fratribus agitandum, atque ita dissoluta est concio. Post hæc sæpe legati ad Pontificem vocati sunt, & cum selectis cardinalibus auditi, si qua posset inueniri via, qua regnum Bohemiæ ad unitatem rediret Ecclesiæ, & ceteris Christianis conforme fieret. Procopius cum esset catholicus, ab honesto nunquam recessit: reliquis nulla potuit honestas persuaderi, nisi compactata confirmarentur, Bohemicam gentem haudquaquam quiescere posse affirmantibus: ob quam rem necesse fuit publice postulatis publice

A publice respondere. Accersito consistorio Pontifex pro tribunali sedit, ac de compactatis locutus, ea ex multis capitibus desuisse monstrauit: ex in non posse indulgeri sine magno periculo quæ peterentur. Postremo regem in sua coronatione obediturum se Romano Pontifici iurauisse, oportere eum si animæ curam gereret, Apostolicæ sedis madata suscipere, quæ huiusmodi essent, vt iam tandem dimissa vtriusque speciei communionem, Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ cum familia & subditis omnibus se coaptet, nisi fecerit, regnum eius stare non posse. Oratio Præfulis hunc sensum continens, inter alias scripta est: qua finita & consistorium finem habuit. Legati Bohemorum ad interiora admisi cubiculum, gratias pro responso egere, idque se fideliter relaturos in Bohemiam dixere, petentes aliquem mitti secum, qui præsens esset cum regi fieret relatio, & qui mandata Pontificis si videretur, latius explicaret, suaderetque regi, vt Apostolicæ sedis mandata susciperet. Fantinus erat in curia præstabilis iureconsultus natione Dalmata, & qui regis Bohemiæ procuratorem gesserat: hunc petentibus legatis, haud denegandum Pontifex censuit. Missus cum eis est, vt quæ acta essent Romæ, non regi solum, sed baronibus quoque fidelibus in Bohemia nota faceret, si qua fortasse legati subtraherēt. In ipso recessu querelam Cosca fecit, quod cum veniret ad Urbem, in Sutrio vnus ex domesticis suis vir nobilis, cum pro more accinctus gladio per oppidum incederet, à præside fuisset interceptus, & coniectus in carcerem male habitus. Pontifex re cognita Antonium Saracenum aulicum suum Sutrium misit, qui præsidem in vincula coniectum, transeuntibus illac Bohemis exhiberet: quod factum est. Bohemi captiuum euerberatum dimisere, benignitate Pontificis erga se barbare vsi.

D Sub hoc tempore Pius assumptis ex collegio sex cardinalibus seorsum, in quibus plus fidei ac consilij esse arbitratus est: Existimatis, inquit, fortasse fratres, quod plerique omnes, rem publicam neglectui nobis esse, qui postquam à Mantua rediimus, de propulsando Turcarum impetu, deque tuenda religione, neque præparamenta fecimus, neque verba, quamuis vrgerent hostes indices magis. Tacuimus, non imus inficias: nihil egimus aduersus inimicos Crucis: palam est. Verum taciturnitatis nostræ causa desperatio quædam fuit, non negligentia: facultas, non animus defuit. Cogitauimus sæpenumero Christianas vires accogere

Consultatio de republica Christiana, & Pij salutatio consilium.

cogere in Turcas ista vel illa via possemus, & Christianæ plebi consulere, ne fieret tandem præda Turcarum. Noctes meditando plurimas infomnes duximus, & nunc dextro incumbentes lateri, nunc sinistro; infelices nostri temporis deplorauimus casus. Pudebat nos nihil agere, cum Turcæ inde Pannoniam, hinc Dalmatiam bellis assiduis amplius & amplius vgerent, atq. vbi vellent gentium ferocius grassarentur. Videre videbatur cunctorum in nos ora conuersa: nobisque tanquam negligentibus allatrare, qui pereunti Euangelicæ legi non afferremus opem, & quasi marcentes otio Christianum nomē ruereremus. Turgebat animus, & quodammodo senilis feruebat sanguis. Iam iam bellum placebat Turcis indicere, atque omni conatu pro religione contendere: sed cum vires hinc nostras metimur, inde hostium, non est Romana Ecclesia, quæ suis opibus debellare Turcas queat: nemo qui sapiat fortio rem bello laceffit: aut superiorem, aut certe parem esse oportet, qui pugnam eligit. Nos Turca multo inferiores sumus, nisi Christiani reges arma coniungant. Quærimus hoc efficere, inuestigamus vias, nulla occurrit idonea, si celebrare conuentum venit in mentem, docet Mantua vanam esse cogitationem. Si legatos mittimus, qui regum auxilia petant, deridentur. Si decimas clero imponimus, appellatur ad futurum concilium. Si promulgamus indulgentias, & pecunias conferentes donis spiritualibus inuitamus, auaritia coarguitur: corrodendi auri causa cuncta fieri creduntur: nemo fidem habet verbis nostris. Quasi negotiatores, qui respondere creditoribus desierunt, sine fide sumus. Quæcumq. agimus in deteriorem partem accipiunt: de suo ingenio metiuntur nostrum. Nihil difficilius est, quam aurū extorqueri. Vertimus in omnes partes aciem mentis: nihil certum, nihil solidum inuenimus, nihil non vanum occurrit. Quid agamus in tanta rerum mole? Periculum ne certum adibimus, & sponte trademur hosti: aut rem ridiculam inchoabimus? frustra niti, & laborando infamiam quærere, extremæ dementiæ fuerit. Perplexa & nimis anxia diu mens nostra fuit, & renuit consolari anima nostra, cum in deterius prolabi omnia cerneremus, nec vel minima spes rei bene gerendæ daretur. At cum dies noctesq. taciti magis ac magis huc animo ferimur, vt de communi salute consilium inquiramus: vnum tandem remedium in mentem venit, nostro iudicio valentissimum, & forsitan non est aliud. Audite pau-

A te paucis explica bimus: deinde nostram sententiam iudicabitis. Philippus Burgundiæ dux quo anno Constantinopolis amissa est, votum vouit publice Deo iturum se contra Turcas, & bellum cum eis gesturum, & hostem Maumethem ad singulare certamen prouocaturum, si vel Federicus Imperator, vel Carolus Franciæ, vel Ladislaus Hungariæ rex, vel magnus quiuvis alius princeps, quem se sequi non dedeceret, ad hoc ipsum bellū proficisceretur. Nullus adhuc inuentus est ex nominatis, qui se tanto prælio accinxerit. Excusatū sese Philippus existimat, quia non est impleta voti conditio: Excusatus est, non absolutus; stat obligatio: loquitur votum, nec tacet iuramentum. Potest adhuc satisfieri conditioni: potest princeps magnus aliquis huic expeditioni se accingere, ac Philippum vt se sequatur accire: nisi paruerit, reus erit iuramenti, & voti violati; quod laturam eius mentem haudquaquam arbitramur. Sedet in animo nostro quantum senili & ægroto corpore bellum contra Turcas pro fide catholica suscipere, & in expeditionem ipsam proficisci; Burgūdoq. vt nos sequatur edicere, qui regis ac Pontificis locum tenemus, iuramenti votique fidem requirere: nulla patebit excusatio: rege maior & Imperatore bellum petet Christi vicarius: obnoxium voto ducem non decebit domi manere, si annuat desiderio nostro Philippus, non veniet sine comitatu magno & valido nobilem principem multi sequentur: regem Franciæ decem millia bellatorū non mittere pudebit, qui septuaginta millia publice pollicitus est. De Germania, de Anglia, de Hispania sua sponte non pauci aderunt. Hungari, qui suam rem agunt deesse non possunt: nec Veneti vbi tantos viderint apparatus, classem negabūt. In Asia Charamānus, & alij quibus Maumethis potētia suspecta est, haud dubie arma corripient. Epirote, Albani, Bosnenses, Rasciani, Valachi, Bulgari cornua erigent, quando tantis viribus à Christianis repeti Græciā viderint. Quis nescit Romanum Pontificem cum Venetis & Hungaris sequente Burgūdiæ duce, adiuuante Franciæ rege Turcarum gentem posse delere? Sed habenda est ante omnia certitudo de Venetis, & eorum exploranda consilia, qui mores Turcarum, potentiamq. nouere, & quibus viribus, quibusq. artibus superandi sint, non ignorant: frustra Burgundis, Gallisq. hanc expeditionem suaserimus, nisi concurrant Veneti, quibus maria patent: his nostra in primis aperienda sententia: si non approbant, vana fuit cogitatio.

tio nostra: si laudant, Francum & Burgundum missa legatione hortabimur, ne desint Christianæ religioni: ex Franco auxilia postulabimus: Burgundū ex voto requiremus, quibus vt par est consentientibus, propositum & iter nostrum publicabimus. Inter Christianos dissidentes quinq. annorū inducias seruari mandabimus: parētes cælesti benedictione donabimus: rebelles anathemate feriemus: episcopos, abbates, atq. omnis ordinis ecclesiastici viros ea in hoc opus auxilia iubebimus impendere, quæ cōmode præstare possint: inobedientes excōmunicabimus, & tãquam ignis æterni m̄cipia diabolo donabimus. Reliquos Christi fideles, vt opem pro suis facultatibus afferant, indulgentiarum largitionibus, & gratijs spiritualibus alliciemus. Et quis erit, qui audito Pontificis motu, nō moueatur? Nisi fallimur hæc vnica via est, quæ dormientes Christianos valeat excitare, & regum, ac populorum corda mouere. Vulgata deliberatio quasi tonitru magnum excutiet somnum, & ad tuendam religionem fidelium mentes eriget. Non arma, non equi, non homines aut naues deerunt. Terra mariq. facile struemus bellum, postquam certa res fuerit Romanum Pontificem cum sacro senatu recto itinere communem salutem quærere, nec alienum desiderare argentum, qui non modo suum aurum, verum etiam & ipsum corpus pro Christi nomine sit expositurus. Hæc nobis in mentem venire, an ingenio nostro inuenta sint, an Deus ipse inspiraauerit, vos iudicate. Audiuerē cardinales non sine admiratione, & singulari stupore Pontificis verba: nec dubitauerē ex Deo esse, quæ Dei causam agerent; verum in re magna, nouaq. & antea nunquam audita consultationi tempus petiere: quo dato plures dies inter se collocuti: tandem ad Pontificem reuersi, dignam vicario Iesu Christi cogitationem dixere; qui more magistri pro suis ouibus ponere animam non dubitaret: nihil aduersus tam laudabile & altum propositum dici posse, quamuis aliqua difficultates obstare viderentur. Quibus apertis Pontifex, cui nihil esset non meditatū, facile occurrit. Placuit Venetis scribere, eosq. cohortari rem vt secretam tenerent, nec alijs communicarent, quàm illis, sine quibus tantum absolui negotium secundū leges nequireret, ita factū opus esse. Litteræ manu Pontificis scriptæ fuere, quas in epistolarum volumine reperire licet. Veneti cōcto rogatorum consilio, quantū necesse fuit, diuinam Pontificis meditationem iudicauerē; facturamq. suam rempublicā pro tutela

A tela fidēi rescripserunt quæcūq. Pontifex cuperet. Tum Pontifex suadentibus iisdem cardinalibus, Laurentium episcopum Ferrariensem probitate ac doctrina præstantem, & qui Franciæ mores nosset, in Gallias misit, regi, ac duci defensionem fidei pro desiderio Pontificis suasurū: & hic quidem iam remissa Gallorū legatione exceptis cardinalibus, qui remanserunt in curia, profectus est, iam sacra hebdomada procurrente, in qua pius Pontifex diuinum beati Andreæ caput iampridem in arce Narniensi seruatum traducere in Urbem statuit. Quam rem quoniam præcipuo studio, & singulari solemnitate gesta est, vt ab initio coepit, vsq. ad finem suo narrabimus ordi-

ne.

COMMENTARIORVM
 PII II. PONT. MAX.
 LIBER OCTAVVS.



Sancti Andree caput Romam delatum deuotissime à Pio exceptū, eius Apostoli historia breuis, & collecta.



ANDREAS Apostolus Iesu Christi beati Petri germanus post passionem Domini, cui interfuit, & resurrectionem, atque ascensionem eius in cælum, quam vidit, accepto cū reliquis discipulis Spiritu sancto ex Asia migravit in Græciam, & in Achaïam se contulit Peloponessii prouinciam, quæ sibi in sortem prædicationis obuinit, Moream nostram ætas vocat. Et quoniam promissionem acceperat à Domino, quando relicta naui, & retibus posthabitis ad eum transiuerat, quòd fieret piscator hominum, haudquaquam fraudatus est: prædicator enim effectus, & doctor veritatis eximius, infinitos homines, linguæ suæ hamo piscatus est, quos Christo lucrificavit, atque ab eo instructa prouincia religionis nostræ sacra suscepit; cognouitq. Christum Dei filium cum Patre & Spiritu sancto vnum esse Deum, ac sanctæ Trinitatis fidem venerata est. Ipse autem sanctus Apostolus iam senio confectus sub Egea proconsule in ciuitate Patracensi cruce suspensus interiit, eoq. martyrio coronatus, quo frater suus Petrus, & quo magister Iesus Christus. Propterea cum accessisset ad crucem, eamq. suauissimis verbis salutasset: Accipe, inquit, discipulum eius, qui pependit in te Iesus Christus. Claruit autem multis miraculis, & in vita, & post obitum, quæ in eius historia referuntur. Corpus eius Maximilla religiosa mulier conditum aromatibus sepeliuit, longoque deinde post tempore in Italiam translatum, & in Amalphitana vrbe reconditum fuit: quæ ob reuerentiam eius metropolis effecta: sepulchrum habet gloriosum, & operis magnificentia, & concursu populi; caput vero apud Patracenses in summa reuerentia, & grandi custodia seruatum vsque ad annū salutis sexagesimū supra mille quadringentos: tunc autem translatio eius hoc modo facta. Irrumpentibus in Peloponessum Turcis, duo

Acis, duo Despoti id regni obtinebant Thomas, ac Demetrius fratres Constantini Græcorum Imperatoris, qui apud Constantinopolim paulo ante in eius excidio fuerat interfectus: horum maior Demetrius, postquam parum opis afferri à Christianis animaduertit, acceptis alibi possessionibus, ex quibus ageret vitam, ad Turcas defecit. Thomas vero natus minor nullo pacto induci potuit vt his seruiret, qui germanum suum occiderant, atque imperium Græcis ademerant, & Christiana sacra polluerant: cumque imparem sese Turcarum viribus, neque spem ullam auxiliij cereret, migrare ex Peloponneso statuit, cuius **B**iam partem magnam tradente Demetrio, Turcæ occupauerant. Prius tamen quam inde abiret, Patras perrexit, quæ ciuitas in eius manu erat, & accepto inde sancti Andree Apostoli preciosissimo capite ex sacrario, cuius ipse custodiam gerebat, cum coniuge & liberis, multis Græciæ nobilibus comitantibus, ad Arte Despotum se contulit in insulam, quam vocant sanctæ Mauræ Epiro vicinam: neque enim tantum thesaurum hostibus relinquendum existimauit, quamuis illi vt rem sordidam conculcassent: curauit ne sanctum Domini canibus relinqueretur, & iter suum prosperius comitante Apostolo iudicauit. Profectus est igitur incolumis ad cognatum Despotum, & cum eo aliquandiu commoratus non minori diligentia sacrum verticem, quam coniugem ac liberos custodiuit. Interea multi principes Christiani, & qui sunt in Italia, & qui trans alpes habitant, Apostolici capitis audita transuentione, legatos ad Thomam misere, multum auri promittentes, si sacras reliquias impetrarent. Id vbi cognouit Pius Pontifex maximus, exilium tam sacri capitis admodum ægretulit. At postquam sua sede expulsus non facile restitui poterat, nusquam dignius sibi refugium censuit, **D**quàm Romæ apud ossa germani sui beati Petri Apostolorum principis, & apud sedem Apostolicam arcem fidei, ad quam confugere omnibus tutum est, qui suis ecclesijs eijciuntur. Misit igitur & ipse suos nuncios ad Thomam, qui pie factum dicerent, quòd ex Vrbe ruitura, & in manus infidelium hostium ventura, preciosissimum Apostoli caput abduxisset, nec fuisset perire. Facturum vero impie atque crudeliter, si alteri quàm Romano Pontifici traderet, cuius est de Sanctorum honoribus iudicare; aut si alibi esse vellet, quàm Romæ cum fratre suo, &

cognatis ossibus: adduceret id Romam; futurum aliquando vo. A
 lente Deo, quod in suum folium ope germani restitueretur; ca-
 ueret ne rem sacram iniussu Papæ cuiquam crederet, nisi Apo-
 stolorum indignationem vellet incurrere: nec inopiam causa-
 retur, venturo enim ad Urbem, ibique mansuro, hi sumptus
 fierent, qui principi conuenirent. Victus his Despotus nauiga-
 turum se Anconam promisit, sacrumq. pignus adducturum; nec
 mentitus est: siquidem ad annum quadringentesimum sexage-
 simum primum supra millesimum post Christi Saluatoris or-
 tum, Anconæ appulit incolumis (vt credibile est) Apostoli au-
 xilio, ex validis & horrendis ereptus procellis, quæ illo anno B
 Hadriaticum pelagus plus solito vexauerunt, & innumerabiles
 naues forbuerunt. At Pius aduentu cognito Alexandrum sanctæ
 Sufannæ presbyterum cardinalem vitæ sanctimonia, & lit-
 terarum doctrina celebrem, eò legatum de latere misit: qui re-
 cognitis sancti Apostoli reliquijs, eas ex manu Despote assumeret,
 atque cum apparatu & reuerentia, quæ tam sacræ rei debe-
 retur, Narniam vsque deferret, & ibi collocaret in arce à præ-
 fecto seruandas, donec vehi ad Urbem possent his honoribus,
 atque cæremonijs, quæ conuenirent: quod tunc fieri non pote-
 rat sæuiente bello, quod tyranni circa Romam Pontifici intu- C
 lerant. Alexander profectus Anconam diligenter inspecto ca-
 pite, & signis recognitis, vbi verum Apostoli verticem esse iu-
 dicauit, veneratus est eum, & acceptum à Despoto, auro ei pro
 com metu ad curiam donato cum egregio comitatu, solemnique
 pompa, & multis luminaribus transtulit in arcem Narnien-
 sem, & ob signatum commendauit præfecto, atque aliquandiu
 decenter ardentibus perpetuo coram eo lampadibus seruatum
 est. Elapsis deinde pluribus mensibus cum res bellicæ Pontifici
 prospere successissent, & Iacobus Picininus infestus Ecclesiæ
 hostis ex agro Romano pulsus abiisset; tyrannique amissis plu- D
 ribus oppidis fracti animo ad veniam Pontificis recurrissent,
 ceterique perculsi metu, aut sese dedidissent, aut procul effu-
 gissent: & iam pax in agro Romano restituta esset, & secura
 per circuitum quiete populi potirentur; nec audiretur amplius
 fragor armorum: statuit Pontifex honoratum caput in Urbem
 aduocare; vtque eo magnificentius exciperetur adueniens, quo
 maior adesset populus, omnibus qui in eius introitu Urbem ac-
 cederent, aut receptioni interessent, remissionem omnium pec-
 catorum

A catorum plenariam est pollicitus: ac decretum in eam rem fa-
 ctum ad præcipuas Italiæ vrbes transmisit præscripta die ad-
 uentus; quæ cum prope instaret, tris cardinales elegit, Bessa-
 rionem episcopum Tusculanum natione Græcum, vtriusque
 linguæ peritissimum, virumque magni nominis, & Alexan-
 drum, cuius ante meminimus, ac Franciscum administratorem
 ecclesiæ Senensis, atque hos iussit Narniam petere, depositum-
 que sanctum pignus inde afferre. Interea Romæ omnia para-
 bantur, quæ ad solemnem ac magnificam receptionem san-
 cti Apostoli digna videbantur. Verebaturque Pontifex ne in ho-
 B nore tanti Apostoli diminute agere videretur, nec quicquam
 satis arbitratur. Fuitque illi animus Apostolorum Petri &
 Pauli gloriosissima capita, quæ in æde beati Ioannis apud La-
 teranum condita sunt, obuiam ducere, atque cum illis extra
 Urbem aduenienti sacro Andreae vertici occurrere: quod ne
 fieret argenti moles impediuit, quo ipsa capita sunt inclusa,
 nam supra quattuor millia pondo feruntur: estque præterea
 multum ferri, quod neque frangi sine graui incommodo, ne-
 que portari poterat. Ommissa est igitur ea capitum delatio, man-
 datumque, vt quibus diebus ante meridiem beati Andreae ca-
 C put per Urbem eueheretur, post meridiem Apostolorum ca-
 pita in Laterano publice omnibus ostenderentur, quod non
 sine maxima populorū frequentia factum est. Cardinales Nar-
 niam missi cum eo venissent, recognitis signis, sanctissima ve-
 nerati sunt ossa, eaque cum tremore, & summa reuerentia su-
 scipientes ad pontem Miluium detulerunt ipsa die Palmarum,
 quæ fuit pridie idus Aprilis, anno salutis secundo & sexagesi-
 mo supra millesimum & quadringentesimum, occurrentibus
 per omnem viam innumerabilibus populis, laudantibus Deum,
 & sese Apostolo Andreae commendantibus: secundoque ab Vr-
 D be milliario in ipsa pontis turri venerandas reliquias per no-
 ctem seruandas collocarunt, duobus archiepiscopis Perocto Si-
 pontino, & Alexio Beneuentano, qui excubias agerent, ibi
 relictis. Pontifex autem ea die celebrata in Apostolico pala-
 tio apud sanctum Petrum pro veteri consuetudine Palmarum
 solemnitate, post meridiem cum sacro senatu cardinalium,
 & omni clero statuit ecclesiam sanctæ Mariæ in Populo pete-
 re, ibique noctem agere, vt sequenti die sacro capiti inde oc-
 curreret: hæret enim ea ecclesia portæ Flaminæ, quæ ducit ad
 Z 2 pontem

pontem Miluium Tyberi iniectum: sed angebatur metu plu-
 uie, quę impendere videbatur, nubes celum obduxerant ful-
 gura, & coruscationes vbique visabantur, exaudiebanturque
 passim tonitrua, nec spes erat serenitatis: & quamuis multi
 dies nebulosi, humectique precessissent; tunc tamen precipue
 minari videbatur ether, & horrida tempestas instare, ventis
 omnibus Urbem versus nubes impellentibus, ita vt crederet ne-
 mo absq. maximo imbri iter fieri posse: sed (mirabile dictu) ser-
 uauit sibi suum tempus magnus Andreas, nec iter cleri sese ho-
 noratum euntis interuere pluuiam passus est: nam etsi dies no-
 ctesque mensis eius madidæ fuerunt, eo tamen tempore, quo
 sacrum caput vehabatur, & quo Pontifex illi obuiam perre-
 xit, nunquam aquæ gutta cecidit super terram qua parte eun-
 dum fuit: & omnis illa imbrium congregatio, quæ transitum
 Pontificis occupatura videbatur, vsque in noctem se continuit;
 ita vt sicco vestigio iter fieret. Nox vero humida spem ade-
 mit posse in crastinum optata solemnia celebrari, & in aliud
 tempus transferenda existimabantur: at mane exorto cessa-
 uit pluuiæ, & sol splendens super terram inuitare ad eundem vi-
 debatur. Mox tres cardinales qui sacrum caput in ponte Mil-
 uio reposuerant, eò profecti id acceperunt, & Urbem versus cū
 pompa eduxerunt.

Apparatus Pij
 ad sacrum ca-
 put excipien-
 dum, eiusque
 oratio deuo-
 tissima, hym-
 nusq. canta-
 tus, & pompa
 omnium æta-
 tis nostræ ma-
 xima, concur-
 sus nationum
 incredibilis.

Ponti Miluio vicina sunt prata latissima, quæ Romam pe-
 tenti via Flaminia ad sinistram iacent: ea tum herbida erant
 & florida, atque adeo læta, vt ridere viderentur: in horum
 medio iusserat Pontifex suggestum erigi ex materia ita ampli,
 & solidum, vt omnem clerum, qui aderat, continere posset: atq.
 altum adeo, vt quæ ibi fierent ab omnibus, qui essent in præ-
 tibus, perspicue cernerentur, sublimi ara in medio constituta.
 Præmissis igitur tribus cardinalibus, vt memoratum est, pau-
 lo post Pontifex ipse cum reliquo senatu, cumque omni clero,
 cum legatis principum & proceribus Urbis, atque ingenti po-
 puli multitudine Flamineam portam exijt, palmæ ramum in
 manu gestans, & pariter cardinales; reliqui prælati palmas por-
 tauerunt, quibus præcedenti die ab ipso Pontifice donati fue-
 rant ob Saluatoris memoriam. Plena erat omnis via populo,
 nec vel agri vel vineæ præ multitudine hominum videri pote-
 rant, adeo vulgus obtexerat omnia. Vt primum in prata ven-
 tum est, quæ diximus, iussit Pontifex cardinales ac prælatos
 ab equis

A ab equis descendere, & sacerdotalibus acceptis ornamentis, sa-
 crisq. vestibus quantum arcus iacere potest, iter pedibus agere,
 secumq. suggestum conscendere. Erant omnium sacerdotū pa-
 ludamenta alba, albæ mitræ, & omnis ornatus albus, & in viri-
 di prato candidior videbatur: tenebat ora cunctorum attonita
 mirabilis ordo & dignitas, & pompa tot sacerdotum, qui bini
 palmas gerentes in manibus, & Deo preces porrigentes cū Pon-
 tifice maximo astante populi corona per prata lento passu, &
 grauibus incedebant vultibus. Erant duo aditus in suggestum
 per gradus clementes, alter ponti Miluio erat oppositus, alter
B Urbis; & dum Pontifex hunc ascendit, præ gaudio & deuotio-
 ne illacrymans, sequente collegio, cleroque omni; Bessarion
 cum alijs duobus cardinalibus alterū scandit, arculam ferens,
 in qua sacrum caput clausum continebatur, eamque deposuit
 in altaris medio, cantoribus sacra carmina intonantibus. Exin
 facta silentio, præsentatis clauibus, & obsignaculis recognitis
 aperta est arcula: & Bessarion accipiens sacrum Apostoli ver-
 ticem flens silenti Pontifici tradidit. Ipse autem Pontifex prius
 quàm sacra ossa contingeret genibus flexis, ante aram prostra-
 tus, vultu demisso & pallenti, madidis oculis ac tremula voce
C in hunc modum locutus est.

Aduenisti tandem ò sacratissimum & odoratissimum sancti
 Apostoli caput, Turcarum te tua sede furor expulit. Ad fratrem
 tuum Apostolorum principem confugisti exulans: non deerit
 germanus tuus tibi: restitueris in folio tuo cum gloria, volente
 Domino; licebitq. aliquando dicere, ò felix exilium, quod tale
 reperit auxilium. Interea temporis cum tuo germano aliquan-
 diu commoraberis, & pari honore cum eo poteris. Hæc est al-
 ma Roma, quam prope cernis precioso tui germani sanguine
 dedicata: hanc plebem, quæ circumstat, beatus Petrus Aposto-
D lus frater tuus pietissimus, & cum eo vas electionis sanctus
 Paulus Christo Domino regenerauit. Nepotes tui ex fratre Ro-
 mani omnes te veluti patrum, patremque suum venerantur,
 colunt, obseruant, & tuo se vti patrocínio in conspectu magni
 Dei non dubitant: O beatissime Apostole Andrea, veritatis præ-
 dicator, & assertor Trinitatis eximie, quanto nos hodie gau-
 dio replet, dum verticem hunc tuum sacrum & venerandum
 coram aspiciamus, qui dignus fuit in quo visibiliter sub ignis
 specie in die Pentecostes sanctus resideret paraclytus? O vos,
 qui

qui Hierosolymam petitis ob reuerentiam Saluatoris, visuri A
locum vbi pedes eius steterunt, ecce sedem sancti spiritus, ecce
diuinitatis solium: hic hic confedit Spiritus Domini, hic tertia
in Trinitate persona visa est, hic oculi fuerunt, qui sæpe Domi-
num in carne viderunt: hoc os sæpe Christum est allocutum:
has genas non est dubium, quin sæpe Iesus fuerit osculatus: en
magnum sacrarium, en charitas, en pietas, en animæ dulcedo,
en consolatio spiritus. Et quis est, cuius viscera nō commouean-
tur? cuius non ardeant intima cordis? cui non excidant præ-
læticia lacrymæ in conspectu tam preciosarum Apostoli reli-
quiarū? Gaudemus, exultamus, iubilamus aduentu tuo (diuinif-
sime Apostole Andrea) Neq. enim dubitamus quin tui capitis
comes adsis, & cū eo Urbem ingrediaris. Odimus Turcas Chri-
stianæ religionis hostes, in hoc non odimus, quod tui aduentus
causa fuerunt; nā quid nobis optatius contingere potuit, quàm
tuum hoc honoratissimum intueri caput? eius fragrantissimo
perfundi odore? Id molestum est, quod aduentanti tibi non eos
honores impendimus, quos mereris; nec te possumus pro tua ex-
cellenti sanctimonia digne suscipere: sed accipe voluntatem no-
stram, atq. æquo animo patere, quod pollutis manibus tua con-
tractamus ossa; & te peccatores intra moenia comitamur Urbis. C
Ingredere sanctā ciuitatem, & esto propitius Romano populo:
sit omnibus Christianis salutaris tuus aduentus, sit pacificus in-
gressus tuus, sit felix faustaq. tua nobiscum mora. Esto noster
aduocatus in cælo, & vnā cum beatis Apostolis Petro & Paulo
hanc Urbem conserua: & vniuerso populo Christiano pie consu-
le; vt vestris patrocinijs fiat misericordia Dei super nos; & si qua
est eius indignatio propter peccata nostra, quæ multa sunt, tran-
seat ad impios Turcas, & ad nationes barbaras, quæ Christum
Dominum contemnunt.

Prouocauit oratio Præfulis omnium lacrymas, nec quisquā
in suggesto adfuit vel clericus vel laicus, qui non ploraret, &
sua non tunderet pectora, beati Apostoli patrociniū implorans.
Fuerunt qui verba Pontificis adeo menti suæ impresserunt, vt
domum reuersi orationem ipsam, quasi ad verbū rescripserint,
Pōtificiq. tradiderint. Inter quos fuit Theodorus episcopus Fel-
trensium ingenio & doctrina iuxta præditus: eam cum Pontifex
oblatam legisset, admiratus est hominis memoriam, & vim in-
genij laudauit. Tenebatur loquente Præfule mirum silentium,
quam-

A quamuis singultus nonnullorum exaudiebantur, qui peccata
sua plangentes, ploratum retinere nequibant. Ardebant lumina
ria circum & omnis in pratis populus finem tacitus expectabat.
Postquam vero Pontifex dicendi finem fecit, exosculatus est sa-
crum caput, & omnes pariter, qui erant in suggesto flentes os-
culati sunt, & rursus Pontifex.

Omnipotens (inquit) sempiternæ Deus, qui cæleste simul &
terrenum moderaris imperium; quiq. nos hodie beati Andreae
Apostoli tui preciosi capitis accessione consolari dignatus es:
tribue, quæsumus, vt eius meritis & intercessione perfidæ Tur-
B earum gentis attrita superbia, & omnium infidelium sublata
molestia, Christianus populus secura tibi seruiat libertate, Per
Christum Dominum nostrum. Et cum omnes respondissent,
Amen; accepit venerandas Apostoli reliquias in manus suas,
& eleuans in altum circuiens vndiq. suggestum, ostendit popu-
lo desideratū donum: nec quisquā fuit, qui eius visione priuaretur:
moxq. voces altissimæ auditæ sunt multitudinis, Dei mise-
ricordiam implorantis, ita vt omnes circumualles redderent so-
num. Post hæc alta voce intonatum canticum, cuius initiū est:
Te Deum laudamus. quod fama est Ambrosium & Augustinū
C viros in Ecclesia celebres condidisse; & eo finito cantores hym-
num cecinerunt in hunc modum:

Primus hic Iesum sequitur vocantem,

Et crucem primus similem subiuit

Martyr Argiuis veneratus oris

Omne per æuum.

Hinc Pius Graios populante Turca

Præda ne fiat canibus cruentis

Tollit, & sancta profugum secundus

Excipit Vrbe.

D Seq. cum sacro comitem senatu

Obuium præbet: redolente Roma

Floribus festis, resonante clero

Cantica laudum.

Sacra fert dextra nitidus sacerdos,

Splendidi carmen referunt Quirites

Almæ sis nostræ columen, precamur,

Et pater Urbis.

O pugil sanctæ fidei supremus,

Z 4 Primus

Primus agnoscens Dominum vocantem
 Primus & letho simili triumphans
 Protege Romam.
 Fac diem faustum, Deus alme, nobis;
 Fulmen in Turcas acuens trifulcum;
 Audit Andreas populum precantem,
 Talia reddens.
 Te precor cæli fator atq. terræ
 Tolle iam clades, scelerumq. poenas;
 Et tui tandem populi misertus
 Contere Turcas.
 Hoc Pius pastor, meritiq. tanti
 Pronus exorat; miserere fessis:
 Da manum mundo prope iam labenti
 Maxime rector.
 Hoc duces Urbis Petrus atq. Paulus
 Supplices poscunt, pariterq. Roma
 His velut nitens geminis columnis
 Strata precatur.
 Da Pio vitam, rogitamus omnes,
 Solus in Turcas animo perenni
 Ausus Alpinos superare montes
 Arma vocavit.
 Et caput præbet proprium libenter,
 Nomen ut Christi veneretur orbis,
 Et viam nostræ videat salutis
 Perfidus hostis. Amen.
 Hunc hymnū iubente Pio ediderat Agapytus episcopus An-
 conitanus ciuis Romanus, incertum iuris interpres, an orator
 vel poeta præclarior. Descendit ex in Pontifex de suggesto lumi-
 naribus vndiq. circumdatus, & venerabile pignus in suis mani-
 bus tenens, portauit in Urbem: cardinalibus & episcopis, ceteris-
 que prælatis suum seruantibus ordinem, & palmas præseferen-
 tibus. In via præ multitudine plebis & equorum non pauci com-
 primebantur, vixq. aditus in tanta populi frequentia patebat.
 Ad urbis portam cleri pars adfuit cum sacris, occurrens Aposto-
 lo venienti: quo salutato, redijt cum eo in Urbem. Et pontifex
 Ecclesiam beatæ Mariæ ingressus, caput Apostoli in altari de-
 posuit apud imaginem gloriosæ Virginis matris Domini, quam
 tradunt

A tradunt beatum Lucam Euangelistam effinxisse; & benedicto
 populo episcopos ordinauit ex numero referendariorum, qui vi-
 giliis illic per noctem agerent; & ipse in cubiculo apud eandem
 Ecclesiam preparato pernoctauit. Nec dum sol conditus est, &
 ecce mutato aere, nouas Austro pluuias adduxit, quæ noctem
 totam vsq. ad auroram tenuerunt, adeoq. ingentes ceciderunt
 imbres, vt nulla spes esset in crastinum efferendi per Urbem capi-
 tis ad basilicam beati Petri, vt institutum erat. Communis om-
 nium mentes occuparat moeror, tantam solemnitatē, quæ præ-
 parata erat, impediri dolentiū, & tantam populi expectationē
 B frustrari. Confluxerant infiniti aduenæ ex Germania, Gallia,
 Hungaria, & reliquis transalpis regionibus: tum vero ex Italia
 innumerabiles aduentauerant plebes, & viri multi nobiles studio
 visendi sacratum verticem; adeo vt in Iubileo, qui sub Nicolao
 quinto Pontifice Romano celebratus est, quē constat fuisse ma-
 ximum, nunquam vna die maior hominum multitudo visa fue-
 rit; & omnes tristes erant, ij præsertim, qui nō fuerant in pratis,
 nam multi postea introierant: nec Pium Pontificem minor affli-
 gebat moestitia timentem super populo, cuius desideria frustrari
 animaduertebat; & hinc ciuibus, inde aduenis cōdolebat, qui pa-
 C riter angebantur. Rogabant autem vniuersi Deum, vt serenita-
 tem in crastinum elargiretur. Quos nō audire noluit diuina mi-
 seratio; ac vero simile est impetrasse beatum Andream suo capi-
 ti placidum tempus, qui exauditus est pro sua dignitate. Subito
 enim paulo ante solis exortum siue Aquilo fuit, siue Boreas, aut
 alius ventus, nubes omnes pepulit, & cælum nitidum, serenūq.
 reddidit, & sol ipse splendidus, ac supra modum fulgidus appa-
 ruit in oriente, ita vt multi meminerint, & præcipue Pontifex,
 ipse illius diffici-
 D Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane
 Diuisum imperium cum Ioue Cæsar habet.
 Sed mutauit Campanus carmen, dixitq. circumstantibus:
 Nocte pluit tota, redierunt tempora nostra
 Nox fuit acta hostis, luxerit ista Dei.
 Et subiunxit:
 Humida præterijt tempestas, sicca reuersa est,
 Nox inimica abiit: luxit amica dies.
 Iussitq. Pontifex accersiri cardinales, & parari quæ essent ad e-
 ducendam pompam necessaria: ipse vero in cubiculo suo cele-
 brauit,

brauit, & passionem Dominicam legit eius diei secundum Lucam: & finito sacrificio, cum iam frequens senatus adesset, & omnis clerus; accersitis cardinalibus percontatus est, quid facto esset opus: nam ducere in pompa caput Apostoli decretum erat; verum pedibus, an equis iter agendum, nondum certum; & si enim mundauerat hesternam die populus omnem viam, qua erat eundem, nox tamen pluuiosa multum superinduxerat luti, & transitus in lubrico solo sacerdotibus sacra ferentibus, & sacris indutis vestimentis difficillimus videbatur: tum longitudo itineris grauis apparebat senibus, nam circiter duo millia passuum conficienda erant ab æde sanctæ Mariæ Popularis ad basilicam sancti Petri per mediam Urbem. Itaque multorum sententia fuit indulgendum esse cardinalibus, episcopis, & abbatibus, ut in equis incederent, reliqui pedibus ambularent. At id Pontifici minime placuit, ne vel diuisa processio pompa videretur, vel parua sacerdotum deuotio, & minor impensa diuino Apostolo reuerentia; iussitq. ut omnes pedibus irent, honorarentq. suo labore sacrum verticem, digniq. fierent indulgentijs: si qui vero senes, aut valetudinarij id laboris subire non possent, irent alio itinere equitantes ad sanctum Petrum, & ibi in gradibus expectarent ante fores aduentum pompæ; & nihilominus qui non possent totum iter pedibus agere, possent autem partem, tantum irent, quantum suo ex arbitrio valerent, selecto loco ex quo possent ad sanctum Petrum pedibus peruenire. Quo audito perpauci fuerunt, qui non totum iter ambulare decreuerint. Ex cardinalibus quidem Ioannes Prenestinus excellens theologus extremo confectus senio, & Prosper Columnensis doctrina ac nobilitate illustris, verum podagra vexatus, ad Vaticanum occultis adytibus se contulerunt: Ludouicus cardinalis S. Laurentij in Damaso domi se continuit: Nicolaus sancti Petri ad Vincula natione Germanus, & Ioannes sanctæ Priscæ Hispanus viri docti & religiosi graui detenti valetudine, cum interesse non possent, petierunt ut domi manentes Indulgentiarum participes fierent, quod Pontifex indulxit: Nec Philippum cardinale Bononiensem Nicolai Papæ quinti Germanum morbus recentis interesse permisit: Bessarion episcopus Tusculanus parum validus in Campo florum pompæ sese immiscuit: & ad ædem principis Apostolorum non sine graui labore peruenit; homo non tam annis, quam morbis contractus: reliqui omnes cardinales,

ales, excepto Ruteno, de quo post dicemus, iter totum pedibus exegerunt. Paucissimi quoque ex episcopis abfuere, quamuis multi ægrotarent. Fuitque grande spectaculum deuotione plenum, & reuerentia grandæuos videre senes suis pedibus per lubricum ambulantes, palmas in manu gestantes, & in canis capitibus albas portantes mitras, vestimentis sacerdotibus indutos, & ipsis candidis luminibus in terram defixis nusquam flectentes oculos, sed orantes, & diuinam misericordiam super populo implorantes: & nonnulli, qui prius in delicijs enutriti vix centum passus ire poterant non equis vecti, hac die duo millia passuum onusti sacris vestibus, in luto & aqua facile perrexerunt. Vilhelmus episcopus Ostiensis onus suæ carnis, nam pinguis erat, & ætate prouectus, non sine labore tulit; homo nobilis & regio sanguine natus: nec Alano sanctæ Præcedis cardinali non difficile fuit molem sui corporis ferre, ambo tamen alacres viam peregere: at Ioannes episcopus Portuensis natione Hispanus, vir ciuili doctrina excellens, qui paulo ante ex legatione Hungarica redierat, non parum admirationis præbuit, qui & si senex erat, & valetudinarius, læto tamen & vultu & animo iter totum orando confecit: fascem portabat amor, & nihil erat amanti difficile: laborarunt in via non parum Alexander sanctæ Susannæ, & Iacobus sanctæ Anastasiæ cardinales, quorum alterum valetudo non bona, alterum sextus & sexagesimus annus prægrauarat; vicit tamen deuotio, & nulla in parte pompæ defuerunt. Latinus Ursina gente natus, laboris alias impatiens, & imbecillo corpore, ea die fortior effectus, nihil intereundum laborasse visus est. Reliqui omnes ætate & robore valebant, ut Petrus sancti Marci Eugenij quarti, Ludouicus sanctorum Quatuor Coronatorum Calisti tertij nepotes; Riccardus Constantiensis, qui olim Caroli regis Franciæ consiliarius fuerat; Nicolaus Theanensis, qui pridem exercitibus ecclesiæ præfuerat, Marsosque domuerat; Ioannes Atrebatensis, qui paulo ante abrogata sanctione pragmatica redierat ex Gallijs, Iacobus Papiensis litteris humanitatis apprime præditus, Rodericus Vicecancellarius, & ipse Calisti nepos ingenio præstans, Franciscus Senensis cuius ante meminimus; Franciscus Mantuanus nobilissimis Italiæ atq. Germaniæ familijs sanguine iunctus: fuitq. in omnium vultibus & grauitas, & religio, & deuotio, neq. vllus affuit gestus indecorus; adeoq. modeste incessit cardinalium ordo, ut supra

pra modum astantis turbæ commouerentur ad religionem ani-
mi: nec dissimilis visus est episcoporum & aliorum prælatorum
incessus, & in omni clero admirabilis apparuit compunctio cor-
dium. Aderant ecclesiarum totius Urbis sacerdotes Sanctorum
reliquias præferentes: Aderant splendide vestiti Romani ciues
conseruatores cameræ, Principes regionum, & reliqui magistra-
tus: Legati quoq. regum & principum, & urbis barones; ferebāt
que in manibus ardentes cereos, & suum quiq. ex ordine locum
tenebant. Pars Legatorū ac nobilium circa Pontificem colloca-
ta est, auratum ferens supra caput Apostoli pannum, qui solis
radios auerteret, quasi vmbraçulum; Baldachinum nostra ætas
vocat: reliqui antecedeabant clerum. Sunt qui asserunt triginta
millia candelarum ardentium in processu cleri & populi ea die
supputata fuisse; ad pontem Hadriani, dū illac bini & bini tran-
sirent homines, tantusq. inuentus est sacerdotium numerus sa-
cra ferentium, vt qui priores incesserant, antea ad sanctum Pe-
trū peruenierint, quàm Papa è loco suo se mouerit; & nihilomi-
nus alter instabat alteri, & præcedentis vestigium mox qui se
quebatur occupabat. Vt ergo cuncta fuerunt apparata, & pom-
pa iamdiu coeperat incedere, descendit Pontifex humeris homi-
num vt consueerat sella vectus aurea, nam pedum vsum iam
pridem, vt diximus, abstulerat podagra; misitque Ostiensem
episcopum, qui duobus cardinalibus comitatus, ex æde san-
ctæ Mariæ Apostoli caput ad se ferret: nam illi præ multitu-
dine plebis non patebat in Ecclesiam aditus: receptum est ex
altari nobile pignus, & in manibus Pontificis datum vidente
omni populo, & Dei misericordiam implorante. Pontifex il-
lud exosculatus accipiens, & ante se ferens, & circumfusæ mul-
titudini benedicens, coepit procedere hora iam decima tertia,
tantaq. vbiq. hominum turba viam obsederat, vt vix milites Pa-
pam stipantes iter fustibus aperire possent; quamuis extra Urbis
ædificia aliquandiu eundum esset; qua latiores inueniuntur se-
mitæ: flexit enim Pontifex ad dextram Tyberim versus, & secū-
dum fluminis ripam incedens reliquit ad sinistram Augusti tu-
mulum; quibus in locis, & si late alias patent, nihil eo die vacuū
erat, adeoque dense inter se hominum turbæ cohærebant, vt ia-
ctum tritici semen vix posset in terram cadere, & pari modo vici
omnes vsque ad sanctum Petrum obsessi reperiebantur: nec tur-
ba eadem erat, quæ dimisso vno loco alterum occuparet: sed no-
ua vbi-

ua vbiq. hominum facies offendebatur. Itum est prope Tybe-
ris cursum, donec ventum est ad frequentia urbis ædificia dextro
itinere. Exin pompa ad sinistram flexit, & per arctos ciuitatis
vicos, & altas ædes venit ad templum Pantheon, quod gentiles
dijs omnibus, idest demonibus, maiores nostri gloriosæ Virgini
matri Domini, & sanctis omnibus consecrarūt: atq. illac per pla-
team magni templi vertit se ad dexteram manum quousq. præ-
terijt diui Eustachij sacellum: ibiq. rursus sinistrorsum itum est
ad ædes vsq. Eberardi cardinalis sanctæ Sabinæ, scientia iuris e-
minentissimi, & exemplaris viri. Tumq. tertium ad dexteram in-
clinatum est, & via itum, quam Papæ vocant, vsq. ad ædes Ma-
ximi recens editas. Illinc denuo sinistrum iter acceptum vsq. in
Campum florum, quo ad dextram pertransito, platea sancti
Laurentij in Damaso occurrit, quo in loco sinistro itum est vico
vsq. quo rursus quoq. adesset ripa Tyberis, & postremo dextra
via ad molem vsq. Hadriani peruentum, vbi ponte transmissio
per viam sacram ad sanctum Petrum iter habitum, quod vbiq.
floribus, & odoriferis herbis stratum fuit. Qua vero frequētes ci-
uium ædes inuentæ sunt Vrbe tota tecta erat pannis, ac ramis ar-
borum via, ne sol offenderet, & omnes domorum parietes orna-
ti, quos aulea, pictiq. tapetes operuerant. Ingentem Romani &
lætitiā & deuotionem ostendere, & pariter curiales, & adue-
næ inuicem certantes, quo alter alterum in honore Apostoli su-
peraret; quicquid ornamentorum in domibus fuit, id totum ef-
fusum est, ad decorandas sacro capiti vias: nulla preciosa vestis
ea die non est ostensa. Matronæ ac virgines in ostijs & in fene-
stris domorum cum luminaribus, & ornatu, qui tempori conue-
niebat, orantes pompæ transitum intuebantur; sacrumq. caput
venerabantur. Fumabant per triuia & vniuersas vias altaria, ar-
debant thura passim, & thimiamata, & odoratæ arboris ramus-
culi, pictas tabulas, egregias statuas, & quæ viuos exprimerent
vultus quisquis domi habuit, in porticu ante fores, in propatulo
collocavit. Multis in locis personatus varij visebantur. Pueri an-
gelos cæli repræsentantes, alij dulce canebant, alij organis psal-
lebant, nullū musicæ artis instrumentum non audiebatur, & si-
mul Apostoli laus æthera implebat. Tum viri fortes, & diuersa
miracula passim suspensa, transeuntium oculos detinebant. Su-
perauit inferiorum & æqualium omnium studia Melchior equi-
tum Rhodiensium procurator, homo frugi, & doctus, qui pro fo-
ribus

ribus suæ domus altari erecto, multa incendit thura, & ornatus A
 varios adhibuit, & cantores & tibicines, & diuerso, & delectabi-
 li concentu transeuntes Apostoli reliquias honorauit. Cardina-
 les, qui eo in itinere habitabāt, cuncti suas domos mirifice appa-
 rarunt. Spoletanus quamuis abesset, petierat enim ecclesiā suam
 per sacrā hebdomadā plebeculę suę, & suis ouibus satisfactorius:
 ministros tamen domi reliquit, qui & plateā adiacentem pannis
 operuerūt, & parietes perpulchre ornauerūt, sed victus est ab A-
 lano S. Praxedis cardinali, quē vocant Auinionensem; is ædes ha-
 bitauit in Cāpo florū, quo in loco magni Pompei theatrū fuisse
 comemmorant, nunc Vrsinorū palatia sunt, quæ nepos Eugenij B
 Papę cardinalis Portuensis in alieno solo maximo sumptu ædifi-
 cavit: Alanus altari in foro erecto, tectoq. pānis aureis, & multis
 odoramētis incensis præaltos quoq. palatij muros preciosis vesti-
 uit ornamentis, quæ ab Atrebato ciuitate Gallię in Italiam fe-
 runtur. At omnium sumptus atq. conatus, & omnium ingenia
 lōge superauit Rodericus Vicecancellarius, qui ædes suas, quas
 in solo veteris monetæ altissimas & amplissimas construxit; di-
 uitibus & admirabilibus pannis operuit: tum cælū sublime ere-
 xit, in quo multa & varia suspendit mirabilia; nec suas tantum
 domos, sed vicinas etiam adornauit, ita vt platea circumducta C
 paradifus quidam videretur suauibus plena sonis, & cantibus,
 seu plurimo fulgēs auro domus, sicut Neronis fuisse perhibetur;
 tum carmina plurima appensa parietibus legebantur ab electis
 ingenijs recens edita: quæ grandioribus conscripta litteris, & di-
 ui Apostoli laudes, & Pij Pontificis præconia continebant. Nec
 Thufci negotiatores, mensarijque, qui prope Hadriani pontem
 habitant, suas domos inornatas reliquere: quippe qui alter alte-
 rum & sumptu & nouarum rerum studio superare certabant.
 Nulla fuit platea, nullus uicus, qui habitatores haberet, qui non
 aliquid admiratione dignum præferret. Pontifex igitur per tot
 mirabilia vectus, vehensq. sacrum verticem, deniq. in eam pla-
 team peruenit, quæ ante principis Apostolorum basilicam latif-
 sime patet: hanc externus impleuerat populus; nam Romani
 (præter eos, qui pompam duxere) in suis vicis mansere, præfer-
 tim feminae. Hic maxima exorta est vociferatio, & quasi mur-
 mur aquarum multarum, cum viso Apostoli capite, cuncti sese
 ei tundentes pectora cum gemitu & vlulatu commendarent.
 Ascendit Pontifex scalam marmoreā multorum graduū, quā
 ipse

A ipse magno sumptu, paulo ante construxerat pro foribus atrijs
 nam vetus illa Constantini opus (vt relatum est) iam defecerat.
 Superatoq. summo gradu, vertit se ad multitudinem, & benedi-
 xit ei, sacrum ostendens verticem. Ingressus vero atrium contem-
 platus effigiem beati Petri, quæ sedet ante vestibulum templi, &
 tanquam statua illa germani aduentu lætabunda fletet, colla-
 crymatus est, duorum fratrum, qui se iam pridem non vidissent,
 concursum, atque complexum mente reuoluens. Processitq. in-
 de in ecclesiam, quæ tota luminibus ardere visa est; nam & ip-
 sa plena erat viris ac mulieribus: & pauci aderant non habentes
 B aut candelas aut cereos in manibus accensos: tum lampades
 innumerabiles, & candelabra lucebant, quæ omnia modu-
 lantibus organis, & canente clero admirabiliora reddebantur.
 Ventum est ad aram maximam non sine magno labore inter
 confertissimas turbas, quæ vix gladijs dabant locum. Sub ara
 corpora iacent diuorum Apostolorum Petri & Pauli, orbe toto
 veneranda. Hic preciosum B. Andreae caput repositū est: quod
 prælati, & viri excellentes, qui aderant omnes exosculati sunt.
 Anno, qui præcesserat proximus percusserat apoplexis Isidorū
 episcopum Sabinensem sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem
 C natione Græcū ex Peloponneso, qui olim Roxanis Boreali gen-
 ti præfuerat, cui & si sermonem ademit, intellectum tamen non
 abstulit: manebat hic domi languens; qui vbi transeuntem an-
 te suas ædes sacrum verticem conspicatus est, nullo pacto retine-
 ri potuit, quin sequeretur sanctas reliquias. Venit igitur suis pe-
 dibus in beati Petri basilicā, & ingressus ferreas craticulas, quę
 sancta sanctorum cingunt, & maius altare custodiunt, accedens
 Pontificem signis ac nutibus indicauit se cupere diuinum Apo-
 stoli verticem osculari: impetrata venia flexis genibus, cū mul-
 tis singultibus & lacrymis, & maxima reuerentia desiderio suo
 D fecit satis, & tanquam voti compos exultauit: domumq. lætus
 redijt: nam quasi patriæ suæ cōditorem vidisset, ita sibi ipsi com-
 placuit, & longe iucundior visus est venerandus senex abire.
 Tum Bessarion cardinalis dextrū apprehendens cornu, & hinc
 sacrum Apostoli caput, illinc Pontificem intuens, sermonem ha-
 buit in hunc modum:

Ecce frater tuus (Beatissime Petre Apostolorum princeps)
 & tu vas electionis, & doctor gentium, qui vltimo in Apostola-
 tum vocatus pari dignitate principatum cum Petro obtinuisti:

En, in-

En,inquā, vester Andreas, qui primus vocatus, ceteris viam ad A
Saluatorem ostendit, adest; ecce vester Andreas, vt qui in celo
vobis coniunctus, ac conditori Saluatoriq. humani generis affi-
stens, gloria contemplationeq. perfruitur, etiam in terris corpo-
re hoc tempore coniungatur, resideatq. aliquandiu vobiscum; is
qui supra mille quadringentos & viginti octo annos ab assump-
ptione Domini corpore à vobis disiunctus extiterat. Hunc enim
Achaia, vt nouistis, quā olim suo sanguine Deo cōsecrauerat re-
tinens procul à vobis, vrbeq. Romana, quæ cōditores, quæ vos
magistros fidei, quæ vos sanctos verosq. pastores adepta est, po-
situm fidelissime custodiuit: huius vero aduentus sui causam nō
ignoratis, qui non modo cuncta præterita, verum etiam plera-
que futura in uerbo contemplamini. Ceterum ut non ad vestrā,
sed ad Christianorum, si qui sunt qui ignorant, id notitiam per-
ueniat: En ego, inquit, tuus Andreas, Petre frater, postquam à
Saluatore primo, deinde tuo iussu ad prædicationem Euangelij
missus, post multas diuersasq. nationes, quas fidei rectæ Chri-
stianoq. nomini dedicaueram, tandem in Achaiam Peloponne-
si prouinciam, multitudine hominū, tum nobilitate, tum doctri-
na præditorum refertam, ita longe lateq. Euangelij ueritatem
disseminauit, ut omnem prouinciam ab idolorum cultu, ad ueri C
Dei religionem conuerterim, ob quam rem ab Egea proconsule,
cuius uxorem etiam gladio igniq. spiritus ab eo ereptam Chri-
sto obtulerā, sacratissimę eius cruci eo mortis genere, quo tu &
magister noster Dominus Iesus, ipse quoq. finem finiui. Vbi à
Maximilla proconsulis coniuge sepultus, ad hæc usq. tempora
quieui à Christi cultoribus honoratus, magnisq. sublatus præco-
nijs. Sed cum Maumethica gens, (heu rem miseram atque fune-
brem) quendam diaboli filium Antichristum Mahumet sequēs
occupatis primo ceteris Græciæ atq. orientis partibus, tandem
nouissimis his temporibus Achaiam quoq. impijssime subiugaf
set, ac nefario cultu subuertisset: inde ego nutu diuino ex im-
piorum manibus profugiens, ad te uniuersalem Christiani gre-
gis pastorem à Deo constitutum, tanquam ad tutissimum por-
tum me recipio, ut quemadmodum Paulus tuus, immo noster à
fratribus in sporta per ciuitatis muros demissus, eius qui in Da-
masco præerat, crudelissimas manus, ut cursum suum consum-
maret, & Euangelij prædicationem finiret, euasit; ita ego quo-
que ad te confugiens, filios, quos mihi, uel potius tibi, immo ue-
ro Chri-

A ro Christo Domino nostro genueram, impijs nunc, & truculen-
tissimis hostibus subditos, & non modo libertate corporum pri-
uatos, sed etiam de fidei integritate periclitantes, ope atq. auxi-
lio tuo ad pristinā libertatem reducam, ad veri Dei cultum resti-
tuam, & ab omni gentiliū spurcitia purgatos, Christo Deo no-
stro incolumes reddam; rem tibi profecto gratam, atq. nimium
acceptissimam desiderans. Non ne tu ille es (zelantissime Petre)
qui Malcho pontificis seruo in Christum noctu cū ceteris irruen-
ti, auriculā gladio amputasti? ad grauiora quoq. processurus,
nisi clementissimi magistri nostri voce perculsus abstinuisses?
B Non tu ille es, qui si proditorē nouisses extemplo in eū irruens,
cruciatibus affecisses, & vel dentibus eum discerpisses? Non tu
ille es, qui Ananiā & Sapphiram, quod Spiritui sancto menti-
ti fuissent morte mulcstasti? Quid modo ages? an vero in impios
Turcas salutiferæ ac sacratissimæ crucis acerrimos hostes, per-
quā te meq. recepit, qui per eā nos redemit, in barbaros membra
Christi crudeliter dilaniantes, & Christū ipsum contumelijs ac
blasphemijs continue afficientes, segnis eris aut piger? ita ne eos
patieris? ita ne eos impune debacchari permittes? Nō decet hoc
integritatem tuā; non decet tuum illū feruentissimū & incompa-
C rabilē zelū. Si talia pro rebus minoribus egisti, maiora certe pro
multo maioribus facies: cū tibi præsertim Christiani reges, prin-
cipes, ac populi colla subiiciāt; tibi obediant; tuis iussis vt Domi-
nicis mādatis obtemperent; & quod omniū præcipuū est, talem
hac tempestate successorem habeas, cui inter alias virtutes hæc
potissimum cura, hoc desiderium animo infidet, vt innocentem
sanguinem Christianum crudelissime effusum iusta animaduer-
sione vlciscatur. Romani tui, quorū vrbe magistrā ante erro-
ris inueniens, veritatis discipulam, atq. reginam, & sacerdotalē
ciuitatem per sacram tuam sedem effecisti, caputq. totius orbis
D religione diuina, quàm terrena dominatione latius præfidentē
instituiisti: illi inquam Romani tui, cum adhuc gentiles essent,
nec dum tui non fratres & filios, sed socios & amicos regnis suis
ab hostibus eiectos, vt Massinissam à Syphace, vt Ariobarzanē
à Mithridate, vt alios ab alijs pulsos ad se profugientes, suamq.
poscentes opem suis sumptibus, laboribus, & periculis iuuerūt;
ac cum magna & illorū & sua gloria restituerunt. Quanto ma-
gis tu, Petre sanctissime frater, germano tuo, & in passione socio
proprijs pulso sedibus, & filijs tuis ac tuo gregi, cui pascendo pa-
A A storem

storem te præfecit Dominus, inter tot tormentorum, ac calamitatum genera subuenies; oppressos subleuabis, & ex iniquorum manibus eripies? Nunc illo, quem contra Malchum euaginaueras, utendum est gladio contra seruos peccati, contra seruos iniquitatis, contra mancipia omnis spurcitæ; nunc manibus, nunc dentibus, nunc omni cruciatus genere, non contra Christi proditores duntaxat, sed contra eius vexatores, atque oppressores irruendum, nunc in eos, qui Spiritum sanctum blasphemant, & irremissibiliter peccant, Christum Dei filium esse negantes nutu, verbo, dextra Dei animaduertendū est; nunc vomeres in gladios vertendi, nunc vendenda tunica, & gladius emendus; nunc tuus zelus exardeat, nunc Pauli tui gladius acuatur, ut tua ope, atque auxilio per potentissimos occidentis principes fide, quæ prædicasti, quæ approbasti, qua pater vniuersorū factus es, super petram Christum ædificata Ecclesia contra portas inferi præualeat, auctore & teste ipsa veritate Domino nostro Iesu Christo. At ut hæc ad te dicta sufficiant, nunc successorem tuum dignissimū, & verum Christi vicarium, Pontificem summū appello, qui me summis excepit honoribus, qui me tanta fide & deuotione hesterno die salutauit; qui tali me oratione affatus est, ut & ipse lacrymatu sit, & omnes fere ad lacrymas commouerit. Quippe qui etiam lapidea corda ad fletum facillime conuertisset. Te inquam (Pie Pontifex maxime) oro, te precor, te obtestor, ut quæ à fratre petij, tu qui sedem eius merito tenes, qui ei in Pontificatu digne succedis, exequaris, atque perficias. Auge indies animum, quem ad vindictam Christiani sanguinis hæcenus habuisti, ne desistas hortari principes Christianos, & quod totiens à te interpellati sunt, minime desperes, verebuntur aliquando Christum: verebuntur Petrum, teque, meque rogantes induent Christianum, regiumque animum; digna tandem se facient, & crudelissimos hostes aggressi, gloriam sempiternam, cum magna tui nominis celebritate, & populi Christiani salute adipiscantur; cui te Deus incolumem cum felicitate diutissime conseruet sedis Petri gubernacula cum summo decore & moderatione tenentē: & tibi pro sua pietate præstet gratiam, ut qui cum magna me gloria in hac Vrbe in presentiarum accepisti, cum maiori in patriam aliquando reducas: quemadmodum magno cum affectu tua sponte heri pollicitus fuisti. Auditus est Bessarion non absque attentione & gratia, quamuis fessi patres ex itinere quietem cuperent, &

iam

A iam sextadecima esset hora: nec tamen illo finiente grauati sunt audire Pontificis responsum, qui hæc subintulit verba.

Si loqui possent beatorum Apostolorum sacratissima corpora, quæ sub altari iacent, aduentu profecto tui venerandissimi capituli, diue Andrea, magnopere congratularentur, & verbis amplissimis suam lætitiā explicarent, & quæ per te petita sunt auxilia vltro promitterent: sed requiescunt illa sine voce vsque in diem Resurrectionis. Sentiunt tamē hodie sicut vere credimus, ob presentiam tam cari, & tam cognati capituli miram suauitatem, & internam quandā dulcedinem; maxime beati Petri gremio tui ossa, quibus fraterna charitas plus aliquid affert: spiritus autem eorum in cælo sunt in regno Christi: nec dubium est, quin de te cogitent, & opem diuinam implorent, qua tuus hic vertex in suum solium restituatur. Agit Petrus, agit Paulus tuam causam, & digni sunt ambo qui exaudiantur à Domino; ne dubita exaudiet Iesus Christus vocem fratris tui, cuius est non fratrem tantū, sed fratres omnes confirmare, dicente Domino ad eum: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos; quod non inepte ad confirmationem sediū trahi potest. Restitueris volente altissimo fratris auxilio, & beati Pauli precibus, & confirmatione in eo, ut speramus, vsque in finem sæculi. Quantū vero ad nos attinet, quia nostri quoque facta est mentio, qui locū germani indigne tenemus, ne multis moremur, tibi, Andrea dignissime Christi Apostole, quæ ab ineunte ætate vsque in hoc æui præcipuo cultu venerati sumus, & intra cæli cultores, cum plerisque alijs nobis aduocatum & protectorem elegimus, omnes supplicias, quæ sunt in nostra potestate ad recuperandas tuas oues, tuamque domū hic in terra, volenti & cupido animo pollicemur. Nihil est enim quod nobis magis cordi sit, quàm Christianæ religionis, & orthodoxæ fidei defensio, quam tui nostrique hostes Turcæ conculcare nituntur. Quod si Christiani principes nostram vocem audire voluerint, & suum pastorem sequi, videbit, & lætabitur omnis Ecclesia: nec nos, quæ sunt officij nostri neglexisse, nec te frustra huc impetratum fratris auxilia venisse.

Atque his dictis, & collecta decantata, surgens dimisit in altari nobile pignus, ut omnibus ea die videndum pateret, auditoribusque sacri palatii custodia demandata. Indeque abiens cantantibus cardinalibus, & episcopis, & alta voce Deum laudantibus, iuit ad locum ex quo videri poterat, & multitudini bene-

A A 2 dixit,

dixit, ac nepos eius secundum carnem Senensis cardinalis plenarias indulgentias annunciauit: Atq. in palatium reditum est, & sequentes maioris hebdomadæ dies diuinis officijs pro veteri obseruantia sunt attributi, & passionis Dominicæ sacra peracta non absq. plebis ingente deuotione.

Excommuni-
catio Sigismū
di Austriæ, &
Malatestarū,
& solemnita-
tis progressus.

In quinta vero feria, in loco ad id electo Pontifex cum cardinalibus, & omni clero, consuetū promulgauit anathema, & homines quattuor perditionis filios nominatim excommunicauit atq. extra Ecclesiam Christi fecit; Sigismundū ex Austriæ Principibus, qui violentas manus in cardinalē sancti Petri episcopū suū Brixinensem iniecerat ipsa die sacra, & magna Dominica resurrectionis; ac Gregoriū Hanburgensem cognomento Erroriū, qui paulo ante velut hereticus fuerat cōdemnatus, vt qui auctoritatē Ecclesiæ parui faceret, cōtemneretq. censuras & damnatos dogmatizaret errores: tertio loco excommunicati sunt duo fratres tyranni, alter Arimini, alter Cæsenæ, Sigismūdus, & Malatesta filij Pandulphi ex genere Malatestarū extra matrimonium nati: qui sæpius requisiti debitū Ecclesiæ Romanæ censum soluere contempserunt; & Sigismundus quidē totius malitiæ caput, & venenata mens sine religione, sine fide, sine Deo nullius peccati nō reus, paulo post (quod tamen ante dictum est) de hæresi cōuictus, condemnatusq. est. Die sabbati, quæ fuit Aprilis xvij. celebrato grandi officio, cum benediceret populo Pontifex maximus, promisit in crastinum ob reuerentiam resurrectionis, in Ecclesia principis Apostolorum sese rem diuinam facturum, portaturumq. eo sacrum Andreæ caput, vt iterū atq. iterum videretur: Quod ex altari beati Petri abductum in palatio claufurat. Res noua & insperata fuit: Nam propter ægritudines, & absentiam Pontificis ante quattuor annos non viderant Romani suum Pontificem diuinam hostiam offerentem: cumque suis pedibus stare Pius Præsul nequiret, excogitata ingenia sunt, vt D quasi sedens celebraret. Ab eo tempore quo sacrum caput ex Narnia portatū est, vsq. id sabbati, singulis diebus, noctibusque pluit, tantumque pluuia cessauit, quantum id fuit in itinere. Quod in religionem piæ mentes verterunt, tanquam Apostolo suo in publicum exeunti, eam serenitatem condonaret Deus: auxitque eam religionem ipsa dies Paschæ, in qua lata serenitas fuit. Descendit itaq. in Ecclesiam Apostolicam Pontifex sacrum præ se gestans verticem; & diuinam rem agens Hostiā obtulit Deo

A Deo acceptissimam, filium suum; tradiditq. compluribus sacrificissimū Christi corpus, & clericis & laicis sua manu: inter quos fuerunt oratores Venetorū Nicolaus Sagundinus, & Senensū Augustinus Dathus, ambo insignes rhetores, & philosophi elegantes Græcis ac Latinis litteris imbuti: nec minor his Polycarpus regis Hungariæ legatus, & alij præstantes viri. Expleto sacrificio accepit Pontifex venerabile caput, & pergens in pompa cum cardinalibus, & clero, venit in eam templi partem, qua sancta seruatur Veronica (sic enim appellant admirabilē Iesu Christi faciem impressam sudario, quod Veronica insignis mulier illi obtulit) stetitq. procul, & iussit ostendi sudarium: Petrus cardinalis sancti Marci nobili loco apud Venetos natus, Eugenij, vt diximus, nepos, & archipresbyter eius ecclesiæ, scala conscensa venerabilem sacramq. Domini figuram ostendit, ter pro suo more misericordiam implorante populo. Fuit res venerata, & admiratione dignissima, illinc sanctum intueri Saluatoris vultum: hinc eius Apostoli preciosas reliquias; tum Pontificem maximum cum cardinalibus, & omni clero flexis genibus, nudatis capitibus orantem cernere. Exin ventum est ad locum benedictionis, in quo non minor turba hominum fuit, C quàm nuper in priori pompa; viderunt & qui nouiter aduenerant nobile Apostoli caput, & benedictionem Pij Præfulis acceperunt, ac remissionem plenariam delictorum, qui per confessionem atque contritionem capaces fuere. Abijt deinde in ædes suas Pontifex, & sacras Apostoli reliquias secum ferens seruandas in arce sancti Angeli recondidit, donec ei locus idoneus apparari posset.

Obierat non multis mensibus ante hoc tempus Rhodiæ militię Magister natione Gallicus: conuentus alterum delegerat ex Hispania citeriori, Petrum Raymundum Zacoſtam castellanū D (vt vocant) Imposte, acris ingenij virū, & qui annos supra quadraginta religioni militasset. Consueuere milites Rhodienses Gallicum sibi plerunq. Magistrum assumere: superat enim in conuentu Gallica natio reliquas: sed erat iam prope ad extremam inopiam deducta religio, quæ mercatoribus aureorum supra ducenta millia debuit; ideo ad Hispanos se vertunt, ea spe, vt religionis incommoda Hispanica resarciat abstinentia. Petrus Raymundus, vt primum se nouit electum, ordinatis in Hispania rebus, ad Pium Pontificē pro confirmatione se contulit,

De Magistro
Rhodiorum,
& Rhodi in-
sulæ exitu, cul-
tu, ac vetusta-
te, & qui in
ea claruerūt,

splendido suæ religionis equitum stipatus comitatu; qui auditus A in consistorio paucis post Pascha diebus, cuncta quæ voluit impetrauit; nec diu moratus in curia cum benedictione Pontificis nauigauit in Rhodum. Pius Lollium patruem suum eidem religioni addictum cum eo vel inuitum misit, ne panem otiosum ederet. Magnum est & vetus Rhodiæ nomen insulæ, propter quam rem non alienum putauimus hoc loco antiquitatem eius & situm, & fortunas, quæ breuissime recensere.

Rhodus insula nonigentorum, ac viginti stadiorum ambitu patet, Lyciæ opposita, siue (vt Ptolemæo videtur) Cariæ, inter Asiaticas insulas tertia; Lesbus enim, & Cyprus maiores habentur; Rhodij tamen rerum gestarum gloria præualuerunt. Insula prius Ophiusa dicta est, deinde Stadia, & postea Telchinis, eo quod Telchines insulam incolerent, quos nonnulli fascinores & maleficos fuisse tradunt, tanquam Stigiam aquam stirpibus & animalibus perniciosi gratia inspergerent. Alij contra sentiunt Telchines eximios artifices extitisse, primosq. ferri & æris fabricam inuenisse, quos ex Creta in Rhodum profectos vicini per inuidiam fascinationibus perdidit, sed priorem infamiam valuisse: sæpe enim apud homines succumbit veritas. Post Telchines, Eliades insulam tenere, quorum posterum Lindum & Iasyolum & albam Camirum condiderunt: alij tamen à Tlepolemo conditas aiunt: qui cum primum virilem iniisset ætatem patris sui auunculum Licimnium senectute grauem interfecit, & nauibus ædificatis frequentem cogens populum fuga in Rhodum peruenit, ibiq. habitauit ab Argis profectus, propter quam rem originem Rhodiorum alij Eolicam, alij Doricam esse tradunt. Sunt enim qui Dorientes cum maximas ædificassent vrbes, post Codri obitum, partim Argiuorum aggregatos regno tradant, partim Colonia in Cretam missæ participes factos, partim Rhodum petiisse. Sed hæc posteriora sunt his, quæ ab Homero dicuntur, qui Rhodios non Dores nominat: sed Eoles ac Boetios innuit, apud quos Hercules, & Licimnij habitatio erat. Est autem Rhodiorum vetustissimum nomen. Siquidem ante Olympiadum institutionem claruere, qui longe profecti à domo in Hispaniã nauigarunt: ibiq. alteram Rhodum urbem condidit, quam postea Massilienses occuparunt: & in bello Troiano fuisse traduntur, atq. eo peracto Gymnasias insulas edificasse, quas quidam Balcares esse putant. Poetæ antiquitatem ac nobilitatem insulæ

astruentes

A astruentes fabulã confixere, dicentibus in insula pluuisse cum Pallas è Iouis capite nasceretur (ut Pindarus inquit) nomen insulæ ab urbe sumptum, quæ pari modo Rhodus appellaretur in Orientali promontorio sita; ea portibus olim, & uis & moenibus, & reliquis ornamentis, tantopere ceteras superauit, ne ullã putaretur æqualem habere; legum præstantia, & naualis rei peritia adeo ualuit, ut annos multos maris imperio potiretur, & piratarum latrocinia sustulerit. Romanis & Græcis amica, quæ cum libera esset, multis & donis & simulachris excellentissimis claruit, præcipua tamen fama Colossi extitit: statuem enim alij B Iouis, alij Solis fuisse tradunt, quam Chares Lindius decies septenũ cubitum altam edidit, ea postea ex terremoto fractis genibus corruit: nec Rhodij attollere ipsam ausi sunt, oraculo quodam prohibiti: hoc inter oblata dona excellentissimũ, & inter septem miracula maximum omnes confessi sunt. Soldanus Aegypti cum insulam inuasisset, ex cre huius statue, quæ cofractam reperit noningentos camelos onerasse fertur, atq. in Alexandriã traiecto modico freto per Lyciam & Syriã terrestri itinere transmisse. Fuit & Protogenis pictura insignis Hyalius scilicet, ac Satyrus iuxta columnam stans, super qua perdix erat, ad quem C ita homines habant, cum nuper tabula esset posita, vt illum solum admirarẽtur, Satyrum vero contemnerent, quanquam perfectissimum opus: augebant admirationem perdices mansueti, qui à nutritoribus allati, & contra pictum appositi canebant, & cõgredi gestiebant: quod præter opinionem Protogenes accidisse videns Aedituos rogauit, vt se auẽ delere permetterẽt, quod illi annuerunt. Fuerunt & naualia apud Rhodum instructissima, & aliqua occulta, & ignota plebi, in quæ si quis introspectisset capite plectebatur. In hac vrbe & Massiliæ, & Cizici fabricarum & architectorum instrumenta armorumq. varia genera in D thesauris, summa cura studioq. locabantur, magis quam penes alios vsquã. Ex hac insula viri illustres multi prodierunt, & imperatores, & pugiles, è quibus Pannetij philosophi progenitores fuere; & Memnon, qui Persarum regibus militauit, & eorum copias duxit; circa res ciuiles & philosophiã & artes liberales Pannetius ipse, & Stratocles & Andronicus Peripateticus, & Leonidas Stoicus, ac priores Praxiphanes & Hieronymus & Eudemus: Possidonius vero quanquam Rhodi vixit, & Sophisticam exercuit, Apamiensis tamen è Syria fuit, quemadmodũ Apol-

A A 4 Ionius

Ionius Malachus, & Mœeq; qui Alabandenses fuere; sed prius Apollonius Rhodum profectus est, postea Molon: Pisander etiã qui Heracliam scripsit, poeta Rhodius fuit; & Simias grammaticus, & Aristocles, Dionysius quoq. Thrax, & Apollonius, qui Argonautas composuit Alexandrini quidem fuere; Rhodij tamen vocati sunt, quoniam Rhodi habitauere: Cleobolus insuper vnus è septem sapientibus è Lindo fuit: cuius vrbs habitatores quemadmodum Camirenses & Iasylenfes omnes in vrbe Rhodiã migrauerunt. Vbi Lindus fuit nunc carcer est religiosorum militum, qui atrociter peccant, & munitio quædam in altissimo saxo vix humanis expugnanda viribus. Multa ciuitas Rhodia per ciuilia Romanorum bella perpeffa est: nec sub Græcorũ imperio calamitatibus caruit; sed postquam Saraceni Aegyptũ & Syriam; Turcæ vero Asiam obtinuerunt, longe maioribus claudibus subiecta fuit, & aliquando Venetorum iugum, aliquando aliorum Christianorum pertulit, neq. villo pacto Turcarum viribus restitisset, nisi religiosi milites, qui beato Ioanni dicati sunt eius insulæ curam suscepissent. Ii enim, post Hierosolymã perditam, in eam sese receperunt, & vrbem pene dirutã instaurantes, naualiaq. & classes reformantes, non solum insulam ipsam tutati sunt, sed Cyprijs, & alijs finitimis Christum colentibus magno præsidio fuerunt: quorum virtute quicquid in oriente nostræ religionis est, Christo seruatum fateri licet. Abtifaacus Aegypti dominus magnis classibus per nostram ætatem armatis, toto quinquennio Rhodum vexauit. Multo tamen minora intulit damna, quàm pertulit: nec dispari fortuna Turcarum conatus in Rhodios facti ceciderunt: nam & apud oppidum sancti Petri quod Rhodij incontinenti munitissimum obtinent, & in ipsa insula magnas sæpe strages acceperunt. Calistus tertius, qui Pii in beati Petri sede præcessit, classem non paruam in auxilium Rhodiorum misit, quæ diu apud eos morata, plures Turcarum naues prælio superatas demersit, & corpora hominum palo suffixit: Stalimumq. insulam, Lemnum olim appellatã, & Taxũ & Hembrum, & alias quasdam minoris nominis Turcarũ imperio ademit, nec Aegyptios quiescere permisit, neq. Syras, neque Cylicas: sed mortuo Calisto dissoluta classe, Ludouicus cardinalis Aquilegiensis, qui ei præfectus erat, Romam redijt, Rhodo & omni oriente nostræ religionis cultore in discrimine, summaque desperatione relicto, & acquisitã insulã ad hostes redire, cum

Are., cum Pius intestinis Italiæ motibus, & subditorum seditionibus occupatus, longinque prospicere non posset: præsertim cum Roma ipsa in periculo esset, non solum baronibus per circuitum, sed aliquibus Romanis ciuibus (vt relatum est) res novas molientibus, & ecclesiasticæ potentiaë insidiantibus. In Rhodo montem omnium altissimum Atabyrim vocauerunt, pro gentili dementia, Ioui sacrum, qui ex loco Atabyrius dicebatur. Castellum sancti Petri, quod incontinenti magno sumptu Rhodij custodiunt, non paruo vsui Christianis est, qui manus Turcarum incidunt: sæpe enim eò fugientes saluantur. Canes ingentes noctu extra muros excubant, de quibus fama est, quòd Christianos odore cognoscant, eisq. aduentantibus blandiantur; Turcas autem latratu prodant, & moribus insectentur, Turcæ & ad castellum delendũ, & insulam inuadendam ingentes apparatus facere dicebantur, cum Petrus Raymundus dimisso Pontifice nauigauit in Rhodum.

Per idem tempus Pius in senatu retulit de loco natiuitatis suæ in ciuitatem erigendo, quod summo consensu factum est, & pro Corsiniano Pientia dicta. Quam rem Campanus his versibus explicauit.

C Quæ noua sublimi profurgo Pientia colle,
Causa mei quæ sit nominis ipsa loquar.
Me Pius ornata templo, murisq. resectam
Esse vrbem voluit, quæ fueram oppidulum.
Tecta suæ gentis, primis in moenibus, ædes
Tangere marmoreum sidera iussit opus.
Addidit & nomen, lectoq. è more senatu,
Urbanos ritus, & noua iura dedit.
At vos vicina, quæ surgitis oppida terra,
Inuidiæ nihil est, nam genui ipsa Pium.

D Hinc nono milliario distat nobile oppidum, & amplum nomine Ilcinum, quod à Pientia Senas petentibus in altissimo monte ad sinistrã cernitur, cui & sacramenta & episcopalia quæuis iura abbas sancti Anthimi ministravit. Id monasterium est nõ procul inde situm in nemore ingens structura & magni Caroli (vt aiunt) opus, diues olim, & ab Apostolica sede præcipuis ornatum priuilegijs, cui plura oppida pleno iure fuere subiecta: sed incuria præfulum, paulo ante nostram ætatem in tantam peruenit inopiam, vt retentis ægre iuribus spiritualibus tempo-

Corsinianũ
fit ciuitas, ap-
pellaturq. ex
Pontificis no-
mine, & au-
ctore Piëtia,
& ecclesia do-
tatur.

ralia quæq. perdiderit. Abbas qui nostro tempore monasterio præfuit, homo prodigus, & curarum expertus, quidquid remanserat temporalitatis aut neglexit, aut vendidit; adeoque cuncta dissipauit, ut in lectulo podagra languens, vix pane doloris, & aqua miseræ sustentaretur. Pius Ilcinum pari honore, cum Pientia ad ciuitatis nomen euexit, & in vtraque vrbe pontificalem instituit ecclesiam, & canonicorum capitula: sed vnum tantum episcopum esse voluit, & vnam dioccesim; quæ ex parochia Clusini episcopi, & Aretini, partim ex castellis ac locis constituta est, quæ ut diximus, monasterio sancti Anthimi suberant: Pius enim abbati, ut cederet persuasit, retenta quoad viueret pensione, monasterium dignitati episcopali incorporauit, & pecuniam ad redimendas, excolendaq. possessiones contulit: Episcopi creatio dilata est, quousq. Pius Pientiam peteret. Post hæc festum occurrit diuæ Catherinæ Senensis, quam supradiximus ab ipso Pio inter sanctas Christi virgines relatâ. Prædicatores Pontificem rogauerunt, ut ad honorandum sanctæ virginis sepulchrum, cum sacro senatu se cõferret. Itum est ad ecclesiam beatæ Mariæ virginis, quam de Minerua vocant, quia in ruinis exædificata est eius templi, quod olim Minerua fuit. Inde sacrificio peracto, & frequenti populo in summa expectatione benedicto, Pontifex in ædes propinquas cardinalis Atrebatensis sese recepit, & cum nonnullis cardinalibus apud eum pransus est, qui more Gallico splendidum conuiuium apparauerat, vesperi ad palatium redijt.

Vitruuij pro
fectio, eiusq.
amœnitas, &
iter qua ten-
derit Sorianũ
& Phalarim.

Paucis post diebus elapsis, Viturbienſia petiturus Balnea è Roma discessit: primam noctem apud Campanianum egit: secundam in ciuitate Castellana in ædibus amici episcopi: tertia die prandium sibi in placido nemore nõ procul à Fabrica oppido apparari iussit; transitu per Phalarim habito. Id est monasterium peruetustum, in plano situm loco, verum sine monachis & habitatore: muri sunt ex quadrato lapide præalti sine calce adeo diligenter faxis ingentibus inter se commissis, ut vix queat iunctura discerni: ager magni oppidi capax muro cingitur: sed nulla insunt ædificia: in medio tantum ecclesia iacet adhuc integra; habitacula monachorum & officinæ magna ex parte corruerunt. Pontifex ex Fabrica Sorianũ petijt per vias eo tempore amœnissimas; in quibus cum genestæ ingens vis esset, eaque florida, crocea magna pars agri videbatur, pars virgultis alijs,
aut

A aut herbis tecta diuersis, modo purpureos, modo candidos, siue alios mille colores obiecit oculis. Virebant omnia Maio mense, & tum agri, tum silua ridebant, in quis aues dulce modulabantur: Soriani oppidum in alto colle iacet, ad eam partem Cimini montis, quæ spectat orientem, & ad Tyberim vergit: in summo cacumine arx est, opus antiquum, & vndiq. saxo, & præcipiti rupe munitum, & adeo sublime, ut tormentali lapide haud facile possit attingi. Britones huic loco famam dedere, qui per Gallicum intromissi Pontificem, vsq. ad Martini tempora & arcem & oppidum tenuere; atq. omne patrimonium beati Petri in Tuscia vexauere. Calistus Pontifex Cathalanum præfecerat, quem Pius vix multis oneratum promissis emisit, & Laurentium neptis suæ Montaninæ virum induxit. Diem ibi totam & duas noctes Pius absumpsit, cum soror adesset Laudomia, & neptis Montanina, quibus se negare non potuit suas & amicorum causas longo sermone commendantibus. Septem cardinales itineris fuere comites, duo Gallici, Rothomagensis, & Atrebatensis; vnus Hispanus Vicecancellarius: quattuor Italici, Theanensis, Papiensis, Senensis, & Mantuanus: cumq. his Vituruium petijt: duo in via non procul à Vituruium occurrerunt, Bononiensis & Spoletanus, quos toruis oculis inspectauit, nec dignos putauit alloquio, qui rudi quodam ingenio, & cæremoniarum ignaro, quam primũ videre Pontificem, ut moris esset; nõ desilierunt ab equis: illi postea suam ignorantiam accusauere, ac veniam petierunt. Pius summis honoribus apud Vituruienses exceptus est populo supramodum gestiente. Secuti sunt paulo post cardinales, qui Romæ remanserant fere omnes, cum pestis vrbem populari cepisset; breuiq. curia apud Vituruium aucta, neque incommode collocata. Placebat omnibus & vrbinitas, atq. humanitas populi, & vrbis amœnitas, in qua rara domus est sine fonte perennis aquæ, nec horti desunt: huc accedebat optimarum copia rerum: vina diuersi generis, quæ nec Florentinis cederent, nec Senensibus: panis candidus & gratissimi saporis, & quæ serpillo & odoratis pascerentur herbis animalium carnes. Pisces inde Tyrrhenum pelagus, hinc vicinus Vulscinensium lacus abunde supeditauit; nec iumentis suum pabulum defuit pretia rerum ipsi sibi ut voluerunt curiales statuere. Pontifex arcem inhabitauit, eoq. sibi afferri calidas aquas iussit quibus pro medicorum consilio vteretur. Egrediebatur singulis fere diebus primo diluculo
in agros,

in agros, pergratam, priusquam incalesceret: capturus auram ac virentes spectaturus fegetes, & florentia lina, quæ tum cælestem imitata colorē, ingenti delectatione aspicientes afficiebāt, nec vsquam plures, aut maiores campi, quàm apud Vituruienses lino seruntur; quod siue natura soli, siue quis macerantur aquarum, optimum apud eos inuenitur: ex quo præcipuas opes hauriunt. Lustrabat omnia Pontifex tum prata, tum fata, diuersis diebus per diuersa vectus itinera: nec tamen aut consistoria, aut signaturam negligebat: intereundum & supplices audiebat & legatos: reuersusq. aut in consistorio cum cardinalibus erat antequam pranderet, aut cum referendarijs in signatura, quam crebro apud Minores, qui obseruantes appellantur, agitauit, extra urbem placido in loco, quem paradisum appellant.

Ludouici regis indignatio, & multorum confictæ littere, eiusq. legatio, & Pij inuicta constantia.

Dum sic Pontifex animo suo indulget, Ludouico regi Franciæ ex Romana curia complures afferuntur littere, quæ Pium Pontificē sibi infensum asserunt, bellum Siculi regni ardentius, quàm antea vnquam instruere, cum pragmaticæ sanctionis abrogatæ litteras accepisset. Quibus rex credulus auditis, mirum inmodū succensuit non satis existimans, an verisimilia essent, quæ scribebantur: dictauitq. mox ipse ad Pontificem in hunc modum epistolam. Ludouicus rex Franciæ Pio Pontifici salutē. Existimaui pietatem tuam, maxime Pontifex, beneficijs vincere: abrogauit pragmaticam sanctionem, obedientiam liberam ad te missi, auxilia contra Turcas obtuli, concilium & res nouas aduersus Apostolicam sedem petentibus dure respondi, nihil mihi vnquā persuaderi potuit, quod non esset ex tua dignitate. Quis non putasset his officijs rigorem tuum mollescere debuisse? Mihi persuasum erat, si non fieres mitior, at certe duriores minime fieri: contra euenit Andegauensem, qui sanguis meus est, nunc potissimū regno conaris eijcere. Quid agam, si nequeo benefaciendo inquietum spiritum mitigare? experiar ne viam contrariam? non faciam, non fert animus Christi vicarium persequi, tenebo ceptum iter, & si nemo meorum est, qui non aliter consulat: fortasse pænitebit te aliquando suscepti odij, & nostro generi fies amicus, & assiduo tandē vinceris obsequio. Vale. Tolerabilia hæc & quæ Pontifex rescribendo facile confutauit. Duriora legatus attulit à rege missus Marefcallus Tolosanus, vir domi nobilis, quamuis sine litteris, & Italici sermonis ignarus, qui per interpretē in hanc sententiā verba fecit. Rogauit te Ludouicus Francorum

A corum rex auxilia, quæ Ferdinando in regnum misisti vti reduces, cessaresq. aliquando suum persequi sanguinem: quod vt libentius faceres, pragmaticam sanctionem è Gallijs eliminauit, & obedientiam tibi plenam restituit. Tu pro beneficio maleficium reddidisti; nouas in regnum copias misisti, & acrius vrges Andegauensem. Orat iterum rex, vt desistas, & amico velis vti Francorum regno; sin pergis Ferdinandi partes tueri, necesse est Gallos omnes etiam cardinales ex tua curia discedere, hoc ego illis mandatum assero; parebunt, ne dubita potius quàm temporalibus priuari fortunis velint. Cui Pontifex ita respondit. Et si multa & magna sunt Ludouici erga nos beneficia, non tamen idcirco iniqua petenda fuerunt, neq. nos decuit sui causa ab honesto discedere: Ferdinādo ex fœdere misimus auxilia, vim propulsauimus, ne possessor sine iudicio deijceretur. Auferat Ludouicus Andegauensibus arma, & litem de regno ad iudicium referat. Idem faciet Ferdinandus, aut nos hostes experietur, plura non licet offerre: Gallicis libertas esto, cum velint ex curia recedere, nulli claudentur portæ. Nos sortem, quam Deus tulerit, æquo animo expectabimus. Ea cum accepisset Atrebatensis, superfedendum ait, expectandamq. nouam iussionem regis priusquam curialibus mandatum fieret: Ludouicus enim & si publice Marefcallo de reuocandis curialibus mandatum dederat: clā tamen ne quo pacto id faceret imperauerat: terrificam verba esse voluerat, non facta; neq. id latebat Atrebatensem, itaq. tempus trahebat, si forsitan Pontifex metu perculsus de reuocandis auxilijs animum induceret. Percrebuerat iam tota curia rumor, regem Franciæ summo Pontifici succensere, & magna minari, nec dubium esse quin Gallici omnes abirent, nisi Ferdinandi causa relinqueretur indefensa. Accedere & cardinales, & alij complures, Pium orare supplices, vt sibi, & Ecclesiæ bene consuleret, referre quæ audiuerant de regis indignatione; curiam desertam dicere, abscedentibus Gallicis, maximum curiæ membrum penes eos esse, dandam operā ne abeant. Quibus Pontifex; Verba hæc sunt, inquit, non facient quod minantur: terrere voluerunt, non vincimur minis: manebunt Gallici, quamuis abituros simulent. Marefcallus cum dies aliquot mutationem Pontificis expectasset, frustra oportere se inquit iussioni regiæ satisfacere; petere igitur ne id Pontifex ægrefceret: cui Pius, Immo vero ait nimium distulisti: ito, & quamprimum regi pareto. Nec tamen sic ausus est quod

est quod minabatur efficere, sed diu postea secutus est curiam. **A**
 Interea cum prope adesset sacratissimi corporis & sanguinis
 Christi solemnitatis, quæ quot annis summa populorū deuotio-
 ne, & singulari religione in orbe Christiano celebratur; statuit
 Pontifex id festum quanta posset veneratione, & præcipuis ho-
 noribus profequi. Atq. in primis eius rei causa, viam publicam,
 quæ ab arce per mediam urbem ad cathedralem ducit ecclesiã,
 crebris impeditam moenianis, & tabulatis, & porticibus ligneis
 deformatam, purgari, & ad pristinum reduci splendorem iussit:
 ablata sunt omnia, quæ prominebant, & prospectum vicinæ do-
 mus auferebant, reddita est vbiq. sua mensura viæ. Quicquid a-
 blatum é publico fuerat, restitutum; nec paries parietem exce-
 dere, nec tectum tecto amplius prominere permiffum. Ex in car-
 dinalibus mandatum, vt partem viæ sibi quisque deligeret pan-
 nis tegendam, atq. ornandam. Quod reliquum fuit, inter episco-
 pos, & reliquos curiales distributum est. Quidam etiã inter car-
 dinales ad ornandas domos parietesq. suscipere. Pontifex in coe-
 meterio beati Francisci, quod ante vestibulum ecclesiæ fuit am-
 pliffimum, ex pannis diuersi coloris mirificum templum excita-
 tis repente trabibus, suspenso, tractoq. multo fune composuit:
 crexit altare hinc atq. inde diuitibus pendentibus aulæis, & mi-
 rabilia multa imposuit, quæ spectantiū oculos facile retinerent:
 fuit & vestibulum fericeis, & aureis pannis ornatum, & cubi-
 culum prope, & purpureus lectus, & historiæ veteres serico, lana
 & auro contextæ, & clarorum imagines virorum, & ferarum
 diuersi vultus: ex florenti genesta, & myrtho, & lauro arcus mul-
 tiplices, hinc atq. inde ab arce, vsq. ad fontem, qui est in plano
 post cliuum, admirabili opere deducti; strata floribus via in me-
 dio é regione templi triumphalis arcus excitatus: & cardinaliū
 formæ, virtutum, & insignia, quæ vento agitantur, cum Præ-
 fulis tum regum, & cardinalium parietes, aut picti tapetes, aut
 flores obtexere. Pontifex cum cardinalibus & omni clero fre-
 quentissimo astante populo, in templo, quod erexerat, primos
 solemnitatis Vesperas celebrauit, alto adhuc sole, cuius radij pa-
 rietes laneos penetrantes, tanquam Iridis arcus varios simulantes
 colores, quasi cælestem aulam, & summi regis habitaculum
 templi faciem reddiderunt: nec aliud quàm paradus quadã
 visa est, cum hinc cantores tanquam angeli dulces hymnos in-
 tonarent; inde luminaria mirabili artificio disposita, cælestia
 imita-

Festum cor-
 poris Domi-
 ni à Pio in-
 credibili so-
 lemmitate ce-
 lebratum Vi-
 turuij, & vr-
 bis ac cardi-
 naliū ma-
 gnificentissi-
 mus appara-
 tus.

A imitarentur sidera, & nunc vocēs humanæ dulce melos, nunc
 musicorum instrumentorum suavis concentus exaudiretur. Se-
 quenti die summo diluculo Pontifex ex arce, cum cardinalibus,
 & episcopis, atq. omnium curialium ordine in solemni pompa
 huc redijt, atq. hinc sacratissimã Hostiam ex altari suscipiens:
 versus cathedralem ecclesiam iter incoepit. Aderant frequentes
 populi, qui vel indulgentiæ causa (promiserat enim Pontifex om-
 nibus, qui adessent peccatorum plenariam remissionem) vel ad
 spectaculum ex vicinis oppidis confluerant; plena erat omnis
 platea, & constipata vbiq. viris, mulieribus ac paruulis via, vt
 difficile pateret Pontifici, ac pompæ transitus. Itum tamē est per
 confertissimas plebes, non sine pressura ac labore. Qua Pontifi-
 cis ornamenta desiuere Rothomagensis incoeperunt, & Constã-
 tiensis & Lebretei cardinaliū, qui suæ gentis morē, pannis, quos
 vocant Atrebatenses obduxere parietes, & altaria argento & au-
 ro ditia construxerunt, & multo thure cumularunt. Post eos re-
 ferendarij suas domos apparauere, imaginem Saluatoris sub al-
 tari, quod in sublimi locauerant, iuuenem quendam, qui æmula-
 retur, sudaretq. sanguinem, & aperto latere saluberrimo cruore
 calicem impleret, imposuerunt; & pueros quasi angelos addide-
 re alatos, qui versus heroicos canerent, aut elegiacos à doctis in-
 genijs editos. Subinde cardinalis sancti Sixti locum accepit, qui
 pro suæ religionis dignitate vltimam Domini coenã æmulatus
 Saluatorem cum discipulis expressit, & institutionem Sacramen-
 ti pro memoria passionis, & humani generis, vsq. ad finem sæ-
 culi, aduersus insidias demonum perpetua defensione; & Tho-
 mam Aquinatem virum sanctum quasi officium tantæ solem-
 nitatis ordinantem. Post eum cardinalis Mantuanus longum
 viæ tractum cooperuit, & nobilissimis adornauit historijs, quas
 peritissimi textores pannis appinxere diuitibus. Huic cardina-
 lis Portuensis successit, in cuius apparatu draco ingens, & mul-
 tæ malignorum spirituum facies horribile minari aliquid vide-
 bantur: Verum Draconi armatus miles Michaelis Archangeli
 gerens vicem, transeunte Pontifice, caput amputauit, & cuncti
 demones præcipites corruere latrando: cælum tanquam nubes
 rutilans pannus obduxerat, & parietes corium, more Betico flo-
 ribus distinctum aureis. Eraxerat & altare post eum cardinalis
 Nicenus, & pueros quasi angelos canentes induxerat: frequen-
 tes vbiq. fumabant aræ, sacerdotes pluribus in locis rem diuinã
 facie-

faciebant: sacra supellex & quicquid erat in vrbe sanctorum reliquiarum in propatulo auro & argento vestitū visibatur in aëris. Niceno Spoletanus successit, cuius ornamenta duo clausuræ arcus ex floribus & fronde viridi artificiose compositi: sacrarium & ara in medio fuit, & vis odorifera fumi, & puerorum canentium chorus; murorum & cæli prospectum pannus abstulit diuersi coloris, quem vocant saium. Proximus deinde Vicecancellarij apparatus occurrit quattuor & septuaginta passibus profusus. Cortina claudebat purpurea diues ostro, simulachra & personatas historias, & cubiculū adornatum & lectum preciosum, & fontem, qui non aquam modo, sed optima quoque vina per varias fistulas profunderet. Appropinquanti Pontifici duo se obtulerunt pueri tanquam angeli suaue canentes, qui postquam flexo genu diuinā Hostiam honorarunt, & Præsulem salutarunt, retro ad cortinam reuersi suaui, & alta voce cecinerunt: Attollite portas principes vestras, & introibit rex Pius dominus mundi; intus apparatu magnifico quinque reges, & armatorum cohors prohibere videbatur ingressum, qui auditis Angelis: Et quis est iste rex Pius? responderunt & angeli propter Sacramentum, quod Pius in pompa ferebat; Dominus, inquit, potens in orbe: Quo dicto mox cortina remota patuit aditus, & simul insonare tube, & organa, & musicorum instrumenta quamplurima, & reges Pontifici adulantes, voce canora, & dulci de laudibus eius heroicis versus alternantes recitauere. Intereundum ei homo siluester occurrit, leonem captiuum ducens, cum quo sepe luctatus est. Sublime pannorum erat per omnem plateam, quæ fontem ambit, & diues tectū: pendebant vexilla, in quibus Calisti Præsulis, & Borgiæ quondam præfecti vrbis insignia visibantur: aulea quoque non materia minus, quam ingenio & arte ditissima lateribus hæseret, quæ non turbæ tantum imperitæ, sed ipsorum quoque sapientum virorum destineret oculos, atque animos pascerent. In exitu triumphalem arcum in arcis modum ædificatum armati milites occupauere, qui tormētis æneis imitati tonitrua transeuntibus ingentem incussere timorem. Cardinalis sanctæ Susannæ, quod sibi obtigerat viæ post Vicecancellarium, naturam secutus, panno cælestis coloris obduxerat, & stellas impresserat aureas, & fontem induxerat vini albi, ornatum floribus, & altare odoratum, & statuas, quæ ridere viderentur, & canere, & chorum, qui voce viua, & musicis instrumentis ob-

staret

A staret turbam. Nicolaus cardinalis Theanensis, vt Pontifici res egregias cupienti morē gereret, ex Pistorio, vnde sibi origo fuit, ludorum artifices accersit, & pueros, qui dulce canerent. Huic platea obuenit, quam circū magistratus vrbis inhabitant; hanc cælestis, & albi coloris tela cooperuit, & tapetibus vndiq. adornauit, deduxitque plurimos arcus virenti vestitos hædera, & flore multiplici; nec columna fuit, quæ puerum quasi angelum nō haberet insidentem: duodeuiginti fuere pueri, vultu, voce, & habitu naturam angelicam imitantes, & ij alterna demandata carmina suaui cantu pronuntiabant. In medio fori sepulchrum **B** Dominicū excitauit, eius simulachrum, in quo vita nostra propter nos obdormiuit in Domino: armati circum milites oppressi somno, tanquam mortui iacuerunt, & angeli steterunt vigiles, qui non sinerent cælestis sponsi thalamū violari. Cum venisset ad locum Pontifex, ecce subito tanquam è cælo aduolans per funem dimissus egregius forma puer alatus quasi angelus, vultu seraphico, diuina voce, ac nutu Præsulem salutat, & hymnum canens futuram è vestigio Saluatoris resurrectionē annuntiat: fit silentium, nemo nō tacet: auditur summa omnium voluptate, tanquam res vera gereretur, & certus esset è cælo nuntius. **C** Cum fuisset excitatus in æreo vase mixtis pulueribus ignis, tanquam fulgur intonuit, dormientes excitauit milites, ac stupore perterruit, & qui Saluatoris personam gerebat, subito omnium oculis se obtulit: homo rufus, statura & ætate persimilis Iesu, vexillū Crucis manutenens, ornatus diademate, & qui cicatrices vulnerum perlucidat ostenderet; & versibus Italicis partam Christiano populo salutem diceret. Post Theanensem, cardinalis Auinionensis haud contemnendum erexit altare, & viam sibi distributam Gallicis opibus illustrauit. Papiensis deinde quatuor coloribus cælum obduxit, & Atrebatensibus auleis velaui **D** latera, excitauit floridos arcus; & pueros hinc atque inde quasi angelos complures collocauit, qui cereos ardentis in manibus tenentes, diuinum honorarent sacramentum; deinceps minor ornatus inuentus, flores & frondes & ramalia virentia pro auleis fuere, & tectura quæ pauperes indicaret dominos; quamuis altaria, & sacris induti sacerdotes, & canentium voces, & fumantia thura nusquam deessent. Ambrosius Senensis Pontificis aulicus rursus ante domum quam inhabitauit, meliori cultu viam instruxit, & suis opibus Sole repulso, tectisque parietibus

B B

viros

viros equare magnos adnixus est. Exin cardinalis Atrebatensis à ponte lapideo, qui partes ciuitatis coniungit, ad plateam vsq. maioris ecclesiæ, tela viam cooperuit, quam nuper è Florentia iusserat afferri, lanæ Anglicæ & coloris inter rubrum, pullumq. medij, vici latera suæ vrbis fulciuit opibus: trabes hinc atq. inde arduas erexerat, & funibus obligauerat, ex quis aulæa penderent, cum domus circumstantes humiliores viderentur. Plateâ quæ ante cathedralem ecclesiam late patet, cardinalis sanctorum quattuor Coronatorum, magnis erectis trabibus, & fune connexis, vniuersam cooperuit, & opibus ac miraculis illustrauit. Altare loco erexit opportuno, & à dextris Pontificalem thronum, & subsellia cardinalium; à sinistris episcoporum sedilia, & protonotariorum, & abbatuum, & qualis in Apostolico palatio capella instructa. In parte plateæ loco sublimiori gloriosæ Mariæ Virginis sepulchrum erectum, & desuper in summitate domorum, cælestis aula regis, & sedens in maiestate Deus, & angelorum sanctorum chori, & ardentia sidera, & supernæ gloriæ miris expressa modis gaudia visebantur. Peracta est diuina res summa populi deuotione: cardinalis S. Marci Missam celebrauit, Pontifex populo benedixit. Exin puer angelum agens suauissimo cantu Assumptionem Virginis futuram prædixit, patuit illico sepulchrum, & virgo pulcherrima exijt, quæ angelorum manibus sustentata cingulum dimisit: exin plena gaudio dulce canens in cælum assumpta est: cui occurrens Filius, idemq. Pater & Dominus in fronte osculatus matrem, & oblatam æterno Patri, ad dexteram suam collocauit. Tum canere cælestium spirituum agmina, musica instrumenta tangere, lætari, gestire, & cuncta in cælo ridere, atq. ita solemnitati finis impositus, in qua illud miraculi præcipuum fuit, quod aulici Pontificis parauere, homo Christum exprimens pudibunda tectus, cetera nudus, coronam spineam in capite gerens, & tanquam sudaret sanguinem pictus, crucem baiulans, in qua pependisse videretur; ab ecclesia S. Francisci, vsq. ad maiorem curru vectus in pompa, cum Missa celebraretur, & assumptione repræsentaretur Matris Domini, immobilis, & quasi statua perseverauit populum cum platea non caperet, iussit Pontifex in prata, quæ retro pontificales ædes fuerunt, descendere, atq. ibi ex fenestris iterum multitudini benedixit, & plenarias peccatorum tribuit indulgentias. Hunc Pius diuini corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi sacramento impendit honorem,

A nozem: qui solemnitate peracta, cum ipso cardinali sanctorum quattuor Coronatorum Pontificalem inhabitante domum prædium fecit. Palatium vetus & amplum fuit maiori coniunctum Ecclesiæ, quod Romani Pontifices olim ædificauere, cum sæpe apud Vitruuienses agerent. Triclinia, & cubicula sunt digna Principe: cardinalis cuncta magnifice exornauit. Aula erat altissimis suspensa fornicibus, & quæ lucis multum, & gratissimum haberet prospectum, & marmoreum in medio fontem largas & perspicuas aquas pluribus fistulis eructantem. Hunc auro & argento vestiuit aulæa pro parietibus preciosa suspendit, quæ memoratu dignas historias continerent, & ingenium præferrent artificis nobilissimum. Conuiuium quale reges instruere solent, apparauit; cardinales in prandio complures retinuit, argenti & auri uasa magni ponderis adhibuit: lyram & cantores addidit, nihil quod desiderare posses conuiuio defuit, grata colloquia, & sales honestate conditi, breuiore horas reddidere. Peracto prandio cum quieuisset paulisper suo more Pontifex, vesperi comitate collegio, per viam qua venerat, ad arcem rediit. Quicumque ea die Vitruuium intrauere, & tot miracula, tantumque rerum ordinem, & apparatus per urbem incedentes intui sunt, superum certissimum domiciliū sese ingressos, non hominum habitacula putauerunt, & cælestis patriæ imaginem vel uiuos in carne sese spectasse dixerunt.

Sed quæ diuturna mortalibus gaudia? breue est quod omne placet: succedit lætitiæ moeror, risus extrema luctus occupat. Exultantem hoc statu curiam ciuitatemque nimia voluptate gestientem exorta subito pestilentia conturbauit. Tabificum venenum & mortifera lues plerosque cum ciues, tum curiales extinxit, propter quam rem territi cardinales, mutandam curiam censuerunt. Pontifex retentis penes se paucis cardinalibus, reliquis libertatem fecit, quo vellent, pestiferum morbum effugere: ipse priusquam abiret, coenobium S. Martini, quod est in monte Cimino visere statuit: id nepoti commendauerat: distat à Vitruuio millibus passuum tribus, nec tamen ad summitatem montis pertingit: Templum est altis erectum fornicibus ex lapide secto, nobile opus, & multis insigne columnis, in quo (sicut ante diximus) cardinalis Egidij conditum fuisse cadaver affirmant: multi olim religiosi diuinas hic laudes cantauere; nunc cornices excubant, & palumbæ, & nonnunquam suos intonat plactus ferali carmine bubo: coenaculum adhuc extat egregium, cetera vel corruerant, vel cito casura videbantur:

B B z Pon-

Discessus curiæ è Vitruuio, & pestis exorta, ac monasterij sancti Martini descriptio.

Pontificis nepos restaurandi curā accepit. Situs amoenissimus A est, largæ intus, & lucidæ scaturiunt aquæ. Castanearū siluæ circumstant, & agri adsunt, & vineæ. Prospectus Senas versus ad Amiatā vsq. protenditur: inspicit & Argentariū montem in occidentali plaga, & mari terminatur, & aere iucunda æstiuus mensibus habitatio. Hinc redeunti Pontifici, ac per urbē iam tenebris obortis, domū petenti, mirabili applausu vniuersę ciuitatis viri, mulieres, puellæ, pueri, ac senes cū luminaribus occurrerūt, Pio vitam & felicitatē acclamantes: nec alia vox audiebatur, quasi Deū é cælo venientē admirabantur cuncti, & salutabāt; nec puerulus erat, qui non Piū Pium paruulo sonaret ore, quamuis per B ætatem nondū posset ad plenum verba formare. Mouerunt ista Piū, & lacrymas excussere, futuras meditāti calamitates, secūq. ait: En dura mortaliū fors, heu mens ignara futuri: viri nobis ac matronę lætantes applaudunt; virgines, ac nuptæ gestiunt; pulcherrima iuuentus vtriusq. sexus voluptati dedita gaudiū exprimit, plena paruulis ridet via, sed quorus pestiferā ætatem euadet? populabitur pestis urbem, pueros auferet, & iuuenes; nulli parceret ætati. Quod si liceat huc aliquando reuerti ex his, qui nos hodie tantopere celebrāt, paucos inueniemus. O caro, ò vita hominum quàm fragilis es, atq. caduca? nec plura locutus est. C

Lacus Vulsinensis descriptio atq. amœnitas insularū & litoris.

In arcem reuersus postridie, cū iam curia ferme omnis abiisset, & ipse cedendū pestifero furori existimauit, atq. in possessiones nobiliū Farnesiæ se contulit: castellū est, quod Caputmontis appellant, Vulsinensi adiacens lacui, amoenissimo sitū locis tris partes lacus abluit, reliquam fossa tuetur, & arx egregie munita. Tumulus saxeus ab aquis medio fere stadio in altum assurrexit, difficili aditu, in summo planicies muro cingitur, qui domus agrestium claudit, & nobiliū stabula, atq. horrea: inter muros, & rupes, viam construxere, sex aut octo pedū, quę tria oppidi latera cingit, plana, & ambulatu facilis, & quę per ætatem in dundas præbeat vmbra, nusquam tota Soli patens, mane occidens vmbra gaudet, oriens vesperi: adsunt & palmites, qui suo tempore pampineis delectāt vmbraulis. Rupes, vbi filiceus defuit scopulus, consita vitibus & arbore pomifera, viam habuit quasi per scalas, prope ad lacum, & ibi inter prærupta saxa, & confragosos scopulos plurima creuit ilex, quę omni tempore virens gratissimā turdis siluam exhibuit, inter quam & vincā aditum duorū virorū capacem ferro parauere: in quo sæpe auibus insidias

A insidias tendunt: huc Pontifex declinauit, & cū paucis habitauit arcē. Referendarij per vicina oppida collocati statutis diebus nauibus ad Pontificem venere. Pontifex cum fuit ociū, per vicina nemora vectus, placidas captauit auras, & propinqua lustrauit loca, & nunc terra, nunc aqua fecit iter. Cardinalis Spoletanus & Theanensis prope in oppido fuere ad octo circiter stadia, quod Martā vocant, à flumine, quod lacus efficit, illic emissoriū habens, & anguillarū capturam, quas & maximas, & optimas putant: hæ cum flauit Auster & limpidas gurgitis conturbauit aquas, ad exitum lacus diffugiunt, & fluminis secutæ cursum, in insidias incidūt. B Accolæ quæ fluuius casum habuit, turrim construxere, & receptaculū in fundo ligneū, cuius pavimentum multis & paruis foraminibus retentis anguillis, aquam dimitteret; illæ cum nequirent aduersus fluminis impetū superne cadentis retro scandere, relictæ caperentur in sicco: turris in custodia est, quæ vectigal haud paruū reddit: licet & fluminis cursum à turri deducere, cū nimis creuerit aqua. Pontifex & hunc locū inuisit, vt quæ auribus hauserat, subijceret oculis. In lacu duæ insulæ sunt dignæ memoratu, & quæ olim frequentibus edificijs cultæ fuerunt: extant adhuc vestigia ruinæ veteris. C stat & his principes vsum carceris tribuisse, nam & Christinā virginem huc relegatā legimus, & Amalafuntam nobilissimā Gothorū reginam, impie suorum fraude ac manu necatā: maiorem hodie Bithyniā vocant, ab oppido Bithyno, cuius in propinquo monte ruinæ visuntur; Minores incolunt, qui suā seruantes regulā, Obseruantini appellantur, & sunt quidē viri exemplares, paupertate diuites & abstinentia. His Ranutius Farnesius & sacellū, & cœnobium ædificauit, & agros insulæ dedit, in quibus hortus est diligenter excultus, semitas perlatas, & planas habens, & hic quidē olera sunt, ibi legumina, nec prata de- D sunt, pars cuniculis relicta est, qui plurimi inter vepres latitant, & quorum venatione sæpe monachis instruitur mensa; viam inter spinas & rubos ferro parauere, in qua retia tendunt cubitalis altitudinis, deinde sustibus, ac lapidibus spineta euerberant, & animalia exire cogunt, quę cum retia incidunt, facile detinentur. Tertia pars insulæ in altum asperatur saxū, quamuis & oleis & amygdalis consita est, nec vite caret, & in cacumine fert illicem, multa illic oratoria, ad quæ per gradus ferro excisos iter habent. Pius in summo vertice nouū sacellum erigi iussit, & spiri- ritua-

ritualibus ditauit gratijs. Alterâ insulam, quæ minor est, S. Au-
 gustini fratres, quos vocant eremitas, colunt; huius quoq; pars
 plana est in hortum redacta, pars aspera & in altum eleuata sa-
 xum aditu difficili. Duæ insunt ecclesiæ vetustæ, ac veneratu di-
 gnæ: altera in plano est amplior, quam circumstant monacho-
 rum habitacula, & arborû ac vitium nouellæ plantationes: al-
 tera in summo vertice iacet, in qua diuæ Magdalene, quæ sacros
 Domini pedes lacrymis lauit, & capillis terfit, nonnullæ ossi-
 partes recens repertæ non sine miraculo feruntur, & magnum
 attrahunt populi concursum: fidem inuentioni vetus historia fa-
 cit, & signorum fama, & quod insulam longo iam tempore ab
 eadem gloriosa, sanctaq; femina vocitant. Pontifex cum eo acces-
 sisset, insulam circum nauigauit, & Missarum solemnibus in ec-
 clesia superiori interfuit, & sacra inspexit ossa, quæ veneratus &
 osculatus est: illic tum primum monachorum habitationes edi-
 ficabantur, Cornetano episcopo adiutricem manum afferente, cu-
 ius studio religiosi fratres inducti sunt; & insula, quæ prius dere-
 licta fuerat, habitari coepta. Apud eum Pontifex cum duobus
 cardinalibus prandium fecit. Inter vtrasq; insulas lacus profun-
 ditatem immensurabilem ferunt: Nautæ sæpe funibus pertinge-
 re fundum adnixi, obligato saxo, nunquam voti compotes fue-
 re: huc piscibus secreta profugia, quorum piscatio circa littora
 tantum patet. Cum statuisset Pontifex apud insulam Bithyniâ
 natiuitatem diui Ioannis præcursoris Domini in sacello Minorû
 celebrare, plenarias omnibus, qui adessent indulgentias publica-
 ri iussit. Gabriel Farnesius, qui loci dominus esset, vt festum red-
 deret celebrius, his præmia posuit, qui nauium cursu certaturi
 aduentarent. Nauigauit Pontifex summo diluculo é Capitemo-
 tis ad insulam, & cum eo Spoletanus & Theanensis cardinales;
 accessit & Rothomagensis, qui non procul habitabat; adfuerunt
 referendarij, & Cornetanus episcopus, & Fulginas: ex propin-
 quis oppidis frequens aduentauit populus: res diuina suo tempo-
 re peracta est pia deuotione. Rodolphus decanus Vuormaci-
 ensis in altari ministrauit, & Hostiam Deo gratissimam ob-
 tulit, vir doctus, & à iuuentute Pontifici amicus. Exin pran-
 dium in pratis ad vmbra populi peractum, quod viri reli-
 giosi, vt Pontificem maximum digne susciperent, per oppi-
 da circūiecta multis diebus antea mendicauerunt: Pium enim
 orauerant, ne sua cibaria dedignaretur, neve monachorum

con-

A contemneret apparatus, neque ille contempsit; fercula, quæ
 apposita fuerunt, edit; & vinis vsus est mendicatis, ne pauperem
 mensam fastidire videretur: pransus est vno die cum fratribus;
 verum fratres multos dies ipse paut. Aderant finito prandio
 nauium duces, quos inter de cursu certamen erat futurû, & qui
 remos agitaturi essent robustissimi iuuenes. Quinque fuerunt
 ex omni multitudine naues ad cursum delectæ: priorem instru-
 xerant Vulsinenses verbis, atque animis gloriabundi tanquam
 præmia palmæ certissime relaturi: Clarentani alteram, Corne-
 tani familiares tertiam, qui Criptam incolunt sancti Laurentij
 B quartam: Martani quintam: magna in omnibus fiducia, maior
 iactatio: contemnere alter alterum; se quisq; præferre, & quo
 magis ebibissent sua magnificare facinora: vicisse olim, & ma-
 gno spacio æmulos præterisse, potitumq; brauium, nil dubiû quin
 tum quoq; victurus esset. Interciderunt & contentiones de ma-
 gnitudine nauium, de remigum numero, de longitudine remo-
 rum, Gabriel Farnesius, & Alexander Apostolicæ magister do-
 mus, & Pazalia custos corporis, delecti iudices, lites omnes cõ-
 posuere. Principium cursus apud Caputmontis designatum est;
 meta in portu insulæ, ibiq; præmia posuere, quæ victoribus ce-
 derent: panni coccinei Florentini optimi vlnas octo: & quæ pro-
 ximi consequerentur, alia munera. Nauigia, quæ scapharû ma-
 gnitudinem non excessere, quattuor contenta remigibus, singu-
 la & vno magistro esse voluerunt, quæ postquam ad litus perue-
 nere iuxta Caputmontis, per sorte delegere loca, ex quibus tan-
 quam ex carcèribus euolarent: magistri ad clauû sedentes bys-
 so candido & fronde populea cinxere comas: idem fecere remi-
 ges, nudi omnia, præter obscoenas partes, & oleo perfusi niten-
 tes, extensis ad remos brachijs signum in transis expectant:
 pulsat corda pauor, & ingens arripit mentes cupido laudis. Vt
 D signum tuba dedit, mox finibus suis profiliunt omnes, & clamo-
 re rauco feriunt æthera, adductis versa lacertis spumat vnda, in-
 findunt sulcos pariter, & remis ac rostris conuulsa dehiscunt
 ima lacus: prope assequitur cymbarum classis, in quis spectato-
 res his aut illis fauentes ingenti fremitu, ac plausu feruntur, &
 clamoribus omnia complent: consonant vicina in montibus ne-
 mora: inclusam vocem littora volutant, & pulsati clamore re-
 sultant colles. Prima inter fremitum ac turbam elabatur Vulsi-
 nensiu nauis, & toto corpore præterit alias, proxima Corneta-

B B 4 na su-

na subijt, & Martana simul; reliquę paruo discrimine subsequuntur. Pontifex quamuis procul à portu, loco reducto cum cardinalibus de republica loqueretur, scapharum tamen contentionem, & cursum non sine iucunditate, & animi relaxatione spectauit. In littore iuxta portum, & brauium referendarij, & prælati reliqui, & multi nobiles steterunt. Nondum licebat agnoscere naues, & quę prior esset dijudicare, cum passibus supra mille à portu distarent: spatiumq. totius cursus circiter duo millia complecteretur. Interea Martana in puppe magister: Quid agimus, inquit, socij? tertio iam in loco relictis sumus qui nunquam non primi consueuimus esse. En pudor; quo laceratorum abiire vires? cum illis hodie contendimus, quos sæpe vicimus: Vnde aut illi meliores, aut nos deteriores effecti sumus? hocine dedecus ferre poterimus, vt inuicti aliàs vincamur hodie? Mori fatius est: prohi iuuenes, resumite vires, incumbite remis acius, & tantum à nostro genere nefas auertite: audit animosa iuuentus, & totis procumbens viribus, vastis ictibus, percusso gurgite, trementi puppi subtrahit solum, & præterita Clarentana cymba, Vulsinensis adæquat cursum, vnâq. ambo iunctis frontibus aliquantisper feruntur. Exin victrix Martana longo spacio cunctas antecedit; superat, & Clarentana Vulsinensem, & Cornetana pariter, cum iam creber anhelitus arida quateret bibulorum ora, & sudor flueret nullo repensatus vino, Martani longe ante alios tenuere portum, victor esq. brauium retulerat: proxima deinde præmia Clarentanis reddita: Vulsinenses inter vltimos dimissi Guicciardi præfecti iurgia & infamiam veriti, portum declinauere, cum quibus par dedecus tulere Criptenses Cornetani inter gloriam & ignominiam medijs fuere: finito certamine cuncti abierunt, quamuis validus exoriens ventus lacus faciem conturbauerit, & tempestatem non parua induxerit. Rothomagensis non sine periculo summersionis domum suam repetijt: cum Clarentani, in quorum naue uehebatur, vino madidi propter ebrietatem nec clauum rite regerent, nec remis prope incumberent.

Criptæ oppidum, eiusque antiqua fidelitas; & Aquæ pendētis profectio.

Pontifex in habitationem suam reuersus, paucos ibi dies moratus, cum propinqua loca peruasisset pestis, tranato nauibus lacu, benedicto populo, qui multus erat, in vltiori ripa per præta virentia & amoenam vallem perspicuis aquis iriguam, ad oppidum peruenit, quas Criptas vocant. Tumulus topheus est ista

dijs

A dijs excelsus duobus, vno tantum aditu oppugnabilis, verum fossa & muro munitus alto, cetera præruptis, & profundissimis defensus vallibus: Oppidani speluncas effoderunt, in quibus magna pars habitant. Sūt & domus ex lapide secto, durefcit ad solem topus, & saxi præbet vsum. In persecutionibus, quę nostra vel patrum nostrorum memoria Romanam Ecclesiam vexauere, nunquam ad hostes defecere Criptenses; fidem inconcusam summis Pontificibus seruauere: propter quam rem dignoscens Pius, quos sua præsentia consolaretur. Incredibilis fuit eius populi lætitia, qui nunquam antea Christi Vicarium viderat cuncti suas opes ostendere, vt transeunti Pontifici vias ornatas redderent: ille apud veterem amicum eius loci parochianum frugi hominem, & meliori prudentia quàm vultu, diuertit, ad prandium quod oppidani pro tempore splendidum apparauerant; in eo dum sedet cum cardinalibus tanta imbrum è cælo vis cecidit, vt valles impletura propinquas videretur, & ipsum (quamuis sublime) oppidum submersura: sed cessauit cum prandio; & Pontifex ad Aquampendentem ipsa die se contulit, ibique pernoctauit. Quo in loco legati ex Gentilium Senensium ordine ad eum venire, petitori ne sua causa apud senatum amplius ageretur. Fuerat Romæ Augustinus Dathus legatus ciuitatis, vt antediximus, multisque precibus orauerat, vt per æstatem Pontifex patriam suam reuiferet; Pius spem fecerat, si meliori in se animo ciuitas inueniretur. Venerat ille vsq. Vituruium secutus curiam; & cum esset omnium iudicio non indoctus, neq. ignarus dicendi, sæpe cum Pio pari oratione contendit, & ambitiosa disputatione vincere conatus est: scripsitq. magistratibus multa, quę possent erga Pontificem odium ciuitatis augere, nec meliorem se præbuit, cum in senatu reuersus quę egisset recensuit: Pontificem odisse ciuitatis regiminis formam; nisi caueant, perituram ciuitatem: esse multos ex popularibus, qui cū nobilibus sentiant, & coeptis faueant Papæ, occurrendum prius quàm ingrauescat malum. His auditis Bartholomæus cognomento Benassai tum forte capitaneus populi, qui est summus apud Senenses magistratus, Gentilium in palatium ad se vocauit, plenusq. tumore vano; Pius (inquit) vestra causa, nobis molestus est, quotidie plura petit, nec cessat modo litteris, modo nuncijs vrgere: fecimus quod satisfuerat de regimine, sed plura petuntur. Quis tot molestias

æquo

æquo animo ferat? Mittite ad eum, date operam vt faceſſat iam tandem hæc moleſtia, niſi capitis in capite veſtro cudetur faba, & niſi ceſſauerit Pontifex plura petere pro regimine, quod quæritis, aut exilium, aut carceres patiemini. Nobiles ad Pontificem duos miſere, Iacobum Picolomineum, & Bartholomeum Saluanum, qui mentem populi apud Aquampendentem Capitanei verba & ciuium murmura, & quod factum opus eſſet illi expoſuere. Pontifex & ſi malum ſuæ ciuitatis erga ſe animi cognouit, tamen hoc modo reſpondit. Reuertimini & dicite ciuitatis regimini, quieto vt viuant animo, non erimus moleſti patriæ noſtræ; neq. vltius ab his, qui ciuitatem gubernant, aliquid poſtulabimus: idem erga nos ipſi agant, nihil flagitent: æqua ſit vtriuſq. conditio, atq. ita legatos abſoluit. Scripſerat prius ex Vituruius has litteras. Pius Papa ſecundus Primoribus & Capitaneo populi ciuitatis Senarum ſalutem. Pientiæ templi abſolutum eſſe accepimus, quod propediem dedicaturi, eo profecturi ſumus: hoc ſcire veſtrum ſenatum placuit. Valet.

Quibus in ſenatu recitatis admirari omnes ſcripturæ breuitatē, pro ſuo quiſq. ſenſu interpretari, & ſingula in peiorem accipere partem. Conſultandum itaq. prouidendumque fore, ne incautos venturus, Pientiam Pontifex adoriretur. Fit libertas ſenatoribus dicendi quæ velint, & ſecreti ſeruandi iuſiurandum exigitur. Multa ibi ferociter dicta, nullius tamen oratio nocētior fuit, quam Leonardi Beneuolentis, qui veteris amicitia; qua cum Pio Pontifice iunctus fuerat prorsus oblitus, in hunc modum verba fecit.

Nunquam ego, Patres conſcripti, Gentilium ordinem noſtræ ciuitatis amaui, neq. vnquam eo rem noſtram venturam exiſtimaui, vt de communicando cum eis regimine hoc in loco captare conſilium oporteret, quando nihil inſenſius eſt regimini. Quid ſtultius quam eos in ſocietatem regni accipere, qui te mox eiſciant? Quotiēs popularem euertere ſtatū adnixe ſunt? Cur maiores noſtri, aut Malauoltas aut Salimbenos exilio dānauere, ac præclaras eorum ædes exciderunt, niſi quia nouis ſtudebant rebus, & quietem vrbiſ impediabant? Nulla libertas, nulla ſecuritas in ciuitate fuit, regnante iſto ordine: quæ mortales optima ducunt cuncta ſibi vendicarunt; patribus noſtris pro mācipijs vtebantur; qui ſuperbiam eorum cum ferre non poſſent, in libertatem ſe vendicarunt, & ab illis regimen acceperunt, &

nunc

A nunc tanquam benefacti pæniteat, de reſtitutione conſulimus: fortasſe putatis naturam mutari poſſe, & humilitatem cum eis ſimul ſtare? falſa opinio eſt. Generoſitas nulla nõ inſoleſcit. Aberam Tiferi gubernator, cum decreuiſtis, hortante Pontifice, ad partem munerum eos aſſumere; contradicturus eram ſi aduiſſem, & fortasſe complures in meam ſententiam ſenatores ceſſiſſent. Pio, vt videtis non ſufficiunt promiſſa, plura petit & vrget in dies magis: Vos ſi mihi auſcultabitis etiam quæ promiſſa ſunt, reuocabitis. Tempus, in quo novos creare magiſtratus oportet, nondum adeſt, & in annum prorogari comitia poſſunt. Quid opus eſt præuenire? Ex tempore conſilium capiemus. Me tamen conſultore, nunquam Gentilium aut clauus vrbiſ obtinebunt, aut eum magiſtratum, quem populi Capitaneatum appellamus. Et in præſentiarum quidem decernendum ſtatuo, ne quid amplius eis concedatur, quam hæcenus ceſſum eſt. Si quis aliud conſilium dederit, extorris eſto. Fuerunt qui mitiores dixere ſententias, & obiecta illorum crimina diluerunt. Decretum in ſententiam Leonardi factum, cuius eum ſenſum putauere, vt nulla poſt hac de promiſſione Pontifici facta mentio fieret. Pontifex ex Aquapendenti Percenum venerat, & deinde ad confinia ſe contulerat, quæ Romanum agrum à Senenſi diſterminant, atq. illic cum quattuor cardinalibus ſub tabernaculo de ramalibus factum ſedebat in prandio, cum ſibi decretum allatum eſt à Senenſibus editum: Beneuentanus archiepiſcopus eius rei litteras accepit, & Pontifici tradidit, quibus lectis; En quantum fallimur (inquit Pius) legatos Senenſium, qui nos in ſuis finibus lætabundi ſuſciperent hoc in loco putauimus inuenire: nemo datus eſt obuiam: pro legatis contumeliouſum decretum occurrit: ditaturi patriam æſtatem in Senenſi territorio peragere ſtatueramus, & ſequi curiam iuſſeramus: deceret pedes referre, & hoc emolumentum ad alias transferre gentes: At hoc pernicioſi ciues cupiunt, qui auctores decreti fuerunt: diſcidium internos & patriam quærunt, qui noſtra diſcordia creſcunt: non facient; ibimus, & vrbi quæ nos genuit, & Senenſi populo vel inuito benefaciemus. Ex in finito prandio per

Planum oppidum ad Abbatiam ſe contulit,

quem locum aduerſus æſtum

Iulij menſis dele-

gerat.


COMMEN-

Leonardi Beneuolentis oratio, & Pij benignitas.

COMMENTARIORVM

PIL. II. PONT. MAX.

LIBER NONVS.



Amiati montis situs, Abbatiaq. & aliorum oppidorum mira felicitas, & Pij delectatio.



AMIATA mons est in agro Senensi, Apenninis non inferior iugis, Pistoriensibus tantum alpibus in tota Italia fertur cedere; ad summum usque verticem vestitur nemore: pars celsior sepe obsessa nubibus fago tegitur; castanea deinde succedit, & post eam, vel quercus, vel suber. Infima vites, & humano ingenio satæ arbores, & agri & prata tenent. Sunt & in reducta valle montis proceræ abietes, quæ cum Senensibus, tum Romanis ædificijs materiam nobilem suppeditant. Pius hinc ædificio Pientis trabes coemit. Inter abietes & castaneas, & nusquam alibi pars montis calua cernitur: herbosa tamen & utilis pecori. Ad Solis occasum maritimæ Senensium procumbit, & castrum Castriplani respicit ad ipsius montis radices positum, oppidum & pulchritudine loci, & situs commoditate, amœnitateq. inter ea, quæ ad eam montis plagam sita sunt, facile primum, perspicuis aquis irrigatur, & ad moenia usque medio ambitu à perenni fonte circumdatur; ex eoque illi nomen inditum, quod in fertili & arboribus, & semper ridentibus pratis, cultisq. campis referta planicie, quæ ad mille passus, ut minimum, protenditur, conditum sit. Ad meridiem oppido imminet sanctæ Floræ, de quo paulo post scribemus. Ad septentrionem Pientiam aspicit, & multa Senensium castella, atque ipsam urbem, & Vrciam fluuium: ad ortum celsam intuetur Radicofani arcem, & Paleam amnem, qui iunctus Clanio fertur in Tyberim. Multa insunt oppida populo plena, quod Abbatiam vocant, amœnitate nulli cedit, in orientali parte situm, non magis à summo cacumine montis, quam ab amne Palea discretum. Planiciem octo circiter stadiorum in media regione natura produxit, vndiq. castanea tectâ: qua deficit, rupibus asperatur, veteresq. ibi oppidum condidere, inde pendentibus scopulis,

hinc

A hinc alto muro, & fossa decurrentibus aquis plena, munitum: domus intus ex quadrato lapide construxere non incommodas; tecta ex materia composuere, quæ niuib. resisterent. Ante oppidum siluas quasi ad stadium exciderunt, ubi hortos excolerent, & parumper agri. Vetustum hic monasterium iacet saluatori Domino dedicatum templo, & monachorum habitaculis egregie structum; Rotharim Longobardorum regem fundasse perhibent, & magnis donasse possessionibus. Abbas merum & mixtum imperium in pluribus castellis obtinuit; & hinc oppidum Abbatiam vocatum, quia pleno iure subesset abbati: sacram suppellectilem preciosam habuit, & bibliothecam nobilem, cuius pauca extant volumina, inter quæ vnum maximum & admirabile veteris & noui testamenti litteris maiusculis exaratum, quod Pius Pontifex cupide uidit. Monasterium, ut nihil est in terra non mutabile, hodie pauper est: tyranni cuncta diripuerunt; nec oppidani fidem seruauerunt, qui contemnentes monasticum iugum, ad Senenses defecere, quorum opibus aduersus hostium incursiones tutiores redderentur. Mille circiter & quingentis passibus ab hoc monasterio summitatem Amiatæ quærentibus vetus sacellum occurrit, in quo reginam conditam tradunt Rotharis, ut putant, conuigem: accolæ summa religione colunt: eremitæ circum habitant, ad quos difficilis patet ascensus: Pontifex sepulchrum nobilis feminae inuisit, & indulgentias fano addidit. Mense Julio nondum illic cerasa maturauerant: iuxta fons largus è saxo emanat, apud quem Pius cum prandium fecisset, legationes audiuit, & vota supplicum. Plures illic dimisso Pontifice summum cacumen montis ascendere, via præcipiti & ardua, & quam nullus auderet scandere, nisi frequens fagus prospectum discriminis auferret, & casuris promitteret obicem. In vertice aream inuenere, & in medio ingens saxum, cui alterum non minus incubuit; vtrumq. conscenderunt, ex quo Siciliae montes & Corsicæ conspicatos sese retulerunt: Nicolaus Sagundinus Venetorum legatus cum alijs eodem contendit. Castaneæ, quæ fago succedunt admodum proceræ sunt, & in cælum tendunt. Robora multa inuenias, quæ vix quattuor homines complectantur: quædam concaua quinq. & viginti pedibus stabula præbuerunt. Graminei campi sub castaneis patent, nunquam non umbrosi, nisi post autumnii frigora, cum folia ceciderunt, per arborum ramos solis radius ingrediatur. Si villo vnquam loco & umbræ suauis, & argentei fontes, & virides her-

des herbæ, & ridentia præta poetæ alliciunt; hic per æstatē manebunt: nec nos vel Cirrhæ vel Nysæ æquanda putamus iuga; quamuis multa in fabulis referantur, nec Pennea prætulerimus Tempæ, non serpentes adfunt, aut feræ, quæ noceât: absunt molesta muscarum agmina, non tabanus, aut asilus faciem lædit, non cimices odore tetro cubile inficiunt, non auribus immurmurant cūlices, tranquilla quies per omne nemus, neq. sentes aut rubi vulnerant pedes: arbores tanto inter se spacio distant, quantum proceritate ramorum amplecti, & frondibus tegere queant. Solum gramina vestiunt, & quæ fraga ferant herbula: inter quas riui labentes perspicui perpetuo murmure garrunt. Notauerat locum Pontifex anno altero, cum illac transfret, & aptissimum sibi refugium aduersus æstiuos ignes delegerat, siluarum amator, & varia videndi cupidus. Campanus poeta doctus, quem Pius ad Pontificalem honorem euexit, cum bella Pij cerneret felicia, & frequentes secessus in siluas, huiuscemodi versus edidit.

Quod victore Pio fieri tot prælia cernis,

Inualidasq. suis hostibus esse manus;

Ne mirere; Pium peperit Victoria mater,

Matris ab vberibus vincere sic didicit.

Quod placeant siluæ, & magnum lustrauerit orbem

Siluius hac genuit conditione pater.

Iure igitur latæ spaciatur, & omnia vincit,

Patris obire orbem, vincere matris habet.

Pontifex monasterium inhabitauit, sex cardinales in oppido mansere & multi curialium: referendarij secundo milliario habitationes sibi delegerunt, in loco quem Planum vocant non inamœnum neq. Abbatia deteriore: statutis diebus ad signaturā venere, quam Pontifex in nemore, modo sub ista, modo sub illa arbore, & apud suaue murmurantes aquas tenuit. Nulla nō die locum mutauit; nouos in conuallibus fontes, & nouas inueniēs vmbas, quæ dubiam facerent electionem. Contigit aliquando signante Pontifice, in ceruum vasti corporis prope iacentem canes incurrisse, quibus ille calcibus ac cornu deiectis, celeri cursu profugit ad montes. Fiebat & aliquando cum cardinalibus sub castaneis consistorium, & legationes in pratis audiebantur. Vetabatur quotidie per siluas Pontifex, & sequentibus curialibus intereundum priuata simul & publica absoluebat negotia. Cum

aduespe-

aduesperāsceret paululum extra monasterium profectus in loco, vbi cerni palea posset, cum fratribus confedit iocunda miscēs colloquia: mira suauitas, in valle subiecta sol cuncta exusserat; sitientibus agris aruerat omnis arbor; in cinerem versa tellus Phætonthea perpeffa videbatur incendia. Circa monasterium, & altiora loca cuncta virere, nullum sentiri æstum, suaue spirare auras, Beatorum hic sedes fuisse; in valle damnatorum supplicia dixisses. Descendebant aliquando venatum ad inferiora curiales, reuerfi ardorem intolerabilem sese offendisse aiebant. Contra qui montes lustrauerant, & sublimiora ferarum stabula, obriguiffe gelu asserabant.

Pontificem Iulio iam prope exacto visendi fontem in eremo noti fluminis, quē Viuū appellāt, cupido incessit. Quadraginta circiter stadia procul aberat in parte montis, quæ ad septentrionem vergit: ascensus inter præta, & castaneas, trium ferme passuum militum fuit non inclemens; descensus, tertia parte minor intra quercus, præceps & asper in supercilio iugi: qua præta fuerunt arbore nuda herba reperta est, quam Carolinam vocant, quod magno quondam Carolo diuinitus ostensa fuerit aduersus pestiferam luem salutaris: fama est illum cum Romam peteret, hac iter habuisse iam exercitu tabe pestifera laborante: super qua re anxium cum quieti se tradidisset, Angelum vidisse, qui diceret: surge, & cum montis iugum ascenderis, iaculum proijcito, herbamq. illam legito, cuius radicem ferro iaculi vulneraueris; hanc igne torreto, & redactam in puluerem, cum vino agrotis dato vt bibant; virus omne depellet, & tibi exercitum conseruabit. Somnio fidem periculum peperit. Herba est spinosis folijs, quæ solo hærentes florem muniunt ei similem, quem producit carduus, colore differt, radice dulci magnitudinis cicoreæ, & quæ vulneris cicatrice, diuina dispensatione nunquam careat, vt extaret miraculi indelebilis memoria: indigenæ ita memorāt: Pius fabulam existimauit, & ab amatoribus Caroli confictas nugas, qui magno imperatori non sua tantum, sed Alexandri quoque Macedonis, qui orientem subegit, miracula non veerentur ascribere. Pontifex iter secutus paulo ante meridiem ad fontem peruenit, qui ex antro gelidus ac largus erumpit: iuxta facellum adhuc extat ex quadrato lapide, quamuis tectum ruinam minatur: habitacula, quæ circa fuerant corruere castanea simul & fagus mixtæ vmbrosū nemus efficiunt. Prandium in vmbra

Fons pulcher
rimus, & her
ba aduersus
pestilentiam
diuinitus in
uenta, cæno
bijq. descri
ptio.

bra circa fontem apparauere. Cardinales accesserant, & referen-
darij. Placuit Pontifici priusquam ederet, signaturam facere:
dies serena fuit, & Sol prope cæli medium tenuit; nec rigorem
frigoris temperauerat æstus: ad nudum Solem erigere mensam,
& signare supplicationes oportuit: atq. ita calefactum prandere
Pontificem, qui plus frigoris, quàm optasset inuenerat. Finito
prandio ad sexdecim stadia descensum est, fluuius qui ex fonte
gignitur per abrupta saxa, & confragosas valles magno à dex-
tris murmurare atq. impetu decurrente: in valle ima planities non
magna reperta est, & ager, qui aliquando aratrum pertulit, &
pomiferas aluit arbores: nobile hic fuisse coenobiū ruinæ docet,
Camaldulenses habitauere monachi, nunc bubones incolunt: fa-
num adhuc extat non ignobile. Fluuius iuxta decurrit, quem vo-
cant Viuam eremum, quoniam ab eremo superiori ad inferio-
rem decurrens lapsu perpetuo nunquam moritur, sed arentem
Vrciam, & aliquando deficientē viuificat, & molas habet, quæ
per æstatis arbores, cum ceteræ deficiunt, Pientia, vicinisq. op-
pidis farinam suggerunt. In inferiori monasterio abbas & con-
uentus mansit cum monachis, quibus vita regularis communis
que placuit: superiorē eremū fratres incoluere asperioris cultus,
& qui solitudine ac ieiunio gaudent: nunc ambo loca deser-
ta sunt. Pontifex transmissio fluuius per altissimas siluas, in quis
proceræ & instar abietum directissimæ quærcus creuerant, per
aliud iter ad Abbatiam redijt: situm loci metatus oculis, si forte
quod optabat, fluminis cursum diuertere posset, & supra Auinio-
nis balnea in Vrciam deriuare, & quod sæpe meditatus fuerat re-
tento amnis cursu obiecta muri mole, lacum efficere, qui planio-
ra tegens loca prouinciæ piscem sufficeret, & ab hostili tuere-
tur incurfu: sumptuosum opus & Pontifice dignum otioso.

Oppidū san-
ctæ Floræ, &
qui tenuerūt
situmq. & fon-
tes, & pesca-
tiones.

Petijt & sanctam Floram Pius inuitatus à loci domino, quem
comitem vocant. Vetus & nobilis prosapia fuit, quæ sanctam
Floram, & alia pleraq. oppida in Amiata obtinuit, Senensibus
qui circumfisterent foederata: eiecta tamen aliquando fuit, & Se-
nenses inuasere dominiū, quod non diu tenuere. Præfectus arcis,
ab amicis qui porcū occiderāt inuitatus, cum proficisceretur in-
terceptus arcē restituit. Nostra ætate Guido comes cum multis
annos in pace regnasset, absq. virili prole decessit, filias tres reli-
quit, & Senensibus vltima voluntate commendauit, qui eas pro
dignitate nuptui traderent: Vna in domo Peccia nupsit: reliquæ
ciuilia

A ciuilia dedignatæ coniugia, viros sibi potentes asciuere. Cæci-
cilia Bosium Francisci Sfortiæ germanum: Ioanna Galeatium
Arci comitem, Aenæ quoad vixit amicum, & in eius poe-
mate nominatum. Principatus Bosio cessit, ex quo Cæcilia
filium peperit, & patris ei nomen indidit. Oppidani hunc a-
mant, quem sui sanguinis esse ducunt; & hic Pontifici vt lo-
cum viseret supplicauit, eumque venientem præcipuis excepit
honoribus, itinere quod erat multis in locis impeditum, & pe-
ne clausum ingenti labore aperto. Oppidum in alto iacet saxo,
rupibus vndique præruptis, & in profundissimas pendentibus
B valles asperatum; vna tantum parte æquus, & cohærenti mon-
te ad moenia patuit aditus, quem fossa profundior interruptit;
& eo in loco arcem construxere, qua seruata non est quod ve-
reri oporteat. Multi hinc atque inde scaturiunt limpidissimi
fontes: ad occidentalem partem vis aquarum maxima erum-
pit, quæ postquam piscinam impleuit amplam per fistulas e-
missa ingenti murmure in subiectam delabitur vallem. In pi-
scina cubitales trutæ tanquam in viuario nutriuntur; quarum
præsentia Pontifice non parua piscatio facta est. Descendit &
Pontifex ad inferiorem fluuium, qui trutas gignit præ ceteris
C Italiae sapidissimas. Accolæ coram eo piscati sunt, nec captu-
ram paruam fecere.

Cum rediret Pontifex media per armenta, quæ pascebantur
in pratis; custos gregis, qui nunquam Pontificem vidisset, ve-
stimenta cardinalium, & purpuratorum admiratus ornameta,
quamuis paululū hæsitauit, quem pro summo Pontifice ve-
nerari oporteret, visa tandem aurea sella, quæ humeris hominū
inter equites portaretur, sessorem adorandū statuit, & emuncta
vacca quæ aderat, catinum ex quo bibere atq. edere consueue-
rat, lacte plenum Pontifici lætabundus obtulit, quem propter e-
stum sitire arbitrabatur: Pontifex memor illius, qui Artaxerxi
Perfarū regi iter habenti, comprehensam vtraq. palma porrexit
aquā, subrisit, nec dedignatus est nigrū & vinctum tanquā bibe-
ret osculari catinū, gustandumq. cardinalibus tradere, ne sedu-
litate & pauperis reuerentiā agrestis contemnere videretur, qui
opes apud se carissimas obtulisset; animū pensitauit rerū dispen-
sationem, meliores procul dubio traditurum si adfuissent.

In Abbatia legati Senensium quattuor Pontificem adiere, xe-
nia portantes vina preciosa, panes candidos, agnos pingues, vi-
tulos,

Pij mansue-
tissima hu-
manitas in
lacte à pasto-
re accipiēdo.

Legatio Senē
sum, & Pij
oratio acris,
& vehemens
aduersus se-
ditiosos.

tulos, & quæ tempori conuenirent poma. Franciscus Aringhe-
 rius verba fecit, missionis moram purgare conatus. Et cum mul-
 ta de charitate Senensium erga Pium disputasset, atq. urbem &
 populum commendasset: postremo vt Senas accedere, & sua
 presentia carissimos consolari filios dignaretur, supplex orauit.
 Aderat & Leonardus Beneuolentus, cuius verba in senatu habi-
 ta supra retulimus, qui Pontifici tanquam sua opera ignorantia
 sublandiri conatus est. Pius cuncta benigne audiuit; deinde ita
 respondit: Munera quæ attulistis ex patria grato recipimus ani-
 mo: si nobis fines vestros intrantibus urgente causa non occur-
 ritis, ipsi videritis; Pontifici maximo haud multum honoris af-
 fert Senensis populi legatio, in cuius comitatu nunquam desunt
 & cardinales, & maximorum regum ac principum oratores. E-
 re vestra fuerat aduentanti Pontifici in finibus quamprimū oc-
 currere, ne quod inter vos nosq. discidiū ortum inimici vestri exi-
 stimarent, quibus nihil molestius est, quàm vestrū ciuem in A-
 postolico throno sedentem cernere rebus vestris amicū. Vobis
 fortasse non ita videtur, qui decretis insolitis & inhonestis no-
 strum abalienare animum conati estis. Patriam nobis commen-
 datis; & vos ipsi patriam persequimini, & hostium agitis cau-
 sam. Duo sunt, quæ rem vestram saluare possunt, diuitiæ, atque
 concordia; illas nos parare potuimus, singulis annis per æsta-
 tem, cum Romana curia apud vos commorantes; sicut grex o-
 uium impingat agros, ita & curia vrbes: quattuor iam perdi-
 distis annos, dum pauca, quæ ordinis Gentilhominiū causa pe-
 timus per inuidiam contumaciter denegatis: & nunc pertinacię
 vestræ superbissimum edidistis decretum, aduersus quod dicere
 aliquid, aut hiscere capitale sit, pluris vestra edicta quàm hono-
 rem facitis, neq. ab re: maior est enim Leonardi, & qui eum se-
 quuntur, quam Pontificis auctoritas: sed lex vestra paucos dies
 permanet, nostra vero potestas vsque ad finem sæculi perma-
 nebit. Non vultis Romanam curiam, opes contemnitis, & qui-
 bus aduersus insidias hostis defendi possitis arma respuitis: nec
 concordiam alterum aduersus inimicos remedium quæritis:
 Suadere hanc possumus, præstare non possumus. Arbitrij ve-
 stri est vnioni studere: sæpe de hac re verba fecimus cum Senis
 ageremus: diximus difficile munimentum ciuitatis esse amorē
 ciuium: rogauimus, vt diuisionis semina tolleretis, id est nomi-
 na ipsa factionum. Vnum reipublicæ corpus faciendū fore do-
 cuimus,

A cuius, cuius neq. Gentilhomines, neq. duodecim expertes es-
 sent: nolulistis audire consiliū, secuti estis desideria vestra, frustra
 nobis ciuitatē cōmendatis, quam priuatis affectibus itis pessum.
 Patriam vt nostro consolemur aduentu efflagitatis, & horren-
 dis deterretis edictis; repellitis, & inuitatis; vultis & non vultis,
 nescitis quid eligatis: si voluissetis Romanam curiam ad vos pro-
 ficisci, iam pridem de petitionibus nostris aliquid mitius decre-
 uissetis: cum dubitetis, nos quoq. in dubio sumus, an veniendum
 sit: Pientiam ibimus, templumq. consecrabimus: tempus inte-
 rea, & opera vestra nos admonebunt, quid sit faciendum. His au-
 ditis diluere obiecta, & placare Pontificis animum oratores co-
 nati, nullum fecere verbum, quod Pius non statim reprobaris;
 maxime vero dicta Leonardi confutauit. Cum duabus circiter
 horis hinc atq. inde sermo percurrisset, legati relatueros in sena-
 tu quæ audiuisent sese dicentes abierunt.

Secutus hucusque Marecallus Tolosanus, cum diebus ali-
 quot in Abbatia mansisset, audiuissetq. novos legatos ex Fran-
 cia, qui mandata mitiora ferrent propediem venturos, impetra-
 ris quibusdam gratijs, more hominum, qui publica missi curare
 sua non negligunt, Pontificis recessit amicus: Et Baro quidam
 C illustris à rege Hungariæ missus superuenit, maiestate corpo-
 ris & morum elegantia fidem exigens, & qui superiori anno
 ex Turcarum captiuitate fuisset redemptus: Eius oratio hunc
 sensum habuit, Turcarum Imperatorem pacem Hungaris of-
 ferre Valachiam & Bosnam relicturis: apparatus belli maxi-
 mum facere, inuasurumque procul dubio cum validis copijs
 Hungaros, nisi conditiones accipiant. Regi nec consultum
 videri belli socios, eosdemque subditos, hosti prodere: nec vi-
 res esse quibus tantam belli molem sustinere queat; orare ne
 deferatur. Si cesserit Hungaria Turcis, expectanda illorum ar-
 D ma in Italia: Scire se Mahumetis propositum, qui sibi Occi-
 dentis imperium persuaserit. Hungaris domitis nihil ei diffici-
 le futurum, ex illis non esse requirendum quod præstare non
 possint. Pontifex quamuis in Italia grauissimis belli sumpti-
 bus premeretur, vixque illis suppeditare pecunias posset, in
 Hungaria tamen ære suo equites mille conducturum se ait, qui
 regi ad bellum ituro coniungerentur: Venetos quoque opem-
 laturus: hortari ne animo deficerent, in alterum annum futu-
 rum, vt maiora possint auxilia præstari. Legatus hac spon-

Legatio Hun-
 garorū, & Pij
 respōsum, &
 auxilium.

sione placatus in Hungariam redijt. Cardinalis Strigoniensis A. pecuniam pro Pontifice dissoluit, Veneti aureorum regi viginti millia misere.

Recuperatio
Valentinensis, ac
Dienensis
comitatus in
Gallia.

Atrebatensis cum esset in Viturvio Pontifex, Ludouici Francia regis litteras in consistorio dederat, quarum vigore procurator constitutus, comitatus in Delphinatu duos circa Rhodanum Valentinensem, ac Diensem Romanæ donaret Ecclesiæ: Pius acceptauerat: ob quam rem placuit Antoniū Noxetanum ad regem mittere, qui donatarum rerum promissionem, & promissi fidem exigeret. Vltimus terrarum dominus à suis olim nepotibus in carcerem fuerat coniectus: ille moriens vltima voluntate Francia regem, ea sibi conditione nuncupauit heredem, vt si quid vnquam ad ingratos nepotes ex suis bonis fineret peruenire, hereditas ad Romanam Ecclesiam deuolueretur: Carolus qui tunc regnabat, oppida quæ testatoris fuerant, pleraque ex hereditatis nepotibus dederat; testamentumque violauerat. Ludouicus ad regnum sublimatus, quod esset Ecclesiæ, restituendum censuit: data potestate Atrebatensi, qui retenta hereditatis parte vltra Rhodanum sita, reliquum Pio traderet; idq. factum habuit ratum, quamuis præfecti locorum primas eius iussiones neglexerint.

Res in Germania inter
Maguntinos
gesta, Baden-
siumq. calamitas.

Dum hæc geruntur, in Germania, Carolus Badensis marchio accersitis belli focijs, fortissimum instruit exercitum; atq. aduersus Palatinum comitem profectus hostilem agrum tanquã horrida tempesta inuadit, villas exurit, oppida diruit, ferro & igne cuncta consumit. Victor nusquam reperit hostem. Augetur animo successu rerum, atque inimicum contemnit, comites si sibi auscultauerint turpem iniustum hosti notam se dicit, iturum se cum delectis equitibus Edelbergium vsque, atque ibi extra moenia, leporaria & aliarum ferarum septa vastaturum. Receptum est consilium, cæcos secundæ res fecerant. Octingen-
D ti equites ex omnibus copijs deliguntur viri fortes equis & armis instructiores: iter quod vnum erat inter montes, & Necarum amnem, qui é Sueuicis agris in Rhenum procurrat, Hedelburgiumque abluit, nihil metuentes ingrediuntur: Palatinus aduentu per exploratores cognito, parte copiarum, quæ à tergo feriat hostem in insidijs collocata, cum reliquo exercitu non expectatus occurrit, & magno clamore manus conferit. Atrox certamen initur; Badenses & à tergo, & à fronte vrgentur,

A tur, nec vltra progredi, nec retro cedere possunt: sola in dextra spes manet, clausa fugiendi via; alter hortatur alterum, in eadem summis conatibus itur: & iam Palatini cessurus equitatus fuerat, nisi prodeuntibus è latebris pedites longis hastis, Badensium equos confodere cœpissent, stragemq. animalium horribilem fecissent. Ea res Palatino victoriam peperit, quamuis non incruentam, cum ferox hostis etiam cæso in quo sedebat equo, in pedes erectus certamen instauraret, neque se victum fateri vellet nisi vulneratus: ob quam rem Badensis cum fratre episcopo Metensi, & comite Virtembergij, multisq. alijs baronibus ac nobilibus captus est, & manicis vinctus ferreis in carcerem tetrum raptus. Palatinus exultans, & victis illudens diris modis affecit miseros. Ea res Dyetheri causam apud Germanos haud parum crexit, cuius esset Palatinus adiutor, Badensis inimicus. Pontifex in Abbatia accepto infelici nuntio: Superbia, inquit, nostrorum ducum res Maguntinas debiliores fecit, non abstulit: Viuo Pio, nunquam Dyetherus ex auctoritate primæ sedis Maguntinæ præsidebit Ecclesiæ, & nisi fallimur, victoria, quæ nunc ad hostes defecit, cito ad nostros redibit.

Per idem tempus episcopus Ferrariensis, cum regem Francia conuenisset, & mandata Pontificis exposuisset, longe aliud responsum, quàm sperauerat accepit. Contempsit omnia Ludouicus, quæ de Turcis asserebantur, qui suspicionibus laborans, rem fictam existimabat, vt eo pacto res Siculæ obdormiscerent. Cum instaret episcopus, & responsa meliora peteret, missurum se Ludouicus ait breui ad Pontificem legatos suos de rebus Siculis, & Turcanicis tractaturos. Interea Henricum Anglia pulsum, in regnum restituere velle, quod vno se anno facturum non dubitabat. Id cum audisset episcopus: At ego, inquit, in hanc expeditionem, quattuor tibi annos adiicio, atque
D his quasi per iocum dictis recessit.

Margarita Angliæ regina tum forte Ludouicum adierat regno pulsa, quam ferunt in conuentu procerum his verbis regem allocutam: Supplex ad te venio, Francorum gloria, Rhennatus pater meus tuus auunculus, vt genitori tuo regnum parcarer, Henrico Angliæ regi in matrimonium me collocauit: nuptiæ meæ inducias pepererè belli: & Francia, quæ magna ex parte desolata iacebat, meo coniugio reparata est, Verum quietem ego quam alijs dedi, mihi retinere non potui, in can-

De regis Francia
mutato
proposito.

Margaritæ reginæ Angliæ
orationes ad
regem & ad
militres plusquam
femineæ.

de læmorem exusta sum dum alijs afferō lucem: Gallica pax A
 in me bellum transtulit. Eiecti Angli ē regno tuo pacem domi
 feruare non potuerunt: inuenta est litis causa, Regnum aiunt
 haud equo iure viri mei maiores obtinuisse; duci Eboracensi de-
 beri, qui propter seditionem in exilium missus fuerat: Varuici co-
 mes pari causa eiectus socium se illi addit; congregant ambo va-
 lidas manus: Vir meus, quem par fuerat nasci feminam, in pote-
 statem illorum venit, qui factō apud Ludonias consilio, regnū
 quoad uiueret coniugi meo confirmauere, filiū exhæredarunt,
 me hostem regni declarauerunt, duci annum stipendium mar-
 carum auri decem millium statuerunt, & post Henrici mortem B
 regni coronam. Pugnaui ego aduersus ducem, & prælio victum
 interfeci: virum ē manibus hostium recuperavi, & regni maio-
 rem partem ad me traxi. Verum mutata belli fortuna, co-
 acta sum regno cedere cum filio in spem regni genito, & cum
 viro, qui annos supra quadraginta regnauit. Ad Scotos confugi-
 corum infelix auxilia querens, qui hostes regni implacabiles
 fuerant, neq. sum spreta, miseranda etiam inimicis mea calami-
 tas visa est. Non dubitauerunt Scoti eiectam adiuuare reginā,
 & hospitio confouere benigno. Sed quid agerem? non sunt Sco-
 torum vires, quæ mihi possint regni solium restituere. Filius Ebo-
 racensis Eduardus in Anglia rex declaratus est, & ab vniuersa
 fere gente receptus: nisi tu adiuues, meus sanguis, frustra cona-
 bor: Tibi potestas est res Anglicas corrigere, quietum inuenisti
 regnum, & diues & milite plenum patri succedens, nemo tibi
 non obedit. Et quid est Anglia ad Galliam comparata? Bellato-
 res, qui erant in Anglia quasi omnes cecidere plus centum mil-
 lia militum vnus anni absumpsere prælia; tibi copiæ innumera-
 biles militant, nec pecuniæ defunt: miserere inopis reginæ, & re-
 gis eiecti: par tibi & mecum & cum illo consanguinitas adest: il-
 lum amita tua genuit, me matris tuæ germanus. Non culpa D
 nostra regnum perdidimus, iniuria sumus eiecti. Quid rege di-
 gnus est, quàm regibus indigna ferētibus opem afferre? Magna
 tua laus est germano meo in regno Siciliae laboranti pecunias
 subministrasse: maior quod regi Aragonum aduersus Cathala-
 nos suppetias miseris, non est mihi dubium, quin me quoque,
 & virum meum, & filium adiuues: neq. enim tuos relinques qui
 non deseris alienos. In duobus regnis iacentes subleuare par-
 tes adniteris, & iustas protegis causas, adijce tertiā. Plures Her-
 cules

A cules commemorat antiquitas, & sub vnus nomine multorum
 opera referuntur; nec tamen digna sunt, quæ tuis æquari possint
 si, quod te puto facturum, tris reges suis sedibus per iniuriam pul-
 sos restitueris, nouum & maximum Herculem posterī colent.
 Nec ego magna ex te peto, frater, decem millia bellatorum si mi-
 hi concesseris, adiunctis Scotis, & qui mihi tacite in Anglia fa-
 uent, Eduardum facile debellabo, & Angliæ regnum tibi & om-
 ni posteritati tuæ perpetuo confœderatum dabo. Hæc tua soror
 flagito, si annuis, regnabo iterum, & filium successorem relin-
 quam, licebitq. sepulchro inscribere Margaritam reginam: quod
 B si me deseris, in exilio moriar, non sine tuo magno dedecore. Lu-
 douicus his auditis sororem bene sperare iussit; se non Hercule
 esse, neq. genus Eacidarum; Francorum sanguine natum à ma-
 gno Carolo originem trahere, cui nullus ex antiquis sit præfe-
 rendus, quamuis in Alexandri laudibus scriptorum ingenia ap-
 prime insudauerint. Francorū gesta & occidentem, & orientem
 impleuisse: nec sub sole maius inueniri nomen; nolle à suis pro-
 genitoribus degenerare, quamuis & in Italia & in Hispania in-
 genti sumptu bellum gerat: non tamen Angliam neglecturum,
 Gallico generi semper infestam: Eduardum periurio infamem,
 C qui regem suum prodiderit cito pœnas daturum. Nec mora du-
 ces designauit, qui reginam cum exercitu sequerentur, postula-
 tumq. bellatorum numerum decreuit. Quorum ductores, centu-
 riones, ac decanos ad se vocatos sic allocutam reginam tradūt:
 Non me latet, viri fortes, inter uos esse aliquos, qui duram sibi
 prouinciam demandatam existiment. Trans mare in Angliam
 bellum gesturi pergitis, durum à stirpe genus hominum & fero-
 cia pectora, quibus olim Gallia cessit, vobis occursura putatis: ni-
 hil horum timere oportet. In prioribus bellis omne robur mili-
 tum cecidit: nemo ex illis viuit, qui Franciam vastauere: ipsi per
 D sese Anglici vestrum sanguinem vindicarunt: occisa nobilitate,
 rudem armare plebem cogentur, cum pauido & inexperto mili-
 te manus conferetis, si tamen expectare audeant, & non prius
 fugiant, quàm vestra signa intueantur. Ite mecum bellatores
 egregij, ad prædam, non ad pugnam uos duco. Gallorum spolia
 quibus per tot annos ditata est Anglia reportabitis, nihil peri-
 culi est; audere vicisse fuerit. Si occurrerit hostis, quod minime
 crediderim, prior ego in fronte pugnabo, prior tela excipiam,
 prior aduersantes cuneos penetrabo secunda. Noui Anglorum

mores; sepe illorum perfregi acies, & multo duriora quam modo sint prostrati agmina. Sequimini reginam, qui puellam aliquando rusticam secuti estis: iusta est causa quam paratis defendere; præmia victores opulentissima reportabitis. Quod si forte aduersa fuerit pugna, nunquam ego ex eo prælio fugiam, in quo meus ceciderit exercitus, Vobiscum aut vincar aut vincam: nec mihi male accidere potest, cui pro iusta causa cadenti non deerit retributor Dominus, aut hic aut in altero mundo regnabo; hunc mihi animū mulier ipsa parauit: Vos qui viri estis, & bellorum casibus indurati, haud molliorē induetis mentem. Excepta est oratio magno applausu militum, admirati omnes muliebrem audaciam, & in femineo pectore virilem animum, & verba sensu plena: puellæ, quæ Carolum in regno sublimauerat spiritum in regina renouatum dicere, spem bonam sibi quisque præstare: turpe viris videri minus audere quam feminam. Dant omnes nomina volentes, & ingressi naues fiducia pleni in Scotiam nauigant. Ferrariensis autem episcopus rege dimisso, ad Philippum Burgundiæ ducem profectus, in Brabantiam penetrauit, quæ olim pars Belgicæ fuit. Placet res Philippi clariores hoc loco inferere, qui genere Francus sub nomine Burgundo regnat, & pluribus præsidet gentibus, opibus & belli gloria claris.

De origine Burgundorū & Philippi dicitur in clypeis rebus gestis historia dignissima.

Burgundis ferunt originem fuisse Romanā: nobis incomperata res est: illud constat Burgundiones ex Germania in Galliam penetrasse, gentem non minus barbaram quam ferocem, & Romani inimicam imperij, quæ aduersus Constantini magni successores varia sæpe fortuna contendit: easque sibi tandem sedes obtinuit, quibus posteri Burgundiæ nomen indidere. Non imus inficias, multos ex Romanis barbaros, ac pariter ex barbaris Romanos fieri potuisse, quemadmodum Valachos ultra Danubiū cernimus, qui ex Italicis aduersus Sarmathas missi, vt fines imperij defenderent, ipsis barbaris barbariores euasere: quamuis verbis quibusdam nostratibus vtantur. Burgundorum campos Arar fluuius irrigat, qui à monte Iura exortus non longe à Lugduno in Rhodanū fluit. Inter Burgundos multi annumerantur populi. Hic Sequani sunt & Vesuntiones, quos Dubuis præterfluit amnis, & Lingones, & Cauillones, & Matiscones, & Altifiodorenses, atque horum Celtarumque fere omnium quondam principes Hedui, inter quos, vt auctor est Diodorus Siculus, Alexia condi-

A condidit Hercules, & Galathem filium illic genuit: qui additis ad Celtarum imperium Aquitanis, ac Belgis, ex se Galliæ nomen dedit. Burgundiam, vt ante diximus, Philippus audax, Ioannis regis Franciæ filius à Carolo fratre, eodemque rege nomine dotis accepit, cum filiam comitis Flandriæ duxisset uxorem, cū qua & ipsam Flandriam, & alias plerasque terras sortitus est. Nec filio eius Ioanni minus paruit imperium, qui ad paternam hereditatem plurima ex Gallis adiecit. Huic necato Philippus alter nec patre nec auo inferior successit; sub quo mirum inmodum res Burgundorū florere, haud paucis gentibus, qui parentem ignorauerant, in deditiōne acceptis. Huic nostra ætate præter Burgundos multi Belgarum populi obediuerunt, Menapij, Vellocaſſes, Morini, Atrebates, Ambiani, Neruij, & multa veterum nomina, quæ hodie aut in Campania, aut in Brabantia, aut Piccardia, aut in Flandria, vel Hannonia continentur. Accesserunt & postea Bartuaci, quos nostra ætas Luxemburgenses appellat, & intra Rheni fluentia Holandini, & Zelandini insulares homines; & ultra in solo Germanico vetusta gens Frisiorum. His tot tantisque & tam florentibus populis Philippus imperans paternæ laudis admirator, vt primum per ætatem potuit, equitando sagittandoque, cursu ac saltu ad militare se robur exercuit, & in distringendis hastis pleno militiæ labore durauit. Prima eius expeditio aduersus Armeniacos fuit, quæ hoc modo oblata est. Iacobus cognomēto Arecuria vir magnæ inter Gallos nobilitatis Burgundarum partium existimatus, & à Philippo in paucis amatus, in oppidum sancti Raqueri Ambianensis agri pro hospite admissus, hostem se præbuit: occupatoque oppido, & Armeniacorum tribus millibus introductis omnem vicinum infestauit agrū. Quod vbi Philippus accepit, missa exercitus parte, quæ hostium excursiones reprimeret, paulo post cum reliquis copijs subsecutus ad iactū lapidis prope oppidū castrametatus est, proditoremque dura obsidione coclusit: necessitas deditiōne suafisset, nisi consciētia facinoris spem veniē ademisset. Superuenerunt & Delphini litteræ, quæ nutantē confirmauere, nuntiantes duodecim millia equitū per desertas regiones iter facere, quæ obsidionē dissoluāt, iamque ad quintū decimū lapidē appropinquasse, spemque optimam fore improuisum hostem posse deleri. Sed neque Philippum hæc consilia latuere, qui vt Armeniacos ad ostia fluminis Sonæ peruenisse didicit, antiquius existimauit intermissa obli-

obsidione properantibus occurrere, quàm circa obsessos præliū A
expectare, ne duplici pugna erumpētibus obsessis implicaretur.
Progressus agmine ordinato, vbi ad nonum milliarium perue-
nit, conspicatus hostes: Armeniacos, inquit, video commilito-
nes, & infesta contra nos signa ferri: adeste bonis animis; vestra
virtute fretus præliorum hodie sacris initiabor: aut nomen mi-
hi æternum dabit, aut extra numerum me hominum facietis.
Cum periura gente pugnandum nobis est, quæ ducem vestrum
patrem meum, non in bello aut in acie, sed inermem sub specie
pacis contra ius fasque, & datam fidem interemit. Repetet hæc
dies à sceleratis hominibus tanti flagitij poenas: si viri eritis, ni- B
hil est cur timeatis. Cum his congregiemini, quos sæpe meo sub
patre vicistis: efficite ne me duce vincere discant, & hoc præ-
lium, quod primum in eo, vt prosperum feram totis viribus adni-
timini. Atque his dictis iubet signum bello dari. Fit concursus
vtrinque alacer, hinc Burgundorum, illinc Armeniacorum no-
men in æthera fertur: in dextro cornu Baro quidam nobilis, du-
calibus adornatus insignibus præerat; in sinistro Antonius Cro-
ius; mediam aciem Philippus ipse regebat militari indutus sa-
go, ne internosceretur. Vt ergo prælium commissum est, & ali-
quandiu summa contentione pugnatum, coepit in Burgundorū C
parte dextrum perturbari cornu, cuius ductor Baro, quem veste
ducali indutum diximus, dum suos hortatur, atq. incendit, ma-
gno hostium impetu peruasus interficitur: cum quo audax quis
que cadit, & ipsa acies incipit cedere: sed adiuta ab his, qui me-
diam frontem regebant, vires recipit, pugnamq. fortius instau-
rat. Tum Armeniacus quidam detractum Baronis occisi sagū,
& cruentas ostentans vestes, tanquam ducis interempti spolia,
magna voce clamitans: Quorsum vestra, inquit, audacia o infel-
lices Burgundi tendit? quid sibi vult tanta ferocitas? cur pugna-
tis amisso duce? an mortuum recuperare potestis? reddite vos D
potius, & vestro parcite sanguini. Cuius dictis cum fidem face-
ret sanguinolenta vestis, cecidere omnibus animi, qui dextro in
cornu pugnant, & foeda hinc fuga coepta est. Quod vbi Phi-
lippus animaduertit, ira & mœrore concitus, non iam victoriā
sperans, sed honestam quæritans mortem, vltro se hostibus inco-
gnitum offert, ibiq. acrius pugnam instaurare nititur, vbi suos
cedere effusius videt; & modo hunc, modo illum hostem feriens,
fortissimi militis officium implet: sed vndique gladijs ac lanceis
impe-

A impetitus, mirabile dictu, quamuis duabus transfossus militari-
bus hastis, non tamen deditioem facit, neque se prodit: fracto
ense, securim quam ad sellam pendentem gestabat, fiducia ple-
nus arripit, hastasq. ipsas quibus detinebatur infringit, atq. ex-
trema conatus, duos qui sibi vehementius imminebant, ictu secu-
ris interfecit, ac per circumiectam hostium multitudinem pene-
trans, ad sinistrum cornu peruenit: quem vbi vidit Antonius in-
columen: En, inquit, milites dux adest, salui sumus. Incredibilis
mox alacritas orta est, tantusq. ardor milites accendit, vt facto
ab eo latere concursu, belli fortuna mutata sit, victi vicerint, &
B fugientes fugarint. Reintegrato namq. certamine, non sustinue-
re Armeniaci viam Burgundorum. Sex millia in ea pugna ex Ar-
meniacis cæsa sunt, tria millia capta: Sentrailem Pontonū ho-
stium ducem Philippus sua manu cepit, & opima deduxit spo-
lia. Ex Burgundis octingenti desiderati sunt: nec nostra memo-
ria tantæ contentionis præliū in Gallia gestū. Oppidum sancti
Riqueri secundum hanc victoriam receptum. Ex quo Iacobus
Arecuria clam fuga dilapsus cum paucis euasit.

In agro Siluanectensium oppidum est, cui nomen Crepi: hic Crepi Vitria-
duo A quitanorum præfecti Laira, & Cainetus in armis clari fre- ci Montisclero-
quentibus excursionibus finitimos laceffebant; quos Philippus ros sancti De-
ad deditioem compulsos, sine veste, fortunisque omnibus abire siderij, & Mel-
permisit: Vitriacum quoque non parui nominis oppidū in agro loduni oppi-
Campaniæ Cathalanico cæsis plurimis hostium expugnauit. dorū à Phi-
Obtinuerant hostes per diutinā obsidionē castellū quod Mon- lippo expu-
tescleros vocant, & in eo multos Burgundorum nobiles, inter gnatio, & Bar-
quos Antonium Vergeium illustri loco natum, quos Philippus barse captiui-
recuperato oppido libertati reddidit. Hostes interea castellum tas.
sancti Desiderij noctu scalis inuadunt, & oppido atque arce po-
titi Treuiros, atq. Barrenses accersunt, vexantq. vicinas terras.
D Philippus cum parte copiarum Ioannem Vergeium præmittit,
paulo post cum reliquis secuturus. Ioannes cum eo appulisset,
magno beneficio fortunæ hostibus ad excursionem profectis, va-
cuo potitus est oppido; sed illis per arcē redeuntibus, tribus die-
bus in oppido interdium noctuq. summa cōtentione pugnatū est.
Postremo referentibus pedē de industria Burgundis, vt hostis ab
arce longius eliceretur, & ad firmandam fugæ opinionē fracta
oppidi porta, cum Armeniaci acriter insequerētur, Vergeius ag-
mine circumducto reditum in arcem hosti præcludit, præliūq.
fortius

fortius instaurat: Victi Armeniaci manus dedere, ex quibus tria millia ceciderunt; Burgundi fere mille desiderati sunt: Arx capta in potestatem Philippi redijt. Mellodunū eo tempore non ignobile Senonum oppidum, cum Barbasas inter Aquitanos magnæ nobilitatis ac nominis obtineret, Parisiorumq. agros vndiq. infestos redderet, statuit Henricus Angliæ rex eum in oppido claudere. Et quoniam is vnus ex coniuratis fuerat, qui ducem Ioānem occiderant, æquum censuit ad eam obsidionem Philippum accersire, qui patrem vlcisceretur. Philippus ita demum seiturū pollicitus est, si Carolus senior quoq. rex Franciæ interesset; sic enim expeditionem suam plus opinionis habituram censuit. Cum venisset in castra Carolus, mox & Philippus secutus, tantas copias secū adduxit, vt ei terrori esset, cui suppetias tulerat. Difficilis obsidio fuit, propter loci naturam, quem Sequana fluius interiectus oppidum ab arce disiungens, ita munitum reddit, vt non nisi ternis castris intercludi possit; quorum alteri alterum nullo sit vsui. Verum firmata obsidione, & obstinatis animis aliquandiu ducta, nō machinis, aut insultibus: sed fame expugnatum est oppidum, & Barbasas captus, tanquam reus capit in carcerem coniectus. Inde ad monasterium supra Ionam situm Philippus se contulit: eoque potitus ossa patris inde recipiens Diuionem transtulit, & funeri iusta persoluit.

Delphinū ob
sidionem ad-
uersus oppi-
dum Cones
soluere Bur-
gundus co-
git.

Inter hæc arbitratus Delphinus similtates, quæ inter Burgundos & Anglos exoriri cœperant, in dies auferere: suasq. partes meliores fieri congregato ex Aquitanis, Aluernis, Scotisque non paruo exercitu Lygerim transmittit, & oppidum Cones Burgundo subiectum inuadit: Quod cum pluribus diebus circūsedisset, inducias tandem quadraginta dierum pepigit, eo pacto vt arx sibi traderetur, nisi medio tempore à Burgundis è campo deijceretur. Quod cum Burgundus intellexisset, coactis repente triginta millibus equitum suppetias tulit obsessis: Ioannes Be thfordiæ dux quinque millia pugnatorum ex Anglicis in eam expugnationem adduxit, non magnam militum manum, sed quæ magna facere & posset, & auderet: verum tantam contra se vim paratam non expectans Carolus obscura nocte, soluta obsidione trans Lygerim se recepit. Victor Philippus more maiorum erecto lapidum aceruo trophæum sibi constituit.

Bellum Phi-
lippi aduer-
sus Clōce-
striæ ducem,
& Annoniæ
Holandiæ at-
que Zelan-
diæ expugna-
tio.

Circa idem tempus Iacoba excellentis formæ femina Holandiæ ac Zelandiæ princeps Ioanni Brabantia duci nupta cum aliquan-

A aliquando in colloquium ducis Clocestriæ regis Angliæ germani venisset: atque vt est eiusce gentis mos, venereum facile sermonem commiscuisset, miseram se ait, quæ virum sortita frigidum atq. impotentem, matrimonio vti non posset. Clocester, qui sine coniuge esset, neq. forma careret egregia, stultam esse feminam dixit, quæ non viro nupsisset: aut postquam scisset impotentem, in eo coniugio perseueraret, in quo matrimonium esse non posset, seq. coniugem obtulit, nisi ducem Clocestriæ regis fratrem, ætate florentem, forma quam videret dedignaretur. Mulier quæ mater fieri, & virum qui vir esset amplecti cuperet, vbi tantum sponsum offerri sibi cognouit, non recusauit conditionem: sed vt primum potuit, ad illum diuertit. Consanguinea hæc Philippi fuit, ad quem per obitum eius dux illæ haud contemnendæ prouinciæ Hollandiæ atque Zelandiæ reditura erāt: at si filios peperisset ad Anglos venturæ. Anxius super his Philippus, Clocestrem monet, terras Iacobæ vt quamprimum relinquat, cuius adulter non maritus esset. Ille se iure possidere bona coniugis ait: Philippum iniuriam, qui sibi in consanguinea exprobet adulterium. Vterque bello se accingit: rex Angliæ se fratri minime defuturum scribit, cui Philippus neque se suam hereditatem relicturum respondet. Vtriusq. dura conditio: Philippo si hanc pugnam aggrediatur, hinc Angli, inde Franci timendi: Henrico Francorum & Burgundorum arma cauēda, cuius frater dux Clarentiæ nouissime apud Andos in pugna ceciderat. Consuluit igitur rei suæ Henricus, ac Burgundo rescripsit amicorum controuersias iure melius terminari quàm armis: daturum se operam, vt frater iudicio se obliget, rogare itidem Burgundus faciat: nec recusauit Philippus, quamuis protrahi tempus à possessore cognosceret. Itum est ad Martinum quintum Pontificem maximum, qui re cognita inter Clocestrem & Iacobam non matrimonium, sed adulterium esse declarauit. Clocester sententiam summi Præfulis paruipendens cum possessioni terrarū, tum complexibus adulteræ fortius hæsit. Burgundus postquam iudicio ludificatum animaduertit, misso feciali qui bellum Clocestro indiceret, ad arma profiliijt. Annonia haud magna terra est Brabantia contigua, verum vbere solo diues, & Sambro flumine irrigua: duo & viginti oppida continet, totidem baronum familias, & pari numero locupletes monachorum conuentus: Hanc quoq. cum Holandia ac Zelandia coniu-

gis

gis nomine Clocester obtinebat. Huc primo impetu sese cum copijs Burgundus inferens, Halzium oppidanorum deditioe in potestatem recipit. Exin Brennam machinis oppugnatum occupat, atq. occiso præsidio spectante Clocestro, qui suppetias laurus non longe aberat, diripuit atq. incendit. Tum diuisis copijs Croium ac Ioannem Luxemburgensem ad obsidendum Montense oppidum misit; ipse cū reliquo exercitu ad oppugnationem Nalancenarum profectus est: cum sæpe frustra pugnan- di copiam hosti fecisset. Urgebatur in dies Clocester, nec spes vlla salutis erat, deficientibus ab eo in dies subditis: nec multū ab- fuit, quin & ipse in potestatem Philippi veniret. Sed qui se armis feruare non poterat, astu salutem quæsiuit. Scripsit Philippo in- dignum esse duorum hominum contentione tot oppida, totq. hominum millia periclitari, æquius singulari pugna certamen fieri, se illi accincturum, si conditio recipiatur, vt victori omnia cedant, de quibus lis agitur. Quam rem facile à magnanimo principe impetrauit, ac eo pacto constituta die in Angliam trās fretauit. Sed homo non tam armis, quàm plumis & libidinibus aptus, magnificis quæ iactauerat verbis haudquaquam satisfacit, nec tanti famam, quanti vitam duxit. Ob quam rem cum non rediisset ad præstitutam diem, omnis ab eo Annonia defecit. C qua recepta Burgundus nihil cunctatus, in Hollandiam atq. Ze- landiam duxit, quæ prouincię propter maris commoditatem fa- cilius ab Anglicis tutabantur, quibus & Traiectenses foederati erant, Validus in armis populus. Sed dum oppidatim, vicatim- que vincere oportet, bellum septem annis protractū est. In Tra- iectensium agro vicus fuit, cui nomen Lemnes, hunc circum- fluit amnis, alueo vtrinq. latissimo, verum nisi mare redundet, terrestri siccitate tenetur: vbi vero excrementa maris assurgunt, quod quotidie fit adeo extollitur aqua, vt non solum triremes, sed etiā onerarias, cetheasq. naues importet. Hic Philippus La D teritium mirabili celeritate & artificio castellum instruxit adeo munitum, vt nullis posset perfringi machinis, quod iniectum li- gneis trabibus, astu recedente, in terra subsideret, redeunte vero tanquam nauis eleuaretur in altum; impositoque præsidio, nec Traiectenses negotiari permisit, neque com meatuum aliquod genus ad eos deferri. Ob quas res interdicta negotiatione, ac fa- me coacti Traiectenses multo auro pacem emerunt; secundum quam & Hollandini Zelandinique manus dedere.

Restabat

A Restabat in medio mari situm Enembergium, quod Flandrię Enembergij obiectum quasi specula quædam mercatoribus Holandinis Ze- difficillima ex landinisq. magnam molestiam inferebat, cum loci dominus An- pugnatio, & glorum partes enixissime tueretur: difficillima eius oppugnatio Anglorū ma- videbatur, non tamen non tentanda Philippo, qui rem arduissi- gna cædes. mam adortus, quicquid nauis sub imperio suo inueniri potuit, huc nauigare iussit, obsidionemq. durissimam oppido adiecit. Res erat non tam obfessis, quàm obsidentibus aspera & pericu- losa, cum venti Aquilonares absq. intermissione flantes, clas- sem impellerēt, ac nonnumquam eleuatis fluctibus vsq. ad mu- B rorum pinnas extollerent; nauigia vero partim inter se collisa, partim hostilibus icta tormentis dehiscerent, atque in profun- dum multa raperentur. Intoleranda res omnibus visa, ne- que humanis ferenda viribus: sed miles duratus malis, & prin- cipis patientiam admiratus omnia pertulit. Quartum & de- cimū mensem ducta est in anchoris obsidio; sæpe oppugna- tio tentata, sæpe à muris repulsa uis. Postremo victrix om- nium fames oppidum Burgundis aperuit: præsidium Angli- cum relicta per ignominiam veste dimissum est. Multæ ibi Anglorum opes repertæ, & ingens capta præda Philippo non C paruo empta, quem bis decies centena millia auri nummum in hanc expeditionem aduersus Clocestrem septennio ductam ex- posuisse perhibent. His actis nuntiatum est Anglicos classe in Zelandiam vectos apud oppidū Brossauum exposuisse copias: aduersus quas profectus Philippus sex millia hostium cecidit, pauci fuga saluati sunt, multos vnda sese præcipitantes ab- sorbuit.

Inter hæc Bastardus cognomento Palma inter Allobroges Bastardi de- non ignobili loco natus, cui præfecturam Treuanti oppidi apud fectio, & a- lonā siti Philippus crediderat, pecunia corruptus ad Amernia- pud Treuan- cos defecit: & relictis decem in arce custodibus ad Delphinum atque anceps profectus est, suafurus vt exercitum eò duceret; futurum, vt prælium, Phi- recepto Treuanto magnas Burgundis clades inferat. Quem lippiq. tandē cum Delphinus audisset, probato consilio duodecim millibus de Armenia- Scotorum, & Aquitanorum non paruis copijs congregatis, iter cis clara vi- ingreditur. Interea res apud Treuantum mutata est. Duo e- etoria. rant in arce, qui defectionem Bastardi ægreferebant: ij reliquos ad coenam inuitant, quorum alter dum bibitur, quasi allatu- rus cibos ad turrin proficiscitur, in qua Burgundi non pau- ci ca-

ci captiui detinebantur, atque hic securi arrepta, quattuorictibus, quattuor turrebus custodes interficit, & liberatis captiuis, cum his arcem in suam potestatem recepit, ac Philippo conseruauit. Audax facinus, & digna ingenti præmio fides: iam ad vigesimum prope lapidem Armeniaci conuenerant, cum renuntiatum est, Treuantum in potestatem Burgundi rediisse. Territi hoc nuntio retrocedere voluerunt; sed asserente Bastardo oppidum frumento vacuum, si obsideretur diu retineri non posse, appropinquantes opportunis locis castra posuerunt. Collis est è regione oppidi ad Burgundiam spectans, hunc Aquitani & Aluerni munierunt, ne aut importari commeatus in oppidum, aut excursio à Burgundis fieri posset. Ex altera parte Iona fluuius paruo spacio relicto ab oppidi muris excurrit non minor Arari: hoc interuallum Scoti occupant, fossamq. sex altam pedes effodiunt, & aggerem struunt, ne quam oppidani irruptionem tentarent. Erat & alius collis ad eam partem, qua pons iniectus est amni, hunc Vascones & Pitauini infederunt: sic pluribus diebus obsidione ducta, fames premere oppidanos coepit, qui postquam nihil adesse spei deficientibus edulij putauerunt, deditioem parauerunt. Sed cum legatos ad hostes ituros, quid dicat quasve petant conditiones instruunt, in campo, qui trans flumen passus fere mille patet, equitatum aduentantem conspiciunt, cuius vexilla diligentius intuentes, insigne Philippi cognoscunt, animumque resumunt, & alter alterum cohortantes, expectandum rei exitum censent. Interea Thomas Montacutus Salesbericensium comes mille & quingentos Anglicos ad Burgundum ducit, fortem & electam manum. Feruere Burgundorum animi, pugnamque alacres petere: sed fluuius certam impediebat, cuius erat ignota vada, nec hostes in colle locati pugnae copiam faciebant: satis esse ducentes obsidionem tenere. Burgundi laceffunt eos, qui ponti præerant, quorum tres cum longius à suis exissent, nec redire possent intercluso itinere, in fluuium sese præcipitant, in quo siue prius tentauerant, siue fors fuit, incolumes reperto vado ad suos peruenere. Quod intuentes Burgundi, & ipsi vadum occupant, Scotosque adoriri festinant. Accurrunt illi prohibitori transitum; fit prælium in ripa fluminis atrox, & anceps: sed conuersis huc Scotorum viribus oppidani transmissa fossa aggeremque dirupto, Scotos à tergo feriunt. Dura belli facies diu Marte dubio; postremo victor Burgundus campo potitur: Scotorum manus, in qua duodecim

A decim millia militum esse diximus, usque ad internitionem caesa, nemo fugam molitus est: mille tantum viui in potestatem Philippi peruenere. Aquitani, & Pitauini, qui collibus infederant, nullam ferre opem Scotis potuerunt, impediente Thoma, qui cum Anglicis medium iter infederat. Ij postquam stragem suorum viderunt, spemque frustratam, fugam se commiserunt; sed infecutus, hostis multos eorum cepit, duo millia interfecit. Ioannem comitem Dunois, quem Franci suum appellant Nestorem, dicere solitum ferunt; Delphino nullo in bello tantum vulnus illatum, nec usquam minus fugam plus

B cædis fuisse.

Dum hæc aguntur, noua belli materia apud Gandauos exortur. Ij sunt Flandrenses populi, quos quidam apud veteres Vellocasses appellatos existimant. Tres hic viri domo profugi fortunæque tenuis perniciosam docuere philosophiam: asserentes omnes homines natura ingenuos nasci, nec legibus, nec magistratibus, nec principe opus esse: atque in ea libertate viuendum, quam nascenti cuique Deus dedisset. Hæc cum publice, atque in foro prædicarentur, tumultus exoritur; alij pellendos ex oppido iudices, alij retinendos dicunt: sed crescente seditione, cum res prope ad arma ventura esset, unde plures erant, inde omnes fuere. Eiecti sunt vrbe magistratus, omnisque principis reuerentia procul posita: viuere in communi optimates cum plebe; nihil proprium retinere: Platonicam ciuitatem imitari. Egressi oppidum vicina castella nobilium, qui eam dementiam aspernarentur infestare: captaque diripere atque incendere. Quibus cum ex Anglia Clocester, Delphinus ex Francia ad delendum Philippi statum auxilia promitterent, non paruo in discrimine res Burgundorum posita est. Quod intelligens Philippus, concitatum vulgus non suasionem verborum, sed vi armorum domandum esse putauit: coactisque raptim duodecim millibus pugnatorum in perduelles pergat, sed cum illi ultro pugnam exposcerent, indignum ratus nobiles, atque illustres viros abiectionem plebi obijcere, collem occupat, qui hostium castris imminebat, indeque sagittis vulgus conficit. Irritati Gandauenses egressi munitiones, impetum in hostes faciunt, in quos Philippi equitatus irruens, ac peditum phalangem interrumpens, stragem permagnam edit. Fugiunt Gandauij, ammissisque tribus millibus in castra reuertuntur; atque inde tensis manibus

Gandauiorum aduersus Philippum rebellio, clarissima que de eis victoria.

nibus veniam petunt, quæ his legibus data est; ut traditis armis potestas Philippo fieret ducentos ex eis ad supplicium rapere seditionis concitatores: trecentum millia auri nummum poenam penderent; plebiscita nulla haberent, nisi quæ Philippus indulgeret. Paritum est: thoracum, cassidum, loricarumque supra octuaginta millia tradita: poena persoluta, plebiscita correctæ, ducenti ad necem rapti concitandæ plebis auctores.

De Philippi aduersus Leodienses propter turrim Nammurcensem bello, eorumque deditione, & Brabantia hereditate, ac Aualonis oppidi recuperatione.

Puellaria circa hoc tempus bella suboriuntur, quæ iam dicta non repetemus; sed ad nouam Leodiensium litem, quæ postea nata est, transitum faciemus. Ij turrim rursus erigere conati sunt, quam Ioannes Philippi pater in agro Nammurcensium demoliri iusserat oppido Bouinarum oppositam. Quod cum Philippus cognouisset, aut deleri turrim iubet, aut expectari bellum. Leodienses verba dantes, quibus tempus traherent, interim octuaginta millia hominum in armis cogunt, & agro Nammurcensium vastato Bouinarum oppidum obsidione cingunt. Philippus Antonium Croium cum duobus millibus equitum præmittit, qui hostes frumentatum ire prohibeat: huic Traiectensium octo millia armatorum occurrunt, cum quibus ex improviso commisso prælio victor euadit: captisque duobus millibus hostium Namurcum ingreditur: quo ex loco adeo hostes infestauit, præclusa comitatum via, ut inopia frumenti obsidionem compulsi soluerint. Interea mortuo Philippo Brabantia duce hereditas eius ad Burgundum defertur, qua re magis ac magis fracti animo Leodienses populariter domum egrediuntur, & episcopo suo duce Macliniam petunt, Philippi misericordiam imploraturi: quo in loco cum aliquandiu sine spe veniæ moram traxissent: demum ante palatium principis, & in medio foro lacrymantes in terram prostrati supplices orauere, ut quibus Philippus vellet pacem legibus daret: quorum precibus superata hostis indignatione, huiusmodi responsum obtinere: Quia non vestri iuris estis, sed Ecclesiæ serui, insolentiæ vestræ ignoscitur, & culpa Ecclesiæ condonatur. Ite & pacem contribulibus vestris referte: verum scitote turrim, quam erexitis, demoliendam esse: Vicos quos exussistis reficiendos, impensasque belli refarciendas: quarum nomine ducenta millia auri nummum ut conferatis oportet. Dura lex visa Leodiensibus: sed necessitas legem

A uem reddidit. Post hæc castellum Aualonis, quod per furtum Delphini milites occupauerant, longa obsidione à Burgundis recuperatum est, & in circuitu oppida quædam deuicta, & Hispani atque Itali septingenti in eis comprehensi, quoniam ius gentium violassent: nonnullis legatis uim inferentes, partim furca suspensi sunt, partim in Ararim fluuium demersi.

Memoratu dignum & illud est prælium, quod Vademonten Philippi de sis comes auxilio Philippi, & auspiciis gessit aduersus Rhenatū Rhenato rege memorabilis victoria, regisq. captiuitas. Sicilia regē, quamuis tempora non coherent. Lothoringia Gallicæ prouincia est non procul à Rheno Mosellæ amni circumiecta à Lothario rege nomen accepit, cui cum fratribus regnum Francia diuidēti sorte obuēnit. Huic nostra ætate Rhenatus præfuit dux gentis ab imperio constitutus: intra fines Lothoringiæ comitatus Vademontensis clauditur. Hunc Rhenatus octo & decem millium equitum, peditum viginti milliū congregato exercitu vastare adoritur. Comes in aula Philippi nutritus, opem ab eo petit: deliguntur ex Burgundis quattuor millia equitum, ex Piccardis mille & quingenti sagittarij, qui comitem sequantur, excursionses hostiū prohibitori, donec maiores mittantur copie: Antonij duo, alter Vergeius, alter Tolofanus periti duces adduntur. Rhenatus præcipuum comitatus oppidum obsidebat spe plenus, septem & decem principum Germanorum adiutus suppetijs. Qui ut per exploratores accepit aduentare Burgundos, cognita hostium paucitate, intermissa obsidione ordinato agmine obuiam pergit in campis patentibus pugnaturus. Barbaras eo die primam sorte ducebat aciem, rei militaris peritissimus: Qui ubi conspicatus est Burgundorum vexilla retrohastas, quasi nullū sentirent flatum directæ ferri, contra Rhenati modo ad dexteram, modo ad sinistram versa crispari, & cum vento luctari: heu quam funesta nobis, inquit, pugnaturis instat dies? Rhenatus si sapiat prælio abstinebit: nec moratus regem adiens, pugnam dissuadet: quia & si pauci essent hostes, ex signis tamen quæ viderat, vinci non possent. Cui Rhenatus: ergo paucis multi cedemus, & in medio Lothoringiæ, quæ nobis patria est, Burgundi trophæum statuent? non patiar. Laudauere ceteri regis animum, atq. vltro præliū petiuere, præcipue Comerzeius Theutonici ductor auxiliij: mittitur tubicen, qui pugnam denuntiet hostibus; cui Vergeius: Venimus, inquit, neque assueti

DD 2 fugere,

fugere, neque soliti arma ponere nisi cruore aspersa. Hæc Burgundi responsa remittunt. Erat locus, in quo Burgundi confederant dumis ac virgultis à dextris circumseptus ac defensus; in sinistra parte fossam natura produxerat, quattuor pedibus altam: hic ænea locauere tormenta, equestrem impetum retentura: à tergo carros, quos adduxerat multos locauere. Exin dimissis equis, pedestrem phalangem grauioris armaturæ militum in fronte explicauerunt; cornua ex medio exercitu mixtis sagittarijs produxerunt, palis in terris coram se defixis, qui hostis equitatum prohiberent. Rhenatus peditatu haud procul dimisso, cum duabus turmis equitum hostem à fronte periturus Comerzeium, qui vel à tergo, vel à latere Burgundos laceflat, cum reliquo equitatu ire iubet. Ipse prior pugnam iniit. Comerzeius transilire fossam conatus, tormentis repulsus ad carros se confert, ibique certamen atrox committitur. Burgundi & retro & ante inuasi haud segniter se tuentur: succubissent tamen vrgente Rhenato, nisi clamor exortus Theutonicos equites effugere nuntiasset: Comerzeius enim spiculis ac tormentis à carris eiectus, tam foede fugere coepit, quàm paulo ante magnifice capeffendum prælium suaferat. Hac audita voce, Burgundi erectis animis alacres instauraue-
re certamen, hostibus manus ac brachia ceciderunt, sola in pedibus spes relicta salutis. Victor Burgundus ingenti præda ditatus est: Rhenatus captus, & nonnulli principes cum eo. Mira res, & apud posteros caritura fide. Quinque hominum millia, octo & triginta millia fuderunt, tantum in bello Dei potestas conspicitur. Signa militaria octo & centum intercepta: ex hostibus tria millia cæsa: viri nobiles mille, & ducenti capti: ex Burgundis septingenti periere. Nihil tam in bello nocet, quàm hostem contemnere.

Sigismundi
Cæsaris ad
Philippū su-
perba manda-
ta, Philippiq.
magnanimū
responsū, &
Grancensis op-
pidi deditio.

Sigismundus Imperator circa idem tempus Basileam venit: indeque more gentis, Eraldum, quem fecialem possumus appellare, ad Philippum misit, qui Brabantiam, Holandiam, Zelandiamque ab eo repeteret, neganti bellum indiceret. In litteris quas scripsit, Imperatorem se Romanorum Germanorum, Hunnorum, Bohemorum, & aliarum multarum gentium regem ac dominum appellauit, & magna facta maiorum inferuit. Philippus in aula splendide ornata, aurea innixus sella, multis proceribus circumfusus, audito nuntio ita respondit.

Redi

A Redi ad Cæsarem, atque hæc renuntiato, bellum mihi esse cum Franco rege, cuius Grancense oppidum obsideo, hostis meus sibi amicus est; ferat opem obsessis, non longum est iter, ibi pugnandi copiam facio. Sin hoc recusat, dicit instare mihi duellum cum Carolo ad sexagesimam diem singulare certamē, nisi fallit me hostis, inibimus: illo peracto, diem statuat Sigismundus, signa quocunque in loco voluerit pugnaturus conferam: bellum offert, bellum accipio. Non sum ego Imperator, neque mundi dominus: verū magni Caroli sanguis, quem verba terrere non possunt. Atque his dictis auream vestem exuens B Eraldo dedit. Deinde cum neque Francus subueniret obsessis, aut singularem ingredi pugnam auderet, neque Sigismundus præter querelas & ampullosa verba quicquā attentaret, Grancenses in deditioem accepit, transfugas coniecit in vincula, milites alios nudo pede ignominie causa ad Carolum & Sigismundum reuerti iussit; atque in signum recusati duelli trophæum erexit.

Carolus quoque Borbonij dux, qui olim puer in aula Ioannis fuerat educatus, & filiam eius Agnetem Philippi sororem duxerat vxorem, Burgundorum armis circa idem tempus correctus est. Immemor enim affinitatis, ex oppido quod Chironim vocant, infestare Burgundiam coeperat, ac Martiniacū intempesta nocte admotis scalis inuaserat. Quod cum Philippus accepisset sumptis tumultuarie armis in Aluernos duxit: ac leuibis quibusdam prælijs Borboniorum preffit audaciam: hos quidam Boios esse putant à Iulio Cæsare in finibus Hæduorum collocatos. In castellum Dunois multi se hostes receperant: hoc Burgundi noctu cremauerant, præsidium cum validus flaret Aquilo clam profugit. Profectus Martiniacum Philippus primo impetu muros irrupit, & cæso præsidio, arcem D cuniculis cepit, atque omnem late regionem exussit. Cum Franci copias in agro Lugdunensi apud Ararim confedissee didicisset, pugnae cupidus ad eos properauit: quibus non expectantibus, pro suo more trophæum erexit, nec cunctatus oppidum Bellæuillæ obsessum iuit: floridæ iuuentutis præsidium inerat, & ardentes bello viri: qui vbi appropinquasse Burgundos moenibus, non tam caute, quàm fortiter aduerterunt, eruptione facta, non paruam cladem hostibus intulere, cæsis supra centum ex his, qui fortitudine audaciaque præstabant; maiori-

De Philippi bello feliciter gesto aduersus Borbonium sororis suæ virum eum prouocantem; sororiscumque oratione, & Philippi ingenti clementia.

que damno Burgundos affecissent, nisi Philippus cognito periculo é castris sublato clamore cum Atrebatibus, ac Morinis sagittarijs accurrisset; cuius tam velox fuit aduentus, vt reditum in oppidum multis præcluserit; cepissetq. desperata oppidanorum salute Burgundis simul intransibus, nisi receptui cecinisset. Exin firmata obsidione duobus mensibus quassata machinis moenia sunt; & fames oppidanos inuasit. Aluerni interea cōgregati montem propinquum occupant, ac prælium Philippo denuntiant, magnisq. rumoribus hostem irritant. Philippus nihil cunctatus, expeditum militem é castris educit, atq. ad prouocatores profectus copiam pugnae facit. Illi mutato consilio, non ausi congredi, non sine turpitudine fugam arripuerunt. Philippus monte potitus tanquam victor illic tota die confedit, sequenti luce reuersus in castra obsessos per cuniculos prodeuntes multa intulisse obsessoribus damna comperit: quibus breui refarcitis ad oppugnationem solito acrius incubuit. Milites, qui præsidio inerant, spe destituti, ea lege deditioem fecerunt, vt exarmati pedibus abirent, oppidanos prædæ relinquerent. Suasit omnia necessitas, diues oppidum Burgundi diripuerunt. His gestis rigente iam bruma Philippus Auaricum concessit, quod hodie Niuernum vocant. Huc Agnes profecta quinq. liberos secū adduxit tenera ætate: quæ postquam in conspectum Philippi venit, diu fratris obuoluta genibus loqui non potuit, crebris singultibus ac suspirijs impedita: sed erecta tandem manu fraterna in hunc modum effari coepit. Querar an precer incerta sum, frater; quando nec querenti iudex, nec precanti princeps idoneus adest. Si dixerò bellū iniustū, quod sorori ac nepotibus intulisti; quis te mihi cōdemnabit? si precabor, vt ignoscas viro, cui te volente denupsi, misericordiā excludet ira. Infelix ego mulier, cui nec orare licet, nec conqueri: experiar tamen vtrumq. fortuna vel inuita: tu mihi vt sorori, non vt hosti præstabis aures: querelas primū aggrediar, in quibus non illud accuso, germane, quod viro meo bellum intuleris: stulte ab eo factum est, qui te prouocauit, neque affini pepercit, neque accepti beneficij fuit memor. Illud queror, illud damno, ac detestor, quod tam pertinaci animo bellum susceperis, vt placari nullo modo queas. Esto enim irritauit te vir meus, & iniurius fuit, at cognouit errorē, poenas dedit, multatus est, superauit poena delictum, vastatus ager, iuuentus occisa, maior principatus adempta pars; petitur venia;

quid

A quid amplius quæris? Nulla ne iræ tuæ finis est? an nō aliquando post victoriam misericordiæ recordaberis? Siccine tecum agere Deum velis, & non aliquando placatum iri? Cuncti Deū clementem, magis quàm seuerum optamus, & misericordiam præire vindictam cupimus: tu etiam vltione peracta veniam denegas. Quid si te Barbarus aliquis appetisset ferro, nunquid pepercisses humiliato & supplici? Nunc vir meus adest, qui te pacem rogat nobilissimo genere natus; & tu vultum amoues? Heu me miseram, quæ dum virum amo, fratrem odisse videor: dum fratrem colo, virum perdo. Et quis modus erit hos inter repugnantes affectus? Te mihi natura fratrem dedit, permissio Dei hostem fecit; hos ego tibi nepotes genui, tu horum patrimonium vastauisti, quorum tutorem esse decebat; ergo idcirco me viro tradidisti, vt mendicatos gignerem, & mea soboles tuus sanguis ostium quæreret panem? En filioli huc adeste, quin fletis cum flente matre, & auunculum pijs lacrymis placatum reddite patri? Non intelligunt pueruli suam calamitatem, cogita frater, quæ maiusculi dicerent. An non te infantilis commouet ætas? an nihil in te potest fructus mei ventris? an si captiuum patrem in vincula coniecisses, statuisquesq. perdere, his non traderes? Aut his parentis, mihi viri concedito patrimonium, aut si non cadit ira, in me vindica delictum. Vtinam virgo apud te perissem, quando hæc stipendia matrimonij fero. Vtcunque res ierit, hos tibi educandos scito. Nec plura locuta, cadentibus vbertim lacrymis, in ciuatū se conuertit. Ad quam Philippus: Indignus erat vir tuus, inquit, cui pacem daremus, nisi te duxisset vxorē. Vicisti soror, tuis precibus bellum soluimus: iussitq. Carolū accersiri; cui aduenienti, & multa in excusationem suam dicere paranti silentium imposuit, quoniam sublato bello, non essent audiendæ querelæ: atq. hæc addidit verba: Ego tibi Carole pacem reddo, tuisq. liberis omnia dono, quæ de Aluernis armis quæsiui; tu deinceps amicitiam meam experiri potius quàm arma curato. Sic pax firmata est, secundum quam paulo post in Atrebato de concordia inter Francos & Burgundos conuenit, in qua diligentem nauauit operam Borbonius vtriq. parti acceptus. Hæc de Philippi bellis retulisse sat fuerit: quorum aliqua idcirco in vltimis referuauimus, quia iam alijs scriptis ad nostram notitiam peruenere, quamuis tempore præcesserint; multa prætermisimus, quæ non satis explorata fuerunt.

D D 4 Aegro-

Volūtas Bur-
gandi aduer-
sus Turcam,
& Franci im-
pedimentū,
reditusq. Fer-
rariensis.

Aegrotabat apud Bursellam Philippus morbo periculosissi-
mo cum Ferrariensis episcopus ad eum venit: id est oppidum
Brabantiae nobilissimū, ad quod sæpe diuertere principes solent,
quod ædes ibi pulcherrimas habent, & venationes multiplices.
Triduo cum expectasset Ferrariensis conualescentiam ducis,
tandem admissus est; & astantibus episcopo Tornacensi, Ca-
rolo ducis filio, atque Antonio Croio, Pontificis legationem
exposuit, & litteras manu eius scriptas reddidit: Quibus recitatis
Philippus ex lectulo in hunc modum locutus est: Victuram fe-
brim, & me prorsus extincturam non dubitabam, adeo iam vi-
res omnes ademerat: sed tu mihi, Episcope, sanitatē attulisti cū
istoc nuntio tuo: iuuat Pontificis animum intellexisse, quem vi-
deo suæ dignitati conuenire. Nullam ob causam tam dura mihi
& acerba mors videbatur, quā quod Turcis inultā patris mei
captiuitatem relinquebā. Nunc spem concipio, & patrem meum
ultum, & reipublicæ Christianæ optime consultum iri, quando
is Pontifex nobis datus est, qui curam religionis habet, & exem-
plo boni pastoris paratus est pro suis ouibus animā ponere. Ego
si conualuero, quod minime dubito, nō solum voto meo faciam
fatis, sed omnia conabor exequi, quæ Pius mandauerit, iussitq.
consiliarios, qui astant, cum Ferrariensi de numero militum,
qui esset ducendus, de machinis præparandis, de pecunijs cogen-
dis, de itinere faciēdo colloquium habere; nec alia Philippi cura
erat quā conualescere, & se aduersus Turcas præparare. Inter-
ea Ludouicus bello in Anglos decreto, Philippo mandat, vt &
ipse aduersus Eduardum Anglici regni vsurpatorem, quem ipse
hostem suum declarasset, arma moueat. Quæ res mirum in mo-
dum Philippi animum perturbauit: Misit tamen ad Ludouicum
rogatum ne se bello Anglico implicaret, neve cogeret Eduardo
pacem infringere, quam se suafore atq. impulsore ea lege fecis-
set, vt solui non posset, nisi ante annum reuocata: esse animum
sibi aduersus Turcas expeditionem ducere, sineret se rem fi-
dei agere, & Romano Pontifici obedire. Ferrariensi vero vt ad
Pontificem reuerteretur dixit; & animum suum referret, & im-
pedimenta regis Franciæ: missurū se Octobri mense legatos Ro-
mam, qui omnem suam deliberationem exponerent. Neq. hoc
potuisset: & Leodienses res moliri nouas viderentur aduersus e-
piscopum suum, quibus Ludouicus fauendum se promiserat, nec
Philip-

A Philippus è re sua ducebat episcopum indefensum relinquere.
Hæc Ferrariensis ex Gallijs reportauit ad Pium, qui iam Pien-
tiam se contulerat.

Aegrotauit in Abbatia Pontifex, & artetico dolore per diem
noctemq. decubuerat oppressus; cū subito exterriti cardinales pe-
stem in oppido coepisse nuntiant, & notos aliquos occubuisse, fu-
giendumq. tetrum virus suadent. Pontifex nihil cunctatus, appa-
rari sibi lecticam iubet, & sole iam cadente cum omni familia,
sequentibus cardinalibus iter ingreditur non sine vehementi do-
lore languens. Hic exitus deliciarum Abbatiae fuit, vt semper vo-
luptatem sequitur moeror. Nocte iam multa Pientiā venit, nec
ædificia sua pro desiderio intueri potuit, diebus aliquot morbo
decumbens. Postquam conualuit singula diligenter inuisit, nec
pauit expensarum, quamuis auri supra quinquaginta mil-
lia nummum in ea opera contulisset. Pulchritudo & dignitas
ædificij molestiam sumptus ademit. Palatium quadratum fuit
nonaginta pedibus altum ex lapide viuo, ab imo vsq. ad sum-
mum ferro artificis expolito, ad digiti crassitudinem circumse-
cto, ita vt iuncturæ in ipsa cæsiōne cōcurrerent, & saxorum fron-
tes tanquam tesseræ prominerent. In vertice compluuium ex
grandioribus saxis quinque pedibus à muro recedens, collectas
in canali tectorium aquas per fistulas ferreas procul eiecit: muri
crassitudo nusquā sex aut quattuor pedibus minor. Tria in hūc
modum palatij latera surrexerunt: quorum aquilonare centum
viginti sex pedes longitudinis habuit: orientale & occidentale
duo de viginti amplius, propter porticus quæ in australi latere
palatij quadrum excessere: totius palatij ambitus quingentorū
& quadraginta. Tum fenestrarum duo fuerunt ordines structu-
ra & amplitudine admirabiles, tres & viginti fenestras equo in-
ter se spatio distantes ordo vnus complexus est: & alter toti-
dem: tres ex qualibet fenestra viri exterius prospicere potue-
runt, columnellis inter se diuisi: sub vtroque fenestrarum or-
dine ex lapide ei simili quem Tyburtinum vocant: duo plu-
teorum cimitia, quas vulgo cornices appellant, nobili artifi-
cio deducta, palatium quasi duæ coronæ cinxerunt. Duxit &
architectus à terra compluuium vsque quadratas columna-
rum figuras, suis basibus & capitulis aptissime coherentes. Su-
spendit, & in angulis palatij, & inter fenestras pluribus in locis
scuta lapidea, in quibus Picolomineæ domus insignia sculptoris
picto-

Profectio Pō-
tificis ad Piē-
tiam, & præ-
stantissimo-
rum ædificio-
rum descri-
ptio.

pictorisq. opere, auri & argenti, & alijs fulsere coloribus: ferri
 quoque multi annuli additi, & instrumenta, quæ faces ardentes
 nocturno tempore seruare, & quæ vexilla interdiu sustinere pos-
 sent iniecta sunt. Fuerunt & fenestras minores in forma quadra-
 ta, quæ loca inferiora collustrarent: has cratibus ferreis conclu-
 sere. Sedilia quoque duorum graduum, & aliquibus in locis triū
 circumposita ex lapide cimatiorem. In latere quod aquilonem
 spectat, portam in medio altissimam & magnificā collocarunt,
 quæ præcipua esset. In orientali latere, quod oppidi plateam re-
 spicit, cum medium porta tenere non posset, ad seruandam se-
 metriæ gratiam duæ ianuæ additæ sunt, quarum altera muro
 obducta clausæ vestigiū præferret, altera ad quotidianum v-
 sum mansit aperta. In occidentali latere idem fecere. Ad quar-
 tum latus, cui meridies & Amiata mons aspectu gratissimus o-
 bijcitur, tris porticus erexerunt, quarum secunda primæ, & ter-
 tia secundæ superincumberent columnis innixæ lapideis, prima
 sub testudine alta & nobili deambulationem iuxta hortū præ-
 buit amoenissimam, altera sub contignatione coloribus & pictu-
 ris ornatissima, mansionem hyberno tempore iocundissimam,
 pluteis, quæ ad umbilicum hominis cum suis cimatijs pertinge-
 rent, eleuatis. Similis conditio tertie, quamuis lacunari minoris
 artificij. Hæc exterior forma palatij. Tectorum compluua par-
 tim exterius, vt diximus, aquas emiserunt, partim interius in a-
 ream, vt per meatum & glaream purgatæ, cisternas implerent,
 quæ in palatio duæ fuerunt, & tertia in horto amplissima, &
 magnæ familiæ sustentura. In cacumine tecti, qua fumi camino-
 rum exhalant, tres & viginti quasi turres, pinnis & propugna-
 culis picturisq. varijs ornatas construxerunt, quæ procul visæ,
 multum splendoris & gratiæ operi addiderunt. Ingredienti pa-
 latium porta maiori peristillū altum occurrit & amplū, quod
 quadratam ambit aream columnis subnixum vnus lapidis sex
 & decem pedibus altis, & ad proportionē suę longitudinis cras-
 sis, basibus, & capitulis aptissime coniunctis. Hic triclinia sunt
 & hiemalia, & æstiuæ, & quæ medio tempori conueniant; & cu-
 bicula digna regibus, & rerum diuersarum receptacula sub te-
 studine, & supra testudinem sita. Effodientes enim palatij fun-
 damenta, saxum durissimum ad sexdecim circiter pedes excide-
 runt, ibiq. promptuarias, ac vinarias, & olearias cellas superin-
 ductis fornicibus construxerunt: nobile certe penu, & quod dif-
 ficile

A facile queat impleri. A porta maiori ad peristillum vsque, por-
 ticus sub fornice candida tam longa patet, quàm lata sunt hinc
 atque inde triclinia: hac deambulata ingressus peristillum, si ad
 dexteram te conuerteris, scalas offendes, quæ secunda in habita-
 cula ducent gradibus clementibus circiter quadraginta, qui alti
 quantum pes vnus est duobus lati, longi nouem; quot numero
 sunt, tot ex lapidibus succreuerunt. Scalæ à dextris viginti gra-
 dibus, ascendunt totidem à sinistris versæ, fenestra in ipsa con-
 uersione adiecta, quæ vtrarumq. aditum illuminet. His ascensis
 deambulatorium occurrit, quod ex tribus lateribus per fenestras
 B quadratas, & lapide per modum crucis diuisas in aream respi-
 cit, contignatio desuper apte composita, & varijs ornata colori-
 bus: ad dexteram deambulanti quadrata sese offert aula hone-
 stissimis cubiculis duobus seruiens, quorum alterum ab occiden-
 ti lumen recipit, alterum etiam ab aquilone lucem admittit: &
 conclauē interius habet, in quo possint preciosa recondi: in fi-
 ne deambulatorij aula est septuaginta duorū pedum, tertia par-
 te sua latitudine longior: hæc ostia sex habet, duo deambulato-
 ria respiciunt, duo in porticum, medium Amiatam versus adi-
 tum præbent; reliqua in duo ampla & ornatissima cubicula, quo-
 rum alterum ab oriente Sole, alterum ab occidenti lucem mu-
 tuatur. Aulam ipsam & ostia illuminant, & fenestræ maiores
 in aream versæ, & duæ minores, quæ in porticum vergunt: ca-
 minus inest ex lapide albo ingeniose constructus: lacunar & cō-
 tignationis aptitudine, & picturarum varietate conspicuum: lo-
 cus nullo tempore non conueniens, excessiui frigoris & caloris
 expers. Ad sinistram deambulatorij conuersus alteras offendes
 C scalas, quibus in tertia scanditur habitacula prioribus per om-
 nia similes. His dimissis ostium ingredieris, quod deambulato-
 rium in duas partes diuidit. Exin à dextris si placuerit, in aulam
 D ibis, cui diximus mediam porticum coherere; à sinistra vero æ-
 stium coenaculum, siue aulam omnibus maiorem reperies, cu-
 ius quattuor fenestræ septentrionem admittunt, orientem duæ,
 & illæ in vicum respiciunt, istæ in forum. Ex aula in oratorium
 itur, & habitacula in orientem versa, idest cubicula tria, quorū
 vltimū ostium habet, vt diximus, in aulam sex ostiorum, & in
 porticum coherentem, & hoc Pontifex habitauit, quod abiete
 iusserat incrustari, ne recentis parietis humor officeret. Nullum
 cubiculum aut camino caruit, aut alijs, quæ necessaria videren-
 tur

tur officinis: spectatu digna vbiq. laquearia, trabes abiegnę magnitudine & pulchritudine respondentis operi: afferes & tigna cum suo corpore, tum picturarum additamento & auri laminis mirificum splendorem attulerunt: pauimenta ex lateribus perpolitus nusquam inæqualia; vna omnium facies: nihil est quod ex cubiculo in cubiculū, aut ex loco in locum vadentem aut ascendere oporteat, aut descendere; & qualis forma est mediarum habitationum, talis est tertiarum, aut certe minimam distantiam habent: concamerationes paululum declinant, coloribus & pictura carentes, & afferum tantū dignitate conspicuę. Et si prima ædium gratia (vt quibusdam placet) lux est, profecto nulla domus huic fuerit præferenda, quæ plagas cæli quattuor expeditas habet, & lumen non solum ab exterioribus fenestris, sed etiam ab interioribus per cauum palatij copiose admittit, & vsque in imum penu deriuat. Respicientis ad occidentalem plagam ex altioribus habitaculis prospectus ultra Ilcinum & Senas, & in ipsis Pistoriensibus alpibus terminatur. Ad aquilonem perspicienti varietas collium & siluarum iocunda viriditas sese offert, ad quinque millia passuum protensa; fertur & in Appenninum acrius intuentis acies, & sedentem in alto colle Cortonam respicit non procul à lacu Trasimeno vallem, quæ media interiacet amnis Clanij profunditas est conspectu aufert. Ad orientem breuior est prospectus, Politianum vsq. procurrens, & montes, qui Claniam regionem ab Vrcienfi determinant. Tres porticus meridiana solem excipientes in Amiata, vt diximus, altissimo & nemoroso monte visum terminant, subiectamq. Vrciæ vallem & viridantia prata, collesq. suo tempore gramineos & frugiferos agros, & vineta, & in præruptis rupibus arces atq. oppida intuentur, & balnea, quæ vocant Auenionis, & montem Pesiū Radicofano celsiorem, & brumalis ostium solis. Deerat huic fabricæ coquinarum structura, domus quadrata ad altitudinem palatij erecta est iuxta cisternam in horto defossam in angulo hiemalis occasus, & in ea tres coquines cum suis membris, alia super aliam edificata, quæ porticibus coherentes, tribus palatij habitationibus commodissime inseruient, nec fumo laborarent, nec ventis, & aquam ex proxima cisterna funibus haurirent. Ultra porticus & coquinas vsque ad muros oppidi tantū spacij fuit, quantum palatium ipsum occupauit: hic hortum plantare libuit, sed erat inæquale solum, & ingens descensus: deduc-

A deducti sunt magna spissitudine muri ab ima saxorum crepidine, & sub columnis lapideis, ac latericeis iniecti fornices, qui centum equis stabula præberent, & officinas ferrarias: ex inuacuo duodecim circiter pedum relicto alij desuper fornices additi & super his terra congesta, quæ solum æquaret, & hortum pensilem faceret, uitibus & arboribus aptum cautione adiecta ne pluuias aquæ inferiores quirent testudines penetrare, aut humectare stabula. Circa hortum sedilia fuere saxea, & plutea portibus tenuis, pinnis ornata depictis, quæ procul uisæ speciem lætissimam præbuerunt. Ingressi palatium maiori ianua ad boream uersa peristillum, & arcam, & per posticum infimam porticum & hortum, & vltimas horti metas vno prospectu contuentur, & passu placido nil pedibus eleuatis cuncta deambulare possunt.

Et palatium quidem ita se habuit, cui proximum fuit templum in honorem beatæ Mariæ semper Virginis ædificatum: quod vt esset duplex alterum inferius, alterum superius, inæqualitas solifecit. Fundamenta in viscera terræ quæ sita vix tandem post octo & centum altitudinis pedes non satis commoda sunt inuenta, inter saxa non cohærentia cum rimas effoderent solidum reperituri fundamentum hiatus offendere perpetuos, & sulphureas exhalationes, quas dum conantur obstruere, nonnulli artifices ruina non bene custoditę scrobis obruti perierunt: ob quam rem ex saxo in saxum arcus deduxere latissimos, & super his murum iniicerunt, non satis explorata saxorum radice, quæ licet essent ingentia, incertum tamen est, qua firmitate subsideant, & rimula in ædificio demum suborta, quæ à summo vsq. deorsum procurrit suspectam fundamenti sedem efficit: architectus calcem inter durendum subsedisse censuit: indeq. rimam prodijisse, nec verendum operi: veritatem dies patefaciet. Murorum eximia spissitudo fuit & idonea, quæ suam altitudinem & duplicatos posset sustinere fornices. Ad templum inferius per portam & gradus triginta sex late patentes descensus fuit. Duæ in medio columnæ vniuersam molem sustinuerunt: lumen abunde per tris fenestras ampliores, altaria quattuor & vniuersam ædem illustrauit, & fontem baptismatis, quem eo in loco in vno ex sacellis reconditum ex lapide albo nobili opere construxerunt. Ipsa templi facies commotionem mentis & religionis quandam reuerentiam excitat intrantibus. Superior ædes centū & quadraginta

Descriptio
templi Pien-
tini.

ginta pedes longitudinis habuit, altitudinis sexaginta, latitudinis totidem, non supputato eo spacio, quod sacella sibi vendicare, hinc longius inde latius efficiētia templum, quod urgente necessitate, præter consuetudinē, à septemtrione in meridiē protenditur. In foro, quod ante palatium lateribus in latus erectis, & calce stratum erat, tres gradus quam lata fuit templi facies ex duro lapide produxere, quibus in templum per aream quindecim pedes latam tanquam vestibuli vicem tenentem ascendere retur. Frons ipsa templi duo & septuaginta pedes alta ex lapide Tyburtino simili, & marmoreum imitanti candorem vetustarū ædium præ se formam tulit, columnis, spiris, & hemicyclis, quæ statuas recipere possent perpulchre adornata. Tris portas habuit congrua dimensione venustas, mediam ceteris ampliorem, & in morem cyclopi oculum late patentem, & insigne Picolomineum, & desuper Pontificalem infulam corona triplici redimitam, clauibus Ecclesiæ interpositis: surgitque frons ipsa à fundamentis vsque ad tectum æqualiter lata. Deinde vsq. ad summum pyramidalem accipit formam, non indecoris communitā cimatijs. Reliquæ murorum partes ex saxo minus precioso creuerunt, verum quadrato & commode perpolitato prominentijs quibusdā tanquā costis interiectis, quæ pariter inter se distantes stabilius redderent ædificium. Ingrediēti mediam portam vniuersum templum cum sacellis & altaribus in conspectu datur, præcipua luminis claritate, & operis nitore conspicuum. Tres (vt aiunt) naues ædem perficiunt, media latior est, altitudo omnium par: ita Pius iusserat, qui exemplar apud Germanos in Austria vidisset: Venustius ea res & luminosius templum reddit. Octo columnæ spissitudine & altitudine cōgruentes vniuersam testudinum sustentant molem. Architectus fundatis basibus, cum columnas quattuor habentes facies hemicycleas superduxisset, & capitula imposuisset: animaduertit fornices minus, quàm par esset sublimitatis habituras; erexitque super capitulis quadratas septem pedum columnas, & altera super addidit capitella, quibus testudinum arcus inniterentur; gratus operis error, & ipsa uarietate decorem afferens: naues extremæ vsque ad tertiam columnam æqualiter procedunt, deinde paulatim coarctantur vniuerso templo in formam semicirculi desinente: pars enim superior tanquam coronatum caput in ædículas quinq. diuisa, quæ à reliquo corpore exterius procumbent,

berent, totidem fornices habuit nauibus altitudine pares, in quibus stellæ affixæ aureæ, & color impressus aereus veram cæli faciem æmulabantur. Reliquas nauium testudines diuersis coloribus appinxerunt, & columnis, quas diximus, ad corrigendū errorē additas cum capitellis suis, porphyrij & aliorum nobilium lapidum addidere colores: columnæ inferiores naturam suam seruauere lapidis albi: Parietes templi, & reliquum omne corpus candore mirabili resplenduerunt. In ædícula, quæ media fuit, episcopalem cathedram & canonicorum sedilia ex materia nobili, arte quam vocant Tarficam, sculpturis & imaginibus insignia composuerunt: in reliquis quattuor altaria pictis ornata tabulis erexerunt, illustrium, quos Senæ produxerunt pictorum operibus. In ea, quæ secunda est à sinistris cathedræ, diuini sacramenti conditorium ex albo lapide sculpsere, artificio nō ignobili: nec vlla ædícula est, quæ fenestram non habeat latam & altam columnellis, & floribus lapideis artificiose compositā, vitro, quod chrystallinum vocant, occlusam: sunt & aliæ quattuor fenestræ similes sub nauibus extremis, quibus fulgente sole tanta lux admittitur, vt qui templum incolunt, non domo lapidea, sed vitrea sese clausos existiment. Duabus columnis, quæ proximè portis adsunt, duo adhærent lauacra, ex quibus sacris se lymphis aspergunt ingredientes, non vilis opus ingenij. Altare maius inter duas columnas vltimas situm est, ad quod quattuor gradibus ascenditur. Sacerdos & ministri cum rem diuinam faciunt à tergo populum habent, cantores à fronte iuxta Pontificis cathedram: sunt & alia duo altaria, quæ multitudini seruiāt in inferioris ædis corpore. Et in parte dextera sacrarium constructum est. In sinistra turris campanaria, cuius altitudinem centū & sexaginta pedum constituerunt, ei adhuc pars tertia defuit: deduxerunt & ab inferiori templo à sinistris & à dextris scalas per muri spissitudinem ad ædem superiorem, & deinde ad tecti summitatem in modum coclearum centum triginta duos gradus habentes. Fuit & in foro iuxta palatium puteus profundus aquæ viuæ, cuius os pulcherrimo lapide adornarunt, adiectis columnis, quæ trabem lapideam ingeniose sculptam sustinerent, & catenas & situlas hauriendis aquis necessarias. Hæc omnia à fundamentis vsque ad summum triennio perfecta sunt, excepta turri campanaria, quæ nondum erat absoluta.

Multa aduersus architectum Pontifici suggesta fuerant, qui De Bernardo
& inf- architecto, &

decreto pro
decore tem-
pli conserva-
do edito, &
alijs Pienti-
nis ædificijs.

& infideliter egisset, & errasset in ædificio, & qui sumptum o-
peris octo aut decem millibus aureis estimasset, supra quinquaginta millia consumpsisset: quem lex Ephesiorum resarcire impensas (vt est apud Vitruuium) præcepisset. Bernardus hic erat natione Florentinus absentem cuncti lacerabant. Pius inspectis operibus, & omnia contemplatus, accersiri hominem iussit: cui post dies aliquot non sine metu aduentanti, qui se multis criminationibus delatum non ignoraret. Probe, inquit, egisti Bernarde, qui nobis de futura operis impensa mentitus es: si verum dixisses, nunquam nobis tantum auri exponendum suafisses, neq. hoc palatium nobile, neq. templum tota Italia illustrissimum modo extaret: surrexerunt tua fallacia præclarissima hæc ædificia, quæ cuncti laudant, paucis exceptis, quos edit inuidiæ liuor. Nos tibi gratias agimus, & te inter omnes architectos nostri sæculi præcipuo dignum honore censemus: iussitq. omnem homini reddi mercedem, & ultra centum aureos, & vestem coccineam dono dari: & filio quas optauit gratias elargitus est, & no- uis eum præfecit operibus. Qui auditò Pontifice prægaudio col lacrymatus est. Pius vt templi dignitatem, ac nitorem seruaret huiuscemodi decretum edidit. Pius Episcopus seruus seruorum Dei ad futuram rei memoriam. In hoc templo, quod Beatae Ma-
riae Virgini Domini & Dei nostri genitrici ereximus, & dedica- uimus nemo mortuum sepellito, exceptis tumulis, qui sacerdotibus & episcopis assignati sunt. Nemo candorem parietum atq. columnarum violato: nemo picturas facito: nemo tabulas appē dito: nemo capellas plures, quàm sint, aut altaria erigito: nemo formam ipsius templi, siue quæ superius, siue quæ inferius est, mutato. Si quis cotrafecerit anathema esto, solius Romani Pontificis excepto mortis articulo, auctoritate absoluendus. Datum Pientia anno incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo, sextodecimo calendas Octobris Pontificatus nostri anno quinto. Aedificauit Pontifex, & domum iuxta templum à sinistris, in qua præpositus & canonici commode habitarent, & per ianuam quandam paruum eorum causa in latere templi dimissam, ad nocturna diurnaq. munera nullo impediēte procederent. E regione palatij interiecto foro domus antiqua fuit, quam prætor & reliqui magistratus oppidi incolere consueuerunt: hanc Pius coemit, diruendamq. Vice cancellario ea lege tradidit, vt palatium ibi episcopale construe-
ret, ac

ret, ac beatæ Mariæ virgini dono daret. Emit & alias ædes ciuium oppositas ultra forum templo, quibus dirutis tertium ædificari palatium iussit, cum porticu & aula magna, & cubiculis, & armamentarijs, & turri, quæ campanis & horologio seruiret, & carceri magistratus vrbs, vt hic habitaret, & consilia ciuium fieret, conduxitq. operarios, & partem magnam mercedis tradidit, volens quattuor nobilibus ædificijs circumdari forum. Fuerunt & aliæ domus magnifice in oppido constructæ. Cardinalis Atrebatensis post vicecancellarium altas & amplas ædes ædificauit: de inde thesaurarius: post eum Gregorius Lollius fundamenta iecit. Primus omnium aptissimam & pulchram domum construxit cardinalis Papiensis quadratam & insularem: Mantuanus constructurus aream emit: Thomas quoq. Pontificis cubicularius, & plumbi ministri, & plures oppidani deiectis antiquis domibus nouas erexerunt, vt nusquam prior oppidi facies appareret. In decollatione beati Ioannis Baptistæ Pontifex templum, & altaria per cardinalem Ostiensem dedicauit, & per se ipsum maioris aræ frontem inunxit, & reconditis in ea Sanctorum reliquijs, sigillum adiecit, ac Clusinū episcopum Ioannem Cinugium nobili loco apud Senenses natum illuc transtulit, & nouæ sponsæ virum dedit, Clusinis Gabrielem Picolomineum ex ordine Minorum, qui obseruantes habentur, præfecit antistitem: Et paulo post Hispalensi archiepiscopo in ea ipsa æde per cardinalem Portuensem coram se consecrato, sua manu mitram imposuit, & benedixit.

Oppidani diuum Matthæum Apostolum pia religione colunt, & in eius festo, quod Septembrio colebant, frequentes habent nundinas, & præmia cursu certantibus ponunt. Pius vt se præsentate celebrius agerent festum, consulares omnes ciues noua veste donauit, & pecuniam dedit ad sumptus necessarios. Illi cursoribus equis præmia posuerant, asinis, viris, qui pedibus curerent, & pueris. Vbi dies statuta illuxit, summo mane res diuina in templo coram Pontifice ingenti populi deuotione peracta est: multitudo deinde extra oppidū in tabernacula se recepit, in quis caupones triginta magnos boues ab aratro receptos coxerant, & animalia multa minora, quæ omnia vnico prædio vorata sunt. Deinde vsq. ad vesperam emundis vendūdisq. rebus tempus datū. Post hæc equis assignati carceres, & signū currēdi datū, spectaculū vilis redidit velocitas impar, & sine cōtentione victoria.

Diuersa certamina currentium, & constituta præmia victoribus.

Alexandri longe post se dimissis emulis primus ad metā equus A
 in nullo insequēte peruenit. Inter asinos magna cōcertatio fuit, &
 nunc vnus, nunc alter præcessit crebris verberibus stimulatus.
 Iuuenes robusti & agiles, & qui sepe in stadio cucurrissent, com-
 plures in cursu certauerunt: pluerat aliquantulum & lubricum
 erat iter, nudi currebant, & nunc vnus, nūc alter præibat; eratq;
 sepe videre lapsu pedum nūc istum, nunc illum in terrā cadere,
 ac luto prouolui, & qui erāt vltimi fieri priores. Stadijs per hūc
 modum quattuor vsq; ad portam cursitatum est, minimo inter
 victorem & victos spacio intercedente, ita corporibus luto fœ-
 datis, vt internosci non possent: iudices Sartheanensi, qui primus B
 fuerat, dedere præmium. Puerorum cursus spectaculis omnibus
 præstitit: multi fuerunt in stadio nondum puberes, qui nudi pro-
 silientes accepto signo, dum alius alium præcedere conatur, mi-
 ra contentione decertant, nec pedes e creta tenaci tollere pos-
 sunt; nunc deficiente spiritu labuntur, nunc hanelitu resumpro
 consurgunt, & his parentes, illis fratres adsunt crebris co-
 hortationibus animos excitantes, curritur circiter sta-
 diū vsq; ad portā oppidi inter plures nutate vi-
 ctoria, quæ tandē Piesi cessit, qui humeris fre-
 quētī turba subsequenti domū delatus
 omnem viciniā lætificauit: Hæc
 Pontifex non spectauit: sed
 cum Cardinalibus in-
 terea de publicis
 negotijs cō-

sulta-

bat:

COMMEN-

COMMENTARIORVM

PII. II. PONT. MAX.

LIBER DECIMVS.



BEGATI Bohemorum dum hæc geruntur, Pragam reuersi, quæ cum Pontifice Ro-
 mæ gesserant regi enarrauerunt. Ille con-
 uentum regni ad profestum sancti Lauren-
 tij iussit adesse. Conuenere frequentes hæ-
 retici & catholici, plures tamen hæretici;
 rex in concionem prodiens é suggestu sibi
 & coniugi apparato, iussit oratores, qui Romæ fuerant, cuncta
 quæ gesserant exponere, & mandata Pontificis referre. Proco-
 pius, & Cosca omnem rei seriem ex ordine narrauerunt, nec
 quicquam mentiti sunt. Quibus finem facientibus: Miramur,
 inquit rex, studium Papæ, qui regnum hoc multo labore vix tan-
 dem per compactata pacatum, atque vnitum, turbare & disun-
 gere conatur. Concilium nobis Basiliense maioris auctoritatis,
 quàm ipse est, & antecessor eius Eugenius compactata dederūt;
 non est eius auferre quod maior concessit. Si licet Papæ destrue-
 re quicquid antecessores ædificauerunt, quis erit in sua iustitia tu-
 tus? Accusamur tanquā iuramento in nostra coronatione præ-
 stito non fecerimus satis: quid iurauimus nisi hæreticam pra-
 uitatem è regno nostro procul abijcere? Scitote nos infensos hæ-
 reticis esse: at compactata nostra, & communionem vtriusque
 speciei, vt Papa existimat, nunquam putauimus hæresim sape-
 re, quæ fundata est in Euangelio; & praxim Christi, & Ecclesiæ
 primitiæ imitantur, & nobis tanquā priuilegiū nostræ virtutis
 per magnā concessa synodū. Hanc igitur cōmunionem abijcere
 iurassimus? minime quidē: immo vero in eadem nati, educati, &
 in hanc vsq; regiā dignitatē prouecti, eam quoad vita fuerit co-
 mes tenebimus, & defendemus: & in ea tandē moriemur, exem-
 plum nostrū, contoralis nostra à dextris sedens, & liberi nostri,
 & amici omnes sequentur: nec credimus aliam esse viam salutis
 animabus nostris, quàm compactata tenere, & iuxta Saluatoris

Bohemorum hæresis, & Fā tini constan-
tia.

institutionem vtraque vti communione. Quærimus autem ex vobis Bohemi, si quis propter compactata nobis regno ve bellū indixerit, quid animi geratis, nobis an illis auxilio eritis? Tum Cosca cum hæreticis, quorum numerus erat multus, consultatione habita: Rex, inquit, percupide audiuius te cum liberis & vxore nostræ fidei confortem esse. Nos tibi ad compactata defendenda, regnumq. conseruandum, non res tantum, sed corpora quoque deuouemus: & gratias tibi agimus, qui talem indueris mentem, qualem paulo ante demonstraisti. Tum rex ad catholicos versus: Et quid vos, inquit, respondetis? Aderat Vratislauiensis, & Olomicensis episcopi, & multi barones, & nobiles, ac ciuitatū legati, qui Sdenconi Sternembergio hoc responsum commiserunt. Non te fugit, maxime rex, nihil nobis hætenus cum tuis compactatis fuisse commune, neque deinceps ea curabimus: sed sicut in vnitæte & obedientia sanctæ Romanæ Ecclesiæ cum nostris progenitoribus in hanc vsque diem viximus; ita & in futurum viuere ac mori est animus: & sicut tu fidem tuæ natiuitatis seruandam putas, ita & nobis ipsi de nostra faciendum instituius. Petis quid facturi simus, si propter compactata bellum ingruerit. Prædecessores tui Bohemæ reges nihil quod arduum esset, absque nostrorum progenitorum consilio statuerunt: idem te facere erga nos in compactatorum acceptatione decebat: tu sine nobis ea seruare decreuisti, illorū ergo auxilia exquirito, quorum consilia secutus es. Nos tamen tibi & regno, vbi honor Dei & iustitia non lædatur, haudquam deerimus. Rex eo responso minime contentus, cum aliud postularet, obtinere non potuit, dimisitque concionem: præcepto multitudini dato, vt postera die ad audiendum Fantinum Apostolicæ sedis nuntium conuenirent. Interea multa regi de Fantino relata fuerant, quæ animum eius offenderant, non Pragæ tantum, verum etiam Romæ gesta; neque id Fantinum latebat, qui per amicos sæpe commonitus fuerat, vt clam recederet, nec iram regis experiri vellet. Ille hinc periculum reputans si maneret, inde dedecus, si non exposita legatione abiret, vitæ pudorem prætulit; vocatusq. venit in concionem. Quo viso rex vultu paululum mutato: Fantinum, inquit, audiamus tanquam Papæ nuntium, postea aduersus eum vt procuratorem nostrum aliqua proponemus: nec tamen locum nuntio dignum dedit.

Fantinus

A Fantinus vbi dicendi copia facta: Lex est, inquit, gentium, serenissime rex, omnes nuntios etiam ad barbaras & crudelissimas gentes missos, libere & absq. vlllo timore, suorum dominorum exponere mandata. Deinde responso accepto absq. vlllo impedimento domum redire posse: hanc vt mihi legem Apostolico nuntio serues peto. Annuit rex. Fantinus dicere orsus, multa de bono obedientiæ disputauit, ostendens vnum esse principem in Ecclesia militanti oportere, quæ triumphantis instar condita esset, & hoc Romano Præsuli munus datum, qui primam teneat in orbe sedem: ab eo ligandi soluendiq. potestatem in omnē Ecclesiā deriuari: eiq. cunctos reges, ac populos obedire debere; qui regni æterni cuperent fieri participes, & coheredes Christi: fuisse id olim Bohemæ principes, duces, ac reges, nec vllum tota in Christiana societate populum inuentum, qui Romanis Pontificibus magis deditus, & obediens fuerit, quam Bohemicus: Floruisse tunc miris modis regnum, viris atq. opibus abundasse, & concordia gaudens ædificia nobilissima construxisse: ornasse templa, bonarum artium studia ad se traxisse. Successu deinde temporis humani generis hoste procurante, surrexisse in Bohemia viros pestiferos, qui primæ sedis mandata dicerent contemnenda, & ad suum sensum sancta interpretantes Euangelia sanā doctrinam respuerent, Iacobellum, Ioannem, Hieronymū, Conradam, & Rochezanam, quorum peruerso dogmate infecta regni multitudo ab obedientia sui pastoris abierit, & arcā Noe reliquerit, extra quam non inuenitur salus, dicens communionē sub vtraque specie ad salutem necessariam esse, & multos alios errores prædicans. Hinc mutatam regni faciem, pro pace bellū, pro diuitijs pauperiem, pro doctrina ignorantiam, pro decore deformitatem, tanquam inobedienciæ stipendia subintraffe. Pœnituisse tandē sui erroris Bohemos, ac de reditu ad matrem cogitasse: conuenisse cum Basiliensi concilio vt reconciliarentur Ecclesiæ, concordiam quandam iniuisse, cui Compactatorum indiderint nomen. Indulxisse pro sua benignitate Basiliense concilium Bohemis, ac Morauis, qui duplicis cōmunionis vsum haberent, vt in eo quoad viuerent perseuerare possent, etiam laicis; dummodo de præcepto Domini esse non crederent, aut ad salutē necessarium; nec paruulos communicarent, neque inuitos ad duplicem speciem compellerēt. Nihil seruasse Bohemos eorū quæ promiserant, amisisse priuilegiū: compactata extincta esse, & iā

Fantini oratio, concertatioq. acerrima cum rege Bohemæ, & regis ipsius perfidia.

paucissimos illorū viuere, quibus indulta fuissent, propter quas A
res, & si diligentia regum pax postea de temporalibus rebus in
regno reformata fuerit: de fide tamen, ac religione in eam vsque
diem semper mansisse contentiones, nec vllam fuisse in sacerdo-
tio quietem; sed alteros alteris maledixisse, & hæresis imputaf-
se crimen: regem ea videntem misisse ad Pontificem maximum
legatos, qui compactata confirmari aut innouari peterent: Pon-
tificem, cui esset sui gregis cura, re in Apostolico discussa senatu
inutilia peti censuisse, neq. arbitratum filijs, quos diligeret, postu-
lata noxia concedenda fore; causas plurimas adduxisse, quæ cō-
pactatis locum esse non sinerent: mandasse legatis regi, regnoq. B
vt suo nomine compactatorum obseruantiam interdicerent, se
quoque missum esse vt idem faceret. Hortari ergo sapientiam re-
gis, vt iuramenti, quod in sua coronatione præstitisset memor ef-
set: hæresim omnem ex Bohemia repelleret: communionem sub
vtraque specie relinqueret: Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ ritū
imbueret. Summo Pontifici quam verbo promiserat obedientiā
facto præstaret, Sacerdotes rebelles decano Pragensi traderet
coercendos: audiret cum toto regno Pij pastoris vocem: sciretq.
illum Bohemicę gentis amantissimum esse, qui & in Bohemia
aliquando conuersatus fuisset, & historiam Bohemicam barba- C
re scriptam Romano illustrauerit eloquio, non sine magna re-
gni laude: nihil Pium magis cupere quam veram Bohemorum
salutem: atque idcirco non quæ placerent multitudini, sed quæ
forent vtilia præcepisse: Hortari omnes igitur & barones, & no-
biles, & populares, vt iam tandem compactatorum relicto fer-
mento ad vnionem sanctæ matris Ecclesiæ reuertantur, & inte-
gram Pio Pontifici obedientiā restituant, qui regni necessitati-
bus pie, ac benigne consulturus sit. His dictis hæreticorum ani-
mi admodum consternati fuerunt, catholicorū erecti: existimā-
tes regem mandata Pontificis haud quaquam neglecturum: sed D
contra euenit. Nihil perfidia regis mutata est, quamuis prodijt
quæ latebat. In Fantinum virus euomit, & multa minatus pro-
ditorem suum compellauit; plectendumque dixit. Ad quē Fan-
tinus forti & constāti animo, vt qui nihil mori timeret: Corpus
mihi rex, inquit, auferre potes, animam non potes: si vitam per-
didero temporalem, acquiram æternam pro veritate moriens: at-
que vtinam tanto me facias honore dignum. Misisti me fateor
procuratorem tuum ad Romanam curiam, gessi fidelem procu-
ratorem

A ratorum, nunquam præuaricatus sum, diligenter absolui nego-
tia tua: veracem me semper inuenisti, & consultorē tuis rebus
vtilem si me audiisses. Huc modo profectus, non tuus procu-
rator, sed orator summi Pontificis aduentavi. Dixi quæ ab illo
mandata sunt; ea si moleste fers, nihil est quod mihi succenseas,
cui necesse fuerat obedire. Rogavi ab initio, vt me tanquā lega-
tum communi lege loqui permitteres, & patienter audires: an-
nuisti. Si quid dixi, quod tuas offenderit aures, iussus dixi: tu
si sapias in partem cuncta recipies meliorem, nec Romano Pon-
tifici aduersaberis, cuius sunt longissimę manus, & nihil est e-
ius auctoritati negatum. Nosti iuramentum tuum: noli pro tuo
arbitrio interpretari, clara sunt verba, & commento non egent.
Hussitarum hæresim abiurasti, & obedire Romano Pontifici ta-
ctis sacrosanctis Euangelijs promissisti. Extant documenta publi-
ca, non potes dicere non dixi. Vis compactata inuito Pontifice
retinere? Rebellio hæc est, non obedientia. Dicis communionem
sub vtraque specie ad salutem esse necessariam, & in ea te velle
mori professus es. Hæc est Hussitarum hæresis. quid possum di-
cere nisi te esse relapsum in errorem, quem abiurasti? Vide quid
agas: Non feret ista Pius Pontifex; habet arma, quibus rebellio-
nem tuam coerceat, regno priuaberis, & tanquam periurus &
hæreticus extra Ecclesiam fies, & in hoc sæculo infamem te red-
des, in altero poenas dabis impietatis. Caue ne te his malis obji-
cias. Subijce te Deo, & vicariū eius ne contempseris: Plura fue-
runt inter Fantinum & regem verba contentionis, quæ alter in
alterū stomachatus euomit: tandem concio dimissa est, & Fan-
tinus in diuersorium suum secessit.

Rex inter proceres, qui secum remansere: Audiuitis, inquit, Regis in Fan-
tino, & A-
postolicam se-
dem blasphem-
ia.
& quo pacto nos Papa vituperet? nemo vestrum condolet no-
bis: pudet viuere nisi aduersus Fantinum talia præsumentem
vliciscamur. Nulla nobis maior cura est, quam honoris; hunc vi-
tæ præferimus; vt seruaremus honorem, corpus nostrum mul-
tis periculis obiectauimus, idem fecere prædecessores nostri: nū-
quam Bohemiæ reges honoris studium abiecerunt. In Apostoli-
ca sede plures sederunt apostata viri, & nequam; sanctam appel-
lant sedem, nos non probamus. In vnione fidelium sancta se-
des existit, quam Romæ quærere non oportet. Et multa in hunc
modum ore polluto, & venenato turpissima eructauit verba.

Deinde in vigilia Assumptionis beatæ Mariæ Virginis Fantinū in carcerem rapi iussit, & in vincula coniecit arctissima. Procopium Rabesteynum cautionem dare coegit, quòd propriam domum non exiret, & officio cancellariæ priuauit. Crassatus & in plures fuisset, nisi motus in regno timuisset, quia plurimi ex catholicis barones aberant, qui pro detentis arma cepissent. Episcopi Vratislauensis, & Olumicensis vbi Fantinum captum, & Procopium domi retentum agnouere, in salutato rege, ad suas ecclesias reuerterunt.

Alius conuē-
rus Bohemo-
rum, & catho-
licorum con-
stantia.

Post dies aliquot iussit rex presbyteros catholicos ex toto regno primores ad se proficisci: conuenere viri quattuordecim & septingenti in castello Pragensi terrore pleni, tanquam ad eandem vocati essent. Decanus ecclesiæ maioris & archiepiscopatus administrator multa locutus aduersus perfidiam Hussitarū, cohortatus omnes vt in vera religione constāter permanerent: sexta feria rem diuinam summa deuotione peregit, & Spiritus sancti gratiam inuocauit, quæ aduersus iram regis pauperes sacerdotes protegeret. Quod cum animaduertissent Hussitæ id ipsum die sabbati in omnibus synagogis suis fecerunt. Cum dies constituta vocationis adesset, summo diluculo catholici ecclesiā Pragensem petiuere: decanus eos in sacellum sancti Venceslai accersuit, & quomodo se coram rege deberent gerere commouit, & quibus loqui liceret, quibusve tacere necesse foret ostendit; iussitq. ne vel minimam quæstiunculā cum aduersarijs inchoarent. Quod si furere, aut insanire regem contingeret, & in aliquos manus iniicere, scirent in multis membris vnū esse corpus, neque vnum posse tangi, quin læderetur alterum; opponerent se omnes pro salute vnus vel minoris. Promisere omnes, verum non sine lacrymis, ac singultibus, prostratiq. coram patronis regni Bohemiæ sanctis martyribus, & confessoribus aduersus violentiā perfidi regis suffragiū petiuere; moxq. trini & tridni tanquam in pompa procedentes è castello Pragensi vsque in regiam peruenere: & alij quidem flebant, quòd ad victimā pergerent, alij ridebant. Præuenerat iam Rochezana cum multitudine suorum complicum, & latus stipabat regis. Postquam omnes affuere, quos regia iussio desiderauerat; rex ex alto folio in hunc modum locutus est: Quantum vires suppetunt nobis regni gloriam ampliamus, & pacem fouemus: vos autem sacerdotes iurgia inter vos excitatis, & alter alteri compingitis hæresim,

A sim, defunctis sepulturam negatis, viuos ab Ecclesia repellitis; spectarum mulierum consortio sacerdotium vestrum foedatis, tessera luditis, & alia multa, quæ horremus dicere, nefanda perpetratis. Nisi alios indueritis mores, ibimus obuiam nequitiae vestræ, quādo iudex abest, qui vos coerceat spiritualis. Præcipimus autem vobis, vt compactata, quæ pro pace regni nostris prædecessoribus Basiliense conciliū indulxit, inuiolabiliter obseruetis. Si quis contrafecerit, nostram in se iram prouocabit: neq. enim passuri sumus, quæ Sigismundus, Albertus, & Ladislaus reges auctoritate Apostolica concessa laudauerunt, vestris contentionibus infringantur. Secessere his auditis paululum catholici, atque in hunc modum reuersi responderunt. Ingentes tuæ maiestati gratias agimus, maxime rex, qui nos tranquilla pace gubernas: vtq. multos annos id agas Deum precamur. Non imus inficias multa per sacerdotes mala patrari: nam quæ multitudo est, & malorum consortio non foedatur? Odimus malos, & tamen sine malis esse non possumus; nec scimus qui sint mali, si quos ex nobis ea facere quæ dixisti, indicare curaueris, non erit impunitum scelus, nec auctoritas puniendi abest. De compactatis dicimus idem, quod pridem regni proceres per te rogati responderunt, nunquam illis eguimus, nec egemus hodie, nec Romana sedes illa vnquam concessit, Basiliense tantum concilium indulxit. Vtrum autem quibus indulta fuerunt iuxta concessionem illa teneant, Deus viderit. Pacem quam dicis compactata præferre, libenter amplectimur: at quod nobis ad æternam vitam præsidium aliquod afferant, non intelligimus. De maiestate tua illud nobis persuademus, quod venerabilem ecclesiam Pragensem in suis ceremonijs non impedies; neque alium ritum nobis inculcabis, quā nostris maioribus ab Apostolica sede traditum. Illa est porta cæli, mori præstat, quā illi contraire. Hęc administrator nomine omnium locutus, cum finem dicendi fecisset, versus ad suos percontatus est, an placeret quod pro omnibus respondisset: qui vna voce dixerunt; Placet, & in æternum placebit. Infirmuit rex tantam in sacerdotibus catholicis constantiam: atque concordiam intuens; protulitq. litteras quasdam casu reperitas, in quibus scriptum esset regē in Apostolicos sequere legatos, ac hæreticum sese declarasse: Michael quidam Vicarius Ecclesiæ Pragensis ad sororem suā Hussitarum labe infectam misisse hanc epistolā ferebatur, Is suo bono nō adfuit. Rex sepius verba epi-

epistolæ recitavit, & grauitèr questus est quòd hæreticus vocaretur, qui numquam restitisset Apostolicæ sedi, quamuis nolisset ab indulta communione cessare: voluisse se Deo magis quàm Papæ obedire: nec se Fantinum tanquam Papæ legatum, sed quasi procuratorem suum & proditorem in carcerè coniecisse, iussitq. ne pro eius liberatione se quisquã interpellaret. Cui administrator: Scimus inquit, venerabilem Fantinum verum fuisse Pij Papæ legatum, & mādāta eius ad te fideliter detulisse. Cur autem tam probrosè comprehensus sit, ignoramus. Tum rex; si alius, ait, tantis nos contumelijs quantis Fantinus affecisset, non vixisset in horam, atque his dictis Michaelem intercipi mandauit, & ad se duci, quod vtrum factum sit, non habemus exploratum. Dimissa est concio eius diei, nec permisi sunt catholici ex Praga recedere. Iterū regis edicto conuenerunt; & iterum de compactatis facta est mentio: nec potuit rex extorquere, vt catholici ea laudarent. Ibi Rochezana Andream quendam presbyterum, quod sibi non obediret, celsitudini regis accusauit: cui rex, vt tibi omnes, inquit, obediant iubes, & tu nemini vis obedire: Stomachatusque Rochezanam & conuentum dimisit.

Fantini aduersus regem magnanimitas, eiusq. liberatio, & occultus fauor.

Cum esset in carcere Fantinus, accessit ad eum rex, & interloquendum cum nullum posset ex captiuo humile verbū extorquere: Vix me, inquit, continuo, quin te meis manibus strangulem: cui Fantinus: tortorem aliquem, ait, expectabam teterimum, ac uilissimum, qui mihi vitam eriperet: si libet manus regias ad hoc opus extendere, honestissime moriar, sed inuidebis hanc mihi gloriā. Interea Ludouicus Baioarię dux, & alij multi regem coarguerunt, qui legatum Apostolicum ausus fuisset comprehendere, neq. animaduertisset quanta sibi & regno ex ea re posset succrescere mala: quibus exterritus Fantinum tandem post tres menses in carcere maceratum ad Ludouicum misit, & ille ad summum Pontificem liberum ire iussit, adhibito legato, qui ei tutum iter præberet, & regem quoad posset redderet excusatum. Vnum hoc loco haudquaquam fuerit prætereundum, quod Fantino miraculosè quodammodo accidit: Pridie quàm iret in concione audiendus in interiori cubiculo diuersorij sui, quæ dicturus esset meditantem, homo conuenit ignotus obuoluto capite, iussitq. cubiculum egredi, egresso sacculū scripturis plenum obtulit, atq. abiit: in eo Fantinus quinque & viginti aureos reperit

Aperit & cōplures Basiliensis & Constatiensis cōcilij bullas, quas postera die in conuentu publice recitavit. Quoniam & communionem vtriusq. speciei damnabant, & quomodo iudulta fuissent compactata manifestabant, erroresq. Rochezanæ & Hussitarum omnium viuis rationibus euincebant. Pius Fantinum reuersum magno in honore habuit, & dignum episcopatu cēfuit, cui ad martyriū pro veritate tuenda sanguinis effusio non animus defuisset.

Dum Bohemus in Praga pro compactatis anxius hæreticum se declarat, in Austria nouus exoritur motus. Extraneus miles qui fratribus Federico Imperatori, & Alberto duci stipendia fecerat, cum mercedem consequi non posset, ad prædam se conuertit, & occupatis quibusdam munitionibus nihil in prouincia tutum reliquit: nemo extra oppida iter habere potuit, qui non é vestigio caperetur: crassari vbique latrones, rapere, occidere, villas atque ecclesias incendere, nullum scelus non admittere. Res Viennensi populo valde molesta, qui nisi externa in dies afferantur alimenta propter multitudinem fame perit. Vociferari ergo toto plebs oppido, Imperatorem accusare, regionis principem, qui spoliationes nō cohiberet, adire, senatum annonam petere, principem nisi pacem foueat, mutandum dicere; alij Albertum, alij alios accersendos contendere, qui latronum molestias auferant. Senatus, qui esset Imperatori amicus, plebis impetum cohibere, annonam subministrare, Imperatoris tueri causam, malorum culpā in alios retorquere. Interea Nicolaus Holzer vnus ex infima plebe, tenui censu, atque ipsa paupertate audentior, & cui nullum scelus nimis atrox videri posset, concitato inopum vulgo iussitq. suis similibus arma capere, magna plebeorum stipante caterua prætorium adit, senatumq. omnem de salute vrbis cogitantem inuadit, & quattuor primores in carcerem conijcit, reliquos sub cautione fideiussoria domum remittit, & vrbis regimen occupat, ipse ductor populi, & quasi dictator quidam effectus. Ea cum accepisset Imperator propere cum quattuor millibus equitum Viennam petit, neque admissus Holzer impediēte, noctem in castris agit nō procul ab oppido collocatis. Sequentibus diebus per consiliarios, cum tractata reperiri concordia non posset, ad portam, quæ ducit in Hungariam profectus, vocatis ad colloquium ciuibus per se se, quod sibi rarissimum fuit, in hunc modum verba fecit: Vester sanguis, & domi-

Austriacum
seditiones ad
uersus Imperatorem, & rebellionem Viennensium.

dominus, viri Viennenses, propriam ciuitatē ingredi prohibeor. **A** Quid peccauī, vt mihi portas clauderetis? latronum imputatis spoliationes, & me bellum fouere arbitramini? nulli latrones infensiores, quā mihi sunt; nemo pacem magis quā ego cupit. Albertus est malorum incensor & auctor. Sunt & barones nonnulli complices, quos iuuat ex raptu viuere. Sæpe fratri reconciliati sumus, hereditatem sæpe partiti, pecuniam sæpe largiti, sæpe fœdera pacti, sed nullā inuenimus in eo fidem, dictū: indictum est, quod heri placuit, hodie displicet, cuncta profundit; exhaustus ad me redit; exauditus sæpe, tandem repulsus, quia saccum sine fundo implere nequeo, ad rapinas se conuertit, & vos & omnem Austriam laceffit: coercebo tamen hominis dementiam, & crassanti libidini frænum imponam, nisi vos eritis impedimento res molientes nouas: pacem quæritis, pacē dabo. Si quid aliud ex me vultis, dicite; nihil negabo. Vos mihi fratres estis & filij, & quosdam inter vos video, quos veluti parentes veneror. Vnde hoc discidium inter nos erupit? Quis vobis suafit, vt mihi portas clauderetis? Quotiens inter vos fui & tanquam Ladislai tutor, & tanquam dominus? Quid mali perpeffa est ciuitas me præfente? cui vel minimā intuli aliquando iniuriam? prodeat si quis aliquando præter æquum & bonū **C** me auctore læsus est. Non quæro vestras opes, ditare vos cupio. Apud vos cum curia manens quid feci? Quo fugit beneficiorū memoria? Faceffat ingratitude, & me tandē vestrū recognoscite principē, & si non placet vt dominū, vt ciuem saltem admittite. Mouerunt verba multitudinis animos, & multis excussere lacrymas, nec defuere qui dicerent: Si sic iam pridem, Imperator, egisses, nulla inter nos discidia succreuisent: voluisti per alios nos adloqui, quos audiebamus inuiti, nunc per te verba faciens pectora nostra cōmouisti. Dulce est audire principem, quia non solent ex ore domini prodire mēdacia. Veni ergo Imperator **D** optime, & tuam ingredi ciuitatē, & quam promisisti pacem dato: nos animas & fortunas omnes nostras tuæ fidei committimus. Durauit colloquium vsq. ad noctem, & tandem cum multis luminaribus, & ingenti populi alacritate ac gaudio Imperator intromissus est, & in arcem receptus. Sequentibus diebus inter Barones Austriæ, qui multi aderant, & Imperatorem magno studio concordia quæfita est, nec tamen inuenta: optimates Viennenses Imperatorem sequebantur, plebs baronibus aucto-

sculta-

A scultabat, & facinorosę multitudinis caput Holzer, qui plane intelligens ciuitatis principatum sibi concordiam ablaturum nouum concitauit tumultum, & Vlrico Ridrerer Imperatoris consiliario, ac Nicolao Grafnechero equitū ductore in vincula coniectis, Simonis Nuncioli domum, qui occulte profugerat, negotiatoris ditissimi peruasit, & expulsa vxore, bona eius, quæ multa fuerunt, occupauit, & quędam sub hasta vendidit, Imperatoremque ipsum cum paruulo filio Maximiliano, & Imperatrice Leonora, virisque circiter quadringentis in arce clausit: reconciliatus enim ciuibus Imperator, nihil hostile formidans **B** exercitum dimiserat, togatosque tantum & inermes curiales retinuerat: itaq. facile potuit armatę plebis incurfione claudi. Fœda res, & hactenus inaudita hic accidit; verum quam posteros non pudeat imitari, quando nihil est, quod iunior ætas æque vereatur, quā scelere ab ea superari, quæ præcessit. Crescunt in dies vitia: & ille magis in pretio est, qui facinus magis impium excogitauit. Oblectant inaudita crimina, & nouorum scelerum laudantur artifices. Iurauerant in verba Cæsaris cuncti Viennenses, eiq. tanquam naturali domino fidem dederant. Id tantum obfatare putabant, ne vim possent inferre **C** domino, atq. machinis arcem oppugnare: infamiam periurij verebantur, ac turpem perfidię notam. Ad quos Holzer, quid timetis, inquit? remedium præfsto adest: ibimus & Imperatori iurandum, fidemq. præstitam resignabimus. Placuit consilium: pergitur ad arcem, & alta præconis voce clamatur. Tibi Cæsar dicimus Viennenses, quando non ille es, quem credidimus, iuramentis & promissis, quibus obligati fuimus, nos deinceps nolle teneri: liberumq. nobis posthac decernimus, te tanquā hostem persequi atq. inuadere posse. Nihil ad ea respondit Imperator, qui fatuę multitudinis impetum verbera sciret, non verba **D** requirere. Tum machinæ admotę sunt, & acriter oppugnatio cœpta. Interea & Albertus Viennā ingressus, & oppidanorum, baronumque magno fauore exceptus, non quomodo germanum ab hostibus liberaret, sed quo pacto in captiuitatem quamprimum raperet, aut ferro interimeret annexus est: horrendū facinus, frater in fratrem defecit, & implacabili persecutus est odio. Armatus ante arcem Albertus bombardas figere, maiores balistas erigere, & omne machinarum genus admouere. Federicus ē propugnaculis lapides iacere, ac sagittas; tormentum æneum, quod

quod mortarium vocant, ingentis magnitudinis in arcis atrio componere, lapides grandiores in urbem proijcere, hostes propellere, omni conatu se ac suos tueri: crudelis hinc atq. inde pugna misceri. Bohemus interea, cui cordi essent fraterna Austriacum odia, nec vinci alterum ab altero, sed vtrumque extenuari & annihilari placeret, vt ad se tandem cuncta peruenirent; veritus ne Albertus Imperatore capto, plenum Austriacæ consequeretur imperium, seque tandem contemneret, Victorinum filium cum quingentis equitibus transire Danubium ac suppliciter Imperatori ferre mandauit: seq. paulo post cum viginti millibus secuturum promisit, ac bellum Alberto & Viennensibus indicit. Venerant iam de Styria, & Carinthia Imperatori auxilia equitum circiter quattuor millia, peditumq. non parua manus, quæ vbi Victorinus aduenit, aggredi ciuitatis suburbia fossa, & vallo munita statuerunt: quibus non expugnatis impossibile erat Imperatorem educi in arce reclusum, quæ licet in ipsis montibus urbis sita esset, intra suburbia tamen continebatur, nec liberum habebat egressum. Pugnatur igitur pro fossa suburbij, & ad vallum vsq. prorumpitur. Trucidantur in primo congressu resistentes, & iam prope capta munitio videbatur, cum Albertus valida suorum manu procurrens hostes repellit. Committitur atrox prælium, & multa cædes: postremo Cæsariani non sine magno damno fugam capeffunt. Imperator, qui ad eam vsq. diem, quæ fuit obsidionis nona, licet quassatæ turres corruissent, & arcis omnes muri prope ad terram prostrati iacerent, nec præter legumina quod ederetur adesset, nullum voluerat de concordia verbum audire, postquam suorum conflictum accepit, caduceatorem admittit. Res in hunc modum composita est: Imperator sua secum referre permissus, liberi omnes dimissi, qui erant in arce. Viēna & Austria in annos octo Alberto gubernanda permissa, exceptis paucis oppidis Imperatori relictis. Censum ex Austria quattuor millia aureorum in annos singulos, qui Cæsari redderetur decretus. Maximilianus post annos octo dominus declaratus: Cetera in quibus non conuenere ad arbitrium Bohemi remissa, qui iam ad Danubium cum exercitu descenderat, & prope Burgum tritici octo millibus passuum à Vienna constiterat. Quæ res meliores Imperatoris conditiones reddidit. Sic rebus compositis Imperatrix cum filio ad Nouam ciuitatem se transfulit, Imperator regem Bohemiacæ conuenit ultra Danubium profectus,

Afectus, & paulo post Albertus quoque eò se contulit. Tractata est concordia super capitulis, quæ restabant, nec vnquam fieri pax ex integro potuit; nec reconciliari fratres, aut ad colloquium perducere quouis pacto valuerunt. Credibile est Bohemo discordiam magis placuisse: tamen rebus haudquaquam sedatis, rex in Bohemiam abiit: Imperator Nouam ciuitatem repetijt: Albertus Viennam, quorum tanta gratia est, quanta inter eos esse solet, qui alter alterius uitæ insidiantur. Vlricus Ridrerer, quem diximus apud Viennenses, in vincula fuisse coniectum, subtili ingenio custodes aut elusit, aut corrupit, & tandem cum Imperatrice ad Nouam ciuitatem peruenit: nescia futuri mens, sæpe quod nocet expetit. Melius Vlrico fuerat diutius in carcere macerari: paucis post diebus cum libertati redditus esset ante ostium domus, quam inhabitauit, summo diluculo necatus inuentus est; caput à ceruice præcisum parua pellicula detinebatur, tibiac concisæ, & multa in corpore vulnera visibatur: hic exitus doctissimi viri fuit, & qui os diu gessisset Imperatoris, & solus leges dicere videretur; scientia iuris peritissimus, & qui Theutonica facundia cunctos præiret, ingenio versatili, & ad omnia prompto. Ferunt mulierem cui commisceretur fuisse necis causam, & capotentia riuali percussores immisos. Nonnulli diuinam existimant vltionem, quia cum esset annos supra sex & quinquaginta natus, & beneficia ecclesiastica magni prouentus multos annos obtinisset, nunquam tamen sacris ordinibus voluisset initiari: Nos Deo sua secreta relinquimus: Vlricus de se ipso dicere solebat, omni se vitio vacuum præter auaritiam, cuius se mancipium fatebatur; neq. ab re, perorando causas pecuniam innumerabilem congregauit. Inter omnes Cæsaris consiliarios ditior nec potuit relinquere cui voluit, & fortasse illum heredem habuit, cui maxime fuit infensus, vt sunt incertæ mortaliū spes, & errata perraro consilia.

In Hungaria sæpe hoc anno cum Turcis leuia commissa sunt prælia, & rara Hūgaros victoria secuta est. In Valachia res Turcarum superiores fuere, qui Transiluanam ingressi prouinciam non paruam inde prædā asportauere. Circa Sauum quoq. populati sunt agros, & multa intulere Dalmatis incommoda: nunquam totis viribus tentare fortunam præsumpsere, quamuis Matthias rex Hungariæ ad exercitum profectus pugnandi copiam facere præsto esset. In Asia Turcarum Imperator emissa classe, Lesbon

Bella Turcarum cum Hungaris & alijs, eorumq. impia victoria.

Lesbon insulam fama notissimã cepit freto non magno à Tro-
iano discretam agro. Tyrannum insulæ ab origine Genuensem,
& qui primi erant apud eum, & omnes Italici generis viros pa-
lo suffixit, reliquam turbam in seruitutem redegit: potuissent Ve-
neti periclitantibus opem afferre, quorum classis quattuor &
forfan viginti triremium instructissima prope aderat, qua visa
fugissent hostes: sed præfectus iniussu senatus Turcis bellum indi-
cere nõ præsumpsit: nunc & ipsum pænitet, & senatum, qui ma-
ris imperium affectare Turcas non dubitant, & Chio timent,
& Rhodo, nec Euboeam seruare posse confidunt. Libet hic quo-
niam ætate nostra hæc insula Christiano nomini perdita est, eius
situm describere, & quos habuit viros illustres, & varios gentis
casus; sic enim detrimẽta nostra melius intelligemus: pudebit for-
tasse aliquando ignauia nostræ, & aduersus religionis hostes pa-
ratori erimus animo.

De Lesbi in-
sulæ situ atq.
ambitu, & qui
eã tenuerunt,
quiq. ibi cla-
ruerunt, & e-
ius excidio.

Lesbos olim non solum Eolica, sed Eolicarum vrbiũ altera
metropolis fuit, & vniuersæ Troadis imperium obtinuit. Ambi-
tus eius stadiorum centum supra mille à borea in austrum protẽ-
tus, quingenta & sexaginta stadia longitudinis habens feraci a-
gro, & multa materia ad classes conficiendas idonea, tantum à
Chio, Lemnoq. distans, quantum à Tenedo intra quinquagin-
ta fere stadia. Vrbes in ea fuere memoratu dignæ; Mithylene,
quæ adhuc extat, & ab ea insula vocatur, & Pyrrha in occiden-
tali latere sita, quæ ab antiquo subuersa relicto suburbio quod
habitaretur: fuit & Ereffus in colle iacens & Antissa cum portu
& Methimna promontorio Lecti opposita: Mithylene, inter Me-
thimnam iacet & Malyam, quod est australissimum extremum
insulæ Canæ oppositum. Hæc vrbs rebus omnibus pulcherrime
instructa fuit, portusq. duos habuit, quorum australis clausus e-
rat, quinquaginta triremium ac nauium capax; borealis vero ma-
gnus ac profundus aggere protectus: ambobus quædam parua
insula obiecta fuit, partem vrbis habens ibi habitatam: distat à
Malya stadijs septuaginta, à Cana centum ac viginti, totidem
ab Arginus, quæ tres insulæ sunt paruae continenti proxime, &
Canæ adiacentes. Inter Mithylenem & Methimnam, vbi vicus
Egirus fuit, angustissima insula est traiectum habens in Pyrrheũ
Euripum, passuum duorum millium & quingentorum. Ex Mi-
thylene fuit Pithacus vnus è septem sapientibus, & Alceus poe-
ta, & Anchimenides frater eius: quem Babyloniorum socium
Alceus

A Alceus dicit magnum certamen peregisse, atq. eos è maximis la-
boribus eripuisse viro pugnacissimo, & vt inquit, regum lucta-
tore interempto. Cum his & Sappho clauit admiranda mulier,
& poetica peritissima, cui post tot sæcula non est reperta quæ
posset æquari. Diophanes orator multo tempore posterior fuit,
& Potamon, & Lesbocles, & Crinagoras, & Theophanes rerum
scriptor, qui Pompeio magno admodum familiaris fuit: nam res
eius gestas posteritati commendauit, & Græcorum omniũ cla-
rissimũ se exhibuit: cuius filius Marcus Pompeius Cæsari quoq.
Augusto carus fuit, à quo Asiæ curator constitutus est; & postea
B inter primos Tiberij familiares locum obtinuit. Ex Ereffo fuere
Theophrastus & Phannias philosophi peripatetici, & Aristoteli
familiares; Theophrasto prius Thirtamo nomen fuit, Aristote-
les mutato vocabulo Theophrastum vocauit, simul prioris no-
minis absurditatem euitans, & simul eius facundiã significans:
Aristoteles enim discipulos omnes eloquentes fecit, Theophra-
stum vero eloquentissimũ: quæ res admodũ eos confundit, qui
Aristotelis opera omni-eloquentia nuda in nostram linguã con-
uerterunt. Altera quoque Sappho, vt nonnulli asserunt, hinc or-
ta est poetica perita, & inuentrix plectri, sed Mitylenensi minor.
C Ex Methimna ortus est Arion, is quem Herodotus à prædoni-
bus in mari obrutum, & à Delphine incolumen deuectũ in por-
tum ad Tenarum fabulatur, quem citharædum fuisse constat.
Ex hac insula & Terpandrum fuisse dicunt musicæ artificem,
qui primus pro tetracordo lyra heptacordo vsus est; ad quem
versus illi referuntur.

Nos tibi, mutato cordarum quattuor vsu,

Iam noua per septem modulamur carmina neruos.
Hellanicus quoq. rerũ scriptor, & Callias, qui Alcæũ & Saphon
exposuit Lesbij fuisse perhibentur. Mityleneis durissima fuere
D cum Atheniensibus certamina, adeoq. Athenienses in eos seque-
re, vt senatusconsulto decreuerint Mitylenorũ pubem iugulari:
pænituit tamen eos, decretumq. mutatae sententiæ vna die ante
allatũ est ad imperatores, quam mandata essent peracturi. Non
tam benigne cũ Capuanis Fuluius egit, qui susceptis reipublicæ
litteris, vt senatui Capuano ignosceret, quem statuerat perdere:
prius seuitiæ suæ satisfecit, quam litteras legeret: tanta illi sangui-
nis auaritas erat. Plurimæ apud Mityleneos intestine seditiones
fuere, & plures tyranni ciuitatẽ oppressere, inter quos & Pytha-
cum

cum numerant. Sed is ad dominatus eruendos principatu usus est, non ad tyrannidē exercendam, qui sublatis tyrānis mox ciues in pristinā libertatē restituit, ostenditq. sapienti principatum non esse appetendū, neq. libertas diuturna speranda est ciuibus, neq. perpetuo metuenda seruitus; altera succedit alteri, sicut mōtib; valles. Hanc insulā, vt Diodorus ait, Pelasgi primū inhabitauere. Xanctus enim Triapi filius Pelasgorū, qui ex Atgo venerant rex, parti Lyciæ imperauit, deinde Lesbū cultoribus vacuā petens agro Pelasgis diuiso, insulā, quæ Issa prius dicebatur, ab eis Pelasgiā vocauit. Septima deinde progenie ob diluuium tempore Deucalionis factū, cum insula deserta remansisset, Macareus in eā peruenit Cynaci Iouis filius apud Achiam natus, eoq. Ionas transtulit, & humanitate ac iustitia plurimum auctus, & hanc & vicinas insulas tenuit. Successu deinde temporis Lesbus Lapiti filius in hanc insulā nauigans, sumpta in vxorē filia Macarei Methimnia nomine, apud eam perseuerauit, & claritatē assecutus, insulam à se Lesbiā nominauit, fuit & altera Macareo filia Mitylene appellata, quæ nomen ciuitati dedit, in hoc vsque tempus permanenti. E Lesbo coloni in Chium & in Samum, & in Rhodum missi feruntur. Eæ insulæ cum saluberrimū aerem haberent, frugibus abundarent: loca vero incontinenti opposita, propter diluuij humiditatē pestilentia, & frugū sterilitate laborarent, fortunatæ sunt cognominatæ. Macareus legē valde vtilem apud Lesbios edidit, quam leonem ab eius animantis virtute ac robore appellauit. Res Mitylenenses nunc prosperæ, nunc aduersæ per multas manus actæ sunt. Pelasgi, vt diximus, priores insulā habitauere cum staret Troia; postea Eoles successerunt; deinde Persarum imperiū subiit, tum Macedonū; deinde Romanorū. Cumq. Romanā res in Constantinopolim translata esset sub Græcorū imperatoribus, varia insulæ fortuna fuit. Postremo cum Colaioannes Constantinopolitanus Imperator à Cantacuzino per armā pulsus, ope Francisci Gatelusij Genuensis imperiū recuperasset, hæc insula ob gratitudinē auxiliatori tradita est, atq. in eius posteris vsque ad hæc tempora durauit ab eo, quem necatū à Turcis diximus, cum frater natu maior aliquando rem administrasset, in vincula coniectus est, publicatā causa, quod insulā Turcis, Christianamq. fidē prædere statuisset, vt est calamitatis infamia comes. Actate nostrā Turcarū classes sæpenumero in Lesbū delatæ, ho-

mines

A mines & armenta abegerunt, nil extra vrbiū moenia relinquentes: quarū vnam feminea manu seruatā tradunt. Oppugnauerat Turcarū exercitus insulæ oppidū non contemnendū, muriq. partē machina deiecerat, & facta clypeatorū testudine, irrumperere properabat, nec oppidanis animus erat ad ferendum impetum, alijq. deditiōnē, alijs fugam meditantibus: sed adfuit mulier virilibus armis induta, quæ (mirabile dictu) salutē patriæ peperit: adhortata enim ciues ne hostē metuerent, primā se Turcis obiecit, ac pro loci fractura depugnans, nōnullos obruncauit. Eius audaciam admirati oppidani, & ipsi animū resumpserunt: tantamq. hostiū stragē ediderunt, quantā vix credere quispiā possit. Turcæ ē terra pulsi ægre in nauigia se receperūt, quos Calisti classis insecuta magno detrimento affecit. Laus tamen seruatae insulæ penes feminā fuit, cuius tædet nō habere nomen: digna enim erat nō minori memoria quàm Sappho: sed illi maiora præmia in cælesti patria reseruātur. Episcopus Caphensis Calisto Pontifici maximo præsentē senatu hæc enarrauit, qui tunc transitū per Mitylenem fecerat, ab ecclesia sua Romā petens.

In regno Siciliae tertius currebat belli annus. Ferdinandus nondū exacta hieme memor cladis apud Sarnū acceptæ, & iniuriam vendicandi cupidus, eō cum exercitu proficiscitur, oppidumq. vndiq. clausum, ne quid inferri posset, summa vi oppugnat. Turris in vertice montis fuit, quæ hostes appropinquare oppido in superiori parte non sineret: hanc pluribus diebus bombardæ regiæ quatiunt, tandemq. deiiciunt: quare territorii tyrannus deditiōnē fecit, cuius exemplū Vicus, Massaq. Amalphantani montis secuta sunt oppida. Regi bene auspicato noui anni bellū inchoasse visum, qui oppidū vicerit, vbi fuerat victus. Circiter vndecimū calendas Aprilis hanc ei Dei voluntas felicitatē aperuit, qua omnis terra laboris intra Vulturū & Sarnum induto posita est. Dispar interea successus rerū in Apulis fuit; princeps Tarentinus accersito ad se Picinino ingentibus copijs Tarentum obsedit, diuq. oppugnauit, & cum nulla spes propinqui esset auxiliij, oppidani fame laborantes, in potestatē hostis venerunt: fuisset & arx paulo post capta propter inopiā annonæ, nisi præfectus Venetarū triremium frumentum intulisset, quæ res vehementer Picininū deterruit, Venetorum arma Gallis infesta putantem. Genuensibus eam urbem Galli ex foedere promiserant, cum classem armauere, quæ Rhenati filium vexit in regnum: &

FF 2 quam-

Res gestæ
Ferdinandi regis
in tertio belli anno in
Terralaboris & Apulia, &
Aquadria ex-
cidium.

quamuis defecisset à Francis Genua, verebantur tamen Veneti, A
ne (vt est mobilis ciuitas) iterum ad eos rediret, & portum in A-
driatico mari Tranſem obtineret. Dux Andriæ vbi Tranū oc-
cupatum animaduertit, impetum belli veritus (neq. enim is erat
qui Picinino se posset opponere) in gratiam cum principe redijt,
rebusq. suis consuluit. Picininus Barlettam se contulit, & agro
direpto factis inducijs cum omnibus copijs Canusiū versus iter
ingressus est Grauinæ comitis oppidum Ferdinando amicū, ibi
obsidionem tentaturus. Cuncta in Appulis trepidabant tardan-
te rege præfidiū afferre. Militibus hoc anno solito stipendia tar-
dius tradita sunt: itaq. ante calendas Iunias emitti exercitus nō
potuere. Primus Alexander Sfortia cum suis cohortibus missus
est, qui Picinini reprimeret impetū: is cum se imparem hosti co-
gnosceret, in agro comitis Campibassi substitit, eumq. diripuit,
cōmeatibus ex Arriano perceptis. Interea rex secutus est, & pau-
lo post Antonius Picolomineus, & Vrsus Vrsinus, & Robertus
sancti Seuerini, & Barnabos eiusdem familiæ: in agro Griptæ,
tribus ab Arriano milliaribus simul omnes conuenere, ducentes
equitū turmas quattuor & quadraginta: deinde in baroniā Flu-
mari transuerunt, nec morati ad oppidū Aquædię profecti sunt
duodeuiginti millibus passuum ab Arriano remotū, Tarentini C
principis amicū. Id situm in colle fuit vndiq. præruptis defen-
sum rupibus, vno tantū itinere, quod planum esset accessibile, &
hoc angustū; duabusq. fossis, ac turribus & propugnaculis com-
munitum, intus validū præfidiū, & oppidani circiter centum.
Picininus cum accepisset regis aduentū dimissa obsidione Can-
nusijs inducias cum comite Grauinæ fecit, & nihilominus contra
foedus pecus omne abegit, venitq. ad Ofantum fluuium, atq. eo
transmisso Turricellam petijt, & itinere continuo apud Mac-
chiafocaciam (ita enim locum appellant) tribus milliaribus ab
Aquadia constitit: neque ausus est cum hoste congregi: sed re-
cētes in horas milites misit in oppidū, qui pro fessis vulneratisq.
vicem subirent. Regiæ cohortes eo quo licuit aditu repletis fos-
sis, ad murum oppidi peruenere, ibiq. certamen acerrimū com-
misere. Bombarda præcipuam turrim magna ex parte concus-
sam prostrauerat, & oppidi muros ita deiecerat, vt vix hominis
altitudo maneret: scandeant regij molē, & iam ensibus ac secu-
ribus equo certamine cū hoste pugnabant: quod animaduertēs
bombardę magister: Oppidū, inquit, apertū dabo, immissoq. igne
tormenta-

A tormenta lapidē adeo caute per regios pugnatores emisit,
vt nullo eorum tacto tris viros ex hostibus acrius repugnantes,
vno maclauerit ictu, reliquos ex muro repulerit. Milites lapidis
impetum insecuti oppidum obtinere, spoliatumq. combussere:
viros circiter quinquaginta resistentes trucidauere. In Calabris
paucis diebus antequam hæc fierent marchio Crotonias, & co-
mes Nicastræ relicto Gallicæ partis imperio, ad Ferdinandū de-
fecerant: & Crotonias quidem in hunc modum litteras regi de-
derat. Domine maiestatem tuam certiore facio, me scilicet, &
comitem Nicastrensem in nomine Dei, & magni Baronis san-
cti Georgij tua felicia erexisse vexilla, & quod semper fuit ani-
mi mei, statuo sub vmbra tua viuere & mori. Et postquam pius
Deus ac me gratia impartitus est, vt ad optatū finē peruenirem,
nemo me viuit in hoc mūdo beatior. Supplicō maiestati tuæ, vt
promissa tuo nomine rata sint; quemadmodū mihi indubitanter
persuadeo. Scriptum Mayde manu propria tertio idus Iunij.

Circa hoc fere tempus apud Venetos Paschalis Malipetrus ^{Mors Pascha-}
dux mortem obiit, cum rempublicam gubernasset annis circiter ^{lis ducis Ve-}
quinque, princeps religionis parum, quietis nimis amator, vt ^{netorum, &}
pote qui de bello aduersus Turcas gerendo nihil audire voluif- ^{Christofori}
set, dum Mantuæ Christianorum conuentus ageretur. Huic suf- ^{suffectio.}
fectus est Christoforus Maurus vir mira probitate & pietate in-
signis, quem pridē diuus Bernardinus Senensis, cui Maurus ad-
modum familiaris vixerat, suæ reipublicæ futurum ducem sæ-
pe prædixerat. Is cum grauem senio se cerneret, nec facile tan-
tum munus posse perferre Pio significauit, principatui velle ce-
dere, & alteri locum dare, qui melior esset: cui Pontifex; caue,
inquit, filij ne Dei volūtati resistas: tibi hoc tempus seruatū est,
in quo (nisi fallimur) aduersus Turcas Christianorum arma po-
tenter mouenda sunt, Scimus, te Principe non defuturos Chri-
stianæ reipublicæ Venetos: Quòd si magistratu te abdicaueris,
qualem sis habiturus successorem ignoramus.

Iacobus Picininus vbi se inspectante Aquam diam incensam ^{Regis Ferdi-}
animaduertit, retro abiit, ad locum quem Turricellam vocant; ^{nandi apud}
Ferdinādus cum omni exercitu ad Vrsariā contendit, agri Tro- ^{Troiam vi-}
iani oppidum Ioanni Cossæ obediens, quod à Troia tribus mil- ^{ctoria, Apu-}
libus passuū abest, atq. hoc positis castris oppugnare contendit, ^{lorumq. sub-}
Comes camerarius cū bombardis, & duabus equitū turmis hue ^{actio.}
in castra venit, & Ioannes ex familia comitū Romanorum cum

quattuor: quinquaginta cohortes equitū Ferdinādo fuere, peditū A circiter duo millia. Vrsariēses, qui suis diffiderēt viribus, quattuor dierū inducias petiere, imperata facturi, nisi medio tēpore Franci suppetias ferrēt. Picininus re cognita laturus obsessis opē cū omni exercitu à Turricella per Asculanū agrū mouit, profectusq. Troiā pro moenibus castra posuit, qua parte ciuitas in orientē spectat. Cum eo fuerunt Ioannes Rhenati filius, Ioannes Cossa, Iulius Aquæuiuæ, Hercules Estensis, & alij complures Gallicarum partium duces: Equitatus par pene hinc atq. inde fuit: peditatus Picinini superior videbatur: verum in castris regijs viri excellentes, & qui ducere nouissent exercitum plures fuere. Rex ipse B se animo & virtute excellens haud parū roboris præstabat exercitui. Aderat Alexander dux belli iam pridem fama clarus, Robertus Seuerineus, Robertus Vrsinus, Ioannes Comes, Antonius Picolomineus, Comes camerarius, Antonius Trotus, & aliorū ingens numerus: qui (excepto Papæ nepote) sæpe in magnis exercitibus ordines duxerant. Ij postquam Picininum prope adesse nouerunt, haud ignari quamprimum belli fortunam tentandā esse, locorum opportunitatem quæsuerunt, quæ sæpe magnum affert momentum. Inter castra regis, quæ ad Vrsariam sita diximus, & urbem Troiam, tumulus quidam præaltus fuit castris C imminens nomine Verditulus, deinde Maianus paulo minor, & rursus alius non inferior: primo ex quo in planitiem descenditur quæ Sanduo fluuio adiacet, ultra fluuium maior planities occurrit: postremo collis, in quo Troia iacet, & urbis vineta procūbunt. Altio rem tumulum si prior occupasset hostis, magna regi attulisset incōmoda, castris superincumbens, & aquatu milites prohibens. Ob eam rem iubetur Antonius Picolomineus primo diluculo tumulum occupare, indeque hostes arcere, si forte illuc procurrant: Roberto Vrsino alterius tumuli cura mandatur: rex D & Alexander cum reliquis copijs partes alias obseruare constituunt. Antonius ante solis exortum montem sibi decretum incedit, & cum eo Ioānes Comes, qui iam die luceſcente cum hostes aduentare prospexisset, in castra descendit, prouisurus ne rex incautus dāmo afficeretur: Antonius ad montis custodiā remansit. Vrsini milites sub ipso lucis ortu ad irritandos hostes profecti cum turmas hostium incidissent, retro terga verterunt. Illi tertium montem occupauere, & missa peditum parte tumulum quoque obtinuerunt Roberto assignatum Vrsino, qui eam contumeliam

tumeliam ægreferens re collectis raptim suis, quos fugere diximus, in hostes irruit, eosq. tumulum sibi decretū relinquere compulit: quod cum feliciter successisset, accersito Antonio, qui prope aderat: si me audis, inquit, tertium quoque montem hosti auferemus: annuit Antonius, & ambo in hostes iter arripuerunt: nec illi morati sunt, qui relicto in monte præsidio vsque in planum obuiam procurrerūt. Commissum est certamen, nec potuerunt Bracciani regios sustinere, repulsi sunt vsq. ad mediū montis. Quod Picininus ex vertice conspiciat, suppetias suis immisit. Tum rursus in planum Antonius & Robertus coacti pedem retulere, ibiq. prælium restaurarunt equites cum peditibus decertantes. Superuenere deinde Alexander Sfortia, & Ioānes Comes, montemq. cum cohortibus diuersa ex parte conscendere coeperunt. Quod Picinini pedites animaduertentes, veriti ne reditu in montem prohiberentur, mox terga verterunt, & ordine interfugiendum neglecto, dissipati, & magna ex parte cæsi sunt: mille & ducenti pedites obtinuisse montem ferebantur, qui ante faciē regionum consistere nō sunt ausi. Picininus cum equitibus prior effugit, vt aliqui tradunt; quidam negant eum illic fuisse. In descensu montis fossam inuenere, quæ licet aquam nō haberet, fugam retardauit, cum difficile transiretur: ibi aliquandiu pugnatum est, & resistentia ingens ab hostibus facta. Rex interea, & omnes belli duces paucis, qui castra seruarent relicti, cum omnibus copijs affuerunt, ad quorum aduentū exterriti hostes cuncti ultra fluuium se recepere, vbi Ioannes Andegauensis & Picininus sui robur exercitus in ordine collocauerant. Medius inter hostiles acies non magnus quem diximus decurrebat fluuius, tanquam limes quidam arma misceri prohibens. Dubitabant alteri alteros inuadere, nec transiri amnis sine vi magna, & periculo poterat aduersas ripas hoste defendēte. Anceps aliquādiu rex quid ageret, tandem copiarū partem ad superiorē fluminis decursum transmisit: iussitq. amnem transire, atq. hostes pugnalacessere: ipse ex loco in quo erat cum suis, vt aiunt, creatis, & validis nōnullis cohortibus transmittere Sanduū decreuit, fortēq. extremā experiri, animo in vtranq. partem parato, seu vincere Deus daret, seu sortem aduersam subire. Quod cum Alexander cognouisset, prope accedens: quid agis rex, inquit? transeuntem fluuium aut te vincere oportet, aut succumbere. De tota re ludet. Ad quem rex: Istud, inquit & opto & quæro, aut meas hodie,

die, aut hostis molestias finiam: Deus tamen adiutor aderit, & vos tot fortissimi viri non sinetis hostem esse victorem. Nec plura locutus, admotis equo calcaribus, fluuio se commisit, quo traiecto paruum quendam cliuum non magno negotio, deiectis hostibus superauit, & in planū peruenit campum. Secutus est Alexander regis exemplum, & omnis exercitus sine mora traiecit amnem. Rex in dextro cornu non tam ducis, quàm militis officium gerens acriter pugnam iniuit. Alexander in sinistro cornu produxit aciem. In media fronte multi pugnaverunt viri præstantes, qui magno impetu hostem aggressi, terga vertere, atque ordinem interrumpere coegerunt, & vsque ad radices montis ex campo deiecerunt. Illic fossa non magna fuit, quam cum hostes pertransissent, vrgente Picinino, ac Ioanne Andegauensi, & alijs ducibus fugam prohibentibus, faciem verterunt, ac prælium instaurantes, tandiu restitere, donec Alexander à sinistro incurrens latere, transfuersam perturbauit aciem, omnemque hostis conatū irritum fecit. Hinc iterum Bracciani depulsi, celeri cursu collem ascendere Troianum, atque inde conuersi ex loco superiori, facile regionum impetum repressere, ibique duabus circiter horis summa contentione pugnatum est: nec potuerunt hostes loco moueri. Tumulus erat arduus in parte sinistra, vsque ad urbem protensus: hunc Tarentini principis equites, & Capacciani & Franci cum vexillis infederant. Hos deturbare loco rex aggressus Alexandro aduersus Braccianos dimisso ex pluribus equitum turmis tris validissimas acies instruxit: vnam ipse duxit sagittarijs præmissis: alteram Antonius Picolomineus, & Ioannes Comes: tertiam magnus Senescallus, cuius nondum equites eius diei prælio sese immiscuerant: comes Vrsus regis adhæsit lateri: Robertus Vrsinus paulo ante cum suis equitibus ex aduersa parte suo-
 pte ingenio montem ascendere coeperat: & iam quattuor itineribus in tumulum fiebat incursum: hostes tanquam excepturi prælium alacres apparatus protensisque hastis tandiu mansere, quoad regio summo appropinquare vertici aduerterunt: exin subito terrore perculsi, foedam arripuerunt fugam. Insecutæ sunt regie turmæ, & fugando cædendoque vsque ad urbis moenia perueniunt. Idem Sfortiani fecerunt, qui Braccianos, quamuis è superiori loco dimicantes, in ipsas urbis fossas præcipitauerunt: parumque abfuit quin hostibus immisti portas irruerint: sed his ab oppidanis militibusque, qui intra moenia confugerant, statim clausis,

A clausis, plurimi ante moenia capti sunt, & non pauci enecti, vexilla per muros intra urbem tracta. Cum spes expugnandæ urbis nulla esset, ad diripienda castra properauere per ipsas fossarum ripas, qua parte ciuitas septentrionem spectat: illisque passim direptis ingenti præda potiti sunt: nam plus quàm mille equos impedimenta ferentes intercepere. Interea vexilla regia paruo cum præsidio relicta cum Picininus conspicatus esset vociferans per urbem regem cum Alexandro captum, fugientes suos in aciem coegit: egressusque portam, ad vexilla regis procurrit, magnoque damno, & maiori dedecore Ferdinandum affecisset, nisi B accurrentes subito Antonius Picolomineus, & Robertus Vrsinus iter eius impediissent. Ibi rursus acre certamen commissum est: & cum modo regij, modo Bracciani pedem referrent, tandem vexilla saluata sunt, & Picininus voto frustratus in urbem redijt. At profligatis ubique hostibus, direptis castris, trecentis & amplius galeatis militibus interceptis, cum iam nihil timendum victoribus videretur, non parua clades illata est regijs. Vidit Picininus milites, qui castra inuaseraut cum præda sine timore, sine ordine redeunt, non procul ab urbe transitum facere, irruitque in eos, & partem prædæ recuperauit: galeatosque milites non paucos C abduxit, atque ita partem damni refarciuit: preciosiora tamen castrorum bona ad regio peruenere. Ioannis Andegauensis gaza, & ipsius Picinini argentum, & Herculis opes, & vestimenta nobilium gregarij inter se milites partiti sunt: hæc eius diei fors fuit, quæ ad quintum decimum calendas Septembris illuxit anni millesimi quadringentesimi sexagesimi secundi. Vrsarienses ubi superatos Francos didicerunt eadem die sese dedidere. Ioannes Andegauensis, & Iacobus Picininus diffisi Troiam post acceptam cladem posse defendi, ac veriti ne intra moenia claudentur, D intempesta nocte cum quadringentis circiter equitibus fugam se commiserunt. Rex biduo post castris ab Vrsaria motis urbem obsedit. Ioannes Cossa cum præsidio inerat & arcem tenebat: oppidani clam exeuntes, Alexandrum commonuere uti postredie quamprimum illucesceret oppugnare pergeret urbem, futurum ut captis ciues armis externos milites comprehenderent, urbemque sibi aperirent. Annuit Alexander consulto rege, statuitque primo diluculo scalas admouere moenibus, urbemque totis viribus oppugnare. Longior solito visa est ciuibus nox, nec lucem expectare potuerunt: inter quos triginta fuerunt equites galeati,

galeati, qui media nocte armato populo ductores se præbuerunt: & cursu per urbem facto, præsidarios equites circiter septuaginta, pedites trecentos interceptere, apertisque portis Alexandro ut ingrederetur, atque urbis imperium caperet, potestatem fecerunt, Sforziadum familiæ non regi seruituri. Iacobus cognomento Squarcia, & loci episcopus auctores nouitatis fuere: cum nollet Alexander accipere urbem regi debitam, nec ciues regis subire iugum vellent: tandem conuentum est, ut Isotta Mediolanensium ducis filia primogeniti regis sponsa ciuitas traderetur, atque ita Sforziadum sanguis post longa tempora Troiam recuperauit. Ioannes Cossa in arce clausus, ubi spes reliqua nulla fuit, potestati regis se permisit libere, ea tantum conditione adiecta, ne vis corpori eius inferretur: qui ubi ad regem in castra perductus est, prostratus in tentorio ante pedes hostis: Tua me, inquit, victoria ex domino seruum fecit, & te quodammodo ex priuato regem nudius tertius regnum Siciliae ludens fortuna ad te detulit, & me tibi subiecit. Nunc te regem esse profiteor, facturus quæ iusseris. Tu si regio fueris animo, nihil imperabis quod inuitum me facere noueris: cui rex; vnus est regnorum distributor omnium & dator Deus: is misit angelum suum, & in bello me fecit victorem & regem: prius incerta res erat cuius fauoret cælum, nunc rata est Romani Pontificis constitutio, qui me prætulit Andegauensibus, & te vel inuitum in manus meas dedit. Ignosco tibi, qui fidem antiquo seruasti domino: si vis apud me degere, ædibus & agris te donabo, quibus more nobilium vitam agas: sin mauis ad priorem reuerti dominum, & nostra contemnis arma, quæ Deus iuuat, liber esto; & tuum arbitrium secutor. Ioannes, qui seruire Aragonensibus nesciret, ad Andegauensem redijt, traditis prius Ferdinando quæcumque possidebat in agro Troiano vel arcibus, vel castellis. Secundum hanc victoriam, & Fogienses capto præsidio, quod apud eos erat Gallicæ partis, ad regem defecere. Deinde Luceria itum est: spe data, quod oppidani metu territi deditioem facerent: quod cum non successisset, ad sanctæ Seueræ oppidum opulentum admota sunt castra: nec dubium erat quin armis obtineri posset: sed oppidani direptionem ueriti ultro se dediderunt. Hinc retro iter ad Troiam reuersum est, & deinde Asculum uersus motus exercitus. Asculani nihil in principe, cui suberant spei collocantes, prius quam ueniretur in vineas missis legatis ciuitatis clau-

Ferd-

A Ferdinando tradiderunt: præfectus arcis paucorum dierum paratus inducias, cum nemo suppetias ferret, idem fecit. Paruum erat non procul oppidum ducis Melphiæ nomine Candela, quod repentino impetu direptum atque combustum est. Venit & in potestatem Baronia Petra, Monscorbinus, Motta, Lancedonia, & Rochetta, & alia non parui momenti oppida. Carolus sanguinis & dux Melphiæ, postquam nullum in Gallis præsidium esse uiderunt, ad regem in castra profecti in eius uerba iurarunt.

Interea cum ad Ofantum fluuium uentum esset, frequentes nuntij, & principis Tarentini ad regem, & regis ad principem de pace agentes discurrebant. Princeps uictorem formidabat exercitum: rex pecuniosum senem uerebatur, ne per desperationem apertis thesauris Picinini copias armaret: bellumque de integro instauraret: factæ sunt viginti dierum induciæ, & cardinalis Rauennas medio tempore ad principem profectus pacem componere adnixus est. Aderat Picininus magna promittens, si ad instaurandum exercitum pecunia daretur. Aduenerat & Sigismundus Malatesta, qui domi conflictus (ut postea dicemus) auxilia principis ex foedere requirebat: sed nulla uictoria foedera profunt: pacta cum sorte ipsa resoluuntur. Principem, qui magnam thesauri sui partem assumpsisset, plura exponere te debet, & certam pacem dubiæ uictoriæ præferbat. Ob quas res post multa consilia, quæ in utraque partem audiuit; tandem Malatesta & Picinino exclusis, auctore Cardinale concordia in hunc modum confecta est. Ferdinando Siciliae regi, & Ioanni Antonio principi Tarentino, eorumque successoribus & subditis inter se pax & tranquilla quies esto; & omnis belli memoria, atque uiscendi cupido procul abito: Ioannes Antonius publicæ salutis instaurator habetor; præmia & honores sperato, quibus reipublicæ conseruatores afficiuntur: paternam hereditatem, & quæcumque possedit, cum uita excessit Alfonso, retineto; Mariliano excepto, quod reginæ in donum cedito: Crotonum insuper, Malfettam, Iouenatum, Venusium, Minurinum, Rubum, Auellum, Montemmelonis quoad uixerit: Bithuntum uero & Cauratum sibi & successoribus uendicato; & in his uectigalia regia pleno iure percipito: Asculum & arcem manu regia recuperato; feuda nobilia, & alia quæcumque inter decretam sibi prouinciam pro suo arbitrio disposito. In terris, quæ dominiales appellantur, & sibi dimissæ sunt, regius uicarius cum uero & mixto imperio, ac plenitudine potestatis irreuocabilis esto.

Pax inter Ferdinandum regem, & principem Tarentinum, & iuncta foedera.

esto: de rebus, quæ iure perpetuo possidet, aut inter viuos, aut in A
testamento (vti libet) disponito: ex vectigalibus terrarum Apu-
liæ, quas elegerit, centum millia auri nummū dum vixerit quot
annis accipito, si tantum corradere nequiverit, residuū ab æra-
rio regio in tribus terminis expectato: militiam quantam volue-
rit alito: Barones intra principatum suum absq. prouocationis
metu corrigito; Luceriam, & Manfredoniam ad regis obedien-
tiam quoad liceat reducito: arcem vici, & cunctas terras Baro-
nię Flumari persolutis sibi munitioibus regi reddito. Ioāni Andegauen-
si vt regno cedat atq. abeat persuadeto: Ferdinando
& successoribus eius fidelis esto: vexilla eius erigito: Rhenati rej B
cito; hosti publice, clamve ne faueto; Sigismundo Malatestæ ex-
tra gratiam Pij Pontificis remanēti, suppetias nullas concedito;
Vrso Vrsino iniuriam & omnem actionem remittito; in Ascu-
lanos, qui se regi deditere minime vlciscitor: salua securitate sui
status, equitatu, peditatuq. omni aduersus hostem regem iuua-
to; comitē Euersum, si nihil aduersus Pium Romanamve sedem
molitus fuerit, foedera secum percutere cupientem ne reijcito.
Si quid aduersus se, suosq. machinari regem contigerit, Picininū
libere in auxilium suum aduocato: & nihilominus percussa foe-
dera in suo robore remanento: Tranum intra sex dies, & Saler- C
num quamprimum poterit regi reddito: qui regi stipendia fece-
rint, equites peditesve iniussu regis ne conducito: idem rex facito
in his qui sibi militauerint: Tranum rex nullo vnquam tempore
à se abdicato: Salernum intra annum nulli concedito: impensas
in arce Salernitana factas, idest aureos tria millia quingētos red-
dito: Pio Pontifici supplicato, vt Sigismundo Malatestæ, & fra-
tri eius status reintegretur: Tranēsis & Salernitanis læsæ ma-
iestatis crimen remittito: hostes ex Manfredonia, Luceriaq. cū
suis bonis libere abire permittito, si ea loca suasu principis regi se
dederint. Ioanni Francisco Vrsino Aquandiam, & Carbonariā, D
Raymundello Vrsino Laurenzanam reddito: aduersus Vilhel-
mum Capaccij comitem expeditum principi iudicito. Ioanni
Andegauenfi, Iacobo Picinino, Sigismundo Malatestæ securi-
tatem facito quoquo velint intra dies octo & decē cum suis co-
pijs, & rebus ire siue diuisim, siue coniunctim. Interea locus in
quo fuerint simul omnes tutus atq. immunis esto. Comiti Iulio
Aquæuiuæ cuncta reddito, quæ fuerunt patris Iosifæ tēpore mor-
tis Alfonsi, & amplius Adriam & Theramum & Siluium in-
tra sex

Atra sex menses, & cuncta quæ tenet Alexander. Celino in an-
nos decem, & sancto Fabiano in annos viginti pristinam liber-
tatem reddito: vectigalia regia in his terris Iulio permittito: &
amplius quoad vixerit aureos mille singulis annis elargitor: co-
mitatū Conuersani sibi & vxori suę pro voluntate principis con-
firmato: vt se ducem Adriæ Iulius vocet permittito; & quāuis
ducatus causa in verba regis iuraturus sit, liberum tamen finito:
ne plusquam princeps voluerit persona eius obligetur. Quæcun-
que principi rex, aut regi princeps promiserit, Pius Pontifex ma-
ximus confirmato, atq. vt obseruentur curato: Franciscus quoq.
B Mediolanensium princeps expromissor accedito: Monumenta
regia super conuentis arbitrio sapientis, quæ princeps elegerit, vt
certam obtineant roboris firmitatem, aguntor. Hæc ad vndeci-
mum calendas Octobris in vrbe vigiliarum gesta sunt anno sa-
lutaris millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo. Quibus
publicatis Picininus, & Sigismundus Malatesta consternati ani-
mo Tranum concessere, cū Ioanne Andegauenfi rebus afflictis
consulturi. Sigismundus sex diebus antequam Franci ad Troiā
confligerentur in Piceno, & apud Senogalliam prælio victus fue-
rat, de qua re nunc scripturi, haud absurdum putamus de Ma-
C latestarū origine, & eius gentis progressibus nostræ historiæ ali-
quid interferere.

In Castello Pennæ Montisferetrani agri duo fuere fratres no-
men vni Malatesta, alteri Ioannes, ambo Malatestę filij. Ioan-
nes vxorem Suliani duxit, & dimissa paterna domo cum ea illic
habitaui: Malatesta Verruchium se contulit Ariminensis agri, Malatestarū
familie ori-
go, & progres-
sus, & gesta
vsque ad Si-
gismundum.
& ibi cum esset industrius & robusti corporis, ad equestrem mi-
litiā prouectus est. Ariminum per id temporis imperio suberat
Federico secundo imperante, cum iam pridem Romandiolam,
quam Prisci Cæsares Romanæ Ecclesiæ restituerant Theutones,
D abstulissent. Rigettus Vicentinus Pandulphinae gentis Vicaria-
tum gerebat. Duæ factiones inerant, Guelforum & Gibellino-
rum, quod malum in Italia late patuit: Gibellinorum principa-
tum gessit eques nobilis & diues nomine Parcitas, cuius filiam
Rigettus Vicentinus duxerat. Guelfi, quamuis essent multi, prin-
cipe & ductore carentes contemnebantur: ob quam rem caput
sibi constituere decreuerunt, vocatumq. à Verruchio Malatestā
possessionibusq. donatum Guelfis omnibus præfecere. Interea
cum obiisset Federicus successor eius Henricus quintus in Italiā
venit.

venit, & Parmam obsedit, ad quem profectus Rigettus Pandulphus, aureos ei duo & viginti millia detulit: tantum se pro Imperatore ex Vicariatu suo corrasisse dicens. Imperator inopia laborans id auri percupide accepit, Vicariatumque Rigetto confirmavit, & paulo post natam ei filiam de sacro fonte per procuratorem leuauit: puellamq. dono dedit castella tria, Runchumfrigidum, Giouediam, & Trebum. Mortuo Rigetto Guelfi egregium palatium Malatestæ edificarunt iuxta episcopium, & custodes corporis illi addiderunt, & opes auxere, cuius consilio & animi promptitudine Guelfarum partes in dies potentiores fiebant. Id ægretulit Parcitas, veritus ne Malatestæ augmentum, suum esset detrimentum: quod ut impediret; amicitiam eius perquisiuit, neptemque suam ex filia in matrimonium ei dedit Rigetti filiam castellis tribus, quæ supra nominauimus dotis nomine assignatis. Sed nulla est sancta regni societas, nec tyrannidis affectum superat affinitas. Auctus nouo matrimonio Malatesta familiam quoque auxit, & satellites sibi ex Guelfis plures adiunxit: maioremque ciuitatis partem ad se traxit: Guelfos extulit, Gibellinos repressit. Hinc simultas, deinde apertum odium inter Parcitatem, & Malatestam erupit, adeo ut alter alteri nequaquam se crederet; atque in dies inuidia, & maliuolentia cresceret, & ambo armati per urbem incederent, & ferro dimicaturi de tyrannide viderentur. Ciues in armis erant, & ambæ partes externa quærebant auxilia: Parcitas Guidonem comitem ex Urbino accersiuit; Malatesta ex Verruchio suos amicos: nec tamen hic aut ille audebat certamen incipere. Malatesta nobilem ciuem clientelis & affinitatibus potentem non sperabat urbem posse depellere: Parcitas Guidonis aduentum præstolabatur. Sic suspensa ciuitate, ac tumultum & prælium in horas timentes; ecce asinus in platea, quam populi campum vocant, asinam libidinosus insequitur, atque ingenti rugitu cuncta complet: fugit asina rabidum animal morsu & calcibus vrgens; fugam & homines capiunt, qui causam ignorant; prælium inchoatum putant, & tyrannos inter se pugnam conferuisse. Curritur ad arma, & suos quisque duces iuuare pergunt. Ludouicus eques Caminatensis in forum procurrit armatus, & Malatestam urbis dominum proclamat. Accurrunt & Parcitatis amici, Ludouicumque sagitta confossum perimunt: nec mora, Malatesta cum expedita armatorum manu huc se recipit, cogitque partem aduersam pedem referre vsque ad fontem quandam

extra

A extra forum: hic rursus prælium instauratum est: & tribus diebus acerrima contentione certatum, & multi perierunt. Interea certior factus Malatesta Guidonem Urbinatem apud sanctum Marinum expectare, Parcitati auxilio venturum cum trecentis equitibus, nobiles quoque Petramalenses, Firmanos, & Fabrianeses suppetias inimico mittere, terrore permotus, primores quatuor urbis ciues ad se accersiuit probitate & auctoritate præstantes, & quibus ciuili discordia molestissima esset, dixitque illis se ignorare cur Parcitas urbem excidio traderet, se neque priorem inchoasse pugnam, neque ciuilem libenter effundere sanguinem; positurum arma, si Parcitas idem faciat. Illi Parcitatem conuenere, multisque verbis orauere ut suorum ciuium sanguini parceret: neque frustra locuti sunt, amator suæ patriæ Parcitas facile in concordiam ductus est. Venere ad colloquium duces partium, & osculati alter alterum, visi sunt in amicitiam rediisse. Populus ambos humeris sublimes extulit, & tanquam urbis dominos in palatio publico collocauit, Parcitati & Malatestæ vitam precatus. Deinde communi consilio per præconem iussi sunt externi milites urbem excedere. Parcitas, qui bonam in se fidem arbitrabatur, nec vllas verebatur insidias, præsidia, quæ ad eum venerant illico dimisit, scripsitque Urbinati ut domum rediret, nam res urbana compositæ essent. Malatesta fraude usus, auxiliarios suos in duas partes diuisit, & alteram domi abscondit, alteram publice iussit ab urbe recedere, datis clam mandatis ut ad mediam noctem redirent; quod & factum est: cum venissent ad pontem Maonis tribus millibus passuum ab urbe distantem, iam nocte obscura conuersi retro, per portam Gattuli intronissi sunt; & coniuncti cum his, qui domi apud Malatestam latebant: percursa ciuitate partis Guelfæ dominatum acclamauerunt, & Malatestam principem, Gibellinis & Parcitati mortem comminati. Quod ubi Parcitas intellexit, destitutus externo auxilio, & nullam in suis ciuibus spem habens, fugam se commisit: ex amicis eius atque cognatis multi & capti, & occisi sunt: inter quos Montagna gentilis eius in carcerem coniectus est, & ibi crudeliter necatus. Parcitas ad sanctum Marinum se contulit: quem cum vidisset Guido venientem, neque enim adhuc inde recesserat, Optime inquit venito ciuitatis perditior, alludens nomini, quia sermone Italico paululum immutatis litteris Parcitas idem significat. His artibus Arimino potitus est Malatesta, à quo Malate-

latestarum nomen exordium sumpsit. Ceterum parum id Malatesta uisum; Ioanni quoq. Germano, quem diximus Soliani uxorem duxisse, atq. ibi domicilium contraxisse bellum indixit, quoniam exules Ariminenses benigne excepisset. Dura obsidione frater à fratre conclusus est, duodecim maiores balistas Malatesta Soliano admouerat, & contra ius belli non die tantum, sed noctu quoque, ingentes in oppidū lapides & res foetidas iaciebat. Sed obiit Malatesta priusquam frater expugnaretur, relictis ex duabus vxoribus quinq. filijs, Malatestino cognomento Lusco, quoniam altero careret oculo, & Pandulpho, ex eadem matre Ioanne claudio, Paulo Pulchro, & ultimo, qui fuit Ghiaccioli comes. Malatestinū ferunt audacem fuisse virum, & ardentis ingenij: verum Gibellini nominis infestissimum hostem. Hic patri in Arimino successit, quo gubernante, Ioānes claudus Paulum germanum in adulterio cum sua coniuge reperit impatiēs iræ ac furoris ambos adulteros interfecit: Ioannes primus suā familiā parricidio deturpauit. Huic tres filij fuere, Tinus, Rambertus, & Archipresbyter. Per idem tempus comes Ghiaccioli ex Arimino abiit, & in comitatu suo moram traxit, eo proposito, ut aliquando Malatestinum occideret, qui Pauli Pulchri necem non vindicasset. Iniquum eius propositum mors Malatestini paulo post secuta præteruertit. Qui relicto filio Ferratino è vita decessit. Obijt & circa idē tempus Ioannes claudus, & eius filius Tinus, ex quo superstes fuit alter Ioannes. Principatus Ariminensis ad Pandulphum peruenit Malatestini germanum. Hunc aiunt cum statuisset equestrem ordinē profiteri, è propinquis vrbibus præcipuos nobiles ad se vocasse, & splendidum apparatus conuiuium, & ludos instituisse militares, in quibus primus ipse militiæ concilium accepit: deinde filij eius Malatesta & Galeottus; tum Ferrantinus ex fratre nepos eius, & Malatestinus abnepos, & Rambertus Ioannis claudi filius cum Ioanne nepote ex Tino genito, & alij complures, tum ciues, tum extranei. Post hæc cum accepisset Pandulphus Ghiaccioli comitē ad Ariminensem principatum aspirare, & res nouas in vrbe moliri ad Ciolam se contulit; germanumq. ut ad se veniret cœnatus euocauit: quem uenientem, & in mensa sedentem, tres spurij è latibus armati prodeuntes, ut Pandulphus constituerat, interfecerunt. Atque ita ex quinque filijs prioris Malateste duo fraternis insidijs periire: Pandulphus cæso fratre paulo post decessit.

A decessit. Ariminenses Ferrantinum sibi dominum elegere Malatestini filium: huic Rambertus solemne conuiuium apparauit, fueruntq. cum eo in prandio Malatestinus Pandulphi filius, & Ferrantinus cognomento Nouellus, & Galeottus: quibus discubentibus, Rambertus tanquā sanguis è naribus deflueret, è mensa surrexit; & ingressus cubiculum sumpsit arma: reuersusq. cū expeditis circiter centum armatis, hospites comprehendit, nec moratus in forum descendens imperium ciuitatis arripuit, ac tribus diebus dominatus est. Quod cum audisset Malatesta Galeotti germanus, cum valida militum manu ex Pisauo, ubi residebat, Ariminum venit, suppetias Ferrantino laturus. Non expectauit impetū eius Rambertus, sed porta egressus sancti Petri, ad oppidū sancti Archangeli cum captiuus se contulit. Oppidani excitato repente tumultu captiuos è manu Ramberti eripuerunt; liberosque remisertunt Ariminum: & iterum Ferrantinus principatum vrbis accepit. Rambertus Ciolam se contulit, cui & Castilionum parebat. Ferrantinus in eum duxit exercitum, & obsidionem firmavit. Interea legatus Apostolicus Bononiam venit Beltramus episcopus Ostiensis, cuius fauore adiutus Rambertus, obsidione liberatus est, & pax facta metu legati aliquandiu durauit. Scribebant alter alteri, & dona inter se missitabant, nec Lambertus aliud quærebat, quàm Ferrantino reconciliari. Ibat Ferrantinus sæpe venatum, Rambertus ei se comitem obtulit, nec recusatus est: apud Pogianum venationi locus dictus, ibiq. cum venisset Rambertus, ac veniam peteret erratorum, repente à Ferrantino obruncatus est. Tertium hoc parricidium in domo Malatestarum numeratum, in quo patruelis manu, patruelis cecidit. Legatus Bononiensis id scelus detestatus in poenā criminis Ariminum à Ferrantino repetijt, qui destitutus à gentilibus suis, qui Ecclesiæ imperium verebantur, vrbe excessit, & Ronchum frigidum se recepit: Malatestinus ad sanctum Ioannem in Galilæa se contulit. Legatus Ariminum pro sancta Romana Ecclesia recuperauit, uenientemq. ad se parricidam, & ueniam petentem, iussit ut cuncta dimitteret Ariminensis agri oppida: ille pariturum se dixit, & sequenti die per Ferrariam & Venetias migravit in Forum Iulij, & apud Branchinum nepotem in portu Bufalecto sex mensibus delituit. Legatus ad Mondainū castra posuit, Malatesta & Galeotto coniungentibus arma, Malatestinus in Perusinis, Firmanis, Fabrianensibus, Aretinis, &

Vrbinatibus adiutus oppidum tuebatur: ob quam rem legatus A reuocato Ferrantino ea lege pacem dedit, vt restituto Mundaino, oppida reliqua retineret. Non multo post legatus obsidere Ferrariam statuit, Malatesta & Galeotto cum copijs in auxiliũ vocatis: ibiq. cõflictus est Ecclesiasticus exercitus, & multi mortales periere cum Scaligeri Veronenses Ferrariensibus suppetias tulissent. Galeottus & Malatesta capti fuerunt. Ea re cognita Ferrantinus & Malatestinus Ecclesię cladem suam arbitrati felicitatem esse, amicos in arma vocant: dimittitur è vestigio Galeottus, quem Ferrantinus apud Scorticatam conuenit, eiq. reconciliatus est, & iunētis armis Aretinorũ auxilio, qui B quadringentos equites misere vsque ad Arimini portas populati sunt agros: Deinde ad Mondainum conuersi, per deditiõnem potiti sunt oppido: post hæc & Malatesta è carcere dimissus Pisaurum redijt. Legatus ex Bononia equites sexcentos, pedites mille Ariminum misit, qui Ferrantini furorem reprimerent, & Malatestæ vterentur consilio, nec præualuit: hostis enim é sancto Archangelo mouens Marechia transmissõ fluuio cum peditibus mille quingentis, equitibus centum sexaginta, & multis exulibus ad portam sancti Andreæ procurrit. Ciues in vrbe tumultuari coeperunt, & vicos præcludere. Buscula ciuis in vr- C be potens, cognomento Faitanus, cuius ædes muro ciuitatis hærebant, quadringentos pedites Galeotti, & vexillum eius intra urbem recepit, partemq. ciuitatis inuasit, quam sancti Andreæ tribum appellant: sed accurrentibus sex Ecclesiasticorum turmis in domum suam profugit, & Galeotti milites è tribu misit. Ecclesiastici tanquam ea in parte ciuitatem tutati fuissent, in forum reuersi sunt. Buscula iterum reuocatis Galeotti cohortibus, ad portam sancti Andreæ festinās repagula, & ingentia saxa dirupit, & Ferrantinum cum omnibus copijs intromisit: qui congressus in foro cum Ecclesiasticis, eos in fugam vertit, D & tandem in Agolontorum tribu conflixit, cum populus vndique in illos desæuaret: & mulieres è fenestris tectisq. saxa iacerent. Sic rursus Ariminenses Malatestarum subiere iugum. Ecclesiastici omnes capti, & armis exuti sunt. Haud tamen diutina ea felicitas Ferrantino fuit, qui cum statuisset Malatestam & Galeottum tanquam regni æmulos perdere, ab ipsis cum Malatestino & Guidone nepote captus est, & in carcerẽ apud Gradaram coniectus. Malatesta & Galeottus Ariminensem principatum

A patum obtinuere. Ferrantinus è carcere dimissus Vrbinum se contulit. Ferrantinus Nouellus per idem tempus Bononiæ agebat, qui audita nouitate Mondainum, & sanctum Laudentium occupauit. Guido & Malatestinus in carcere necati sunt: quod in domo Malatestarum quartum parricidium memorant. Ferrantinus Vrbinatum auxilio, & oppidanorum deditiõne Montemscutoli recuperauit. Malatesta mox eo duxit exercitum, & obsidionem firmavit: Perusini quadringentos equites Ferrantinorum equites, qui auxilio Venetorum aduersus Carrariũ B mittebantur, mercede conduxit, præclusitq. hostibus iter, & oppidanos ad deditiõnem compulit. Perusini spe frustrati domum reuertere, & Florentini à Malatesta dimissi sunt: nec tamen iccirco quieuit, sed Mondainum profectus oppidum circumfedit, & turres duodecim ligneas erexit impositis præsidijs, quæ dies ac noctes obsessos vrgerent. Vbertinus Carraria eo accepto, cum esset Ferrantini affinis, Perusiæ quingentos conduxit equites, ac Ferrantino aduersus Malatestam ducendos cõmisit. Territus ea re Malatesta, soluta Mondaini obsidione, & omnibus munitiõnibus exutis, copias reduxit Ariminum. Hostis nouo præsidio C fretus in agrum Ariminensem duxit, ac Verruchiũ per deditiõnem accepit. Deinde cum caritate premeretur annonæ, Perusinos remisit, & paulo post à Malatesta obsessus, oppidum restituit, atq. Vrbinum redijt. Malatesta cuncta eius oppida expugnauit, ita iam nulla esset Ferrantino imperij spes recuperandi. Eum ferunt apud lacum Transimenum sagitta confossum interiisse. Rara est enim parricidæ non cruenta mors. Fani circa idem tempus tyrannus fuit Guido Carignanensis: hunc ægro- tantem Malatesta consolaturus accessit; & illo mortuo principatum vrbis arripuit, quem postea Galeotto fratri concessit. Rebel- D lates Fanenses armis compefcuit, & filium Pandulphũ ad equestrem militiam prouexit: deinde procurantibus Urbini dominis Nolfo & Galeotto, Malatesta & Galeottus Ferrantino Nouello, & nepotibus pacem reddidere, quæ paucis mensibus durauit. Maio enim mense concordia facta est, & Februario Mondainum inuasit, & obtinuit, Ferrantino absente oppidanis se deditibus. In sancto Laudentio duo erant tyranni fratres Cecholinus, & Menghinus, quos Malatesta curauit occidi, & inter filios interfectorum & occisores pacem composuit. Occisor

Laurentius quidam fuit, quem postea interceptū Malatesta vt infamiam suam purgaret, securi percussit, proditionisq. nomen prodicione deleuit. Ferratinus Nouellus Vrbinatē secutus principem, qui aduersus Perusinos Bectonā infestantes exercitū duxerat; apud ipsam Bectonā sagitta extinctus est, tribus filiabus relictis: & eodem fere tempore mortē apud Ariminū obiit auus eius Ferratinus, annos quinque & nonaginta natus: creuitq. potentia Malatestæ adeo, vt omnem Picenum agrum sibi subiecerit, Firmanis & paucis alijs exceptis. Eo regnante Morialis quidam ordinis templariorum eques exercitum quattuor milliū pugnatorum ex Roma in Picenum duxit, vastauitq. plures agros. Malatesta vt eum auerteret, aureorū sexaginta millia pro pace pollicitus est, numerauitque illico triginta millia; pro reliqua summa filium obsidem dedit Malatestam Hungarum, hoc nomine appellatum, quoniam Ludouicus rex Hungariæ cum Arimino transfret in Apuliam ad vindicandam fratris necem profectus, dignitatem equestrē illi contulerat. Morialis paulo post exercitu dimisso cum trecentis equitibus Romā petijt: ibiq. iussu Tribuni tunc Urbē regentis captus, & securi percussus est: Landus Theutonicus reliquas copias in Lombardiam duxit. Cum Carolus quartus Romæ coronatus esset, ex duobus cardinalibus, qui eū coronauere, alter legatus Pontificis maximi Egidius nomine natione Hispanus ad recuperandas Ecclesiæ prouincias, quas tyranni peruaserant relictus præfectum Vici ante omnes correxit, omnibus, quæ possidebat exutum: deinde patrimonium beati Petri in Tuscia recuperauit: mox ducatum Spoletanum, & Marchiam ingressus Anconitanam, apud Eugubinos resedit: Gentilis Molianensis Firmum obtinebat: Malatesta cuncta ei extra muros ademerat: misit legatus exercitum aduersus Gentilem, qui reseruata sibi arce, ciuitatem Ecclesiæ tradidit. Franciscus Forliuias Gentilis focer Malatestam D genero reconciliauit, ostendens non esse e re Malatestarum Ecclesiæ potentiam in Piceno augeri, tolerabiliorem Gentilem, quàm legatum. Hinc factum est, vt cuncta Firmani agri oppida Gentili restituerentur; & ipse, qui arcem teneret, urbem Firmanam Ecclesiæ abstulit. Legatus exercitum instaurauit, & intra dies paucos omnem Firmanum agrum prioribus bellis defatigatum, & ipsam deinde urbem in potestatem accepit, obseditque Gentilem in arce, qui pactus salutem suam,

tria

tria aureorum millia, & castella tria à legato accepit, & reddidit arcem. Legatus paulo post castella, quæ proditori dederat, eripuit, coegitque mendicum peregrinari. Racanates per eodem dies, & oppida quædam Anthonitani agri ad Ecclesiam defecere: inter quæ Paternum fuit, ad quod recuperandum profectus ex Ancona, Galeottus cum quadringentis equitibus ab exercitu Ecclesiastico profligatus & captus est. Hoc Malatestarum infortunium & alterum secutum. Misit enim legatus nouas copias versus Ariminum ductoribus Ghiaccioli, & Vadolæ comitibus: ad quorum aduentum cuncta Ariminensis agri oppida à Malatestis defecere, excepto sancto Ioanne in Galileæ. Quibus rebus fractus animo Malatesta legatum adiit: eiq. Anconam, & Senogalliam cum omni agro restituit, fratris liberationem pactus. Legatus ei Ariminum, Pisaurum, Fanum & forum Semprorij, quod vocant Fossubronum in vicariatum ad decem annos concessit, & hic tandem legitimus Malatestarum titulus coepit, cum antea sola tyrannide imperarent. Cumque legatus aduersus Cæsenates, Foroliuenses, & Fauentinos anathema decreuisset, & crucem prædicari iussisset, Malatesta cum sexcentis viris præstantibus cruce signatus est, & Galeottus vexillifer creatus: & hi in castris Ecclesiæ fidelem operam nauauere, eorumque potissime auxilio Cæsena capta est, & Fauentia Ecclesiæ restituta, & Bretonorum in potestatem acceptum, & ager Foroliuensis vastatus. Legatus his gestis Auinionem se contulit ad Pontificem maximum, cui & Malatesta sese comitem addidit, vt Ariminensem agrum totum recuperaret, cuius maximam partem Ecclesia possidebat. Id ægre fuit oppidanis sancti Archangeli, qui sub Ecclesia remanere cupientes, Legatos ad Pontificem misere oratum ne Malatestis redderetur. Sed frustra conati sunt: Vicere obsequia Malatestarū legato præstira, & Malatesta voti compos in patriam redijt, & à legato castella cuncta recepit Ariminensis agri: legatus vero Immolam & arcem obtinuit, & iterum aduersus Foroliuenses duxit: eosq. adeo coercuit maceratos fame, vt facturi deditioem haud dubie fuerint, nisi ex Longobardis equitū tria millia suppetias attulissent: & obsessis frumēta importassent. Equites quoq. Senensibus & Perusinis militantes duomillia quadringenti per Umbriam in Picenum transuere, in Ariminensem profecti cum Longobardis coniuncti sunt, ac late populati agros Sulianum

ui ceperunt, centum quadraginta quattuor oppidanis occi-
 sis: in Podio burgi mortales omnes interfecere, & sanctum Mar-
 tinum in Conuerseto diripuerunt. Legatus vt exirent prouinciã,
 nec redirent in annos quinque, triginta millia auri nummũ eis
 elargitus est, & Foroliuiensibus duorum mensium concessit in-
 ducias. Quibus exactis, cum Franciscus eius loci tyrannus om-
 ni spe destitutus esset, deditioem fecit: deinde apud Venetias
 in summa inopia decessit. Legatus Foroliuiensi potitus ma-
 gnã apud omnes Italos auctoritatem est assecutus. Malatesta
 cum sextum & sexagesimum compleisset annum Galeotto fra-
 tri adhuc viuens principatum reliquit, filios suos priuatis posse-
 sionibus iussit esse contentos: subditorum discordias compo-
 suit: carceres aperuit, & captiuos dimisit: supellectilem domus
 inter egenos distribuit, & more Christiano Ecclesiasticis sacra-
 mentis communitus animam Creatori reddidit, cum tyranni-
 dem ad legitimum vertisset principatũ, & melius finisset quã
 inchoasset. Galeottus vxorem duxit Gentilem ex familia Ca-
 mertina, quã filium ei seniori quã gignere posse crederetur, pe-
 perit nomine Carolum; quem regina Neapolitana misso procu-
 ratore de sacro fonte leuauit: & alterum nomine Pandulphum,
 & tertium Andreã Malatestam, & quartum Galeottum No-
 uellum. Berardus Gentilis pater, vt primum peperisse filiam co-
 gnouit; Sapiens, inquit, Gentilina mea est (ita enim appella-
 bat) quã seni tam arido parauit heredem. Gubernante Galeotto
 Pontifex maximus Vrbanus ex Auinione cum septem cardina-
 libus mari vectus Cornetum petijt, & Vituruij aliquandiu curiã
 tenuit, ibiq. tandem cardinalis Egidius altum illum & nobilem
 spiritum Domino reddidit, & in monasterio Minorũ apud Asi-
 sium sepultus est: quamuis (vt ante diximus) in monasterio san-
 cti Martini in monte Cymino nonnulli conditum referant: for-
 tasse ibi primo seruatum est cadauer, deinde in Asisium transla-
 tum. Hic Malatestis primo inimicissimus fuit, deinde reconci-
 liatus, cum eorum opera aduersus hostes fideli vsus fuisset, effe-
 ctus est amicissimus, & principatum eorum corroborauit. Ma-
 latesta cognomeno Hungarus gubernante Galeotto patruo,
 vitam finiuit, vnica tantum relicta filia, quã cum nupsisset in
 familia Estensi, mortuo viro vidua diues domum redijt. Obijt &
 Pandulphus Galeotti filius apud Pisaurum, cui preerat, relicto
 filio vno masculino. Per idem tempus suãsu Florentinorum, qui à
 Ro-

A Romano Pontifice fuerant excommunicati, Ecclesiã ciuitates
 quattuor (vt aiunt) & sexaginta, oppida vero nominata quin-
 genta septuaginta septem rebellauerunt: & alia quidem liberta-
 tem sibi asseruerunt, alia priores asciuerunt tyrannos; & quãdam
 nouos sibi constituerunt: sola Malatestarum domus in fide per-
 mansit, Galeotto partes Ecclesiã iuuante. Nec tamen diu constã-
 tia mansit, qui rebus Ecclesiã protritis, Cæsenam & Bretono-
 rum, ne in alienas manus peruenirent, suã ditioni subiecit. De-
 cessit autem Galeottus anno salutis sexto & octuagesimo supra
 millesimum trecentessimum, cuius funus magnificum duxere fi-
 lij tres superstites, Carolus, Pandulphus, & Malatesta: Galeot-
 tus Nouellus in vita patris obierat: maior natus Carolus septimũ
 & decimum agens annum in Arimino successit. Pandulphus
 duobus annis minor Fanum, & oppida Piceni sortitus est: Mala-
 testa Cæsenam. Carolum ferunt virum elegantis staturæ fuisse,
 & alti cordis; turpitudinis inimicum, & religionis amantem: ve-
 rum nobilitatis fastu superbissimum, & qui sibi nullum æquari
 posse arbitraretur, siue ciuilia pacisq. munia, seu bellica tractan-
 ti negotia. Fuit enim rei militaris non ignarus, à pueritia versa-
 tus in castris, infortunatus tamen. Cum Florentini, Carrarienses,
 Scaligeri, & alij complures tyranni, ac populi ex Gallia Cisal-
 pina aduersus Ioannem Galeatium Mediolanensium principẽ
 scedus inissent, ingentesq. copias comparassent, ducatum Caro-
 lo commiserunt. Mantuanus cum ex confœderatis esset, oppidũ
 habuit in Padi ripa, nomine Fortiburgium: ibiq. fluuio veteres
 ligneum pontem iniecerant. Hunc sibi Galeatius damno futurũ
 existimans, ex quo posset hostis in Parmensem agrum excurrere,
 statuit incendere. Carolus tueri adnitebatur, impositis mille-
 viris, qui machinis atque omni missilium genere afferentes incẽ-
 dium prohiberent, & vasa multa ad flammam restinguendam
 impleuit aqua: & procul à ponte quantum sagittæ iactus pate-
 ret, flumen catena coniunxit, quẽ rates hostium retineret. Galea-
 tius loco sublimiori rates plurimas stipula, pice, ac sulphure
 compleuit, & expectato vento, qui versus pontem flaret, ignem
 admouit, easq. dimisit. Quibus ad catenam retentis, flamma ta-
 men retineri non potuit, sed vento impulsã valido pontem arri-
 puit, ac subito ambussit incendio, & supra viros quingentos pe-
 remit cum Carolus descensum fugientibus prohibuisset. Apud
 Gubernium paulo post cum Galeatij exercitus epidimia labora-

ret, Carolus in eum irruens victoria potitus est, quæ inter gesta A eius memorabilia vnica tantum reperitur. Militauit & Venetis aduersus Hungaros Forum Iulij, duce Pippone Bano excurren- tes, summa belli penes eum fuit: commissio prælio, mox in fu- gâ actus est, fuissetq. procul dubio captus, nisi Rogerius Canis hostilem impetum retinuisset. Fluius fugientibus occurrit pon- te coniunctus, qui multitudine ac pondere fugientiũ fractus, re- uerti milites in pugnam coegit. Quibus Rogerius confirmatus, & fortior effectus cum palantes & ad castra diripienda sine ordi- ne procurrentes hostes animaduertisset, in eos dilapsus, & ca- stra recuperauit, & ignominiam deterfit nomini Veneto, quam B Carolus fugiendo attulerat, nec sine damno dimisit Hungaros. Cũ defecisset in Italia magna ex parte Ecclesiæ potestas, & Ga- leatij Mediolanensis res florentissimę viderentur, Carolus & Pandulphus Malatestarũ principes in eius clientelam concessere, eiq. militarunt, vt eo mortuo apud filium Ioannem Mariam in consilio primi fuerunt. Cum Brachius Montonius Perusinos infestaret ac nobiles vrbis aduersus Rasantes in patriam redu- cere conaretur, vexaretq. circumiectos agros, Carolus ei op- positus est, qui apud Tyberim conflictus captusq. cum venisset in potestatem Brachij, nunquam hosti aut assurrexit venienti, C aut ceruice inflexit salutanti: vt qui victore maiorem se gereret, & in captiuo corpore liberum gestaret animum: redemptus est magno auri pondere. Rasantes sub eius ductu é patria pulsi, in hanc vsq. diem exulant. Fuit & Florentinorum aduersus Philip- pum Mariam Mediolanensium principem dux constitutus. Ca- stra apud Zagonaram in Romandiola collocauerat Carolus, eratq. illi ieiunij dies, & in tentorio post meridiem cœnabat. An- gelus Pergulanus ductor hostium, qui olim tyro sub Carolo fuisset, magno impetu in Florentinorum castra prolabitur: fit tu- multus: concurritur ad ducem: conclamant omnes hostem ad se, D se, arma sumenda, occurrendum properandumq. fore. Carolus intrepidus tranquilla mente cibum fumens, nihil aliud dixit nisi: Sinite veniat tyrunculus, poenas audaciæ dabit. Interea ho- stis munitiones transgressus omnes in castra perrupit: Florenti- norumq. copijs profligatis ducem ipsum adhuc in cœna seden- tem comprehendit. ea viri superbia fuit, vt se inuadere nullum crederet ausurum. Philippus captiuũ honorauit, ac paulo post liberum dimisit: nec longa eius deinde vita fuit. Cum Mantuæ degeret,

A degeret, Ioannis Francisci tutelã gerens, magni Maronis statuã, quam suo ciui Mantuani quondam erexerant sub obtentu reli- gionis euertit. Cum cardinales in concilio Pisano Gregorium duodecimum, & Benedictum tertium decimum, qui se Roma- nos Pontifices asserabant, indignos tanto culmine iudicassent, & Alexandrum illis suffecissent, Carolus in obedientia Grego- rij perseuerauit, & demum ad concilium Constantiense procu- rator eius missus, vnioni Ecclesiæ consensit, & pro eo Papatui cessit. Hæc de Carolo digna memoratu reperimus: in quo præ- ter superbiam non facile inuenias, quod de moribus damna- re queas. Pandulphi longe dissimilem vitam memorant, cui nec honestatis, nec religionis cura fuerit. Post mortem Galea- tij Brixiam, Bergamumque, Ioannis nomine gubernans ru- pra fide dominum egit. Hinc nobilissima soboles nata, Sigis- mundus, Pandulphus, ac Dominicus Malatesta, qui Malate- starum hodie principes habentur. Verum Sigismundus, & Dominicus ditiolem sortiti patrem, Pandulpho tanquam fi- lij succedere, quorum frater natu maior Galeottus, Robertus Ariminum in hereditatis partem suscepit, Sigismundus Fa- num, Dominicus Cæsenam. Galeottus mitis ingenij fuit, re- ligioni deditus, gloriæ atque imperij contemptor, iusti tenax. C Hunc Sigismundus per insidias regno deicere conatus est, sua- dens Ariminensibus inutilem ciuitati præesse, qui dies ac noctes in templis ageret, & diuina contemplatione contentus socia- tem humanam negligeret. Se si vocetur in communi victurum, nec passurum cuius homini iniurias illatum iri. His artibus ex- citatus populus arma corripuit, totaq. vrbe tumultuans in forũ prorupit, ciuitatemq. haud recte gubernari acclamauit. Galeot- tus, qui tum in palatij sacello cum Deo loquebatur, percepto cla- more plebis, crucem auream ex ara corripit; & occurrens arma- tis in foro ciuibus: Intelligo, inquit, fratres commotionis vestræ causam; non placet meum regimen, inuiti me fertis dominum: non est armis opus, cedo libens principatui: Ite, & quem vultis accipite principem, nulla erit in me mora, priuatus mihi & Deo viuam melius: vobis expedit diligenter animaduertere quem mi- hi successorem detis. Verterunt ciues alter in alterum oculos, & erroris puduit plebem. Sedatus est illico tumultus, & armis abie- ctis, rogauerunt primores populi Galeottum, ne se desereret; ne- ue multitudinis dementiam vlcisceretur, rediret ad suum soliuũ, & pro

& pro sua consuetudine ciuitati consuleret. Paruit Galeottus, A
 triennioq. deinde cum summa ciuium gratia regnauit; & tandē
 morbo correptus interiit, non sine Sigismundi infamia, quem ve-
 neno fratrem abstulisse crediderunt, cum armis deicere non po-
 tuisset. Ipsi deinde Ariminum patuit. Galeottum quasi sanctū
 sui ciues coluere, & ad sepulchrum eius vota fecerunt. Sigismun-
 dus nunquam eius aliter meminit, quā fatui cuiusdam homi-
 nis. De Sigismundi moribus sæpe fecimus mentionem, non est
 hoc loco eius vita referenda, quam omnes norunt. Dominicum
 fratrem eius paulominus odiosum necessitas fecit, quem dolori-
 bus arteticis laborantem, non licuit suæ nequitiae desideria ex-
 plere: fuit tamen sacrae religionis contemptor; & hunc Sigismun-
 dus sæpe ferro conatus est auferre. Diximus supra Malatestam
 primi Galeotti fratrem liberis priuatas possessiones reliquisse, ger-
 mano imperium cum adhuc uiueret resignasse. Inuenimus ta-
 men postea eiusdem Malatestæ filium paternum nomen referen-
 tem Pisaurum, & alias plures Ecclesiæ vrbes per arma quæsiuis-
 se: tandemq. iubente Carolo patruue, ac terroribus & minis vr-
 gente, cuncta restituisse, Pisauo retento, quod in Vicariatū ac-
 ceperit. Huic Malatestæ tres fuisse filios, Carolum, Galeatium,
 & tertium, cuius nomen non accepimus, archiepiscopum Patra-
 censē gibbo, & strumma deformem, & filias Salomem, quænu-
 pta Imperatori Constantinopolitano, per varios fortunæ casus
 iactata est; & Paulam præstantissimam feminam, quam duxe-
 rit uxorem Ioānes Franciscus Mantuanorū dominus, ex qua na-
 tus est Ludouicus marchio. Principatus Pisauri Carolo obuēnit,
 qui ex domo Columnensi vxorē duxit Victoriā Martini quinti
 Pontificis maximi neptē, quæ nec filios ei peperit. Hunc Philip-
 pus Maria Mediolanensium princeps in bello contra Venetos sui
 exercitus ducem creauit, non tam rei militaris peritiæ gratia,
 quā propter familiæ dignitatem, cum reliqui duces inter se pa-
 res, alter alterius subire iugum recusarent. Prælium apud Macha-
 loum Brixienfis agri duce minime suadente, commissum est, &
 Carminiola victor omnes Mediolanensium copias profligauit;
 parumq. absuit quin Carolus caperetur, qui postea non diu su-
 peruixit. Pisaurum Galeatio per mortem eius cessit, qui iam se-
 nex uxorem duxit Florentinam ex familia Medicorum. Hunc
 Sigismundus multis artibus atq. insidijs principatu deicere ad-
 nixus est. Propter quas molestias, veritus ne tandem proditori
 suc-

A succumberet, Pisaurū Alexandro Sfortiæ vendidit triginta mil-
 libus aureis: emitq. prædia & armenta in agro Florentino, ibiq.
 aliquandiu otiosam egit vitam. Postremo nepoti reconciliatus
 in Romandiolam rediit, & oppidula quædā ab eo recepit: quod
 duabus de causis à Sigismundo factum aiunt; altera vt heredi-
 tatem eius expilaret, ac pretium Pisauri ad se traheret: altera vt
 per amicos eius Pisauri manentes Alexandrum aliquando ex
 nouo dominatu deturbare posset: quod vsque in hunc diem non
 successit.

Sed iam ad res nostri temporis redeamus, & quomodo apud
 B Senogalliam profligatus fuerit Sigismundus quā breuissime
 licet referamus. Exercitum ab initio Veris ad mensem vsque Iu-
 lium nō sine sumptu ac labore ex Longobardis, Ferrariensibus,
 & Romandiolis non contemnendum coegerat. Siluester Placen-
 tinus Picinini vetus comes, & Franciscus Mirandola, & alter ex
 tyrannis Foroliuiensibus, & multi illarum partium nobiles ad
 eum confluxerant. Duas & triginta equitum turmas in eius ca-
 stris fuisse prodiderunt, peditum quoque numerum, qui tanto e-
 quitatu satis esset: vulgauitq. famam tanquam in regnū profi-
 cisceretur, Picinino & Andegauenfi, cui se militare dicebat, sup-
 C petias laturus; & iam Picenum ingressus, ad montem vsque Vi-
 mi peruenerat, agros Ecclesiæ longe lateq. populatus. Erat in-
 gens trepidatio, non in Piceno solum, sed in regno quoque, cuius
 aduentu Aprutinas omnis regiones à Ferdinando defecturas cō-
 iectabantur, quas milite vacuas esse constabat. Ferdinandus cū
 robore exercitus aduersus Picininum & alios hostes in Apuliā
 traiecerat, partem copiarum in Calabros miserat, partem in
 Terralaboris reliquerat. Mattheus Capuanus, & Federicus Vr-
 binas vtrumque Aprutium soli seruabant, ille transapenninum,
 hic citra: sed vterque impar videbatur, qui Sigismundi cursum
 D retinere posset. In Piceno duæ & viginti equitum turmæ Eccle-
 siæ militabant, quibus præerat Vrsinus Neapoleo. Pontifex huic
 mandat Sigismundo quoad possit iter præcludat: Federico quo-
 que, vt propere relicto Aprutio in Picenum se conferat, ac Nea-
 poleoni adiungatur, qui magnis itineribus cum quattuordecim
 cohortibus, intra paucos dies ad Neapoleonē peruenit. Interea
 præfectus arcis Senogalliæ, ac duces præsidij, quod in oppido
 erant mercedem pacti, locum Sigismundo tradere promittunt,
 si eo cum exercitu pergat: id prodicionis velamen habituri, quod
 aduer-

Sigismundi
 clades apud
 Senogalliam
 accepta.

aduersus tantas copias parum munitam urbem tueri nequie-
 rint. Retrocedit ex conuentione Sigismundus, ac celeri cursu Se-
 nogalliam petit, pergitq. muros oppugnare, insequitur eius ve-
 stigia Neapoleo, atque in loco vnde posset ab obsessis videri, vici-
 na hostibus castra ponit. Mittuntur nuntij, qui clausis aduentū
 indicent auxiliij, atque animos augeant. Sigismundus interim
 properare, vrgeri, fossas implere, muros perfodere. Obsessi par-
 tim metu percussi, partim proditione infecti, breuissimas indu-
 cias petunt, tradituri oppidum, nisi medio tempore hostis ab ob-
 sidione deijciatur: Annuit suo more Sigismundus, & nihilomi-
 nus murum perfringit. Erat in oppido quidam nomine Dora, B
 cuius ante meminimus, centurio peditum: non tam miles au-
 dax, quàm notarius olim peritus, qui vbi perfractam muri par-
 tem animaduertit: Quid agimus, inquit, commilitones, quin vr-
 bem tradimus prius quàm capimur? nec murū defendere possu-
 mus, nec spes auxiliij adest: victori cedite: hoc ex vsu mihi vide-
 tur. Excepta est vox percupide à ceteris, quos vel pecunia corru-
 perat, vel metus mentē deiecerat. Traditur ciuitas prius quàm
 tempus induciarum labatur, & paulo post arcis præfectus dedi-
 tionem facit. Sigismundus ciuitatem ingreditur, & tanquam vi-
 ctor gloriabundus vexilla suæ domus in turribus erigit: loca per-
 fracta reficit, & munitiones munitionibus addit. Sed postquam
 auctas Ecclesiæ copias Federici aduentu cognouit, veritus ne in-
 tra moenia clauderetur, noctu abire cum toto exercitu statuit,
 relicto præsidio, quod ad tuendā urbem sufficere videretur. Ad-
 monentur ductores ordinum post medium noctis præsto cum ar-
 mis adsint, farcinulas colligant, suosq. duces sequantur. Sensit
 hunc motum Bononiensis quidam inter pedites gregarius mi-
 les, qui tanquam explorator inter hostes latebat, nec moratus
 Federico, & Neapoleoni rem detegit, qui mox armari cohortes
 iubent, primumq. Antonellum Foroliuiensem in adeundis peri-
 culis virum fortissimum ire, deinde Corradum Aluianensem nō
 minoris audaciæ: exin ductores reliquos; ipsi deinde sequuntur.
 Fluius erat Cessani ponte transmittendus, qui diu ecclesiasticas
 copias remoratus est, & hosti spacium haud paruum ad præce-
 dendum concessit: apprehendit tamen Antonellus prius quàm
 illucesceret celeri cursu profectus à latere occurrens hosti, pri-
 mas fugientium acies, ac excitato clamore, nunc istos nunc il-
 los ab equis deijcit. Sigismundus illic aderat, qui vbi aduentaf-
 se ho-

A se hostem didicit; non frontem fronti opposuit, sed iussis aliquot
 suorum sistere, atque Antonelli remorari impetum, quam ma-
 ximo potuit cursu fugam arripuit: ac ne pondere nimio preme-
 ret equum, arma proiecit. Interea Neapoleo, & Federicus cum
 reliquis cohortibus hostes aggrediuntur: in quis duce fugato, par-
 ua resistentia est inuenta, omnis in fuga spes illorum fuit; Impe-
 ratoris exemplū cuncti sequuntur: vrgeri calcaribus equos Si-
 gismundi milites, Ecclesiastici terga feriunt fugientium: ca-
 piuntur modo isti, modo illi; nulla insignis pugna committitur,
 nisi vbi Antonellus aduersus eos manus cōserit, qui vt Sigismū-
 do tutiorem fugam præberent, paululum constiterant. His supe-
 ratis, nullum deinceps in reliquis negotium fuit: nec Siluestro
 plus animi quàm Sigismundo, quem calcaria ē manu Ecclesia-
 sticorum eripuerit, & proximū montis Offi oppidum, in quod
 confugit. Ioannes Franciscus Mirandula captus est, & multi
 cum eo ductores ordinum, & equites galeati ducenti in manus
 Neapoleonis, & Federici peruenere. Impedimentorum quoque
 pars intercepta est: quod si Ecclesiastici citius occurrissent, faci-
 le fuerat & Siluestrum, & Sigismundum capere, omnemq. pror-
 sus exercitum prosternere: verum ingens ea victoria fuit, in qua
 C media pars hostium capta est, altera fugata: quod maxime vir-
 tuti & celeritati Antonelli attributū est, quamuis & ducū pro-
 uidentia multum profuit. Bononiensem, quem diximus explo-
 rasse Sigismundi recessum, Pius Pontifex quinquaginta pediti-
 bus præfecit, & pecunia donauit. Sigismundus hoc accepto vul-
 nere, dimissis qui se absente res curarent, fratre ac filijs, cum Sil-
 uestro mare ingressus in Apuliam nauigauit, inde vt afflictis re-
 bus auxilia quæreret. Ioannes Franciscus sub fide dimissus est,
 quod amplius aduersus Ecclesiam non militaret, nec postea fidē
 tenuit. Pio apud Pientiam agenti idem nuntius & Senogalliam
 D perditam, & hostes profligatos attulit, & litteras ducum, quæ
 pro Senogallia perdita similia multa oppida breui acquirenda
 promitterent, alioquin incertum erat lætum an triste nuntium
 esset. Profligatus est hostis pridie idus Augusti: præcessitq. victo-
 ria Picensis Troianam sex diebus. Sigismundus ad Picinum
 profectus res profligatas inuenit, vt supra meminimus. Tubi-
 cen eius rei nuntius Pontificem certiozem reddidit, & adhuc eo
 loquente alter Tubicen adfuit, qui regis epistolis rem apertam
 fecit.

Comitum Mi-
rabelli castel-
li. Reforzati,
& oppidi In-
fulæ, aliorum-
que locorum
deditio, Mun-
dauiq. expu-
gnatio.

In Piceno conflictis hostibus duces Ecclesiastici aduersus co-
mites Mirabelli Aloysium & Robertum exercitum duxere, qui
Sigismundo militauerant, & partem cladis in prælio acceperat:
ij mox se reddidere, ad vetus Ecclesiæ imperium redeuntes. Ca-
stellum Reforzati, cum eo tenderet exercitus, prius se reddidit,
quam duces ex equis descenderent. Oppidum Insulæ, quam vo-
cant Gueldrescam, natura munitum, & præsidio militum defen-
sum, oppugnationem expectauit, & bombardarum aliquot ictus,
quibus cum muri perfringi cœpissent, & oppidanorum & mili-
tum deditio facta est; & præsidium Ecclesiasticum impositum.
Idem cum experiri Sorbilongi oppidanis placuisset, fors durior
obuenit. Concussere bombardæ murum, nec dubium erat quin
prælio commisso vi caperetur oppidum. Quod postquam oppi-
dani animaduertunt, pacti suorum ac militum, qui præsidio ine-
rant, salutem corporum, exercitui reliqua permisere: Milites ad
terrorem aliorum in carcerem coniecti sunt, postea dimissi: cū
oppidanis vltra merita benigne actum. Oppidum Barchi vi-
captum, furore militum exustum est, quo furore perciti habitato-
res castelli sancti Andreae vltro se dederunt; & hostes, qui ca-
stellum Barbaræ occupauerant, reliquerunt, & Ecclesiastici mi-
lites receperunt. Nobiles quoq. Castrileonis Sigismundo prius
subiecti, obedientiam Ecclesiæ promiserunt. Restabat Munda-
uium Vicariatus caput insigne oppidum, præruptis vndiq. rupi-
bus munitum vna tantum parte bombardis obnoxium, quo in
loco arx sita est murorum crassitudine, & fossis profundioribus
defensa: intus habitatores circiter quingenti non ignaui homi-
nes, & qui propter rebellionem Ecclesiæ factam extrema passuri
videbantur priusquam caperentur: externi pedites multi, equi-
tes galeati octuaginta, armorum & victualium ingens copia. Huc
Federicus aduersus opinionem multorum exercitum duxit, qui
tempus ibi frustra terendum arbitrabantur. Admota sunt oppi-
do castra, obsidio artificiose deducta, oppugnatione cœpta, visque
omnis bombardarum in arcem directa: suffossi muri, omnis ma-
chinarum adhibita violentia. Ridere in principio obseffi stulti-
tiam obsidentium, qui periculosos, atq. inutiles subirent labores:
exire aliquando, ad pugnam irritare hostem, prædari, captiuos
aliquos in urbem adducere, conatus omnis Ecclesiasticorum elu-
dere. Certatum est summa vtrinque audacia & contentione dies
circiter duodecim: nulla non die ad muros itum: sæpe tentatus
ascen-

ascensus; sæpe scandentes præcipitati: Ad extremum, cum tur-
ris præcipua totius arcis bombardarum ictibus concussa sæpius
corruisset, ac ruina sua multos mortales oppressisset, & iam so-
la fosse profunditas irruptionem hostis impediret, instaretq. mi-
les, onera ferret, implereq. sarmentis ac terra voraginem prope-
raret; & iam signo dato, totus ad impetum concurreret exerci-
tus; miraq. videretur Ecclesiasticorum alacritas, attoniti oppi-
dani, simulq. milites extranei manus tetenderunt, deditioem
facturi, si benigne reciperentur. Duces exercitus ita demum re-
cipiendos censuere, si se suaq. libere traderent, atq. arbitrium vi-
tæ necisq. victoribus permitterent: Annuerunt obseffi, quando
spes alia nulla salutis offerebatur: facta est deditio: Mundauien-
ses iugum ecclesiæ subiere, corporibus oppidanorum nulla vis
illata; vina, frumenta que, ordea adorea que, omnia militi conce-
ssa: supellex reliqua possessoribus auro vendita: extraneo militi
equi adempti, & arma, & quo vellet ire data facultas, tantum
intra mensem aduersus Ecclesiam ne militaret. Atq. ita vaticini-
um Sigismundi completum est, cuius supra meminimus: dum
ait idcirco se Mundauium occupasse, quia compertum haberet, Ec-
clesiasticas copias illic pro discretione militum hibernaturas fore.
Franciscus Sfortia Mediolanensium princeps vbi cognouit e-
xercitum Sigismundi conflictum, missis ad Pium frequentibus le-
gatis. Sufficere inquit, quod ea victoria Ecclesiæ agris securitas
parra esset; suum consilium fore, paucis ad tuendos fines relictis
equitibus ac peditibus; reliquas omnes copias propere in regnum
mitti: Sic futurum, ut omnes Aprutij regiones ad Ferdinandum
deficiant, neq. in aliam ætatem vltiori bello sit opus. Quod si
perseuerauerit Pontifex Sigismundum persequi, eiusque regnum
cruentere, conatus omnis irritos futuros. Scire se quibus in locis
pugnandum esset, & cunctorum oppidorum situm ac naturam
callere, & ingenium hostis. Sigismundum immunita castella de-
serturum, vrbes & oppida maiora muniturum, que capi armis
nullo modo valerent: atq. ita magnum exercitum ætatem inuti-
liter consumpturum: Inter oppida vero, quæ nullo pacto vinci pos-
se dijudicauit Mundauium nominauit, & Mundauium, & Grada-
nam, & Montemflorum, & Verruchium, & alia pleraque quæ vt
post dicemus, aduersus magni viri iudicium cuncta in potesta-
tem Ecclesiæ vi atque armis peruenerunt. Pontifex respondit,
quamuis de re bellica Francisci iudicium suo anteponeret: nec de
futu-

Francisci Sfor-
tia sententia
de exercitu
Ecclesiæ in
Aprutios mit-
tendo à Pio
pentissimecō-
futata.

futuris belli euentibus certa posset ferri sententia, sibi tamen ex usu haudquaquam videri exercitum in Aprutios mittendum: atque id spatij Sigismundo dandum, quo sese recolligeret, Federicum Vrbinatem Sigismundi capitalem hostem, qui esset in cursu victoriæ, & felicitatem Ecclesiæ suâ duceret, inuitum eam gloriam, eamq. prædam, quam mente concepisset relicturum; neq. iturum sine nouis stipendijs in alienas prouincias, neq. pecunias ei ante duos menses tradi posse; prius Octobrium mensem, & autumnii pluuiiale tempus affuturum, quàm castra moueri queant. In Aprutio, quæ regio montana est, per autumnum & hiemem exercitus incommodissime manere, vbi & niues omnia contegunt, & commeatus difficile reperiuntur: quod si frustra conandum est, minori sumptu, ac periculo in agro Sigismundi bellum geretur, quàm in Aprutio.

Cardinalis Theanensis legatus in Picenum mittitur. Veneti Pontificis victoriam non impedire promittunt. Mundaini deinde & multorum oppidorum expugnatio, atque deditio, & præsertim Montisficutuli.

Cessit his rationibus Franciscus, & Pontifex Nicolaum Cardinalem Theanensem legatum de latere ad exercitum misit, & cum eo aureorum viginti millia; cum iam duces exercitus Federicus, & Neapoleo de titulis contenderent, nec alter alteri velle cedere videretur, & iam simultatibus agitareretur indignis. Legatus iam capto Mundauio venit in castra, & nouas pecunias inter milites dispertijt, quamuis præda onusti essent. Pius senatui Veneto scripsit, auctore Deo Sigismundum prælio fufum esse; statuisse se victoriam prosequi, proditoremq. subditum digna coercere poena, petijtq. ne iustum bellum impediret, neve vllum hosti Ecclesiæ præberet auxilium. Senatus rescripsit, iustum esse Pontificis desiderium, iustumq. bellum; pergeret Pontifex audacter, propositumq. teneret, nec Venetorum impedimenta timeret, qui Sigismundum Ecclesiæ subditum scirent, ac supplicio dignum: quod vtrum fecerint, sequens monstrabit historia. Capto Mundauio, & Vrcianum deditioem fecit, & sanctus Georgius, & Pladiæ, & Monsmaior, & Motirolus, & sanctus Longarius, & Serrahungarina, & Mons bellus, & Saltera, & Ripæ, & Tumba, & Bargniæ, & Ripalta, & Puciolus: cuncta enim hæc oppida Mundauiensis obsidionis exitum expectabant. In Vicariatu Mundauij seu Fani, Senogalliæve agro, Mundulsi, & sancti Constantij duo tantum oppida in hostium fide permansere, in quibus sæuiente peste non fuit consilium eo cum exercitu proficisci: placuitq. ducibus copiarum, & legato in Romandiolam trajicere, & in Ariminensi agro castra ponere, primumq. Mondainum

num oppidum obsidere: quo cum venissent, accepto quod in sancto Laudentio nullum esset præsidium, eo profecti sunt. Neque enim Mundaino multum abest; oppidani nihil morati mox visis copiarum ducibus se reddidere. Redijt exercitus Mundainum, & dum castra locantur, Melletenses ad Ecclesiam deficiunt. Postera die Cerretum, & Monsgridolfus idem facit. Tertia die Monsgrimanus, & Monsgiardinus capitur, parte exercitus eo directaverum Montemgiardinum furibundi milites direptum incendierunt. Quarta die cardinalis sancto Clemente & Tumbaagella potitus est, & Mundaino cum iam tertia die oppugnatum esset, nec sustinere amplius vim hostium posset. Id est oppidum magnæ opinionis, situ, naturæ & arte humana munitum, & quod Sigismundo charissimum fuerat tanquam Malatestarum sanguini fidelissimum, cui superioribus calamitatibus nunquam defecerit: oppidum sancti Laudentij plures emittit homines, & vnum censetur inter quattuor principaliora Sigismundi oppida, si vrbes demas. Post hæc Gemmano, Castro nouo, Colliano, Mollacciano, Montescutulo, & Serraualle potiti sunt vno fere incursum non parui momenti oppidis. Mollauianum quinque millibus passuum ab Arimino distat, ex quo ad portas vsq. vrbs omnia infesta sunt reddita. In Montescutulo arx munitissima fuit, ad quam expugnandam cum Neapoleo sese accingeret; videretq. rem difficile: vocato ad colloquium præfecto deditioem vt faceret conatus est suadere, quo recusante: Ergo, inquit, perire mauis, quàm te reddere? Propere afferte citi ferrum comites: atque exerto gladio tanquam murum proscindere vellet apparatus ostendit. Quo viso exclamans præfectus: viris rebusq. salutis arcem tradidit. Is cum dies aliquot post cardinalem accessisset salutatum, plura de se ipso locutus: Cur mea, inquit, Legate opera non vteris? & aliquam mihi arcem committis? non minus Ecclesiæ fidus ero, quàm Sigismundo fui: cui legatus: Probe inquit. At ego fide hac non egeo.

Capta sunt & alia castella minora complura: deinde Montisflorum obsidere placuit amplum & munitissimum oppidum, & diues, & quod Sigismundus in omni aduersitate futurum sibi refugium existimabat: oppidanos enim eius loci præ ceteris subditis honorabat. Magistratibus & præfecturis præponebat, seq. illis plurimum credebat, semperq. aliquem ex liberis illic morari iubebat. Mons est altus, in cuius cacumine arx munitissima iacet, quæ toti dominatur oppido, triplici munita muro operis anti-

Montisflori obsidio, & oppidanorum aduersus præfectum arcis fraudem atq. deditio.

HH qui

qui, quod bombardarum ictus spiffitudine sua contemnat. Ac **A** cesserunt & noua munimenta, oppidi quoq. turres solide, & muri crassiores difficilimã expugnationem præferebant, ac pene impossibilem, sed nihil non tentandũ victoribus videbatur. Cœpta est oppugnatio Montisflori: admotæ sunt machinæ, concussa est turris bombardarum lapidibus: stetitq. tanquam immobile saxum. Quod postquã duces animaduenterunt cuniculis agendum censuere, suffoderuntq. montis partem; nec dubiũ erat quin oppido potirentur. Arcis autẽ expugnandæ desperata ratio videbatur, nisi aut fames, aut alius quiuis casus obsessos premeret: sicut permisit Deus oppidani de suo periculo solliciti præfectũ **B** arcis adeunt, periturum oppidum aiunt, bonaq. habent maioris pretij mobilia: rogant in arcem transferri posse, ibiq. conseruari, ne præda hostiũ fiant, pugnatos se animosius his extra periculis positis, fortasse defensuros oppidũ. Quod si expugnetur, tanto minus futurum damnũ, quanto ad hostes minor præda peruenit. Laudat præfectus consiliũ. Illi iuuenes quinquaginta robustos onerant supellectili, quæ fuit in oppido pretiosior, & arma sub veste ministrant. Pergitur in arcem, non creditur adesse dolus, admissi iuuenes, onera deponunt, præfectumq. capiunt, & duos cum eo Sigismundi liberos, arcemq. occupant, & missis ad **C** cardinalẽ oratoribus, deditiõnem pollicentur ea lege, vt arx in eorum potestate remaneat: liceatq. Sigismundi filios, ac præfectum arcis cũ rebus suis emittere. Concedit omnia legatus, præter arcis custodiam, quam tradi Ecclesiæ iubet: illi tandem annuunt, & emissis captiuis, oppidum atque arcem Ecclesiæ tradunt: atque ita præter opinionem inexpugnabile oppidum captum est, nec diu postea Pontifex missio, vt diximus, aduersus Sigismundũ legato, ex Pientia discessit Petrioli balnea periturus.

Pij ad sancte
Annę mona-
sterium ac-
cessio, mōtis
Oliueti arti-
ficiofa de-
scriptio, &
Monachorũ
vita.

Iter ei fuit per monasterium sanctæ Annæ, quod monachi religiosi colunt in monte lapidoso, atque admodum sterili, quam- **D** uis sua industria in parte aliqua feracem reddiderint, multasq. ibi amygdalos plantauerint, & alias inseruerint arbores, ex quibus partem vitæ traducunt, pium Deo famulatum exhibentes: montis Oliueti horum religio dicitur, quorum præcipuũ coenobiũ, & totius ordinis caput sexto abhinc milliario distat, eoq. se Pontifex contulit, per itinera sola æstate calcanda, cum sol omnes ebibit humores: pluuiali tempore loca dixeris inaccessa, quę in argilla profundissima nullum admifere lapidem. Cedit vn-
gulis

A gulis equorum calcata terra, nec remittit, nisi maximum adhibeat equus conatum: pluuiæ insuper fossas hinc atque inde produxerunt, & angustas reliquere semitas, quibus non sine magno labore inhæreas: si pes paululũ aberrauerit, præceps ruas. Ventum est ad monasterium, cui montis Oliueti nomen indidere, quod non procul ab oppidulo Clausuræ iacet, cuius caseum inter optimos Tusci ducunt. Situs monasterij in hunc modum se habet. Collis sublimis est, ad occidentem respiciens topho, cretaq. compactus stadio circiter longus, latitudine multo minor. Si formam quæris, castaneæ folium imitatur: vndique rupes in **B** barathra pergũt profundissima, in quæ horror sit aspicere: quæ iungitur reliquæ terrę collis dorso modico turris erecta est lateritia, quæ omnem prohibet accessum non amicum, & fossa deducta, quæ in vtrumq. barathrũ emittit aquas, ea parte coniungitur, quo sublato nulli patet ad coenobium aditus. Decliuus est collis, & in medio nobile templũ constructũ, & iusta monachorum coenacula, deambulatoria, porticus, & omnia officinarum genera, quæ necessaria religiosi ducunt, nihil non egregiũ, nihil non nitidũ, & quod non cupide intuearis. Agrum hunc & circũiacentẽ fuisse tradunt nobiliũ quorundam virorũ apud Senenses **C** prognatorũ, qui Deo pleni, & religionis nouellę fuerint inuentores, & coenobij fundatores, cui possessiones suas donauerint. Nomen viris Bernardo Ptolomeo, Ambrosio Picolomineo, & Patrio ex gente Patritia fuit, quorũ ossa religiose colũt. Parua ab initio fundatio deuotione hominũ aucta felices successus habuit, & in omnẽ Christianitatẽ propagata est. Ex familia Picolominea multa huic coenobio accesserunt incrementa, cuius possessiones in circuitu fuere: Auena & Chiarina, quæ olim nõ contempere loca, nũc fere deserta sunt, ad Picolomineos pertinere, & plures ex ea familia in monte Oliueto post obitũ conditi sunt. Religio **D** eadẽ fere est, quæ monachorũ S. Benedicti suã regulã Obseruantiu in habitu discrimen inuenias: illi fusca veste vtuntur: ij candida ac mundissima: vsus carniũ vtrifq. pariter interdictus. In ceremonijs pleraq. inuenias diuersa: in substãtia, vna fere est viuendi norma: & ij quidẽ vsq. in hoc tempus sine infamia vitam agunt. Mons ipse domesticis arboribus cõsitus, plurimas habet oleas: vnde Oliueti nomẽ ortũ. Sunt ficus & amygdalæ, & pironũ, malorũq. multa genera: adsunt & cupressi nemuscula, in quibus æstate suaues captare vmbas licet. Vineta quoq. & vmbra-
cula

cula pampinea, & olerū horti, & lauacra, & fons perennis, & ci-
 fternæ, ac putei: & in ipsis rupibus quercinæ siluæ, & arbor iuni-
 peri. Deambulatoria multa, quæ duos capiāt homines collē am-
 biunt, mediūq. interfecant, hinc atq. inde vitibus aut rosetis feu
 rore obsita marino. Iocunda monachis solatia, iocundiora his,
 quibus postquam viderunt abire licet. Monachi aduenientē Piū
 ingēti gaudio exceperunt, atq. omnibus modis aggressi sunt ho-
 norare. Apud Clausurā nudinæ fuerunt: itaq. frequens popu-
 lus Pontifici occurrit, & vsque ad turrim, quam diximus Oliueti
 montem claudere, benedictionis consequendæ causa descendit.
 Dies erat quintæ feriæ cum eo ventum est: cardinales & omnis
 familia Præfulis, carnes in cœna manebant: Pontifex iussit om-
 nes eo in loco carnibus abstinere: cum id placitum monachis
 animaduertisset; exemplumq. prælati ecclesiarum eo deinceps
 applicaturis dedit, ne carnes poscerent, quibus noscerent ob loci
 reuerentiam summum Pontificem abstinuisset. Mansit hic & se-
 quenti die Pius, cœnamq. cum monachis in communi refecto-
 rio peregit, & cantores introduxit, qui nouum carmen de diua
 Catherina Senensi inter edendum tam suauis modulatione ceci-
 nerunt, vt omnibus monachis dulces excusserint lacrymas. Ad-
 scripsit & indulgentias loco non modicas; & priuilegia dedit re-
 ligioni amplissima. In hoc cœnobio Matthæus Siculus cogno-
 nimento Runta consenuit, cui tam promptum fuit edere carmen,
 vt illud Ouidij nō iniuria sibi conueniret. Quicquid tentabā di-
 cere versus erat. Dantis poema ex vulgari sermone in latinū ver-
 tit, & heroico versu conscripsit, quamuis parum terso.

Pius Petriolū petit, e-
 iusq. inde ad
 diui Antonij
 facellū iocun-
 dus secessus,
 ac loci descri-
 ptio.

Pius hinc digressus iuxta Vmbronis flumen descendit, & ad
 Bonum conuentum transiit amnem, nec intrauit oppidum, in
 quo pestis crassabatur: ultra Arbiā pernoctauit apud nepotē
 cardinalem Senensem in prædio Ecclesiæ, quam sanctam Inno-
 centiam vocant. Sequenti die Petriolum concessit, cuius situm
 supra descripsimus. Hic pro consilio medicorū vsus est balneis,
 & cum fuit oriū sæpe in agros exiuit, & modo sub arboribus, mo-
 do in ripa seu Farmæ amnis, seu Merse confedit cū cardinalibus
 de republica loquēs, aut legationes audiens. Cardinalis S. Su-
 sannæ tribus passuū millibus à Petriolo sedē sibi delegit: indeq.
 cū fuit consistorij dies ad Pontificē venit, rebusq. publicis inter-
 fuit. Placuit Pio habitationē eius inuisere, cuius multas accepis-
 set laudes: cōstitutaq. die eo perrexit. Cōuallis est nemorosa, se-
 ptentrio-

A ptentionalibus clausa flatibus obiecta meridiei, & austro patēs;
 Amiatæ montes maris prospectum auferunt: Suber siluam im-
 plet, & castaneæ & ilex, ex quis glandes suo tempore cadentes
 apros alunt, quorum greges in ima valle delitescunt. Veteres in-
 uento perenni fonte media in valle, circumiectam siluam exci-
 derunt facellumq. diuo Antonio condiderunt ex lapide secto, cu-
 jus vetustas venerationem exigit: monachorum habitacula iux-
 ta construxerunt, & vineas plantauerunt, & hortos excoluerunt
 & arbores inferuere pomiferas. Religiosi fratrum Eremitarum
 inhabitant nō plures quattuor aut sex, cum eleemosynæ procul
 B quærendæ sint. Viri exemplares huc mittuntur, & solitudinis
 amantes. Vinum sibi ex vinea parant, & olera ex horto, casta-
 neas in siluas quærunt: possunt etiam aliquando obsonium ve-
 natu conquirere: cetera quæstor eleemosynarum administrat.
 Rarus hic hospes adest humanus; lupus & aper sæpe se offert, &
 ab his egre defenditur vinea, nec foli ambulatio tuta in siluis est;
 alioquin iocūdissima vmbracula patent inter arbores nullo tem-
 pore non virentes. Fuit hic Pontifex autumno iam abeunte, nec
 tamē adhuc vindemia vitibus ademerat vuas, quæ racemis grā-
 dioribus ex palmitibus pendentes plurimē iocundissimū præbe-
 C bant aspectum. Pontifex cum hic prandiū peregisset, & aliquan-
 diu per vireta, in quis multa fuit laurus, non sine delectatione
 præcipua vectus, cuncta considerasset, ad vesperum Petriolum
 redijt.

Per idem tempus oratores Gallici Pontificem adierunt, indu-
 cias super bello regni Siciliae petitori, eas Pius, vt ante traditum
 est, inter contententes de regno conuenientibus modis conces-
 sum iri promiserat: & rex Franciæ missurum ea de causa sese le-
 gatos ad Pontificē affirmauerat, & Caluimontis comiti, ac Bai-
 liuo Astensi eam prouinciam demandauerat. Rhenatus episco-
 D pum Massiliensem, & Ioannes filius eius Baiuuium Aquilanū
 illis addiderāt. Legati cum accepissent partes Gallicas in regno
 superiores esse, lento passu proficiscebantur, & nunc vnam, nūc
 alteram morē causam adnectebant; sperantes interea conflictis
 hostibus, haud futurum inducijs opus. Sed cum præter spē duo-
 bus in locis partes suas profligatas accepissent, propere Alpes su-
 perauere: Visitatoq. Mediolani principe Apennino transmissio,
 nihil in via morati, Petriolum peruenerunt. Quibus & Ioannes
 Cossa paucis post diebus sese comitem addidit. Horum legatio

Induciarum
 cum orato-
 ribus Galli-
 cis apud Pe-
 triolum tra-
 ctatus, & Pij
 cum Ioanne
 Cossa iocun-
 da cōtentio.

fuit regem Franciæ pacem Siculi regni quærere, atq. idcirco oblatas inducias bono animo complecti. Orare vt quamprimum fiant, Pontifex idem se cupere dixit de regni quiete, quamuis rerum status valde immutatus sit, nec facile queât à victoribus induciæ obtineri: Ferdinandi regis ac ducis Mediolani procuratores, quorum de re agendum esset, accersiri oportere; hisq. tempus indulgendum, sine quibus induciæ ratæ esse nō possent. Interea de modis & conditionibus habenda colloquia. Annuerunt oratores Gallici, quamuis inuiti. Medio tempore rogati pro defensione fidei, quæ regis mandata perferrent, & quæ promitterent auxilia contra Turcas, nihil in ea re sibi fuisse commissum responderunt. Quamuis rex ipse Ferrariensi episcopo legationē missurum se promississet ad Pium non de regno tantum, verum etiam de Turcarum negotio tractaturam. Notauit Pius leuitatem eorum, & irrisit nullius promissi tenacem. Quæsiuit deinde Pontifex quanti temporis inducias peterent, dixerunt quattuor aut quinque sexve mensium. Pontifex quinque annorum, aut saltem trium pacem petebat. Interim vt contra Turcas instrui bellum, geriq. posset; eamq. potissime causam esse, propter quā annuisset concedendis inducijs. Auctoritas Gallicæ nationis apud cardinalem Atrebatensem præcipue resedit: illū enim suis epistolis rex Franciæ ceteris oratoribus præfecit, qui vt erat varius, ac mutabilis, nouas indies difficultates ingerebat, & noua excogitabat, quibus deceptum Pontificem in suam posset sententiā rapere: sed omnes ei conatus frustra cessere. Pius quasi hostis eius verba pensitauit. Ioannes Cossa cum in alloquium venisset Pontificis: Euge, inquit, Pater sancte, desine Andegauensem persequi domum, cuius aliquando beneuolentia delectaberis: cui Pontifex, Non persequor, inquit, Andegauensem familiam: à Ferdinando iniuriam propulso. Tum ille: At iniusta est Ferdinandi causa: non decet Romanum Præsulem iniustas tueri partes. Ad hæc Pius: Tua vox fuit, cum apud Sarnum vicistis, nihil te de Christi Vicario curare, quando ipse Dominus tuæ parti faueret, eamq. iustam declararet, victoriam elargitus. Mutata est res, vt vides: Dominus, & Vicarius Ferdinando fauent, eumque victorem fecerunt: cecidistis apud Troiam in bello, victi estis, causa vestra iniusta est. Tum Cossa: Vincis me, inquit, meis verbis, nequeo tecū contendere, Præsul: spero tamē cito mutabitur hic status, licebitq. victoribus nobis de iustitia gloriari.

Pro-

A Probe, inquit, Pontifex, istuc cum factum fuerit, ratiocinari licebit: interea temporis Ferdinandū tanquam iustum Deo dicemus amicum: atq. ita iocundo sermone non sine risu finis impositus.

Nuntium his diebus allatum est, Gebeltarum oppidum in potestatem Castellæ regis peruenisse, nō sine gloria Christiani nominis, Saracenorumq. magna iactura, qui hoc velut ostio quodam ad res Hispanicas vtebantur. Iacet enim Gebeltarum in litore maris, vbi fretum Herculeum Africam ab Hispania disiungit, non amplius septem millibus passuum latitudine patens; quo in loco Herculem erexisse columnas memorant: quidam B promontoria esse perhibent, quæ procul visentibus columnarū speciem præferant. Portum habere oppidum & tranquillum, & tutissimum aiunt, in quem Mauri ex Africa soluentes, breui traiectu se recipere consueuerunt, & regno Granatæ consulere. Vetus hæc Saracenorum possessio fuit, postquam defecit à Christianis, pro qua recuperanda sæpe Castellæ reges decertauerūt, & magnas acceperunt clades, dum obstinatius obsidere locum, atque oppugnare pergunt. Rex Alfonso cognomento Bonus, dū Gebeltarum recuperare contendit, vitam perdit: & nostra ætate Henricus Medinæ dux cum magno nobilium comitatu in prælio cecidit. Vulgo apud Hispanos aiunt, haudquaquam tot lapides Gebeltari moenia continere, quot pro illis euertendis Christiani cecidere. Postremo placuit diuinę pietati locum Hispanis reddere. Seditio inter Saracenos oborta est, qui regnum Granatæ occupant in Betica Hispaniæ regione: præsidium, quod erat in Gebeltaro, in auxilium factionis vnus profectum, locum pene incustoditum reliquit: quod cum accepissent Hispanorum duces, qui fines regni obseruabant, mox coactis copijs, instructo exercitu Gebeltarum petentes oppugnare coeperunt, biduoq. fatigatos oppidanos ad deditiōem compulerunt, potestate facta D vt quantum quisque humeris ferre posset, rerum suarum abiens asportaret: eoq. pacto & oppidum, & arces, quas ibi tres fuisse tradunt in potestatem Henrici regis venire: qui rem gestam Pio Pontifici scribens, ideo vacuū remansisse Gebeltarum narravit, quoniam milites ad custodiam eius electi, laturo suppetias alteri euidam oppido exiuisissent, quod ab Hispanis obsidebatur. Quicquid horum fuerit, certa res est, nostro demum sæculo ad Christianas manus Gibeltarū rediisse, & vbi fuere Maumethis templa, nunc Ecclesias diuinę pietati dicatas esse, & multos ex Chri-

Expugnatio
Gebeltari à re
ge Castellæ, &
Alzegiræ in-
stauratio.

HH 4 stianis

ftianis habitatores eo confluisse. Deserta inter Gebeltarum & Gades vrbs olim amplissima remanserat, Algezires appellata, hinc Saracenis, inde Christianis hostiles incursiones formidantibus nunc frequentes populi eo concurrere feruntur, & iam ciuitatem Christianis habitatoribus plenam asserunt: quas res non sine voluptate singulari Pius Pontifex audiuit, quod inter plurimas Christianæ reipublicæ calamitates, hoc saltem felix initium accepisset.

Astorgius Fa-
uentinus Pij
iussu pacem
nepoti red-
dit, bellū Do-
minico Ma-
lateste infert.
à Siluestro
Placētino ca-
stris exiit,
collectoq. tā-
dem exercitu
plurima loca
expugnat.
Verruchium
ab Vrbinate
dolis occu-
patur.

Astorgius Fauentia tyrannus per idem tempus missis ad Pii legatis nepotem suum bello aggressus, oppida ei quædam ademit, & Immola deijcere conatus est, Pius missis episcopo Sinuesano arma vtrinque deponi iussit, & castella, quæ capta fuerant ab Astorgio, in potestatem suam recepit, ipsumque mercede conduxit cum equitibus quingentis, peditibus mille, bellum Dominico Malatestæ illaturum: qui primo congressu multa illius castella ad defectionem coegit. Inuadentem Meldulam non parui nominis oppidum Siluester Placentinus ex improviso adortus castris propemodum exiit: collegit tamen suos Astorgius, & impetū hostis compescuit: cumque venisset ad eum ex castris Ecclesiæ maioribus, Corradus Aluianus cum trecentis equitibus Caminatarum oppidum expugnauit, & castrum Montisueteris, & Cusertularum, & Vallemoppij & Montemueterem in deditionem accepit, & ad Ciuitellam profectus, quæ est in confinibus Florentinorum, cum duobus foederatis oppidis ad obedientiam compulit. Comes Cocchus Sigismundo confederatus cum sex castellis ad Ecclesiam defecit, & in castris Astorgij militauit. Cæsena-tes ea re perterriti complures preciosam suppellectilē ad urbem Rauennatum transtulerunt, veriti ne ciuitas obsidione caperetur, si exercitus Ecclesiæ eo deduceretur. Verum Federicus Vrbinas, & cardinalis Theanensis Monteflorum occupato, Ariminū non Cæsenam petiere, castris ad tertium lapidem collocatis, diem ac dimidiam in vrbs conspectu commorati, si forsitan, ut spes erat, obsessa ciuitas tumultuaret; exercitumque intrmitteret Ecclesiæ: quod vbi frustra expectatum est, Verruchium se contulere peculiare Malatestarum oppidum, unde suam originem esse tradunt: quamuis (ut ante diximus) ex oppidulo Pennarum primus Malatesta eo se contulit. Duæ illic arces fuere, alteram oppidani custodierunt, alteram Sigismundi præfectus, & hæc multo munitior. Quadringētos viros, qui arma ferre possent, Verru-

Verruchium habuit, qui primo congressu intra moenia fusi, & seipfos & arcem cuius potentes erant, tradiderunt. Alterius arcis expugnatio difficillima videbatur in alto saxo collocata, & abunde rebus munitæ necessarijs, multumque ibi temporis tendū. Ad dolos igitur confugiunt, quibus & hostem capere laudem ducunt. Nuntius cum his litteris ad præfectum noctu transmittitur quasi ex Cæsena profectus Dominicus Malatesta præfecto arcis Verruchij salutem. Obsessum te ab Ecclesiastico exercitu nuntiatum est: Esto vir fortis quoad Sigismundus cum auxilijs reuertatur, qui propediē aderit. Interea si qua re tibi opus est, indicato; & si non adsunt comites, qui sufficiant ad arcis custodiam, petito quot velis ē vestigio mittentur. Vale. Figuræ litterarum ita affimulatae sunt, ut Dominici esse viderentur: signaculum quoque additum eius persimile, quo ille utebatur. Homo audax, & simulandi peritus hanc prouinciam arripuit promissis oneratus, qui arcem petens, postquam intromissus est, litteras reddidit: ac de multis à præfecto interrogatus, adeo prudenter respondit, ut fidem faceret à Dominico sese missum. Præfectus rescribit obsidionem forti se animo toleraturū, si viri sexdecim in armis experti eo mittantur. Epistolam nuntio dat, utque cito reuertatur exorat; & duas in partes argenteum proscindens nummum, alteram apud se retinet, alteram nuntio tradit, quasi pro caractere, quæ venturi auxiliares afferant. Ille ad cardinalem Federicumque redit, rem gestam enarrat, paratamque victoriam dicit. Deliguntur sexdecim viri robusti corporis, & animi præsentis, qui tertia deinde nocte sumptis armis, cum castra quiete viderent, per vias aliquas ad portā arcis exteriorē, qua solent intromitti subsidia, tanquam trepidantes procurrunt. Ex industria enim duces exercitus tanquam hostes auditi essent tumultuare coeperunt. Præfectus vbi adesse auxiliares animaduertit, in spem erectus ad portam procedit: Interrogat qui nam adueniunt: illi à Dominico venire se aiunt obsessæ arcis auxilio: Petitur caractere, offertur dimidiatus nummus: applicatur alteri parti conueniunt omnia. Recipiuntur in arcem Ecclesiastici pro Malatestis, qui postquam ad munitiora loca peruenerunt, apprehenso præfecto & eius comitibus. Ecclesiæ dominiū acclamauerunt: atque aperta venientibus porta, duces Ecclesiasticos admiserunt. Suppellectilē, & cuncta quæ in arce fuere munimenta ex pacto viri sexdecim obtinere, non indigni tanto premio. Prope fuit ne dolus patefieret

fieret antequam patreretur: puer qui lumen præferbat, vnum ex sexdecim viris diligentius inspiciens, cognoscere se hominem ait, qui Federico Vrbinati seruiuisset: ad quē homo; Quid ni inquit? Mercenarius ego miles sum; qui stipē dat, illi seruiō. Nunc argēto Dominici inarrhatus huc veni, data est fides, sic Deo placuit. Verruchium Sigismundo fraudes eripuerunt: considerāda res, dolosum aliquando vicerunt doli, & fraudulentum suæ ceperunt artes.

Sācti Archangelī, & aliorū oppidorū deditio, Sigismundus venētis fatigatus, Venetias appulit, supplicemque à Senatu, oratorem pro suis rebus ad Pontificem impetrat.

Ductum est deinde ad sanctum Archangelum insigne oppidum, & populo plenum: sexcentos & amplius viros armare potest: Oppidani sese dedere, & arx fracta bombardis intra dies paucos capta. Per eosdē dies & plebanatus Sextini ab ecclesiasticis occupatur, duodeuiginti oppida continēs. Scorticata quoque trecentorum virorum oppidum Ecclesiæ se tradidit. Oppidula & palatia, quæ in medio fuere, direpta atq. incensa multa sunt. Milites onusti præda, bellum se faustum inuenisse gaudere: villas prædiaq. rustica vino ac tritico plena inter se partiti, anseres ac gallinas sine modo vorare, vina electa bibere, inebriari, contendere, duces nullo magis labore teneri, quàm rixas prohibere. Erat tum forte vindemię tēpus, omnia militi cessere, & quę in vasis condita musta fuerunt, & quæ super vitibus pendebant vna; cumq. pluuiosus autumnus sui natura confueuerit esse, hoc anno ingēs siccitas diuino quodā beneficio concessa. Est enim argillosa illis in locis prouincia, & quæ vbi maduit, difficile permeari potest: quod si pluuiæ suo more per autumnū cecidissent, neq. Monsflorum, neq. alia multa oppida oppugnari, ne dicam expugnari potuissent. Sigismundi nequitia data est trium ferme mensium serenitas, quæ militi seruiret Ecclesiastico, & sibi dominiū & statum auferret. Qui dum ex Apulia desperatis auxilijs domum repetiturus nauem ingreditur, horrida inuasus procella, ita ex oculis in littore spectantium sublatus est, vt omnium opinione summersus crederetur. Sed alio iudicio seruatum, non potuere venti mariave perimere, quassatum atq. attonitum in Dalmatiæ littus eiecerunt: Ipse pro sua consuetudine mutata veste cum paucis per asperos montes terra iter fecit, atq. in Forum Iulij descendit: inde Venetias petijt: vbi cum felices Ecclesię successus, & suorum defectiones subditorum accepisset, anxius animi Senatum adiit: atq. afflictis rebus consilium & auxiliū efflagitauit. Et tum quidem, cum viri plerique religiosi ad clauum

cum duce vrbis federēt, parū lætis vultibus exceptus est, propter anathema quo erat irretitus, cuius se fieri participes auditores verebatur: illud nihilominus obtinuit, missuros ad Pontificē Venetos, eiq. veniam, si fieri queat imploratos: idem & Dominico eius fratri responderant suppētas postulanti: quibus vt satisfacerent primum Nicolao Sagundino apud Pontificem manenti secretario suo scripserunt, vt Malatestas Pontifici commēdaret. Deinde legatum maioris nominis Bernardum Iustinianū equitem Leonardi oratoris clarissimi filium miserunt, virum singulari doctrina, eloquentia & grauitate insignem, & qui pro sua Republica multas sepe legationes ad Imperatores, & reges obijisset. Hunc Pius Petrioli primum audiuit, & propter vrbis eminentiam, & hominis dignitatem apprime honorauit. Qui postquam semotis arbitris, quæ uellet dicere permissus est, in hunc modum verba fecit.

Bellū quod aduersus Malatestas geris (piissime maxime Pontifex) iustum esse omnes censent, atque in primis senatus Venetus, qui Sigismundi mores optime caller: & eius in te tuamq. sedem piacula non ignorat. At cū animaduertit victorię tuę cursum, & quantum agri ab eo abstulisti, quantifq. cladibus & ipsum, & agrum eius affecisti, satis superque punita esse hominis scelera censet. Si pro peccato filij maximo (vt vulgo dicunt) paulum supplicij satis est patri, tu non Sigismundi tantum, sed omnium fidelium pater es, paterna te clementia vti decet. Sedes Apostolica pia mater nunquam redeuntibus ad se filijs, sinū pietatis occludit: semper ad veniam prona est; adeo misericordiam diligit, vt sæpe iustitiæ præferat, crudelitatemq. vocitet omne iudicium clementis moderationis expers. Parcere tui solij propriū est. Septuagies septies iussus est Petrus, cuius locum tenes, in se delinquenti peccatum dimittere, & pro numero infinito finitus ponitur. Peccauit in te Sigismundus & sæpe, & multum, quis nescit? At veniam petenti, quo pacto negabis Iesu Christi Vicari? qui Dominum tuum nosti pro suis orasse persecutoribus, & in cruce latroni veniam præbuisse: parsurumq. proditori Iudæ fuisse, si humiliatus misericordiam implorasset. Non vult Deus mortem peccatoris, conuersionem & vitam cupit. Pleni sunt codices exemplis, nihil Ecclesia benignius est: nihil ad misericordiā magis pronum. Quod intelligens senatus Venetus, commendate tibi Malatestas audet, veniamq. pro his petere: quibus iam pridem

Oratio Bernardi Iustiniani deprecatoria ad Pium Pontificem pro Sigismundo Malatesta; Pij que prudentissimum atq. magnanimū responsum

dem & amicis & vicinis est vsus. Non correctionem prohibet, ^A quæ magna ex parte peracta est: extirpationem horret nobilissimæ familiæ; neque enim memoria nostra audiimus in Italia præclaram aliquam prosapiam radicitus euulsam fuisse, ac prorsus annihilatam. Vetusissimum, & nobilissimum Malatestarū genus inter Italos memorant. Multi in eo viri præstantes claruerunt, quorum egregia facinora non Ecclesiæ tantum Romanæ, sed Italiæ vniuersæ, & ipsi Christianæ reipublicæ admodū profuerunt. Sit vtile filijs præclaros habuisse parentes: aboleat maiorum virtus peccata minorum. Concedendum est aliquid profcis imaginibus: non tulit præmia digna probitas, quæ solos ^B extulit auctores. Præclara virtus plures ætates illustrat. Indignus est Sigismundus (non eo inficias) cui veniam præbeas; nec Dominicum laudo, qui tibi aduersatus est, quamuis pro fratre arma suscipiens excusari potuit. At Carolus, & Pandulphus, & alij maiores meruere, vt posteris suis ignoscas, si quid in te peccauerit. Digna est respublica Veneta, quam exaudias tuæ sanctitatis, & Apostolicæ sedis obsequentiissima filia. Agitur in hac parte ^C de statu suo. Norunt Veneti quos habuerunt in Malatestarum gente vicinos, mutationem verentur, ne deterior fiat conditio: quid habeant sciunt, quid habituri sint nesciunt. Multa eos ^C timere oportet: suspecta sunt Italorum ingenia, & nullum imperium metu vacat. Oramus pietatem tuam, ne rebus nostris incommodes, aut in finibus nostris eos regnare permittas, quorū veremur insidias. Cum Malatestis quiete viximus hæctenus, & viuemus sicut speramus in posterum. Suademus præterea paci vt Italiæ consulas, & pericula metiaris, quæ hoc ex bello possunt emergere, Minima sæpe fauilla maximum excitauit incendium. Nemo ex regno volens eijcitur: omnia experiuntur homines, prius quam dominatione priuentur. Aspirant ad imperium Italiæ Franci, & in regno Sicilia non parū agri possident. Quid ^D si Malateste reliquis destitutis auxilijs ad eos confugiāt, eosq. sibi assumant dominos? exemplum omnes Romandiolæ tyranni sequentur: nec Florentini Franci amici à rebus nouis abstinebunt. Quid de Turcis dicam? ais te velle eorum conatibus resistere: quomodo foris bellum geres inquietus, atq. infecurus domi? quid si (vt est maligna Sigismundi mens) ab eo Turcarum arma in Italiam inuidentur? Non est longa nauigatio ex Aulona, quam vulgo Valonam appellant, & à Turcis tenetur, vsque ^D Arimi-

^A Ariminum. Omnia faciet Sigismundus priusquam sibi dominatus eripiat. Incertus est belli exitus, & multa dies affert, quæ nemo existimauit euentura esse. Nunquam status idem diu manet. Vicisti hucusq. & prospero flatu es vsus. Quid si belli euentus varietur? Nemo si sapiat illi se credit. Tū paci danda est opera cum vincitur, nec secundis rebus insolescere cōuenit. Contentare, Pontifex, præsentis rerum statu: ne dum maiora quæris, ea quæ tenes amittas. Da pacem miseris, & Malatestarū familiam, quæ satis correctæ est, in gratiam recipito. Hæc Veneti ex te petimus: hæc oramus supplices. Annue hoc gratiæ reipublicæ de te ^B benemerenti; & qui sanctam sedem Apostolicam summo semper studio coluit. Sincero hæc animo dicimus, non minus tuæ gloriæ, quam nostræ reipublicæ consulentes. Amplectere in bonam partem, quæ recta, & bona ex mente procedunt. Pontifex his auditis huiuscemodi responsum dedit.

Quæcunque rogat suadetq. Venetus senatus, in partem accipimus meliorem, nec dubitamus verba menti consonare. Amica ^{Pij responsū.} esse consilia ducimus. Bellum quod Malatestis indiximus, non ab re iustum fatetur. Nisi enim iusta est vltio nostra in Sigismundum, nullam aliquando vindictam nostri maiores iustam exercere: satis vero correctum esse reum non recte iudicat. Atrociora delicta atrocem exigunt poenā. Merenti crucem, sufficere scuticam quis dixerit? de rapinis agitur, de crimine lese maiestatis, de contemptu religionis, de impia hæresi; & tu satis punitum dicis, cui pars agri adempta est, & in corpore nihil molestiæ tulit? Subditi dedere poenas: Sigismundus adhuc intactus euasit. Dicis nos loco patris haberi, magnumque filij peccatum apud patrem leui poena mulctari. Omnes, qui reipublicæ recte præfunt, subditos pro liberis habent, & senatus Venetus suos ciues aut filiorum loco ducit, aut fratrum: si filij sunt Veneti suorum magistratum, cur tam rigide puniuntur cum deliquerunt? Nempe quia duabus rebus respublica continetur, poena scilicet, ac præmio. Nulla diu stare ciuitas potest, nisi malos deprimat, & bonos extollat. Et Veneti quidem in coercendis criminibus semper habiti sunt seuerissimi, atq. idcirco diuturna est vestra potestas, & imperium seruatis legibus auctum; non tulistis perniciosos ciues: nulli apud vos licuit impune peccare. Mille sunt horræda Sigismundi scelera, quorū duntaxat vnū si ex vestris ciuibus quispian admisisset, non sineretis eum viuere; nullæ preces, nullæ pecuniæ

pecuniæ reum à morte redimerent; Et nunc Sigismundum sceleratissimum venia dignum putatis? Filius Francisci Foscarì vestri ducis, quòd in suspicionem necati cuiusdam ciuis venisset, diris excarnificatum modis exilio damnauistis. Brutus Romanorum consul filios securi percussit, quòd aduersus patriam cum Tarquinijs conspirassent. Nec Torquatus adolescenti filio vitã reliquit, qui aduersus imperium suum quãquam victor pugnasset in hostem. Et Nicolaus marchio Estensis etate nostra Hugonem filium neci tradidit pro conseruanda iustitia. Quid censes? Seueros natura sæpenumero parentes dedit: & tu lege constitutos iustitiæ prorsus immemores esse voles? Exempla nobis Christi commemoras, & beato Petro mandatum à Domino datum, vt peccata dimitteret, & nobis idem faciendum asseris: fatemur ignoscendum esse reis, quãdo reuersos ad cor in veritare deliquisse pœnitet, nec suo exemplo nocet impunitas. Prouidus pastor morbidas oues à grege procul abijcit. Medici ex humano corpore putridas carnes ferro demunt, & cauterio: & tum maxime pietatem exercent, cum crudeles esse videntur. Omnes Christiani vnum sumus in Christo corpus, & vnus grex: cauere oportet ne pars corporis infecta partem inficiat sanam, & ne morbida facta pecus, totum corrumpat ouile. Amouenda sunt omnia, quæ corpori nocent: non est pietas vni membro parcere, & totum corpus in discrimen adducere: Si oculus tuus, inquit Dominus, scandalizat te, erue eum, & proijce abs te: & asserit melius esse cum vno oculo, & vno pede intrare in vitam æternam, quàm duos oculos, & duos pedes habentem mitti in gehennam ignis. Quid hæc sibi volunt? admonemur à domino scandalosa membra præcidere, ne reliquo corpori noceant. Admonentur rectores vrbium populorumq. duces perniciosos reipublicæ ciues è medio tollere, ne multitudini officiant. Sigismundum nulla malefactorum pœnitentia tenet: id ei molestum esse dicunt, quod non peiora D patrauerit, impletum in eo est quod in sacris eloquijs scribitur: Peccator cum venerit in profundum malorum contemnit. Hæreticus est: hæreticum iubet Apostolus post primam & secundam admonitionem deuitari. Commonuimus hominẽ bis, ter, quater, atq. iterum; nil profuit: quomodo possumus homini hæretico subditorum nostrorum gubernationem relinquere? Si peccasset in nos Sigismundus, dimitteremus ei; at peccantem in Deum; diuinæ legis mandata deridentem, Romanæ Ecclesiæ insultan-

A *sultantem*, Christiane plebi non minus exemplo quàm facto nocentem, non possumus impunitum relinquere. Eijciendi sunt peccatores, ne præsentibus populis: auferenda sunt à perniciosis regna: nec tam immanibus vlla permittenda potestas. Dicis non esse auditum etate nostra aut parentum nostrorum, nobilem aliquam domum funditus esse deletam; indignumq. putas vetustissimam ac nobilissimam Malatestarum familiam nostro tempore prorsus eradicatam iri: falleris, non esset prima, vt arbitraris, familia nobilis extirpata: quot illustres prosapias & Athenienses, & Romani pro statu reipublicæ conseruando, & vos Veneti deleuitis? & quãplures nobiles in Istria, in Dalmatia, & alijs prouincijs imperio Veneto subiectis, vestris decretis deiecistis, & domos clarissimas extinguere bene facere putastis? vnde ista seueritas? nempe quod reipublicæ vestræ insidiabantur, quamuis subditi & vicini tanquam hostes & rebelles non timuistis corrigere & penitus delere. Et audetis nobis suadere, ne subditos nostros quamquam proditores, & magno scelere coinquinatos, eo quod nobiles sint, corrigamus. Non displicet nobis vestra seque vestigia, & vestram imitari iustitiã, quandoquidem hac vna potissimum via res vestras, & omnium creuisse ab omnibus creditur. Non est Malatestarum potentia, quæ viribus nostris resistere possit: nudi auxilio sunt, nisi vos opem affertis. Nemo in Italia est, qui sit eos adiuturus; non Florentini, non dux Mediolani; non Borsius noster in Ferraria vicarius; non alius quispiã: omnes bello nostro tanquã iustissimo aduersus impios fauent. Credimus vos conatus nostros impedire nolle: nec Apostolicæ sedis iudicium infringere: Extant promissa vestra, quæ nos certiores reddunt, nullum à Venetis impedimentum fore timendum. Nec Francorum, Turcarumve nos metus agitat. Ludouicus Franciæ rex, Cathalanico, & Britanico bello distinctus, Italico, si sapit, non implicabitur. Quòd si ad res Italicas inclinauerit animum Genuensium ante omnia rebellionem vendicabit, qui à patre suo descuerunt. Difficilis est expugnatio Ligurum, & nobis non parum datura tempus. Quod si recta via aduersus nos exercitum mittere voluerit, montes, & flumina intersunt, & Insubrium princeps nobis affoederatus, qui hostes transire non sinet. Nec Franci sunt qui pecuniaria soleant auxilia mittere, Italis præsertim, quorum fidem suspectam habent. Nec Turcis ad Ariminum via patet, nisi per Adriaticum sinum, cuius vos esse custodes asseritis, & in

& in quo vestræ semper excubant classes: sine vestra negligentia penetrare in Italiam nequeunt. Expugnabitur proculdubio Sigismundus, nisi vestra respublica sese nobis opponat, quod nulla ratio suadet: at vicinos mutare times, & antiquos seruare cupis. Mutabis nisi conatibus nostris obicem posueris: verū iustos pro iniquis, pro infidelibus fidos, pro inimicis amicos: aut enim Ecclesia illis succedet iustitię tenax, & nullius conscia culpę: aut Sigismundi imperium melioribus elargiemur, qui cum vestra respublica perpetuo iungētur foedere: nec decretis vnquā vestri senatus aduersabuntur. Quibus de rebus indignę sunt preces, quas pro Sigismundo effunditis, nec nos illi auscultare decet. Iusto insequimur impios bello. Non sunt digni venia, qui Deū contemnant, & quorum salus multorum perniciem affert. Punire nocentes oportet, ne tuta videatur iniquitas, neue facilitas veniæ incentiuū præbeat delinquendi. Non est in exigenda poena periculum, nisi à uobis proueniat: nec causam habetis cur cœpta nostra impediatis: & contra fidem faciatis. Hortamur igitur, ut de nostris subditis liberum nobis iudicium relinquatis, nec ea petatis ex nobis, quæ rogati ab alijs nullo pacto concederetis. Orator Venetus cum suo more aduersas hæc non pauca subintulisset: ea que Pontifex manifestissimis rationibus confutasset, scripturum se tandem Senatui dixit quod accepisset responsum.

Discessus Pij
è Petriolo, &
ad Tudertū
profectio, e-
iusq. vrbs si-
tus, ac factio-
nes: regimi-
nisq. renoua-
tio.

Senenses dum Petrioli Pontifex fuit, sepe ad eum misere dona esculenta & poculenta, ac legatos, qui peterent dulcem adire patriam. Pius insalubritatem aeris causatus (obierant enim Senis nonnulli ex peste) dolere se ait, quod pro suo desiderio charissimorum precibus filiorum non posset annuere: dimissisq. balneis Pientiam reuersus est, vbi propter egritudinem diem vnam peregit. Deinde per Monticulum, & alta nemorosaq. iuga, quæ Montipesio coniunguntur, Sarteanum se contulit: nec moratus transmissio non procul à Clusio amne Clanio, in agrum Perusinarum descendit, & apud Panicale oppidum pernoctauit in motibus, qui Transimeno supereminet lacui: quibus transmissis in amoenam vallem penetrauit, multis refertam castellis, ex qua licet Perusiam cernere. Transmisit & alios montes; & in vallem peruenit Tyberinam late patentem, & apud Martianum nocte peracta, die sequenti Tyberim inuento vado transiuit, Tudertumq. petijt, ibi ut tandiu quiesceret, donec Romæ purificatum esse aerem intelligeret. Præcesserant eo legationes regum,

ac ciui-

ac ciuitatum, & cardinales complures: qui omnes aduentanti Pontifici occurrerunt. Ciuitas inestimabili gaudio plena, quæ iam pluribus annis suum dominum nō vidisset, quammaximis potuit honoribus aduentum eius excepit. Tudertum, siue (vt antiqui dixerunt) Tuder vrbs nō ignobilis, atq. inter Umbros primaria, in colle iacet propinqua Tyberi ad stadia circiter viginti: quacunq. pergas in oppidum, semper ascendas necesse est. Gibellarum partium fuisse populum aquilæ indicant, quæ in porta veteris vrbs grandiores sculptæ visuntur: nūc Guelfi præua-
lent. Ambitus olim murorum multo minor fuit, quàm hodie
cernitur, summa montis cacumina tantum cinxit: aucto deinde
populo, & muros ampliare oportuit. Inter viros illustres huius
vrbs Martinum commemorant Romanum Pontificem pro Christi nomine martyrio coronatum. Braccius Perusinus ætate nostra Romanæ Ecclesiæ hanc vrbs eripuit, & in summo vertice arcē ædificauit, quæ postea destructa est. Franciscus etiā Sfortia eius loci, Eugenio sedente, dominatum arripuit: tandemq. coactus dimisit, ab Ecclesiæ ducibus extra Umbriam pulsus. Pius in episcopali palatio mansionem elegit, quamuis ciues prætorium ei apparauerint, & ædes in foro præcipuas: salubrior visa est in episcopio habitatio, minus exposita ventis, qui apud Tudertinos assidue perflant, alteram hic Eoli domū dixeris. Prospectus quocunq. te vertas gratissimus occurrit: licet Perusiam videre, & omnem quæ media iacet vallem castellis refertam, late patentibus, ac frugiferis agris, & amne Tyberi nobilem, qui anguis in morem varios agens flexus, Tusciam ab Umbria diuidit, multosq. sub ipsa ciuitate montes ingreditur, per quos murmurans tanquam inuitus coerceatur, ad inferiora descendit. Subiecti vrbi colles confiti vitibus, atq. oleis, nō sine voluptate cernuntur, nec remotiores vestiti siluis, ac pascuis apti minus oblectant oculos: D
æstate omnia virent, hieme sæpe niue canescunt: nulli tamen tempori habitatio satis commoda. Aestate sitit, paucis ad aqua-
ta fontibus, hieme riget frigore, nunquam boreali spiritu carens, frugibus abundat & vino. Pius cum eò venisset intestinis agitationibus seditionibus ciuitatem inuenit. Duo fuerunt in vrbe ciues primarij, familia nobili nati, quam vocant Aetorum, Iacobus & Andreas germani, qui opibus abundantes, plebem sibi largitionibus conciliauerant; atque inopum multitudine freti, quos alebant, ciuitatem pro sua libidine administrabant: erantq. ter-

rori non solum optimatibus, sed ipsis quoque præsidibus; atque A præfectis ab Apostolica sede missis vim inferebant, non permit- tentes eos aut delicta corrigere, aut ex bono & æquo ius dicere. Sæpe carcerem effregere: sæpe capitali sententia damnatos é ma- nibus militum cum ducerentur ad necem eripuere. Impune ita- que rapi virgines, adulteria cædesq. fieri, & domus diripi opu- lentæ. Impune omne patrari scelus ab his, qui in Actorū clien- telam concessissent, & nuper ab eis primus licitorū præsidis fue- rat obruncatus, nec vlla secuta vltio. Id boni ciues detestari, dolere patriæ calamitatem, quæ sub Ecclesiæ regno tyrannidem pateretur: conari iugum excutere: alloqui alter alterum: auden- dum esse aliquid dicere pro libertate patriæ: foedera percutere in aduentu summi Pontificis, quem non dubitarent breui affu- turum: dandam esse operam, vt tyranni eijciantur, aut eis au- feratur nocendi potestas: reddanturq. populo suæ leges, nec fe- rendam amplius crassandi licentiam. Accedunt igitur Pium ca- teruatim triduo post eius ingressum, quæ in eam vsque diem ma- la tulissent in medium proferunt: credidisse se olim dicunt Eccle- siæ fuisse subditos, id factò falsum experiri: Tuderis Actos esse dominos, non præfules Romanos. Rogant vt Romana Ecclesia suum sibi ius vendicet, excutiatq. bonis ciuibus crudele seruitu- C tis iugum, quod ferre nullo pacto queant. Pius cardinales ali- quot delegit, qui ciuium querelas audirent, & Actos quid ad ea responderent. Rebus discussis, cum manifeste constaret Actorū opera ciuitatem pessime gubernari: verum Andrea Iacobū mul- to peiorem esse, & magis perniciosum ciuem, statuit illum vrbi subtrahere, & cum essent incerta populi consilia, nouum legit se- natum, & nomina magistratuum, qui Priores appellantur, & bi- mestre officium gerunt, noua in pixide clausit, quæ fortibus ex- trahuntur. Prohibuit ne quis arma per urbem deferret, ne pro- reo criminis preces offerret nisi tertio consanguinitatis gradu D proximus illi esset. Ne quis tumultuante ciuitate armatus pri- uati cuiuspiam ciuis domum accederet. In forum conuenire om- nes iussit, & ad ædes aut præsidis, aut præfecti, & alias plerasq. leges edidit vrbi salutare, quæ vsque in hanc diem seruata pa- cem peperere.

Tractatus in-
duciarum ir-
ritus cū Gal-
lis Tuderis
habitus.

Legati Francorum, qui Pontificem ex Petriolo secuti fuerūt, super bello regni Siciliae inducias petentes, cum Ferdinandi re- gis oratores aduentassent, acrius vrgeri cœperunt, diu se reten- tos

A tos dicere, non posse amplius expectare: aut exaudiri regias pre- ces debere, aut potestatem sibi abeundi fieri. Contra oratores Fer- dinandi inducias parti suæ perniciosas asserere: Ferdinandum hostes profligasse, non esse impediendum victoriæ cursum: Sin- uessæ ducem in Campania hostem restare, aduersus eum castra mouenda in locis apricis, quæ hiemem non sentiant, breui casu- rum eius imperium: orare ne victoria è manibus auferatur: idē oratores Mediolanensium ducis efflagitare; Inter quos erat Cor- radus vir sapiens, & ipsius ducis germanus. Ijs Pontifex respon- dit se anno superiore rogatum à Ludouico rege Franciæ, vt au- B xilia Ferdinādo subtraheret, dixisse id sibi non conuenire: quod si regi placeret, inter contendentes de regno inducias fieri non negaturum, vt interim bello finis aut concordia interponeretur, aut iudicio. Missum fuisse respōsum & Ferdinando & Francisco, & ab vtroque comprobatum. Ludouicum etsi iusto serius obla- tionem acceptauerit induciarum, reijci tamen honeste non pos- se: quod si Ferdinandus recuset obedire, in arbitrio suo erit: Pius suas copias reuocabit é regno, quia non possit fidem fallere. Au- diuerunt ea cum lacrymis Ferdinandi oratores, vt qui omnem belli moram suis rebus nocituram putabant, & aduersari Pon- tifici non audebant: tandem iudicio eius rem omnem permise- re. Pius ex Francis perconctatus est, quàm longas inducias vellent: trium aut quattuor mensium responderunt. Fraus in- erat petitioni. Existimabant eo pacto furorem victoris exercitus euadere, donec milites ad hiberna cōcederent: deinde tempus ip- sum pacem daturum, nouoq. vere nouas pecunias ex Gallia ven- turas, ex quis noui possint exercitus instaurari. Nō latuere Pon- tificem doli, quibus occurrit hoc modo: Amplectimur, inquit, quattuor mensium inducias, quemadmodum polliciti sumus in- ter contendentes de regno. Illi Sigismundum Malatestam non D posse negligi responderunt, qui belli socius esset regi Rhenato confederatus: immo vero nefas est, inquit Pontifex, hēreticū ho- minē eas inducias comprehendere, quæ inter reges fierent Chri- stianos. Sigismundum de religione pessime sentientem, iam pri- dem fuisse damnatum: Ecclesiæ Romanæ prius intulisse bellū, quàm Rhenato coniungeretur. Iniurium fuisse Rhenatum Pon- tifici Romano, qui subditum Ecclesiæ, proditorem atq. hēreti- cum in belli societatem accepisset. Res pluribus diebus agitata est. Postremo cum Franci Sigismundum in pace prorsus com- prehen-

prehendere vellent, Pius excludere: infectis rebus legati Franco-
rum domū abiere. Pius Ferdinandi oratores his verbis allocutus
est: Habetis quod desiderastis, non sunt induciæ factæ, quas Fer-
dinando victoriam prærepturas arbitrabamini. Periturum Sin-
uessæ ducem vestris armis ante natalia Domini si bellum conti-
nuaretur affirmavistis. Ite nunc & magnifica verba factis equa-
te, quamvis contraria nobis sententia est. Festinat ad hiberna
miles vester, prima vos pluvia in tecta reducet; frigoris & omnis
incommodi patiens hostis ad expugnandas vrbes sub diuo ma-
nebit, & vos aliquando pænitebit temporaneam pacem, quam
obtulimus non accepisse. Illi multa in contrarium polliciti spe
pleni recesserunt.

Florentino-
rum legatio
pro Malate-
stis, & Catherina
Pij foro-
ris aduentus.

Aduenerat & Florentinorū legatus pro Malatestis veniā im-
petraturus, cuius hæc verba fuerunt: Rogati Florentini à Vene-
tis pietati tuæ Malatestarū familiam cōmendant. Nosti quomo-
do velis, & quādo velis reis ignoscere: iusta est vltio tua, iudicio
tuo cuncta permittunt: verum blandiri Venetis consiliū fuit: ero
cum eorū legato, & quæ ille petierit approbabo: tuū erit quæ ve-
lis facere. Laudavit Pontifex Florentinorū legationem, quæ ni-
hil importune peteret. Legati deinde simul & Mediolanenses, &
Venetus, & Florentinus Piū adeuntes multis modis Malatesta-
rū causam orauere, reis petentes veniā; de iustitia nihil sperātes,
ad misericordiā confugere. Pontifex etsi multa se debere inter-
cessoribus fatebatur, indignos tamen reos esse aiebat, qui veniā
consequerentur. Verum cum minora essent Dominici, quàm Si-
gismundi scelera, inuenturū illum gratiā propter intercessores, si
censum Ecclesiæ debitū solueret, & alia efficeret, quæ iure merito
deberet. De Sigismundo nihil audire voluit, nisi prius hæresim
deponeret, & arbitrio Pontificis se permetteret. Acceptauerunt
legati quæ ad Dominicū pertinebant: vtq. tractari facilius con-
cordia posset, inducias belli petiere, quæ concessæ sunt. Venit &
foror Pontificis ad eū Catherina ex arce Spoletana, & Antonia

Romanorū
legatio pro
Pontificis re-
ditu, & eius
ex Tuderto
discessus, to-
tiusq. iuneris
iocundissima
descriptio.

neptis, & infans cū ea, scitus, & admodū pulcher, quē Pius nomi-
ne patris Siluiū iusserat appellari: nondū ille vigesimū attigerat
mensē, & quæcūq. videbat æmulabatur, & multa futuræ prudē-
tiæ præseferbat indicia: Pōtificiq. haudparū iocūdītatis attulit.
Accesserunt & Romanorum legati, viri primarij, quorum v-
nus ex conseruatoribus erat camerae vrbes Petrus Mellinus iu-
risconsultus; & in comitatu nobilium filij venere equorum fa-
mulo-

mulorumq. splendido apparatu. Ij pestem in vrbe cessasse, & vn-
diq. in circuitu purificatū esse aerem: tutaq. omnia dixerunt: mul-
tisq. & magnis precibus Pontificem onerarunt, vt suam reuifere
Romam pergeret, suisq. filijs sese reddere, qui nimio eius deside-
rio tenerentur. Annuit Pontifex, & sequente iam hieme, cum ri-
gerēt omnia gelu, Idibus Decembris ē Tuderto discessit ante lu-
cis exortum: agrumq. non inamœnum pertransiuit, vsq. ad op-
pidum Aqueſpartæ, vbi frequentes turbæ occurrerunt, cum ra-
mis oliuarum, in quis mulier tundens pectus, & genas lacerans
ingenti clamore pro fratris nece lamentabatur, vltionemq. sce-
leris exquirebat. Pius audita causa iudicium Tudertino præſidi
commisit, qui paulo post rem composuit, quamvis familiæ nō
impotentes de sanguine inrer se contenderent. Deinde per mō-
tes asperiores, & iam niue canos ad oppidum ventum est, quod
sancti Gemini appellant in alto colle situm, ibiq. pernoctatum:
locum fuisse olim celebrem ruinæ docent: vineis & oliuetis præ-
stat, ac valli supereminet, quā Nar fluuius irrigat, tantū à Nar-
nia distat, quantū ab Interamnia. Pius hinc digressus, ab Inter-
amnensi populo pro facultate ciuitatis cupide, ac magnifice ex-
ceptus est, prandioq. facto discessit, & per collē Scipolim Stron-
conum se contulit: colles intersunt culti, & amoenissimi, in quis
Bacchus cum Cerere & Pallade certare videtur. Ager fertilis in-
ter olea & vites tritici copiam producit. Insunt & ficus, & nuces
& alię arbores pomiferæ omnis generis. Scipolēses ante fores op-
pidi mensas apposuerunt, pedestremq. turbam cibo, potuq. recrea-
runt. Stronconi, apud quos in conuentu fratrum Minorum pau-
lo extra oppidum Pius noctem peregit, omnem curiam paue-
runt. Ambo hæc oppida libera sunt, Romano tantum subiecta
Potifici, cui seruire libertas est. Stronconiū ab Interamnia quat-
tuor millibus passuum recta euntibus abest, in colle saxeo, vna
tantum parte, eaq. munitissima, hosti accessibile, & à quibusdā
inter Sabinos ascribitur. Idem de Colle Scipionis asseritur, tan-
quam Sabinus ager ad Naris vsq. fluentia pertingant septentrio-
nem versus. Ad meridiem vero quidam Alliam amnem Roma-
norum clade nobilitatum quidā Anienem pro termino ponunt.
Occidentalem partem claudere Tyberim nemo dubitat, à quo
Sabinorum regio orientem versus ad Velinum lacum, urbemq.
Reatinam, & ad Marsos protenditur, Equiculorumque montes,
quos hodie Tagliacotios appellant. Ocnotrios ante inclytum

Italiae nomen, hanc regionem coluisse credunt: & Archades à Palante profectos his in montibus habitasse, ex quibus Imela fluuius decurrit: ab eo loco, quo lacus Velinus per saxa præcepserunt. Mons in altum surgit, qui mediam Sabinorum regionem, percurrens meridiem versus, ad Anienem vsq. protenditur, Tyburiq. imminet. Hunc Seuerum prisca vocauerunt: hodie partem eius sancti Ioannis, partem Nigrum montem appellant: & nostra quidem ætate inter hunc montem & Tyberim Sabinos collocant, nec ultra ad orientem proferri putant. In montibus Petrasforuli nominauerunt veteres, ad rebellandum quam ad habitandum aptiores: quæ sub montibus terra iacet, & in Tyberim vergit, Olivæ ac vinetis egregie prædita est; glandesque passim producit gregibus & armentis maxime accommoda. Sabinos viros fuisse fortes, ac diuites, auctore Fabio constat, qui tum primum Romanos diuitiarum sensum accepisse tradit, cum huius potiti sunt gentis. Ab his Pingentini & Samnites in coloniam deducti fuerunt. Vacumnæ cultus apud eos prævaluit, quam alij Mineruam, alij Dianam, alij Venerem putauerunt. Varro Victoriæ esse ait, à qua dictum est oppidum Vacumna; De quo Horatius.

Hæc tibi dictabam post Fanum putre Vacumnæ.

Pius Pontifex cum à Stronconio discessisset, superatis nonnullis collibus saxorum asperitate difficilibus, in vallem quandam descendit, quæ a sinistris monte Seuero clauditur, à dextris Lunæ montem habet Narniam vsq. protensum sublimitate Seuero partem, cui non pauca adiacent oppida. Vallem perennis interfecat fluuius, qui non procul à Narnia Narem influit. Hunc aduersus eius cursum secutus Pontifex, ad dorsum peruenit, quo Seuerus, & Lunæ montes coniunguntur. Inde aquæ bifariam cadunt aliæ septentrionem versus fluuium augentes, quæ diximus in Narem decurrere, aliæ in meridiem tendunt longo decursu; & has Imelæ fluuium efficere nonnulli censent, qui tandem ad dexteram conuersus, & occidentalem solem non procul à Malliano, præcipuo Sabinorum oppido in Tyberim cadit. Ab hoc dorso plerique Sabinas incipere putauerunt: quicquid ultra septentrionem respicit, Umbriæ tradiderunt. Pius hoc dorso superato in vallem descendit non in amoenam, cui non pauca imminet oppida, inter quæ Asola cernitur alto in monte sita. Oppidani per rebellionem domini veriti ne armis vastarentur, Ecclesiæ se dediderunt, atque idcirco trāscenti Pontifici lætabundi occurrerunt in

subie-

subiectam vallem, multisque precibus petierunt, ne aliquando ab Ecclesiæ Romanæ mitissimo imperio alienarentur: quod Pius sponte, benigneque annuit. Deinde iuxta fluminis cursum iter habuit, donec recta in meridiem flexit: inter saxa vero & asperas ad dexteram decurrentem rupes dimisit, & collem superavit; descenditque ad oppidum Vrsinorum, quod Turres appellant, vna tantum parte oppugnationi patens, qua tumulus altior imminet, quamuis fossa discissus profunda, partes reliquas altissime tuentur valles: non tamen totum collem occupat oppidum: in occidentali parte non parum spatij remansit vacuū, in quo vetus templum est hedera vestitum, quo capto facile illinc oppidum machinæ feriant: sed ascensus in eum arduus atque difficilis. Totum olim fuisse habitatum constat, comminutus loci populus, muros quoque comminuit. Quidam Turres pro Curibus dictas putant, & hanc urbem fuisse suo tempore insignem, ex qua exciti sunt Titus Tacius, & Numa Pōpilius Romæ quandoque regnantes, & Romanos inde Quirites dictos, quamuis Romulum ab hasta Quirinum vocatum eius appellationis fuisse causam constantiori fama credatur. Testis est Gregorius magnus Romanus Pontifex Turres succedere Curibus: qui Gratiano episcopo Numentano scribens, curam, gubernationemque illi ecclesiæ sancti Eutimij in Curium Sabinorum agro constitutæ se commississe dicit. Ipsa vero ecclesia non procul à Turribus sita est, & episcopali titulo gaudet, qui cardinalibus assignatur, Sabinensis appellatus. Nota est Sabinarum rapina virginum, quæ bello exorto parentes viris placauerunt. Vnde foedus cum Tito Tacio factum, & Sabini in ciuitatem asciti sunt: non tamen ferendi suffragij ius habuerunt: Nulla ibi nunc tantæ nobilitatis uestigia extant, uile castellum est ab hæreticis magna ex parte habitatum, qui occultum quendam Pontificem quasi Papam uenerantur, & clam in speluncis, siluisque conueniunt. In superstitionibus tantum sacrilegis ac vanis Numæ posterum. Pius hic nocte peracta cum in vallem descendisset admodum profundam fluuium pertransiuit ex montibus cadentem, in quibus Aspra iacet Sabelli oppidum non ignobile, quod solū ei cum Palumbaria remansit, à loci asperitate, vnde nomen habet defensum. Curenses itineris duces Pontificem per deuia deduxerunt, ex quibus non sine labore ac periculo exiuit, cum essent præruptæ rupes, ac difficiles: tumque primum Pius de perfidia eorum certior factus est, correctos-

que verbis acrioribus dimisit, & ad Cantalupū peruenit, oppidū A
lacerū adhuc repperit, & agrum deformē; oppidani obuiā effusi,
magnis se precibus Pontifici cōmendarunt: inuitos se Romanæ
Ecclesiæ restitisse dixerunt, & nihilominus veniā petierunt: qui-
bus Pontifex nō solū ignouit, verū & priuilegia quādā gratiasq.
largitus est. Rursusq. in vallē alteram descendit, & fluuio quodā
trāsmisso, superatoq. proximo colle ad oppidū venit, quod Myr-
teti Podiū vocāt, idest monasterij Farfensis in colle sitū eminēti,
ac pręrupto sub monte Seuero, cui ad orientē iungitur; inde tan-
tū oppugnationi obnoxiū, sed arce defenditur munitissima, cete-
ra insuperabiles tuētur rupes, & horrenda præcipitia. In arce ha-
bitatio cōmodissima est, ac pene regia, & fons largus ac limpi-
dus aquæ dulcis, & in æstu frigidissimę ex monte perpetuo labē-
tis. Abbas Farfensis, qui & Tranensis archiepiscopus fuit gentis
Vrsinæ, Pontificē in arce collocauit, atq. honoribus cumulauit
amplissimis: sub oppido riuus est, quē Solis appellant: Blondus
eum arbitratur esse, quem Flaccus Digentinā vocat his versibus.

Me quotiens reficit gelidus Digentina riuus:

Quem Mandela bibit, rugosus frigore pagus.


Non procul hinc Montopolis cernitur: vnde nostra ætate Petrus
Romā venit, non ignobilis poeta, qui heroicis, lyricisq. versibus C
multa conscripsit. Desipuit tamen, & furore percitus, in morbū
incidit, ex quo nondū senex obiit. Pius Myrteto relicto ad Far-
farum flumen peruenit, qui opacissimis vndiq. tectus arboribus,
per monasteriū, cui nomē dedit, in plana descendit, & vbiq. lim-
pidus, trutarū ferax in Tyberim cadit. Hoc ponte transmissio, &
proximo, atq. eminēti colle superato, ad paludes peruenit, quas
fluuiolus interfecat, Curetū quidam esse volunt, qui podio Cu-
res nomen dedit: nōnulli amnem Alliā prisco nomine dictū pu-
tant, qui Sabinos à Crustumijs olim disunxerit, sexto decimo ab
vrbe milliario: quo in loco Romanos diximus à Gallis fuisse de-
letos. Per noctē Pontifex in Monterotundo quieuit apud nobi-
les familiæ Vrsinę. Monsrotundus nō ignobile oppidū, frumenti
viniq. ferax, & alendo pecori cōmodissimū, duodecimo ab vrbe
milliario distat, & inter Crustumios sitū est, inter quos & Vehiē-
tes Tyber fluit; Fidenas quoq. Crustumijs attribuūt, & Nomen-
tū, & Palumbariā: pleriq. Sabinis omnia concedūt trans Anienē
sita, septentrionē versus Naris vsq. fluēta. Contemplatus est om-
nia Pōtifex inter eundū nō sine animi remissione, ac voluptate.

COMMEN-

COMMENTARIORVM

P II. II. PONT. MAX.

LIBER VNDECIMVS.



DIVS exinde decimoquinto calendas Ianua-
rias ad urbē redijt, Aniene per pōtem tran-
smisso, quem Numentanum vocant nobile
Narsis opus, quo in loco ab urbano popu-
lo summo cum desiderio expectabatur. Ci-
uitas, quæ propter eius absentiam, & quæ
nimium crassata fuerat pestiferam luem,
moestissima erat, redeūte Domino pristinā
recuperavit hilaritatem, & lugubri veste deposita festos egit
dies. Pontifex in Natali saluatoris Domini, sacraq. nocte bene-
dicto pro more gladio, legatum Venetū sui principis uice aman-
tissimis verbis donauit, vt illo in hostes fidei Turcas vteretur.
C Post recessum ex Tuderto Pij Iacobo Picinino, qui ex Troia-
no conflictu cum paucis, hisque prorsus inermibus, ac nudis in
Aprutios profugerat, nec suis rebus, qua consulere posset, vllam
inuenerat viam, ex insperato casus oblatu est, qui miserum sub-
leuaret. Rogerottus comitissæ Celani filius, qui præter volunta-
tem matris Gallicis militasset, ac propterea minus gratiæ apud
eam inuenisset, Picininum adiens iudicium in se matris iniquum
dicit: feminam Ferdinando parentem, atque aduersam Gallis
ejiciendam fore, sibi que tradendum imperium, qui numquam
Aragonenses, aut Cathalanos amauerit; habere amicos, qui sibi
matrem tradant cum exercitu profecturo. Petit vt secum per-
gat cum his quæ sibi remanserant copijs: opulenta spolia rela-
turus. Arripit occasionem Picininus, ingressusque signis infestis
agrum Celani, prima incursione castella pleraque occupat,
quæ vltro se dedunt: deinde oppidum inuadit, in quo erat co-
mitissæ, ipsumque vi capit atque diripit. Illa in arce nonnul-
lis diebus sese defendit: & cum nemo succurreret, admouentur
bombardæ, quassantur turres detestabili exemplo, matrem
filius obsidet, atque omnibus tormentis oppugnat: mater
filium

Pij in urbem
reditus cini-
bus expecta-
tissimus, & sa-
cri gladii Ve-
neto principi
elargitio.

Picininus Ce-
lani comita-
tum inuadit
Rogerottiim
pijsimi Co-
mitissæ filij
suasu atq. au-
xilio.

filiū sagittis impeti iubet: filius matrem omni telorum genere A
quærit, nec ulla inueniri conciliatio potest: expugnatur tan-
dem ruentibus muris infelix mater, atque impijssimi filij capti-
ua clauditur. Diues supellex argenti & auri, ac lanarum ma-
gna vis Picinino cedit. Castella & arces Rogeretto traduntur.
Hic fructus incestuosi matrimonij fuit, si matrimoniū licuit ap-
pellare, contra ius fasque contractum. Comitissæ Celani Cobel-
læ fuit nomen ex Iacobella (vt est vero simile) per diminutionē
deductum. Pater eius virili orbatus sobole, tris filias priusquam
moreretur nuptui tradidit; Cobellam nondum viro maturam
fato defunctus domi reliquit: Huic multi fuere proci, qui pro-
pter principatum secundum leges patrias ei debitum, connubio
iungi petebant. Non tulit Martinus quintus Pontifex. maximus
hanc rem, Aduardo nepoti admodum adolescenti puellam ma-
trimonio iunxit, dotalem vt ei comitatum pararet. Triennio si-
mul mansere coniuges. Mortuo deinde Martino, Cobella iam
grandior siue strummosum dedignata virum, siue, quod postea
vulgauit, impotentem: clam fugit ad suos. Aduardus aliam deni-
que superinduxit, ex qua susceptis pluribus liberis virum se esse
ostendit. Iacoputus Caudola de cuius moribus relatum est, Ce-
lani comitatū cupiens suo conterminum, iam senex Cobellam C
sibi coniunxit tanquam legitime à coniuge non viro diuertisset.
quo mortuo ne Celanum extra familiam fieret, nepos ex fratre
viduæ iunctus est, cui durante adhuc priori matrimonio fuisse
commixtū rumor erat. Ex his nuptijs natus est Rogerottus in-
cestis ac nefandis, à quo mater sui sceleris pœnas tulit. Pius co-
gnita Celani captura: Hic est, inquit, fructus recufatarum indu-
ciarum, quas tantopere Ferdinandus exhorruit; sed quis morta-
lium de futuris recte iudicat? Falluntur humana iudicia, sæpeq.
noxia tanquam profutura eliguntur.

Sulmonæ à
Picinino per
famem expu-
gnatio.

Sulmonenses circa idem tempus annonæ penuria laborabāt: D
quo percepto Picininus iā paulisper confortatus Celanensī præ-
da ad castella Sulmonæ propinqua se contulit, prohibiturus ne
quid commeatus importaretur: haud ignarus nihil tam facile vr-
bes expugnare, quàm famem. Vicos per circuitum occupat, at-
que omnes aditus imposito milite claudit: ciuibus nisi se statim
dedant, vastationem agri minatur: cum non parerent, vites atq.
arbores præcidit, & vsque ad portas suburbana corrumpit. Ci-
ues ad Pium mittunt: quo sint in statu exponunt, & quæ pericu-
la ti-

la timeant: tritico sibi opus esse dicunt, id si queat importari: ni-
hil vrbi timendum. Pius Robertum Vrsinum virum audacem
cum peditibus trecentis, equitibus galeatis quinquaginta in A-
prutios ire iubet, qui coniunctus Matthæo Capuano, & Alonso
Hispano, suppetias obsessis ferat. Cum Picinino Caudolenses e-
rant, & Montorij comes, & Rogerottus, & dux Soranus, & Ho-
noratus Sermonetæ dominus, Deiphebus Euerfi filius; & Ioan-
nes Andegauensis, non tam Picinino imperans, quàm parens,
Iacobum belli ducem, & regem dixisses; Ioannem quasi vnum
qui sub imperatore duceret ordinem. Omne partis aduersæ ro-
bur ad expugnandam Sulmonam conuenerunt, excepto Rossa-
ni principe, qui Sinuessam relinquere non audebat. Aquilani vi-
ctui necessaria ministrabāt, propter quod (sicut postea dicemus)
visi sunt induciarum fœdera violasse. Incumbebatur expugna-
tioni vrbis non arietibus, aut alio machinarum genere: annonæ
caritas victoriam promittebat, quæ magis indies ac magis oppi-
danos premebat. Conueniunt simul Robertus atque Matthæus,
& cum se minus validos ad congregandum cum hoste putarēt,
absente Alonso, qui moras neceret, peritos viarum consulunt, si
quod iter inueniri possit, quo liceat clam hostibus commeatus
ad obsessos deferri: illi montem ostendunt, qui supereminet vr-
bi altissimus, & ascensu difficilis, hiems horrida congestis niui-
bus difficiliorem reddiderat: hunc si contendere velint, superari
posse affirmant, quamuis nō sine labore ac periculo: indeq. fru-
mentum humeris hominum ad Sulmonenses conuehi. Suadet
omnia necessitas. Emitur vis magna frumētī, & ad radices mon-
tis comportatur iumētis. Exin pedites sacculos tritici parui pon-
deris per niues & glaciem reptantes (tantum lucri dulcedo po-
test) ad alterum montis latus deferunt: vbi presso Sulmonenses
adsunt, qui reddito pretio, ac mercede laboris tradita desideratū
D alimentum in vrbe conuehant, eoq. modo per plures dies esu-
riem populi adeo mitigāt, vt ablata Picinino victoria videretur,
qui non sine penuria necessariorum degebat. Panis militi niger-
rimus, & his quidem parce tradebatur: farmenta contrita pro-
fœno & ordeo equi vorabant: deterior obsidentis, quàm obfessi
conditio fuit. Peruicit obstinatio proditoris cuiuspiam beneficio,
qui cum Sulmonensibus militaret, Picininus commonuit quo
tempore, quoq. itinere Vrsini milites frumēta deferrent: vbi Sul-
monenses illa reciperent, & quibus modis intercipi possent. Mi-
sit

fit Picininus ad loca insidiarum designata milites, qui signo accepto à proditore in tempore quasi ex improviso erumpentes, & partem plebis Sulmonensis, & quadraginta circiter Roberti milites onera gestantes interceperunt. Quos Picininus maiori ex parte laqueo suspendit. Secundum hanc cladem ciuitas fame coacta deditioem fecit, quinque millibus aureis in pœnam toleratæ obsidionis multata. Potentiori restitisse peccatum fuit. Erexit ea victoria Picinini famam, quæ propemodum sepulta videbatur: labantesq. suarum partium animos confirmauit.

Ferdinandus Pontislatroni obsidionē turpissime soluit, Capuamque quasi Picininū fuger, rediit.

Accesserat & aliud paulo ante facinus, quod eius estimationi haud parum addiderat. Ferdināus cum victor ab Ofanto redisset, Tarentino principi data pace, Serra, Capriola Caudolis adempta: Montorio, Porcina, Sancto Martino, & alijs plerisque castellis comiti Cāpibassi ablatis: pluribus regulis in potestate redactis, Pontelandolfo direpto, atq. incenso, quem diebus quindecim oppugnauerat, Poianello per concordiam obtento; ad Pontemlatronum se contulerat Rossani principis oppidum: binisq. castris obsidionē obfirmauerat ita profundis interiactibus vallibus, ut altera alteris nulli possent visui esse. Castellum quoque proximum hosti parebat, ex quo transitus iu pontem liber patebat, nec frequentes in castra copiarū venerant. Sfortianorum maxima pars ad hiberna concesserat, ex turmis aliorum multi diffugerant. Tempus quoq. incommodum fuit ventis atq. imbribus obnoxium. Quibus ex rebus damnatum est consilium regis, & pleriq. dolosum putauere ab his profectū, qui palā prætententes amare, clam oderunt (ut est omnis regia proditoribus plena) Ea cum Picininus cognouisset, repente cū expedito milite magnis itineribus ex Aprutio Sinuessam venit, eo consilio, ut manus cum hoste confereret: haud dubius quin alterutra castra expugnare posset. Non expectauit congressum Ferdinandus, qui pluuiarum nimbos, aduersamque tempestatem accusans, quibus cœpta impedirentur, propere obsidionem dissoluit, Capuamque se contulit, nec eo anno amplius castrametatus est. Cuncti fugisse regē ante Picinini faciem dixere, etq. liberati oppidi nomen dederunt. Clarum fuga regis Picininum reddidit: Sulmonensis uictoria clariorem, qui uictus prælio, uinceret urbes, & plus hieme quam æstate ualeret.

Sfortianorum equitum turmę circa idem tempus in Appulis quattuor apud sanctam Seueram hibernabant, ut est consuetudo mi-

Sfortiani in hibernis apud sanctam Seueram oppidanorū rebellionē diripiuntur.

do militum, non sine oppidanorum damno atque iniuria. Ceperat id oppidum æstate superiori Ferdinandus per deditioem, quamuis expugnare armis poterat, ac militibus ad tolerandum inopiam diripiendū tradere. Noluit seuerus in seueros esse, neq. admonitus est loci nomine: in sancta Seuera mitem ac clementē se præbuit: pepercit multitudini: laude id dignū. At factionis ducem, in contoremq. rebellionis impunitum relinquere quis probauerit? Crescūt impunitate delicta: audet quotidie maiora quæ sine periculo minora patrauit. Consecutus veniam Seuerinæ rebellionis auctor alteram è vestigio molitus est. Damnanti populo Sfortianorum opera, qui viros ac mulieres contumelijs afficerent, ultionem suadet; arma uti capiant hortatur, atque improuisos hospites intempesta nocte adoriantur, & ad unam trucidant: prope adesse Gallorum auxilia, & Tarentini principis manum, audeant nihil periculi fore: Ferdinandi partes & in Aprutio, & in Terralaboris profligatas dicit. Arripiūt oppidani consilium; de nece tantum dissentiunt: adoriantur ex improviso Sfortianos; intromissisq. auxilijs ad eam rem paratis, arma & equos hospitibus auferunt, & alios captiuos retinent; alios nudos emittunt: atq. iterum Rhenati vexilla erigunt, & regno eius sese subijciunt. Tria hæc vulnera post Troianam uictoriam Ferdinandi partibus illata sunt: Celani comitatus ad hostes defecit: Sulmona perdita est: sancta Seuera non solum rebellauit, sed equitum cohortes validissimas exarmauit: quibus cladibus fuga regis accessit, quæ tanto turpior uisa est, quanto rarius audire solemus uictorem à victo fugari: non tamen his successibus compensata est hostibus Troiana clades, quæ Gallico nomini Tarentinum Principem, regniq. partem præcipuam ademit.

Angliæ regina, quam supra diximus auxilijs à Ludouico rege Franciæ impetratis in Scotiam nauigasse, dum ista fiunt, in parte Angliæ Boreali ultra Eboracum, bellum innouat, & aliquot castella expugnat: occurrunt regis Eduardi copiarū, & in certamine, Scotos Gallosque fugant, castella recuperant: & intercocepta in eis præsidia, quæ regis Henrici nomē profitētur, crudeliter necant: Francis, qui se Ludouico militasse aiunt, ut se redimant potestatem faciunt. Hac uictoria consternati omnes, qui partes Henrici tuebantur, ad Eduardū defecere, duce Somersetiui uiam monstrante, ac stultum esse dicente, sæpius aduersus Dei uoluntatem pertinaci animo depugnare: illā, ut uidetur, Eduardo re-

Henrici partes in Anglia superantur, Franciscusq. Interamnensis ep̄s quod legationem Anglicanam infideliter gefisset interceptus à Pio præuatur, ac monachus efficitur.

do regnum promississe: proinde nolle se diuinæ voluntati resistere, seque victori permisit, à quo receptus in gratiam, paternam hereditatem consecutus est: Eduardo regnum confirmatum: Henricus in Scotia curarum expers ac modico contentus remansit. Regina cum filio ad Ludouicum mœsta & inops consilij in Franciam redijt. Has regni Anglici mutationes Galli, & qui eis consentiebant, Francisco Interamnenfi episcopo imputabāt, qui missus in Angliam ad imploranda contra Turcas auxilia, placandamque gentem dissidium excitasset, partes regis excommunicasset, aduersis æterna salute promissa benedixisset; nec vanus erat rumor: Ambitio & ingentia promissa Franciscum deceperant, cui Pontifex re cognita, vt ad se quam propere reuertetetur, litteras dedit. Ipse sibi conscius ac timens Eduardi regis, & aliorum principum commédationes emendicauit; & tanquā procurator Anglorum, ac Francisci Mediolanensium ducis consiliarius ad curiam remeauit; multa in suam purgationem adducens. Cumque auri vascula, & gemmas pretiosas ex Anglia attulisset, quamplures (venalem namque suam legationē fecerat) ex mammona iniquitatis amicos sibi parauerat, quorum præsidio Pontificis sibi aures conciliaret. In Apostolico quoque palatio cardinalis Theanensis, & Gilifortus Thesaurarius veteri secum amicitia iuncti erāt, & amico ne periclitaretur operas nauabant. Dissimulauit aliquandiu Pontifex: at cum Roma discedens Vituruium petiuisset, rumorque in dies crebesceret, Interamnensem episcopum præter spem omnium vltionem euasisse, Iacobo Ptolomœo vt episcopum caperet, atq. in Hadriani mole retineret occulte mādauit. Eoq. facto tabelliones, & iudices, qui reum diligenter examinarent, illico Romam misit: ille absq. tormentis de vexillo, de anathemate, de ceteris obiectis cuncta confessus est, & amplius simoniacæ labis multas turpitudines, qui beneficia per pecuniam contulisset: & sacros ordines, & indulgentias, & absolutiones: scripsitq. confessionem suā manu propria, neque negare istec poterat: libri eius intercepti, quos ipse dictauerat, atq. signauerat, eadem continebant. Damnabant cardinales, prælatiq. fere omnes episcopum indemnatum in vincula coniectum esse, Pius clamoribus posthabitis clausum custodiri iussit, donec Romam reuentum est: Deinde confessionem rei ad se clam vocatis Auditoribus Rotæ, ac iuramēto adactis ne quid efferrent, examinandam tradidit; & qua poena plectendus esset

episco-

episcopus, qui talia commisisset percōctatus est: illi tempore ad deliberandum obtento, post dies octo scriptam signatamq. Rotæ sigillo suam sententiam attulere: qua priuandum episcopatum, & ab ordine deponendum censuere, & in aliquo monasterio detrudendum, vbi sua peccata perpetuo defleret. Vocatur deinde consistorium secretum, in quo Pontifex Anglicana gesta commemorat, & cruentissima bella, quibus Interamnenfis episcopus minime iussus interfuerit, & Ecclesiæ vexillū crexerit sua manu confutum, confessionem eius producit: deinde cardinaliū sententias exquirat: cumque mitiora nonnulli censerent, quàm tanta scelera mererentur, & amici episcopi comminuere delicta conarentur, consilium Rotæ in medium protulit: quo lecto erubere defensores rei, & pars maxima cardinalium in auditorum sententiā pedibus iuit: Pius episcopum pro meritis Interamnenfis priuauit ecclesia, & ab ordine deposuit: ille postea siue religionis zelo accensus, siue quod in sæculo dignitate priuatus vitam sibi molestissimam duceret, à Pontifice petijt, vt liceret sibi in monasterio sancti Pauli cum monachis Cassinensibus, alias sanctæ Iustinæ, diui Benedicti ordinem profiteri: indultum est, & vt in presbyteratus ordine ministrare posset, cōcessum: nec mora habitus datus, & pro Francisco, Ignatij nomen assumptum, sub quo in hanc vsque diem sine reprehensione Domino famulatur: Monachus melior quàm episcopus, si coeptum tenuerit iter.

Anno priusquam ista fierent apud Brixiam Cisalpinae Gallie ciuitatem Iacobus Marchianus ordinis Minorum professor, diui Bernardini Senensis quōdam socius, verbi Dei prædicator in populis acceptus, ætate iam decrepita, in die sancto Paschæ cū sermonem pro sua consuetudine haberet ad plebem, vt est communis error eorum, qui declamatorie in ecclesijs verba faciunt, ad ostentationem doctrinæ pleraq. dixit, quæ fuerat vtilius intacta dimisisse: Inter cetera pretiosum Christi sanguinem in triduo passionis, dum iacuit in terra sparsus, indignum fuisse latriæ cultu asseuerauit, quoniam fusus & à corpore Dominico separatus, hypostoticam verbi vnionem protinus amisisset. Publicatus sermo ad aures Inquisitoris hereticæ prauitatis, ordinis Prædicatorum peruenit, qui zelo fidei tactus, illico damnatam hæresim prædicatam dixit, mandauitque Iacobo vt reuocaret errorem, nisi quamprimum pareret, responsuro de fide diem dixit, & nihilominus vnum ex confratribus in sermone, qui post meridiem

Disceptatio acerrima inter prædicatores Monachos & minores, An sanguis Christi pretiosissimus in triduo passionis à corpore separatus, diuinitati vnitus perseuerauerit.

meridiem habitus est, contrariam sententiam diuulgare iussit. **A** Iacobus, qui annos quadraginta sine reprehensione verbū Dei populis annunciaffer, ac suo & aliorum iudicio fructum attulisset Christianæ religioni non modicum, dictam sibi diem impatientissime tulit. Tactus est mons, & fumigauit: pauperiem pati, & famem, & sitim, & corporis cruciatum, & mortem pro Christi nomine nonnulli possunt, iacturā nominis vel minimam ferre recusant, tanquam sua deficiente fama, Dei quoq. gloria peccat: Vir vere bonus, etiā famam ubi opus est contemnere nouit. Concurrente sequenti die ad Ecclesiam populo, ambonem ascendit, & multa de se ipso sine modestia locutus, qui omnem aetate suam docendo populos & in Italia & Hungaria consumpsisset, nec vnquam fuisset inuentus error in ore suo: vehementer se dolere ait, quod iam in extremo senio tanquam hæreticus accusaretur, ex eo quod sanguinem Christi in passione fufum diuinis honoribus asseruisset indignum: non suum id esse inuentum, doctores magni nominis ita in scriptis reliquisse: produxitq. libros Francisci Maronei, ac Richardi, & aliorum, qui de sanguine Iesu ea continebant, quæ à se fuerant prædicata. Creuit hoc facto contentio, & schismata in populo facta sunt: pars Iacobo ac Minoribus fratribus, pars inquisitori & Prædicatoribus auscultabat, & alteri alteros tanquam hæreticos incusabant. Interposuit episcopus loci vices suas, neque sedare tumultum potuit, aut in flatas opinione sui placare mentes: Iacobus nisi vinceret labores suos annorum quadraginta, quibus sine intermissione prædicando populos instruxerat, cassos fore arbitrabatur; Inquisitor defensionem fidei præteriri non posse aiebat. Res ad Apostolicam sedem remittitur: Pius consulente senatu vtrique parti silentium imponit, præfectisq. ordinum mandat in termino, qui sepe prorogatus est, doctissimos theologos ad curiam mittant. Conuenire frequētes Romæ in festo Natalis Domini anni Millesimi quadringentesimi sexagesimi tertij, cum iam Pius ex Tuscia redisset. Vocantur in Apostolico palatio cardinales, episcopi, ac diuini & humani iuris doctores, quorum maximus aderat in curia numerus. Iubetur Prædicatores, ac Minores bis ternos eligere, qui simul congregantes in vtramque partem quæstionis articulum disputantes inuertant: paritum est. Inter Prædicatores præcipuè disputandi partes Gabrieli Cathalano sunt attributæ: inter Minores Francisco Saonensi, vterque philosophus, vterque theologus per

Augustinus peritissimus habebatur. Aduentauerat ex gymnasio Parisiensi Vilhelmus quidam nomine, ordine Minor, natione Gallus, quem sui gentiles omnia supra verum extollentes, in doctrina theologica monarcham, & omnium doctorum doctorem appellabant, ac veluti quoddam numen admirabantur, cui theologi Italici generis comparati, vix nomen discipulorum mererentur: hunc Minores, qui de sanguine disputaret triumuirum elegere. Ea res virum contemptibilem reddidit, cum nihil diceret auditu dignum: quemadmodum terræ flumina quantum vis ampla, & profunda nomen amittunt ingressa mare: ita & doctores domi clari, & inter suos illustres Romanam aduētes curiam inter maiora lumina nomen & lucem amittunt: pari modo Vilhelmus Galliam & Italiam penetrauit gloriosus, Romæq. nonnullos deterruit opinione doctrinæ, tanquam ea dicturus, quæ nemo auderet confutare: sed cessit repente doctis curiæ viris, & cristæ cecidere superbo: non vixit paulo post certamen Vilhelmus, ex morbo correptus obiit Romæ: corpus eius Minores in Aracæli condiderunt: viri vitam præter tumorem doctrinæ laudabilem & castam fuisse tradunt. Disputatio de sanguine tribus diebus in palatio, coram Pontifice, ac sacro senatu cardinalium, & reliquorum prælatorum conuentu agitata est: Prædicatores conclusionem, quam defendere vellent in hunc modum proposuere: Pretiosum Domini sanguinem in passione fufum, qui demum ad glorificatum corpus redijt, hypostatica verbi vnione nunquam fuisse priuatum. Minores in triduo passionis cessasse vnionem affirmauerunt: vnionem autem hypostaticam græco vocabulo consensere omnes personalem appellari latine debere: quoniam Verbum Dei secunda in Trinitate persona caro factum, quamuis Deus esset & homo, duasque naturas præferret, vnā tamen personam non duas gereret, & in vna persona totus in suis Deus, & totus in nostris homo contineretur: uerus Deus, & uerus homo; perfectus Deus, & perfectus homo. Additum quoque à prædicatoribus est, quod non totum Christi sanguinem in passione fufum resurrexisset cum Christo asserturi essent; quæ res altius indaganda uideretur: idque factum est, ne litteris Pij aduersari uiderentur, in quis declarauerat Tybure manens, assertionem, quæ aliquid

quid de Christi sanguine in terris proderet remansisse religioni Christianæ non esse contrariam. Pulchrum & delectabile fuit audire doctissimorum virorum præclara ingenia inter se contendere verbis, & nunc istum, nunc illum superiorem cernere. Certare, ut decuit, coram tanta maiestate, non sine modestia, ac trepidatione viri religiosi: verum adeo durum & acre certamen habere, ut media hieme, cum rigerent omnia gelu, in sudorem resoluerentur: tantus erat vincendi ardor. Audiebant attentissime confedentes, nec loquentem interturbare quisquam præsumpsit. Prædicator primus auditus est: deinde Minor. Succedebant sibi inuicem tres viri, & alacres deficientium partes assumebant. B Cum satis dixisse visi sunt Minores & Prædicatores, facta est potestas reliquis theologis quæ vellent dicere: tum quoque prælium nobile visum, cum Prædicatorum alij, Minorum alij partes tuerentur. Præcipua vero contentio inter duos episcopos fuit Dominicum de Dominicis Torcellanum, & Ferrariensem theologice sapientiæ peritissimos. Torcellanus, qui olim cum Minoribus senserat, mutato proposito ad Prædicatores defecerat: Ferrariensis Minoribus astipulabatur, & summo conatu sententiã impugnabat Prædicatorum. Fuerunt & magistri aliquot inter episcopos, & abbates non ignobiles, qui disputationem problematicam affirmauerunt; quæ posset in utramque partem agitari. Non tædebit fortasse lectorem quibus rationibus, quibusve auctoritatibus quæstionis articulus sit agitatus agnoscere. Attingemus summos argumentationum locos, & partium fundamenta: deinde lectori iudicium relinquemus, donec sancta sedes Apostolica decretum apposuerit, nisi iam videatur appositum. De sanguine Iesu extra corpus effuso dubitatum est: an verbi retinuerit unionem: prius quam funderetur, & postquam resumptus est ad glorificatum corpus, tam Minores, quam Prædicatores unitum fuisse diuinitati Dominicum sanguinem concesserunt, cum D Christus in vna persona Deus & homo in coena dixerit: Hic est calix sanguinis mei noui & æterni testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur: & hodie in altari sanguis Domini consecratus diuinos consequatur honores. De triduo passionis contentio fuit. Prædicatores quamuis fundatam haberent intentionem, quoniam unione concessa separationem probare Minores decebat: eam tamen in hunc fere modum fundare ac probare conati sunt. Dixerunt enim Dei filium æterno Patri, & Spiritui

A Spiritui sancto coequallem, cum redempturus humanum genus incarnatus atque humanatus est, non præsubstanti secundum se ipsam carni unitum fuisse, sed inhabitantem in utero sanctæ Virginis incircumscriptæ in sui ipsius hypostasi ex castis semper Virginis sanguinibus carnem animatam anima rationali, & intellectuali substituisse, ac nostræ massæ primitias assumpsisse, Deumque, qui erat natura perfectus, factum fuisse perfectum hominem, & in ipso quidem instanti unionis momento, quando verbum caro factum est, mox affuisse sanguinem. Afuit enim illa caro, & quidem viua, quæ sanguine carere non potest, quemadmodum philosophi tradunt: nec dubium quin simul carnem, & sanguinem, & ossa, & nervos, & pellem, & cetera, quæ sunt hominis, filius Dei homo factus assumpsit: qua re satis ostensa, tritam illam, & apud omnes vulgatam sententiam adduxerunt: quod semel verbum Dei assumpsit, nunquam dimisit; dicente de unione verbi & hominis Damasceno: Inuertibiliter, inquam, inalterabiliter, indiuisibiliter, & inuulstasim confitemur verbi Dei: Et iterum de ipso verbo; Nullam partium naturæ reliquit, non corpus, non animam; sed corpus & animam rationalem, & intellectualem, & voluntariam, & motiuam possidet, & ita ad cælos redijt. Hoc ipsum & auctoritate magni Leonis comprobauerunt, asserentis quæcunque in unione verbi Dei & hominis conuenerunt, neque separationem vnquam, neque finem perpeti potuisse: sanguinem igitur qui fuit assumptus à verbo, & qui illa in unione conuenit, nunquam fuisse dimissum; alioquin filius Dei sine sanguine ad cælos ascendisset, quod nefas est opinari. Exin multa sacri eloquij testimonia produxerunt, quæ sanguinem Christi humanæ redemptionis pretium fuisse commemorant, & quidem fusum, atque ipsi sanguini ea tribuunt, quæ diuinitati conueniunt, ut est peccata delere, mundare conscientias, Ecclesiam Dei acquirere; vetus Adæ piaculum detergere: vitam nobis in Deo præstare; Euangelium sanctificare: & in hunc modum plura: ait enim in Euangelio Dominus, Sanguis meus est potus, nec adiecit in corpore clausus, simpliciter ait, Sanguis meus, quasi omne tempus respiciens, in quo suus posset sacramentaliter percipi sanguis. Et Petrus in epistola dicit. Non corruptibilibus auro & argento redempti estis de vana conuer-
K K 2 satione

fatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni
 immaculati & incontaminati Christi Iesu: & loquitur de san-
 guine fuso per comparationem ad agnum immaculatum, qui
 fuerit in veteri testamento figura Saluatoris, & cuius sanguis
 effundebatur. Non fuisset dignum pretium sanguis Christi ef-
 fusus à diuinitate relictus. Et Paulus ad Hebræos scribit: Si e-
 nim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ asper-
 sus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quanto
 magis sanguis Christi, qui per Spiritū sanctum semetipsum ob-
 tulit immaculatum Deo emundabit conscientias nostras ab o-
 peribus mortuis ad seruiendum Deo viuenti? Sanguinem Chri-
 sti hircorum, & taurorum sanguini comparat, fustum fuso,
 & præfert Christi propter vnionem Verbi, vt in eodem loco
 exponit Nicolaus Lyritanus. Idem Paulus in Actibus Aposto-
 lorum: Attendite, inquit, vobis & vniuerso gregi, in quo po-
 suit vos Spiritus sanctus episcopos regere Ecclesiam Dei, quam
 acquisiuit sanguine suo, non retento, intellige, sed effuso: quò
 in loco scribens venerabilis Beda: Non dubitat, ait, sanctus
 Paulus sanguinem Dei dicere propter vnionem personæ in dua-
 bus naturis Iesu Christi. & Ioannes Apostolus in epistola:
 Sanguis, inquit, Christi emundabit vos ab omni peccato. &
 rursum Paulus ad Hebræos: In sanguine, inquit, mundantur
 omnia, & sine sanguine non fit remissio peccatorum. Et Da-
 mascenus lignum crucis adorandum ait propter contactum
 corporis & sanguinis Domini. Et Augustinus contra Faustum:
 Nostra emendatio, inquit, & Dei propitiatio nulla est sine
 sanguine: nec dubitat Christum dicere pro nostra redemptio-
 ne sanguinem suum fuisse, & librum Euangelij eo sanguine
 sanctificasse, idest confirmasse. Et Leo in sermone de passio-
 ne: Sanguis, inquit, immaculati agni antiquæ præuaricationis
 peccata deleuit. Et alibi: Nunc etiam carnalium sacrificiorum
 varietate cessante, omnes differentias hostiarum vna corporis
 & sanguinis sui compleuit oblatio, & amplius sanguis vnus
 iusti, quem nobis donauit, qui eum pro conciliatione mundi
 credimus fustum, hoc contulit patribus, qui similiter credide-
 dere fundendum. Et alia in hunc modum testimonia quam-
 plurima in medium sunt adducta, cum sacro ex canone,
 tum ex dictis sanctorum virorum, quos Romana veneratur
 Ecclesia: quòd si ea facere sanguis Domini fustus ostenditur,
 quæ

quæ diuinitati conueniunt; nō est cur dicere liceat ab effuso san-
 guine diuinitatē abijisse. Huc & figuras traxere veteris testamen-
 ti, quæ per sanguinem agni fustum, & vitulorum, & hircorum
 fundendum Christi sanguinem præsignabant, & tum primum
 vim purgatiuam, conseruatiuamq. inesse sanguini ostendebant:
 cum erat sparsus: ipso enim & postes & altaria linebant, neque
 sine illo audebat summus sacerdos Sæcta Sanctorū ingredi, co-
 pranda est figurato figura, & cum Apostolo concludendū plus
 valere Christi sanguinem extra corpus, quàm illorum anima-
 lium, atq. adeo valere, vt ipse fuerit, qui Sæcta Sanctorum pur-
 gauit, & alia fecerit, quæ animalium sanguini scriptura ve-
 tus attribuit; & tãdem nos in cruce fustus ab hoste redemerit. Ad
 quam rem pulcherrimā Ioannis Chrysofomi super Ioannem
 introducta est auctoritas in hunc modū: Hic sanguis effusus v-
 niuersum abluuit orbem terrarum: de quo multa Paulus ad He-
 bræos profecutus est: hic sanguis delicta & Sæcta Sanctorū pur-
 gabat: Quòd si eius figura tantam habuit vim in tēplo Hebræo-
 rum in media Aegypto liminibus aspersus; longe magis veritas
 hic sanguis aureum altare sanctificauit: sine hoc princeps sa-
 cerdotum in penetralia ingredi non audebat: hic sanguis sacer-
 dotes faciebat; hic in figura peccata purgabat, quæ sine verbi cō-
 iunctione haudquaquam potuisset efficere. Inuenta est diui-
 Bernardi auctoritas, qui vnā guttam sparsi sanguinis Domini
 Saluatoris ad redimendum genus humanum suffecturam fuisse
 testatur. Idem affirmat Clemens Pontifex maximus in episto-
 la, quam edidit exhortatoriam, vt Christiani principes pro tuen-
 da religione aduersus infideles arma fumerent: quam & Nico-
 laus quintus in suis litteris inseruit, & addidit rationē Clemens
 propter vnionem Verbi, quæ vim sanguini dedit. Cumque om-
 nium doctorum sententia sit, sanguinem Christi tanquam no-
 stræ redemptionis pretium non diabolo, vt quidam stultissime
 putauerunt, sed Deo patri, atq. ipsi Trinitati fuisse traditum, a-
 lienum à nostra religione, absurdum, atq. impium videri debet
 Dei sanguinem Deo datum, Dei esse desinere, & pretium ipsum
 in ipsa traditione uilescere, ac si aurum creditori numeratum
 conuertatur in cuprum, damnarent homines hoc inter homines
 fieri: & nos hanc deceptionem apud diuinissimam Trinitatem
 admittemus, & Deum sibi ipsi concedemus illudere? Cur præte-
 rea nobilissimus Christi sanguis iā semel diuinitatis vnione do-
 natus

natus tanto priuetur dono? cum dicat Apostolus, sine pæniten-
 tria esse dona Dei, quoniam sine culpa nō amittuntur eius cui do-
 nantur: & quæ culpa fuit sanguinis? nulla equidem vt obediret
 Trinitati, & quod erat constitutum ab initio fieret: de corpore
 missus fluxit in terram: non est obedientia plectenda, sed præmio
 prosequenda: Et anima: quæ semel Deo per beatitudinem vnita
 est, nunquā dissociatur, dicente in Apocalypsi Ioanne, Foras nū-
 quam egredietur: nō tam solida illa est vnio, quàm verbi & san-
 guinis; & illam dissolui nolumus, hanc dissolutam asserimus? vt
 quid insuper separatio breui temporis, cum paulo post iterū vni-
 ri deberet? Vnam verbi & hominis vnionem factam esse, nō duas **B**
 legimus: quo pacto cum sanguine bis vnitum dicimus verbum?
 quæ ratio suadet? quæ vtilitas? Instituit Dominus sacramentum
 altaris in vltima coena, vt esset passionis suæ memoriale perpe-
 tuum, & sanguinem seorsum à corpore conficiendum docuit,
 quoniam in triduo passionis sanguis fuit à corpore separatus: si
 fuisset tunc diuinitate priuatus, non meruisset in altaris sacra-
 mento representari, quia vilior fuisset ipso representante: nec
 ratio suadet eius rei pro eo tempore memoriam fieri, quo diuini-
 tatem perdiderat, & nullam, vt aduersarij volunt, ad salutem hu-
 mani generis vim obtinebat. Quid si Iacobus Apostolus, quem **C**
 ferunt missam ordinasse, in triduo passionis celebrasset, an purū
 hominis sanguinem, & non Dei confecisset? Dicent aduersarij
 sine Deo sanguinem esse in calice, quia sine Deo iacebat in
 terra. At opinioni huic nō quadrat Euāgelica lectio, in qua Chri-
 stus loquens Deus & homo sanguinem suum dicit: nō erat suus
 si non erat Dei: Quod si nondum toto effuso sanguine, nondum
 aperto Christi latere celebratio intercessisset, dicendum esset in
 calice sanguinem pro parte coniunctū diuinitati contineri, pro
 parte disiunctum, si Minoribus auscultetur, qui sanguinē in cor-
 pore retentum semper unitum, à corpore separatum, semper à **D**
 uerbo disiunctum tradūt, nec dubium est quin totus Christi san-
 guis in calicem perfluxisset, quæ res multas secum asserunt ine-
 ptias pro Minorum opinione recensitæ. Oportuisset quoq. san-
 guinem in triduo diuinitate priuatum propriam hypostasim
 habuisse, quæ postea fuerit annihilata unionis reditu; quod tamē
 ab initio incarnationis filius Dei abhorruit, qui ne uel duæ hy-
 postases in Christo dici possent, vel aliquam hypostasim de-
 struere oporteret, ipse carni factus est hypostasis, & in eodem
 tempo-

A temporis momento simul caro, simul verbi Dei caro, simul caro
 animata & rationalis creata est, quemadmodum ex Leone, Da-
 masceno, & alijs auctoribus licet accipere. Sicut igitur corpus
 Domini ab anima separatum in ipsa verbi conqueuit hyposta-
 si: ita & sanguis ab ipso corpore disiunctus. Faciunt ad hoc Sal-
 uatoris verba, qui vbique parem sanguinis & corporis rationem
 videtur habere; dicens, Caro mea vere est cibus: & sanguis meus
 vere est potus: & nisi manducaueritis carnē filij hominis, & bi-
 beritis eius sanguinē non habebitis vitam in vobis: propter quod
 in coena sua corpus pariter & sanguinem suis discipulis mini-
 strauit, & vtriusq. commemorationem fieri mandauit. Similiter
 & in epistolis Paulus Apostolus sanguinem Domini cum corpo-
 re equa lance pēsitat: Reus erit (inquit) corporis & sanguinis Do-
 mini: & plura in hunc modum. Impia igitur corū vox est, & ab
 Ecclesia repellenda, qui corpus in sepulchro iacens Domini Sal-
 uatoris diuinitati vnitum asserūt, sanguinem eius in terra fustum
 à diuinitate separatum affirmant: nam quæ charitas, quæ pietas,
 quæ humanitas patitur sanguinem, qui modo in sinu diuinita-
 tis confouebatur, & vnum erat cum verbo suppositum, & vna
 persona, sine culpa, sine causa relinquere, & à se abicere, & bene-
 merenti contumeliam inferre? Non sunt hæc de Deo putanda,
 quem pium prædicamus & iustum, atq. omnis iniquitatis osorē.
 Meus est sanguis, inquiunt reges, noli tangere. Quantum memo-
 ria hominum supputare valet, & recta linea, & transuersali in
 sexu virili, & in feminis longe remotis, familiæ nobiles sangui-
 nem suum honorant, atq. inuiolabilem fore cupiunt: quanto cū
 fauore Vergilianum illud in conspectu Augusti recitatum est de
 Marcello sororis filio (sanguis meus?) tam procul suum sangui-
 nem commendat Anchises. Quid viros cōmemoramus illustres?
 plebei & agrestes homines sine litteris, sine legibus, duce tātum
 natura vitam agentes, quotiens iniuria generi est illata; noster
 inquit læsus est sanguis: & si vulnus aut mors interuenit; nos-
 trum inquit sanguinem effuderunt: nec dubitant sanguinem
 pro sanguine ponere. Commune omnibus est hominibus pro-
 pinqui sanguinem in terra iacentem colligere, atq. in sepulchro
 recondere. Posuerūt inquit Psalmista, morticina seruorum tuo-
 rum escas volatilibus cæli; carnes sanctorum tuorum bestijs ter-
 ræ: effuderunt sanguinem ipsorum tanquam aquam in circuitu
 Hierusalem, & non erat qui sepeliret: inhonestationem sangui-
 nis

nis & carniū æque deplorat, tanti mortales suum sanguinem
 æstimant: & nos piū ac misericordē Deum contempisse suū
 dicemus, & cum reliquisse in terra iacentem, quoniam de corpo-
 re iussus exierit? Timenda est beati Pauli sententia, quæ ad He-
 breos scribitur hoc modo: Irritā quis faciens legem Moyfi, sine
 vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto ma-
 gis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculca-
 uerit, & sanguinem testamenti pollutum dixerit? pollutum vide-
 tur dicere sanguinem Saluatoris, qui iacentem in terra diuinitate
 priuatum fuisse contendit. Corruptus fuisset illico sanguis di-
 uinitate priuatus aduersus Dauidicam sententiā, quæ ait: Non
 dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Et iterum: Quæ uti-
 litas in sanguine meo dum descendo in corruptionem? Ac si di-
 cat: Saluator Dominus vt homo: Quid proderit humano ge-
 neri sanguis meus, si postquam illum effudero reliqueris cum
 Deus, & putrescere, atque corrumpi permiseris? Vanum hoc
 & impium: non ergo factum; quia nihil inutile, nihil impium
 Deo placet. Conseruauit filius Dei sua præsentia, & hyposta-
 tica unione sanguinem suum in triduo passionis ab omni corru-
 ptione, & tertia deinde luce in glorificato corpore resumpsit, &
 cum illo demum cælos ascendit, & ad dexteram Patris sedet in
 sæcula gloriosus. His rationibus Prædicatores suam sententiā
 firmare: Cui & Thomam Aquinatem virum sanctum, & Al-
 bertum Magnum, & Nicolaum Lyritanum, & Ioannem Nea-
 politanum astipulari dixerunt, eorum verba recensentes: Addu-
 ctus est liber quidam Nicolai Eymerici, quem vocāt Directoriū
 de inquisitionis officio; in quo scriptum est apud Barchinonam
 in ecclesijs prædicatū fuisse, in triduo passionis Domini sangui-
 nem in terra iacentem indignum latria, quod dictum tanquam
 erroneum & hæreticum Clemens sextus corrigi, atq. damnari
 mandauerit: De qua re producta sunt demū publica documenta
 cum Pius esset Tybure. Minorū assertio hunc fere modū habuit.

Responso.

Quæ latent in archanis Dei, & ab illius supremæ potestatis
 voluntate dependent, nemini licet affirmare, aut negare, præter
 ea, quæ sacris in eloquijs diuinitus sunt expressa, vnitas sangui-
 nis à Christi corpore separati cum verbo ex Dei voluntate de-
 pendet, & in archanis eius latet, sacro canone nihil de hoc dicen-
 te; non est igitur asserenda. Diuinitas præterea sanguini in cor-
 pore Christi existēti, mediante ipso corpore fuit vnita, quod ne-

mo

A mo negat: cessauit igitur unio dimisso corpore, quod erat unio-
 nis medium: amplius si quid duabus rebus unitur alteri princi-
 paliter, alteri per consequentiā, separato principali ab eo, quod
 per consequentiā vnionem recepit, separabitur pariter & vni-
 tum: nec dubium est, quin sanguini Dominico verbum diuinum
 non principaliter, sed per concomitantiam quandam fuerit uni-
 tum, atq. idcirco separatū à corpore sanguinem unionis glo-
 riam perdidisse. Ea insuper a se inuicem separata unionem reti-
 nere fas fuit, quæ ordinem seruauerunt ad humanam naturam,
 cui facta fuit unio verbi, quia remansit in illis assumptibilitas, vt
 in vnum redirent: Sanguis hoc ordine caruit, ad humanam na-
 turam minime pertinens: non ergo retinuit unionem: quod au-
 tem sanguis ad humanam naturam non pertineat, multis ratio-
 nibus ostenditur: cum dicitur aliquid de veritate cuiuspiam rei
 esse, perinde est ac si dicatur ad essentiam illius pertinere: sine his
 quæ sunt de rei essentia res ipsa stare non potest; at humanā na-
 tura sine sanguine consistit, saltem ad breue tempus: non est igitur
 sanguis de veritate, vel de essentia humanæ naturæ: constat
 enim embryonem in ventre materno prius animari, idest ho-
 minem fieri, quàm sanguis introducatur: quoniā embryo cum
 factus est caro, & habet mēbra principalia, & spermatica com-
 pleta, mox rationalem, & intellectiuam consequitur animam,
 quæ vitam tribuit, & tunc statim sanguis non adest, quem gene-
 rari oportet ab epate ex alimentis forinsecus accipiendis, quod
 generato iā homine, & sensato iam corpore, per successum tem-
 poris fieri necesse est: ergo pro eo tēporis (spatio, quāuis breuissi-
 mo, humana natura idest homo sine sanguine fuit, quod erat im-
 possibile si de hominis veritate uel essentia sanguis fuisset. Si
 quis negat sanguinem ab epate produci ex materia deforis acce-
 pta, philosophorum auctoritati contradixerit, & præsertim Ari-
 stotelis: Inuenitur & decretalis Innocentij, quæ differre ab ele-
 mentis humores tradit, & illis componi corpus humanum, his
 uegetari attestatur: unde apparet sanguinem, qui humor est, nō
 esse de his quæ corpus humanū constituunt; nec partē humani
 corporis; & cōsequēter ad humanā nō pertinere naturā, quæ ex
 anima constituitur & corpore. Sēsit & Albertus magnus in libro
 de generatione primo, sanguinē non esse humani corporis par-
 tē, qui logo sermone partes hominis diffiniēs nunquā meminit
 eius: quod si esset pars hominis sanguis & ad veritatē humanæ
 natu-

naturæ pertineret, esset utique animatus; anima caret, non est igitur de veritate hominis: inanimatum esse sanguinem inde cognoscimus, quia nullam operationem aut actum exercet animata rei: non nutritur, non sentit, non vivit, non ægritudinem patitur; non igitur animatus: his enim præcipue signis sese indicat anima: quod si non est animatus sanguis, profecto nec pars hominis est; quia nihil est in homine non animatum: minime ergo per se unitus verbo sanguis fuit, sed per corpus in quo erat, quo dimisso & verbi unionem dimisit: quod si retinisset unionem, haudquaquam fuisset corruptus, sed ubique gentium conseruatus sine corruptione perseverasset, & cultu patriæ fuisset adorandus. Ostenditur autem in Laterano, Venetijs, Mantuæ, & in alijs plurisque locis incineratus, atque corruptus, non ergo retinuit unionem. Amplius si datur unitas diuinitatis & sanguinis in triduo passionis, necesse est & idiomatica communicari, id est proprietates sanguinis Christo attribueri: sicut enim Christum sepultum dicimus, & ad inferos descendisse, quamuis solum corpus fuerit sepultum, & anima sola descenderit ad inferos: quia diuinitas, neque à corpore, neque ab anima recessit, ita dicere oporteret Christum effusum aut sparsum propter sanguinem, qui fuit effusus & sparsus: quod nemo aut dixit unquam, aut dicere tentauit, quoniam non mansit unitas cum sanguine. Ad hoc clarissimorum auctoritates doctorum accedunt, & primo Ioannis Damasceni, cuius hæc sunt verba de Christo loquentis: Et si mortuus sit ut homo, & sancta eius anima ab incontaminato diuisa sit corpore; deitas tamen ab utrisque inseparabilis permansit, & additur, ab anima scilicet & corpore aio: nihil ille de sanguine contestatus est, nec nos decet attestari: ipse enim præcipuus auctor est, à quo ceteri doctores inseparabilitatem unitatis acceperunt. Propter quod eius potissime verbis inhærendum est, nec dicendum quod ille non dixit. Adducitur & Bonauentura ordinis Minorum professor, qui tandem Romanæ Ecclesiæ cardinalatum obtinuit: is sententiam illam, quæ asserit nihil à verbo dimissum, quod semel assumpserit, veram esse ait ad principia naturæ relatam, non ad coassumpta: principia vero naturæ anima est & corpus, vel partes essentielles hominis, inter quas sanguis non continetur, ut monstratum est: dimissus igitur fuit. Sequitur & Riccardus, cui Mediamuillam dicunt fuisse patriam: is asserit, Christi pedem si fuisset à corpore separatus, unitatem diuinitatis retenturum fuisse, &

A se, & cultu patriæ dignum; sanguinem vero quia non sit de corporis essentia, ab eo separatum non mereri patriam. Cum his & Scotus concurrat, qui propter acumen ingenij doctor subtilis appellatur: eius hæc sunt verba: Cum dicitur assumptum à verbo nunquam fuisse dimissum; de principalibus partibus corporis debet intelligi, quæ concurrunt ad perfectionem hominis; cuiusmodi sunt heterogeneæ, ut cor, caput, manus: & de his loquitur Damascenus. Franciscus vero Maronius, cuius est non contemnenda doctrina, in quarto sententiarum, & in pluribus sermonibus suis non obscure aut perplexe, siue implicite; sed aperte verbis clarissimis attestatus est, separatam fuisse diuinitatem à toto Christi sanguine in triduo passionis effuso. Non est credibile tam illustri doctrinæ viros in tanto errasse negotio. Neque nobis aduersa est Damasceni, aut Leonis sententia, quæ soliditatem unionis adducit, neque vult aliquid esse dimissum, quod semel fuit assumptum: absurda enim est, & aliena à vero simpliciter intellecta, & minime commentata: assumpsit humanitatem diuinitas, & dimisit: quoniam in triduo Christus non fuit homo: assumpsit mortalitatem, & dimisit: in resurrectione factus est immortalis: assumpsit passibilitatem, & dimisit: factus est impassibilis. Assumpsit omnia quæ sunt hominis præter ignorantiam, & peccatum; nec tamen omnia perpetuo retinuit. Si staret sententia, pellicula præputij, quæ ostenditur in Laterano, adhuc esset unita. Verbo: amputati ungues Domini, siue capilli, rasi pili, sputa & sudores, & sanguis sua sponte de naribus effluens, & quicquid ex corpore Christi cecidisset, in unionem Verbi perpetuo permansisset: quod nefas est dicere. Oportet igitur sententiam illam late patentem restringere; vel sicut Bonauentura dicit ad principia naturæ, id est animam & corpus, non ad coassumpta: vel sicut Scotus interpretatur, ad principales corporis partes, quæ concurrunt ad perfectionem hominis; cuiusmodi sunt heterogeneæ, ut cor, caput, manus: ut euitemus absurditates, quæ sine commento passim irrepunt. Nec rursus illud magni facimus, quod auctoritates admodum multæ tum doctorum antiquorum, tum sacri canonis afferuntur diuinas proprietates sanguini vel fuso tribuentes, quod abluere peccata dicatur, & nostræ redemptionis pretium: cuncta enim quæ de sanguine dicuntur ad vitam Christi mortemque referuntur: ait enim Apostolus: Christus pro nobis mortuus est, & cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo.

Deo per mortem filij eius. & Augustinus; Nihil, inquit, inuenit diabolus in Christo, ut moreretur; sed pro voluntate Patris mori Christus voluit, non habens causam mortis, sed obedientia & iustitia mortem gestauit, per quam nos redemit à diaboli seruitute. Et magister sententiarum, per sanguinem, quo nos redemptos, in epistola Petrus affirmat, mortem Domini significari intelligit, dicens: Reconciliauit enim nos Trinitati per mortem, ut Petrus ait, non corruptilibus auro, & argento, & reliqua: pretiosum sanguinem pro morte accipiens, quam pretiosam dicere licet: quia per eam Christus soluit pretium, dans vitam suam pro suis ouibus, ut est illud Euangelicum: Bonus Pastor ponit animam suam pro ouibus suis. Et in hunc modum quęcumque de sanguine Iesu dicuntur, ad mortem eius, vel ad vitam trahenda sunt. Nec putandum est quod sanguis fuerit pretium generis humani: quia indignum fuisset pretium pro animato anima carens. Reperimus easdem proprietates quę sanguini tribuuntur, cruci attributas esse: nec propterea dicimus unitam verbo fuisse crucem, Potuisset & genus humanum sine sanguine redimi, si filius Dei retento sanguine, pro nobis animam posuisset. Non est igitur necesse dicere, effuso sanguini unitam mansisse diuinitatem. Nec mouemur quod in triduo passionis si quis celebrasset diuinitatem in sanguine non reperisset: quoniā nemo legitur celebrasse, neque diuinitas ibi non affuisset, propter sanguinem, qui remansit in corpore, neque idcirco inutilis est memoria sanguinis Domini, quamuis in triduo fuerit diuinitate nudatus: iuuat enim meminisse abiectiois & confusionis suę, quas pro nostra salute pertulit: neque prorsus inconueniens est digniora representare viliora. Rursus nec curę nobis est quę fuerit sanguinis hypostasis extra corpus manentis, dū reuersum ad corpus in Christi dicamus hypostase conuiescere, quę vna semper fuit, nunquam plures. His argumentationibus Minores vsi sunt ut Christi sanguinem in triduo passionis diuinitate priuatum ostenderent; asserentes propterea diuinitati Saluatoris nihil ignominie aut contumelie irrogari, cuius mors tanto gloriosior fuit, quanto contemptibilior. Non tacuere his auditis Prædicatores, sed hæc addidere repente. Quamuis Christi sanguinem in passione fufum unionem verbi retinuisse in sacris eloquijs non reperitur explicitè, implicite tamen & in ueteri lege, & in noua licet inuenire, cū sanguini tribuuntur ea, quę sunt diuinitatis: multa declarauit

Eccle-

Æcclesia, quę in sacris eloquijs non erant expressa. Dicunt Minores; nos sine canone loqui, dicimus aduersario; Medice cura te ipsum: in emittentē sagitta reuertitur, & suo gladio vulneratur hostis: fatetur aduersarius unitum verbo sanguinem fuisse priusquam funderetur, hoc amplectimur: fufum dicit unionem amisisse, hoc negamus: separationem ponit, separationem doceat: non docet, victus est: sed ait amoto medio, quo duo coniunguntur extrema, coniunctionem ipsam cessare oportere, quoniam mediante corpore sanguini fuit unitum verbum, separato sanguine à corpore necesse fuit & verbum à sanguine separari: facile reijcitur hæc sagitta. Doctores duplex coniunctionis medium inducunt, alterum necessitatis, alterum congruitatis, quod dicitur de cessatione coniunctionis relicto medio, verum esse aiunt, in medio necessario, secus in congruo: alioquin in corpore Christi ab anima separato necessario cessasset unio Verbi, cui, ut Damascenus ait, mediante anima fuerat unitum: at cessasse diuinitatis unionem in corpore, nemo præsumperit dicere, sicut in corpore, ita in sanguine licet argumentari. Non quiescit aduersarius principaliter, inquit, corpori facta est unio Verbi, sanguini per consequentiam: quoniam erat in corpore, extra corpus igitur unionem perdidit. Nos & anime, & corpori, & sanguini, & ossibus & neruis, & reliquis, quę sunt de substantia hominis vna unionem & principali unitam diuinitatem dicimus. Quod si principaliter anime simul & corpori unionem concedamus; alia uero minus principaliter, & per quandam sequelam unita fateamur, dicemus de sanguine, quod de carne, ossibus, ac neruis, itemque de manibus, & pedibus, & reliquis membris, quę unito corpore unionem consequuntur. At si pes Christi, aut manus, aut alterum membrum fuisset in eius passione à corpore separatum, non tamen unionem perdidisset, ut ipsi etiam separationis auctores fatentur. Idem & nos de sanguine dicimus: quærimus quare in pedibus ac manibus hoc dicant; respondent, quoniam remansisset in illis à reliquo corpore separatis ordo ad humanam naturam, & ut ipsi dicunt assumptibilitas: hoc ipsum in sanguine reperimus, qui ad glorificatum corpus resumptus est: quomodo enim in eo non remansisset assumptibilitas, quem constat fuisse resumptum? Repetamus aduersantium uerba: in his quę non habuerunt ordinem ad humanam naturam ab inuicem separatis non remansit assumptibilitas, ideo nec unionem retinere: Sanguis non

non habuit hunc ordinem, non ergo remansit assumptibilitas, A
 in eo, nec unionem retinuit: mutemus argumenti formam, &
 reuincamus aduersarium suo iaculo: Vbicumq. remansit assum
 ptibilitas ad humanam naturam, ibi & ordo ad eam fuit, cui fa
 cta est unio: in sanguine Christi remansit assumptibilitas, quia re
 sumptus est; igitur & ordo remansit ad humanam naturam, nec
 cessauit unio. Tota vis disputationis huius articuli huc tendit:
 An sanguis humanus sit de ueritate humanæ naturæ: aduersa
 rius hoc negat, & multis utitur argumentationibus, in quibus
 nonnunquam sibi ipsi contrarius est: fatetur sanguini unitum fuisse
 uerbum dum erat in corpore; dicit nulli rei unionem concedi, quæ B
 non sit de ueritate humanæ naturæ, & hanc sanguini negat: quo
 modo fuit unitus uerbo sanguis, si non fuit de ueritate hominis?
 Assertionem assertio tollit, ponit & negat aduersarius, & suo se
 uulnerat ense. Pergit & ait unitum fuisse sanguini uerbum; at non
 principaliter, neque per se, sed per quandam consequentiam,
 cum esset in corpore diuinitati unitus: Si non erat sanguis de ue
 ritate humanæ naturæ, neque pars corporis humani, quæ uersit
 consequentia unito corpore uniri sanguinem? an quia erat in cor
 pore, idcirco unitus est? pudet hoc dicere: Ad excrementa super
 fluitatesq. corporis liceret hoc modo progredi, quod absurdum est, C
 ac prorsus alienum. Non est sufficiens unionis causa uerbi & sangui
 nis, quia sanguis erat in corpore: aut igitur sanguis unitus est,
 quia de ueritate fuit humanæ naturæ, aut ob aliam causam: si fuit
 de ueritate, habemus quod volumus, & reiecta sunt hostilia tela:
 si propter aliam causam, ostendere oportet, quæ nam fuerit il
 la causa, quam cum nesciat aduersarius deducere, remanet ueri
 tas humanæ naturæ in sanguine. Quod si forte causa deduca
 tur altera, non cessabit unio uerbi & sanguinis, nisi & illa cessan
 te, quamuis sanguis fuerit à corpore separatus. Sed prosequa
 mur naturam sanguinis, an humana sit: Concedimus nulli rei D
 unitum uerbum, quod non esset de ueritate hominis: quoniam
 humanatum uerbum, legimus non saxificatum, aut herbificatum,
 & hominem factum non brutum aliquod animal: negatur ad ef
 fectum hominis pertinere sanguinem, quia possit homo sine san
 guine uiuere, quamuis tempore breui. Si hoc licet asserere, neq. pes
 neq. manus ad ueritatem humanæ naturæ pertinebunt, sine qui
 bus non breui temporis spacio, sed a uo longissimo licet homini
 uitam degere: Dicent Minores, hominem quidem esse his caren
 tem

tem membris, sed minime integrum: nos quoque exanguem ho
 minem imperfectum dicemus & mancū; & amplius adijciemus,
 quoniam diu uiuere non possit: immo uero neq. ullo modo uiue
 re: quamuis enim epar, (ut dictum est) Generatiuum sanguinis
 existat, ac de foris materiam expectet, non tamen idcirco sequi
 tur in ipsa hominis constitutione nullum affuisse sanguinem cum
 ipso simul e pate, cordeque, & alijs membris generatum, cum &
 ipsum epar (ut Macrobius ex mente antiquorum philosophorum
 scribit) nil aliud sit, quam sanguis concretus: fatemur e pati da
 tam esse à natura vim generandi; ulterius & supplendi sanguinem
 qui deperit. Verum ab initio vitalem sanguinem ab ipsa natura
 productum aimus: nam cum ex sanguine menstruo carnes, & of
 sa, & omnis compago corporis, & cor, & ipsum epar generetur,
 quid prohibet tum quoq. & sanguinem aliquem in homine ge
 nerari? Menstruus mulieris sanguis & in carnem conuertitur no
 ui foetus & sanguinem: & quia secessu temporis sanguis ille con
 sumitur, atq. resoluitur, & pars in membra conuertitur; prouidit
 natura ut epar ex cibus nouum in dies sanguinem generaret, ci
 bos autem de foris acciperet. Non est uerum hominem sine san
 guine, uel paruo temporis momento uiuere posse: Verius est quod
 Aristoteles ait, nullum animal sine sanguine uitam agere: Nec
 nobis Decretalis aduersa est, quæ corpus humanum elementis
 constare dicit, humoribus vegetari: longinquam enim constitu
 tionem corporis commemorat, & quæ sit ex materia transeun
 te, nec negat ex humoribus constitui corpus, quamuis vegetatio
 nem illis attribuit, cum & humores ipsi ex elementis constituā
 tur pariter ac reliquum corpus. At cum decretalis, Ioannis Apo
 stoli in epistola uerba recenseat dicentis: Tres sunt, qui testimo
 nium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis, partem nostram
 defendit, per hæc asserens Apostolum ostendere uoluisse, quod Chri
 stus sit uerus homo, & ad probandam ueritatem humanitatis
 spiritum, aquam, & sanguinem adduxisse: Non probaretur per
 sanguinem uera humanitas, nisi & sanguis ipse ad humanitatis
 ueritatem pertineret. Dicitur & hac ratione, aquam, quæ de cor
 pore Iesu defluxit ad ueritatem hominis pertinuisse: concedimus
 eo modo, quo Physici in cassula cordis humani asseruari aquam
 tradunt; est igitur sanguis inter partes hominis necessario com
 putandus: neque mouemur auctoritate Alberti, qui cum præ
 termisit. Auerrois inter philosophos clarus & Alberto antiquior
 membra

membra hominis bipartitur, & alia simplicia ponit, & alia com-
 posita; & inter simplicia collocat sanguinem, cuius officium sit
 deferendi spiritus in humano corpore. Ferunt & Auicennam
 inter membra hominis sanguinem posuisse, cuius inter medicos
 præcipua est auctoritas. Nec verum est quod Minores asserunt,
 sanguinem non habere actionem animatæ rei: ducit enim spiri-
 tus in corde generatos ad reliqua mēbra: & in Leuitico legimus
 quod anima omnis carnis est in sanguine. Quo in loco Augusti-
 nus commentator ait, aliquid vitale esse in sanguine: quia per
 ipsum maxime in hac carne uiuitur, & per omnis uenas corpo-
 ris diffunditur. Et Auerrois ex Galeno colligit, aliquem in a-
 nimali sanguinem esse uitalem. Viuit ergo sanguis, uiuit &
 nutritur: quomodo enim uiueret, si nutrimento careret? Nec pro-
 pterea licet dicere non nutriri, quia non accipit in poris nutri-
 mentum sicut cetera quæ nutriuntur; quoniam nutritionis plu-
 res esse modi queunt: Et Augustinus in libro musicæ sexto dicit:
 Ungues & capillos dum secantur non sentire: nō quia ista in no-
 bis non uiuant, aliter autem non continuarentur aut crescerent,
 aut etiam uitam suam, & femina ista propria monstrarent: sed
 quia minus libero aere penetrantur: quā ut motus possit ab il-
 lo fieri. Si uiuunt capilli & unguis, ergo & nutriuntur, quoquo
 tandem modo nutriantur, idem par est de sanguine dicere: Nec
 obstat quod nutrimentum dicitur esse uiuentis, potest enim &
 in se uiuere, & aliud nutrire, quemadmodum caro nostra uiuit,
 & uermiculos qua corrūpitur alit, nec idcirco inanimatus dicen-
 dus est sanguis, quia non sentit, quando & ossa & cerebrum ca-
 rere sensu tactus philosophi tradunt. Nec uerum est, quod egro-
 tare sanguinem negant, quia dum uergit ad corruptionē agro-
 tat, & uulgo dicimus uiuum sanguinem, & mortuum ad mor-
 tem per egritudinem peruenitur: Mors sanguinis corruptio eius
 est: Nihil igitur argumētationis asserunt Minores, quod sangui-
 nem de ueritate humanæ naturæ non esse ostendant. Docen-
 dum est quod illi dedocent, idest sanguinem ad ueritatem hu-
 manæ naturæ pertinere, ad quam rem necessarium est inquirere
 quid sit ueritas humanæ naturæ. Beatus Thomas in septimo
 quolibeto testimonium Auicennæ affert, ueritatem cuiusq. rei
 nihil aliud esse, quā proprietatem sui esse, quod stabilitum est
 ei. Illud enim dicitur uerum aurum, quod ad terminos a natura
 sibi stabilitos peruenit. Similiter & uera esse humana natura di-
 cetur

A cetur, quæ terminos suos, & suas consecuta est proprietates. Ob-
 scura hæc apertius profari libet. Natura humana specifica est
 hominis forma discreta ab alia quacunque natura, quoniā non
 est diuina, aut angelica, neque lupina, aut canina, neque ali-
 cuius bruti animalis, aut plantarum, aut lapidea: humana est,
 quia hominis est ex anima & corpore constituta, & singulis qui-
 busq. partibus ad perfectionem hominis pertinentibus, & par-
 ticipat cum Deo & angelis intelligendo, cum brutis animalibus
 sentiendo, cum plantis vegetando, cum lapidibus tantum
 essendo. Et competit huic naturæ singularis forma, ab alijs na-
 turis separata, quia nullū est animal homini per omnia simile.
 Ad hanc naturā constituendam, ut integra sit & perfecta multa
 concurrunt, non anima solū & corpus, sed anima humana, id-
 est rationalis & intellectiua, & corpus humanū, idest humanam
 effigiem habens, quæ per caput, manus, pedes, & cetera membra
 insinuat: nec est humanum corpus sine capillis, & unguibus,
 atque alijs pilis: monstrum, non hominem diceremus: si quis ad
 ætatem triginta annorum sine pilis & unguibus peruenisset,
 quia non attigisset terminos sibi à natura constitutos, quæ illa
 in ætate barbam requirit, unguis uero mox ut est natus homo
 præfert: monstruosior autem siue puer, seu vir existimaretur
 sine sanguine, si posset homo sine sanguine uiuere, pallore defor-
 mis, & macie uenis languidis, & omni carne rugosa, & prope-
 modum tabefacta. Quæcunq. autem hominem ad uerum homi-
 nis statum perducunt, ea sunt de ueritate hominis: perducit pro-
 cul dubio sanguis, immo sine sanguine natura non persistit hu-
 mana: de ueritate igitur eius censendus est. Dicit aliquis hæc
 nostra inuenta esse, & sine auctoritate decurrere. Doctrinæ ue-
 teris ab alijs hæc accepimus. Augustinus in quæstionibus super
 Exodum: Substantiam Christi, idest humanā eius naturam, ex
 carne, & pellibus, & sanguine intimatam dixit. Beati Leonis ad
 Flavianū hæc uerba legimus: Integra ueri hominis, perfectaq.
 natura uerus natus est Deus, totus in suis, totus in nostris: nostra
 autē dicimus, quæ in nobis ab initio creator condidit, & quæ re-
 paranda suscepit. Continet igitur humana natura, omnia quæ
 ab initio creator in nobis condidit. Sanguinē condidit in nobis,
 ut ostensum est: ad nostrā igitur, idest ad humanā naturam, &
 eius ueritatem pertinet sanguis. Si hoc negetur, aliud quod iam
 concessum est non negabitur: sanguinē scilicet, ut repararetur in
 nobis

nobis fuisse à Deo susceptum, quando iam reparatus est, & in cœ-
 lum cum glorioso corpore translatus. Quicquid vero reparandū
 in nobis Deus suscepit, ad nostram naturam pertinere magnus
 affirmat Leo; ergo & sanguis pertinet non minus quàm caro: cū
 vellet enim Leo Christum verum esse Deum, & verum hominē
 ostendere, totus inquit, in suis, & totus in nostris: cum dixit, no-
 stra, humanitatem significauit; diuinitatem cum dixit, sua, & ad
 humanitatis veritatem cūcta retulit, quæ in nobis ab initio con-
 diditor condidit, & quæ reparanda suscepit. Condidit sanguinem
 & reparandū suscepit; noster igitur sanguis fuit, idest ad naturā
 nostram, & eius veritatem pertinuit. In hanc sententiam & do-
 ctor Aquinas inclinat in quarto sententiarum libro, qui hominē
 microcosmon, idest paruum mundum esse ait, & maioris mundi
 similitudinem gerere, & ita se habere humores in corpore huma-
 no, quemadmodū se habent elementa in vniuerso mundo, quæ
 mixta componunt, & inter partes vniuersi numerantur: & in
 corpore quidem nostro coleram igni, sanguinem aeri, flegma a-
 quæ, malencoliam terræ correspondere: Elementa uero in uia
 generationis esse ad corpora mixta, cum sint eorum materia, nō
 tamen adeo vt semper in corpora mixta transmutentur, aut in
 transmutatione persistant, sed habere proprias ac determinatas
 formas, ratione quarum ad perfectionem pertineant vniuersi: si-
 cut & corpora mixta eodem modo, & humores in homine ad
 membra se habere, quoniam & proprias retineant formas, & of-
 ficia propria etiā per seipsos, non corrupti, aut in membra trans-
 mutatis: sicque de perfectione humani corporis esse, quemadmo-
 dum partes reliquas, quamuis minorem perfectionem assequan-
 tur: nam & elementa minus perfectas formas habēt, quàm cor-
 pora mixta; & sicut omnes mundi partes nō equaliter, sed secun-
 dum vniuscuiusq. perfectionē consequuntur, ita & humores ali-
 quo modo ab anima rationali in homine perfici, non tamen
 que ac membra principalia, & partes perfectiores, quia non sen-
 tiunt, sicut neque capilli, neque ungues, aut ossa. Hæc ex beato
 Thoma mutuari licet, cuius aperta sententia est, sanguinem ad
 humanæ naturæ veritatem pertinere. Sed quid tantopere con-
 tendimus? Diffinita res est: fatentur omnes, diuinum uerbum sa-
 cratissimo Christi sanguini fuisse vnitum dum erat in corpore:
 Vnionem uero aperte dicunt ad solam humanā naturam perti-
 nere: consecutus est sanguis unionem, ergo de ueritate humanæ
 natu-

A naturæ fuit: nec nobis licet occurrere, quòd per consequentiam
 fuerit vnitus in corpore clausus: quocunq. enim modo fuit vni-
 tus, ad humanitatem pertinuit, quando nulli rei vnionē sui per-
 misit filius Dei, nisi ad humanam pertinenti naturam: alioquin
 potuisset vnitum corpus ad res superfluas vnionē trahere, quod
 antea damnauimus. Male igitur aduersarij propterea sanguinē
 de Christi corpore fufum diuinitatis vnionem amisisse contē-
 dunt, quia non fuerit de ueritate humanæ naturæ: fuit enim, &
 vnitatem retinuit: quamquam etsi concedere aliquis velit, ad hu-
 manam naturam non pertinere sanguinem; non tamen idcirco
 B concludere licebit diuinitatis vnionem abesse, quando, vt dixi-
 mus, de vnione constat: quòd si semel fuit vnitus, quomodocun-
 que fuit vnitus, non est ratio quæ urgeat vnitatem abiisse in pas-
 sione post triduum redituram; alioquin & corpus potuisset in
 sepulchro à diuinitate relinqui, quod omnes negant: manet e-
 nim inconcussa sententia: quod semel assumpsit Verbum, nun-
 quam dimisit. Nec obstat quod obijcitur de humanitate, quæ
 assumpta, relicta est in triduo; & de mortalitate, & de ceteris ac-
 cidētibus; quia factus homo immortalis, impassibilis, & in-
 corruptibilis. Cum dicimus, quod assumpsit, non dimisit, rea-
 C lem assumptionem, & realem dimissionem accipimus; ad sub-
 stantias refertur, non ad inania nomina & accidentia, quæ per
 se nihil sunt. Cum dicimus humanitatem Deus assumpsit, cor-
 pus, & animam, & omnia, quæ concurrunt ad humanitatem
 realiter constituendam intelligimus: & hæc semel assumpta nun-
 quam dimisit Deus: humanitas ipsa non potest dici relicta, quia
 desijt esse in triduo, nec relictae sunt passionēs humanæ, quia &
 ipsæ desierunt esse: relictae sunt alterum ab altero dicitur, cum per-
 manet vtrumque; atque hoc est quod Franciscus Maronius ait
 de Verbo: quod semel assumpsit nunquam dimisit, intelligendū
 D esse remanentibus extremis, quia non dimittitur, quod non re-
 manet. Bonauentura, qui veram esse sententiam dixit ad princi-
 pia naturæ relata, non ad coassumpta, non satis plene locutus
 est: assumpta sunt enim omnia coassumpta, & coassumpta sunt,
 idest simul assumpta omnia membra hominis, quæ si potuissent
 à Verbo relinqui, falsa esset commentatio Scoti, qui partes he-
 terogeneas dixit non posse relinqui. Et similiter Riccardus, qui
 pedem à corpore separatam latria dignū censuit; sed arbitramur
 principia naturæ apud Bonauenturā cūcta complecti, quæ cū
 L L 2 anima

anima & corpore hominem constituunt: coassumpta vero ad A
 accidentia trahi, quæ tandem defuerunt, nec apparet Bonauen-
 turam de sanguine loqui. Scori vero commentatio prorsus da-
 mnabilis est, qui partes heterogeneas non potuisse dimitti, homo-
 geneas potuisse dicit. Quo dicto non sanguinem tantum, sed car-
 nem, & cutim, & nervos, & venas, & viscera potuisse relinqui vi-
 detur astruere, quod piæ non patiuntur aures. Quis enim dixe-
 rit viscera Dei si fuissent extra corpus emissa, aut ingentes carnis
 portiones à corpore separatas diuinitate caruisse? profecto ne-
 mo: quoniã quæ ratio corporis est, eadem & carnis est; & quæ
 carnis, eadem sanguinis. Perseuerat ergo auctoritas salua; nihil
 relictum à verbo fuisse, quod semel assumpsit. Neque horremus B
 obiectionem de sputo, de sudoribus, de sanguine sua sponte de na-
 ribus effluente, de crinibus amputatis, de præcisus vnguibus, de
 reliquis pilis rasis: nam quod ad sputa attinet, salutifera vis fuit
 in eis: nunquam enim spuisset Dominum legimus, quin salu-
 tem hominibus attulerit: quod si aut sudauit, aut sanguinem é
 naribus emisit, superfluitates illæ fuerunt, nec vnquam vnionem
 obtinere. De pilis, & vnguibus amputatis, nihil constat: quia
 Nazarenus fuit Iesus, & nouacula non ascendit super caput e-
 ius. Et legimus in Euangelio, quod capillus nostri capitis non pe-
 ribit; quanto magis non peribit capillus Iesu? si quid defluxit per
 resolutionem, idem iudicium habet, quod ipsa caro. In specie,
 reseruatur vnitas diuinitatis, & in materia, quæ remanet, non au-
 tem in eis rebus, quæ vel defluunt, vel prorsus annihilantur. Et
 per hoc obiectioni respondetur, quæ sit de præputio Domini, siue
 apud Lateranum, siue alibi conseruato. Ait enim Bonauentura in
 quarto sententiarum: pelliculam illam præcisam, vel non fuisse de car-
 ne secundum speciem, sed diuina dispensatione parum aliquid secundum
 materiam, ut daretur nobis in deuotionem more reliquiarum: vel ali-
 quid fuisse de veritate, & illud resurrexisset cum Christo, & esse in D
 celo: nam cum dicimus, quod in resurrectione resumuntur omnia,
 quæ sunt de veritate humane nature, intelligitur secundum partes
 formales, non secundum materiales: non enim quælibet pars mate-
 rialis carnis, aut sanguinis resurget, quod esset deforme, sed illæ
 tantum resurgent, in quibus debita proportio corporis & membrorum
 continetur, & partes quidem resolute non necessarie non resurgent.
 Non destruimus igitur religionem cum dicimus, Saluatorem in sua re-
 surrectione omnia resumpsisse, quæ fuerunt de veritate humane
 nature

A natura. Non tollimus religionem de præputio, vbiq. sit con-
 seruata in terra eius pellicula seu caruncula execta: sed aimus il-
 lic non esse diuinitatem coniunctam, cum non sit ibi species, aut
 pars formalis de Christi corpore sumpta: nec tollimus religionem
 cum dicimus sanguinem, qui ostenditur in Ecclesia Lateranensi,
 aut in capella regis Franciæ, aut in ecclesia sancti Andreæ Man-
 tuæ, aut apud Minores in Rupella, aut Venetijs in æde diui Mar-
 ci sacratissima Dominicæ coenæ nocte solemnem cæremoniam, aut
 alibi, vnionem Verbi non retinere, quod ipsa corruptio manifestat.
 Non enim negamus sanguinem illum, quem populi colunt Chri-
 sti fuisse, sed dicimus aut miraculose apparuisse, aut aliàs quam
 in passione fuisse fufum: & si fufus in passione fuit, nec redijt ad
 corpus in resurrectione, non fuisse vitalem sanguinem, sed nu-
 trimentalis superfluam quandam partem, quæ nunquam obti-
 netur in Christo Domino sanguinem considerasse, radicalem & nu-
 trimentalem: radicalem quidem totum fuisse resumptum; nutrimentalem
 vero eatenus resurrexisset cum Christo, quatenus ad veritatem hu-
 manæ nature pertinuit, idest quatenus ad proportionem corporis
 æquã fuit necesse: quod amplius fuit, superfluit quidem, nec ha-
 buit ordinem ad humanam naturam, nec remansit in eo assumpti
 C bilitas, quamuis in Christo, quo tempore passus est, difficile sit
 credere aliquid superflui sanguinis inueniri potuisse, cum esset in
 ætate perfecta, & complexio eius, vitæq. temperatissima. Vrgent
 deinde Minores ad idiomata recurrentes: Si datur, inquiunt, in
 triduo passionis vnitas diuinitatis & sanguinis, necesse est & idio-
 mata communicari, idest proprietates sanguinis Christo attri-
 buere: sicut enim Christum sepultum dicimus, & ad inferos descen-
 disse, quamuis solum corpus fuerit sepultum, & anima sola descen-
 derit ad inferos propter diuinitatem, quæ neq. à corpore, neq. ab
 D anima recessit, ita dicere oporteret Christum effusum aut sparsum
 propter sanguinem, qui fuit effusus & sparsus, quod est absurdum.
 Franciscus Maronius hunc nobis clypeum obijcit, nec putat reijci
 posse. Bonauentura, & Thomas Aquinas multa de idiomatibus
 in medium adduxere, quæ non magnificamus, breuis tamem respon-
 sio est; nihil absurditatis habet si dicatur Christus effusus, cum de
 ipso legamus in psalmis: Sicut aqua effusus sum: quæ sunt verba
 Christi secundum comentatores: & quæuis figurata locutio videa-
 tur, potest tamem in proprio recipi sensu, quoniã filius Dei per san-
 guinem

guinē fuit effusus in cruce: & ita possemus sparsū dicere nō in-
 concinne: nō dicimus quia nō recepit vsus, & nouitates introdu-
 cere abstinemus. Quod vero Damascenus ait ab anima, & corpo-
 re inseparabilē permansisse diuinitatem, nō propterea sanguinē
 excludit, qui appellatione corporis cōtinetur: alioquin sibi ipsi
 cōtrarius esset Damascenus, qui alibi dixit de verbo Dei tractās,
 quōd nullā partium naturā reliquit, nō corpus, non animā, sed
 corpus & animā rationalem & intellectualem, & voluntatiuā,
 & motiuam possidet, & ita ad cælos redijt: Dixit Damascenus
 Dei filium non reliquisse corpus in passione: neque animam, &
 ita ad cælos redijisse: si per corpus non intellexit sanguinem, sine
 sanguine Christus ad cælos redijt, quia dicit: & ita ad cælos re-
 dijt: hoc prorsus absurdum est, & alienum à verō: ergo dicēdum
 est, quōd nominando corpus, omnia complexus est, quæ sunt de
 corpore humano, inter quæ sanguinē contineri non est ambi-
 guum. De Scoto, Riccardo, & alijs doctoribus cōtrariā sentē-
 tiā affirmantibus, tale iudiciū facimus, quale rationes eorū
 merentur. Non afferunt rationes efficaces, non mouemur:
 Quōd autem aduersarij fundamenta nostra pro vnione factare-
 fellentes, auctoritates omnes de sanguine adductas, quōd pre-
 tium nostrę redemptionis fuerit, quōd nos Deo reconciliauerit, C
 & reliqua fecerit diuinitatis opera, ad mortem vel ad vitam Do-
 mini retorquent: & auctoritatibus quibusdam innituntur, con-
 futatione opus habet: in qua parte illud in primis concedimus;
 mortem Christi nobis vitam peperisse: verum est enim quod sa-
 cro sancta canit Ecclesia. Ipse enim verus est agnus, qui abstulit
 peccata mundi, qui mortem nostram moriendo destruxit, & vi-
 tam resurgendo reparauit: nec imus inficias vitam Christi no-
 strę redemptionis fuisse pretium: Saluatoremq. ipsum volunta-
 tie passionem & mortem acceptādo, meruisse vt nos redimeret:
 est enim Christus & redemptor, & redemptionis pretium, qui se
 ipsum pro nobis obtulit (vt Apostolus ait) non tamen hęc vigēt,
 vt scripturas de sanguine loquentes ad mortem cōtorqueamus,
 vel ad vitam, & tantam imponamus doctoribus notam, vt pro-
 prijs vti vocabulis ignorauerint: Si vnus aut alter metri causa,
 vel alia quauis necessitate sanguinem dixisset, volens mortem si-
 gnificare, possemus commentationem admittere, & sanguinem
 pro morte recipere: sed quis dicat antiquę legis scriptores aut
 euangelistas, aut Petrum & Paulum, aut alios doctores sanctos,
 Leo-

A Leonem, Augustinum, Ambrosium, Hieronymum, Gregorium,
 Bernardum, Bedam, & cum his etiam doctores Græcos in ora-
 tione soluta, cum mortem voluissent dicere, sanguinem dixisse
 Peritissimi fuerunt, & vim nouere verborum, & crucis mysteriū
 non ignorarunt. Sciebant sancti viri, & spiritus sancti gratia il-
 lustrati per mortem Christi, & voluntariam vitæ traditionem
 humanum genus fuisse redemptum: verum neq. Christum obijf-
 se, nisi sanguinem effundendo: neq. vitam datam, nisi cum san-
 guine: & in passione Dominica corpus, & animam, & sanguinē
 interuenisse, & omnia simul ad salutem hominis propter verbi
 B copulam operata: licereque absque offensione dicere, & corpus
 Christi redemisse hominem, & animam redemisse, & sanguinem
 redemisse, cū totus Christus hominē redemerit, in quo hęc Ver-
 bo coniūcta fuere, & nunc sunt. Quidquid enim in passione Do-
 mini operatus est Deus, homini tradimus: & quæ operatus est
 homo, concedimus Deo propter communicationem idiomatū:
 nec dubiū quin corpus Christi, & vita Christi, & sanguis Chri-
 sti pretium fuerit humanæ redemptionis: nam Christus (vt in-
 quit Apostolus) per Spiritum sanctum semetipsum obtulit im-
 maculatum Deo, & Ecclesia in benedictione cerei canit. Vt ser-
 C uum redimeres, filium tradidisti: filius igitur Dei, Deus & homo
 Christus Iesus redemptor fuit & pretium, caro pretium, & san-
 guis pretium, & anima pretium, & vita pretiū; nec tamen multa
 pretia, sed vnū pretiū, Christus Iesus, in quo continētur omnia.
 Vera est uox, quæ dicit nos Christi morte redemptos, & quæ san-
 guine redēptos affirmat, nec male dixerit qui vel corpus, vel ani-
 mā adiecerit. Cuncta hæc ad nostrā redemptionē concurrerunt,
 mors, vita, caro, sanguis, anima, diuinitas, & simul operata sūt.
 Et licet redēptionis meritū ad voluntatē Domini referatur, effi-
 ciētia tamē aliqua in carne & sanguine fuit, quemadmodū Pau-
 D lus ostendit, qui sanguinem Christi ad sanguinem comparat hir-
 corum & taurorum, & maioris efficaciz ostendit esse. Sunt in-
 super & nonnulla verba doctorum, quæ nullo pacto commen-
 tationem illam patiuntur, vt sanguinem pro vita vel morte reci-
 piamus, sicut est illud Leonis de passione loquentis, ubi ait, san-
 guinem iustum fudit, qui reconciliando mundo pretium esset
 & poculum. Nam quomodo vita poculum, aut mors poculum
 de fuso sanguine loquitur, & pretium vocat, quia pretium fuit
 sanguis redemptionis humanę, & poculum ad potum respiciēs,
 quem

quem Dominus suum esse sanguinem dixit: & doctores viuifica-
 re animam affirmauerunt propter adiunctam, & indissolubili-
 ter copulatam diuinitatem. Non est igitur cur verba sanctorum
 violemus, & verbum pro verbo interpretemur. Neq. illud admit-
 tendum quod aliqui subnectunt, sanguinem Christi ad redem-
 ptionem hominis velut instrumentū interuenisse, nisi adijciant
 diuinitati adiunctum, quemadmodum & homine Christo tan-
 quā instrumento coniuncto, & sibi vnito ad salutem nostrā di-
 uinitas vfa est. Nam filius Dei, qui totū sibi vniuit hominem &
 partem sibi vniuit; & qui cum toto aliquid egit, id ipsum cum
 parte perēgit. Quod autem Minores aiunt, morte Domini non
 cruenta saluari hominem potuisse, nemo negauerit, si tamen ita
 ab initio fuisset decretum: immo vero & sine vlla morte potuis-
 set redimi genus humanum. In voluntate Trinitatis fuit, quo
 placeret modo redimere, & cum morte & sine morte, & cum
 sanguine & sine sanguine, & cum cruce & sine cruce: At cum in
 exordio rerum statutum fuerit pro nostra redemptione vnigeni-
 tum Dei filium carnem induere, crucem subire, & animā cum
 sanguine fundere, quemadmodum prophetæ annuntiauerunt;
 non est obijciendum, quod sine sanguine potuerit primi paren-
 tis culpa deleri: electa est cruenta & dolorosa mors, atq. horribi-
 lis, vt charitas maior ostenderetur; & ita vetus piaculū in Chri-
 sti sanguine (secundum oracula prophetarum) abolitum est. Il-
 lud vero stultum, quod quidam aiunt, Christi sanguinem mi-
 nus dignum fuisse pretium ad humani generis redemptionem
 tanquam inanimatum pro animato: nam Christi sanguis pro-
 pter vnionem verbi omni humano genere dignior atq. nobilior
 est; neque inanimatus est (vt diximus) quamquam siue anima-
 tus est, siue inanimatus, sufficit hypostatica vnio verbi, quam
 sanguini non conuenire tanquā inanimato si quis dixerit, facile
 reuincetur, cū probata sit vnio sanguinis & verbi; plenūq. teme-
 ritatis fuerit asserere, non conuenisse quod Deus fecit. Multa
 vt videtis aduersus vnionē sanguinis effusi dicta sunt, quæ stare
 non possunt, neque vllum habent fundamentum: Deus ab ini-
 tio incarnatus cum sibi assumpsit hominem, vt totum redime-
 ret, & in eo sanguinem quem plantauit assumpsit, & quod
 semel assumpsit humanæ substantiæ numquam dimisit. Mi-
 nime igitur in passione fusum dimisit suum sanguinem, sed
 semper cum eo fuit, & cum corpore, & cum anima, & hæc
 demum

A demum in resurrectione coniunxit in corpore glorificato, cum
 quo victor mortis, ac mundi & diaboli triumphator ascendit in
 cælum. ibiq. sedet in dextera Patris per sæculorū sæcula regna-
 turus. Hæc cum Prædicator dixisset, Minor non pauca replica-
 uit, volens ea destruere, quæ suæ sententiæ videbantur aduersa.
 Auditus & ipse est quantum voluit, sed omnia in prius dicta re-
 cidebant. Pontifex auditorium dissoluit: deinde cum cardinali-
 bus plerisque diebus rem tractauit. Maior pars sententiam Præ-
 dicatorum approbavit, pauci cum Minoribus sensere. Pius quo-
 que in maiori parte fuit: sed non est visum eo tempore decretū
 fieri declarationis, ne multitudo Minorū, cuius erat contra Tur-
 cas prædicatio necessaria offenderetur: in aliud tempus decisio-
 nem referre placuit.

Hæc dum Romæ geruntur, Genua in Liguribus, pro sua con-
 suetudine, tu multuat. Paulus archiepiscopus Lazarinus, & al-
 ter Paulus Benedictus, & Martinetus gentis Fulgosæ principes
 coniuratione inita ad decimum octauum calendas Ianuarias,
 amicorum non parua manu armata ducale palatiū inuadunt:
 Ludouicumq. gentilem suum, atque vrbs ducē in vincula con-
 iijciunt, deinde captum ad monasterium diui Francisci rapiunt,
 C quod est arci proximum, vt eam tradi iubeat, patibulo coram
 erecto, in quo suspendatur, nisi mox custodes arcem reddant. Pa-
 ruere custodes, atque arcem archiepiscopo tradidere: qui mox
 accersito consilio ducatum suæ ciuitatis extorsit, haud imme-
 mor quod anno superiori diebus paucis imperasset, cessissetque
 Ludouico vel inuitus cum ille arcem teneret. Apud Romanos
 gloriæ fuit quartum fieri consulem: Ludouicus cum magno suo
 dedecore quater in patria ducatum gessit, & totiens tanquam
 inutilis eiectus est. Mira res & nostro non prius audita sæculo,
 pontificem suæ ciuitatis per arma tyrannum creari. Paulus dux
 D creatus in hunc modum Pio Pontifici litteras dedit. Quia hæc
 ciuitas nostra per varios fluctus à multo tempore citra duceba-
 tur, quos nunc ciuiles discordiæ, nunc bella externa, nouissimeq.
 Turcarum molestiæ afferebant, omnium ciuium, & optimatū
 maxime precibus & consilio concitatus, veriusq. impulsus (li-
 cet hoc idem patriæ charitas persuadere merito potuisset) regi-
 men, & ducatum eius suscipere in tanto casu nō neglexi, eo quidē
 animo, vt quantum in me fuerit opinioni, quam de me ciues con-
 cepisse videntur, & meo in patriam amori satisfaciam. Hoc igitur

Paulus Ful-
 gosus Genuæ
 archiepi-
 scopus ducatum
 patriæ à
 ciuibus extor-
 quet, Gallos-
 que mox Ge-
 nuā inuaden-
 tes armis pro-
 pellit.

tur vtrunque tentato, hodie pro Dei clementia ad hunc assum-
 ptus sum ducatum sine vlllo armorum strepitu, sed togatis ciui-
 bus tranquillitate animi, & libero consilio, consensuque, vt hoc
 fieret acclamantibus: habita statim integra possessione arcis Ca-
 stelletri, vt nihil ad firmitatem, quietemq; rerum deesset. Quod
 tuæ beatitudini significandum duxi, vt quod Dei providentia
 magis quàm humano consilio factum videtur, tua sanctitas sua
 benedictione confirmet; & me administrandi vtriusq; gladij o-
 nere pressum, sua ope, suoque consilio iuuare dignetur; ad cuius
 iussa sum semper deuote paratus. Subscriptio hæc fuit: Tuæ san-
 ctitatis deuotissimus Paulus Fulgosius Dei gratia archiepisco-
 pus, & dux Genuensis. Responsum à Pio huiusmodi redditum,
 Pius Episcopus seruus seruorum Dei, Venerabili fratri Paulo ar-
 chiepiscopo, & duci Genuensi salutem; & Apostolicam benedi-
 ctionem. Ducatum patriæ tuæ ex libero ciuium decreto te asse-
 cutum scribis, eumq; per nostrâ benedictionem fraternitati tuæ
 flagitas confirmari: admirati sumus consilium tuum, qui eius
 ciuitatis temporale regimen acceperis, quæ super omnes Italos
 nouitate gaudens semper nutat, semper in motu est, nec vllum
 diu rectorem, ducemve patitur: & tu anno superiore quanta sit
 tuorum ciuium constantia in te ipso didicisti; qui cum ab eis ad
 hunc ipsum principatum fuisses assumptus, non tam cito ma-
 gistratum inisti, quàm deponere conatus fuisti. Nobis quidem
 eodē fere tempore & assumptio tua, & depositio nuntiata fuit;
 quid nunc futurum sit ignoramus. Huic accedit rei nouitas:
 nam & si potest idem homo & ducis & archiepiscopi personam
 gerere, sanguinis modo absit effusio: nescimus tamē an archiepi-
 scopus Genuensis ante te alius ducatum inierit: maximam esse
 causam oportet, quæ hanc nouitatem induxerit. Forsitan exper-
 ti Genuenses iniusta esse regimina sæcularia, atque inde tot mu-
 tationes oriri putantes, ad te confugerunt, & fastidio quodâ sæ-
 cularis imperij experiri aliquando sacerdotale decreuerunt: si for-
 sitan iustius, ac mitius gubernentur. Magna est tibi bene agendi
 necessitas imposita, nisi rectam iustitiæ virgam tenueris, nisi vim
 prohibueris, nisi paci & otio consulueris, nisi modum prauis
 cupiditatibus imposueris, nisi te ipsum & tuos stipatores in ho-
 nestatis formam redegeris, non stabit potestas tua, breui do-
 minaberis, cito regnum amittes, eijcietis nō sine tuo & sacerdo-
 talis eminentiæ magno dedecore: si tamen eijcietis; & non peio-
 ra ti-

ra tibi accidant, vt sunt ante oculos exēpla domestica. Vide quid
 agas, non eadem est sacerdotalis & sæcularis imperij norma.
 Paternam & omni clementia plenam esse Pontificalem admini-
 strationem oportet, non tyrannicam. Multa in sæculari princi-
 pe ferunt homines, quæ abhorrent in Ecclesiastico: quæ in laico
 pusilla & leuia existimantur delicta, in clerico maxima & grauissi-
 ma iudicantur. Sacerdotes, quorum vita ueluti speculum infe-
 rioribus est, non solum à malis operibus abstinere, sed omnia de-
 clinare conuenit, quæ quoquomodo præ se speciem mali ferunt.
 Vide quem gradum ascenderis. Si potis es pie & iuste imperare,
 ac non subditos solum, sed te ipsum coercere, si vales virtute ir-
 rumpere iniquitatem, si pro comuni vtilitate quærenda nō pro
 tua libidine explenda ducatum accepisti; si ad tutandam reli-
 gionem Christianam aduersus impios Turcas animum geris, &
 in eam rem corpus tuum deuouere proponis, & iniuriam proxi-
 mi non quæris, confidentes rite & secundum leges tuæ ciuitatis
 principatum hunc ad te delatum esse, & quod, vt polliceris, uti-
 liter populo tuo præeris, illum tibi & tuis ciuibus & vniuersæ
 reipublicæ Christianæ in nomine sanctæ Trinitatis benedici-
 mus. Datum Romæ apud sanctum Petrum pridie calendas Fe-
 bruarias, anno Millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio.
 Vera & memoriæ tenenda dixit Paulus scripta Pontificis, quam
 uis dura: nec prohibuit exemplaria cupientibus exhiberi: ob quæ
 rem breui apud omnes Ligures epistola vulgata est. Archiepisco-
 pus inde commonitus regimen suum magna in parte correxit,
 moderatiorque postea uisus est. Franci rursus cum parte ciuium
 archiepiscopo infensa armatis quibusdam nauibus Genuam in-
 uasere, ingressiq; urbem amissum imperium recuperare tentaue-
 runt. Occurrit cū suis archiepiscopus, ac conferta pugna uictor
 euasit: fugere ad naues trepidi hostes, quidā cæsi sunt, & quidam
 capti: inter quos duces factionis aduersæ nonnulli, quos ad sup-
 plicium rapiendos communis opinio fuit: Quod vsque in hunc
 diem minime factū est, archiepiscopo sæuitiam suā coercente.
 Diximus supra Ludouicum Franciæ & Henricum Castellæ
 reges conuenturos fore de pace Cathalanorum & regis Arago-
 nū tractaturos, cum alter Cathalanis, alter regi socia arma iun-
 xisset, nec tamen inter se ipsos priscum fœdus violare uellent:
 nunc quo facto res acta sit exponendum est. Ludouicus Baionā
 se cōtulit, quæ ciuitas est in littore maris Oceani; proscindit à fe-

Franciæ &
 Castellæ re-
 gū apud Ba-
 ionam con-
 uentus, ac le-
 ges pacis in-
 ter Aragonē-
 sem & eos.

pten-

ptentrione terras Oceanus, sinumque efficit late patentem, qui A
 longo tractu in meridiem uergit. Dextrum littus Hispani occu-
 pant, Galli sinistrum: regnorum limes non procul à Baiona cer-
 nitur. Henricus per Biscainos profectus in regno suo prope fines
 confedit: mittuntur legationes hinc atq. inde; agitur de conuen-
 tione, ingeruntur suspiciones, ut sit, in congressu potentissimorū
 adsunt adulescentes, curiosi omnes pro sui salute domini uideri uo-
 lunt, ingens de gloria concertatio: ille inquit, cum exercitu ue-
 nit, & expedito milite; te togati sequuntur: cauendæ insidiæ sunt.
 Nulla coerces honestas regnandi cupiditatem: tu omnium re-
 gum maximus es, aut certe secundus: quis non appetat tuo loco B
 regnare? Si tuas opes suis accumulet alter, quis illo maior erit?
 aut quid illi ad orbis imperium deerit? Cogitare animo quæcum
 que possunt occurrere pericula prudētis est, eaq. declinare: quid
 præterea necessitatis habet iste conuentus? ad pompam quæri-
 tur, non ad utilitatem. Ingredieris alienum regnum, minor ui-
 deberis, gloriabitur te hospitem accepisse, & in annalibus adno-
 tari iubebit rex Franciæ, Castellæ regem se se olim adoratum ue-
 nisse, atq. utinam non peiora intercidant. Pulchra est Castella
 nostra & gloriosa, & magna: fruamur nos bonis nostris, & Gal-
 lici fruantur suis; nos te maiorē nouimus neminē: nulla dispar C
 societas diuturna est. Hæc & his similia regis Castellæ auribus
 inculcata aliquandiu animū eius in diuersa rapuere: nec minora
 regi Franciæ dicta sunt. Oratores crebro hinc atq. inde missi diffi-
 cultates abstulere: maxime uero ad concordiam operata est lega-
 tio regis Castellæ, quā huiuscemodi pompā duxisse comperimus
 ad Francū profectā. Muli quinquaginta præcessere onera feren-
 tes, & supellectilē legationis ambitioni conuenientē, quos totidē
 duxere pedites uenabilis armati. Tū quinquaginta secuti sunt
 iuuenes, cursoribus insidentes equis more Mauritano, hastilia in
 manu gerentes, peregrino habitu admirabiles: exin tertius quin- D
 quagenariorum ordo successit, purpurati equites fuere, torqui-
 bus aureis, & multo gemmarum pondere illustres. Post hos tu-
 bicinum, & qui Numidica pulsarent tympana ingens numerus.
 His proxima caduceatorū turba, quos nostra ætas Eraldos uo-
 cat apud occidentales reges non contemptibile genus hominū:
 tum principes legationis uenere Alphonſus archiepiscopus To-
 letanus, & Ioannes marchio Villenæ apud regem in primis acce-
 pti, alter inter Castellæ Pontifices maximus, alter inter proceres
 cul-

A cultu utriusque suæ dignitati conueniens, & qui legationem orna-
 ret: post eos consiliarij, & togatorum ministrorumque maxima
 turba. Ludouicus primiores suæ curiæ aduentantibus Hispanis
 obuiam misit, & ingressos palatium vultu benigno, & alloquio
 blando excepit. Tractatum est de cōcordia plerisq. diebus, & in
 ipsa paschali festiuitate conclusio facta. Hispani pro sua consue-
 tudine gloriosi nulla non die vestes mutauere in cōspectu regis,
 ut splendidiore apparerent. Concordiæ hæc sententia fuit, re-
 gnū Nauarræ Ioanni Aragoniæ regi quoad vixerit cedito, post
 mortem eius ad filiū comitis Fuxi pertineto. Comitatus Stelle,
 B qui fuit pars regni Nauarræ, ad regnum Castellæ accedito. Iura
 Infantatus, & alia quæcumque obtinet rex Aragonum in regno
 Castellæ dimittito. Henricus Castellæ rex quæcumque de regno
 Aragonū, ac Valentie abstulit, Ioanni reddito. Comitatus Ron-
 filioni, ac Ceretaniæ regi Franciæ tandiu pareto, quoad auri tre-
 centa millia nummum Aragonensis dissoluerit. Principatus Ca-
 thalonie ad obedientiam Ioannis redito, & sub antiquis priuile-
 gijs gubernator: pro rebellione veniam habeto: nisi paruerit triū
 regum arma timeto. Hæc tandiu occulta fuere donec reges con-
 uenerunt Castellæ & Franciæ in ipsis regnorū finibus. Viderunt
 C se duo reges, & amplexati sunt, & duabus circiter horis inter se
 secreta miscuere colloquia. Magnum ibi fuisse hominum con-
 cursum memorant, & magnos apparatus, utroque rege suā ma-
 gnificentiam ostentante. Et quoniam multi mari aduentarunt,
 multa de nauibus digna memoratu relata sunt, quarum proras
 aureas, & puppes argenteas, & uela sericea, & rudentes sericeos
 & malos inauratos tradidere, & alia multi generis ornamenta.
 Breui dissoluta conuentio est. Non potuere duo reges: quorum di-
 uerſissimi mores essent, & quorū de gloria par contentio, diu si-
 mul esse: alter contempsit alterum, quamuis in præsentia sese
 D inuicem magnificere viderentur. Reperit uterq. quod in altero
 reprehenderet, & staturam corporis, & mores. Vbi discessio fa-
 cta est, publicata concordie formula non defuere qui duos reges
 in perniciem tertij conuenisse dicerent; ambo enim inter se spo-
 lia regis Aragonum partiti sunt: Henricus partem regni Nauar-
 ræ ad se traxit, & Infantatus iura, quæ aureorum triginta millia
 quot annis Ioanni præstare ferebantur: Ludouicus omnem ter-
 ram citra Pyrenæos montes Cathalanici iuris sibi arripuit, quasi
 pro pignore sumptuum, quos fecisset in bello, mercatura ea fuit
 non

non amicitia auxilia vendidit: non gratis misit; sibi, non amico bellavit, indigna quæ de regibus dicerentur. Regina Aragonum dum hæc aguntur mœsta, Ludovicū adiit, inique cum viro suo actum dicit, cui multa sint erepta, pauca dimissa. Rex ut videretur mulieri aliquid annuisse, trecenta millia pro quibus pignori traditum Rossilioni comitatum, & Ceritaniæ diximus, ad ducenta millia reduxit: mulier infelix tristior abiit quàm uenerat. At de Castellæ rege longe peiora in vulgus iactata sunt, quem prodidisse Cathalanos cuncti affirmare: accepisse illum Barcinonenses, & omnes Cathalinici principatus ciuitates in protectionem suam, dixisse se Cathalorum dominum, iussisse omnes in sua verba iurare: monetam auream & argenteam Barchinone percussisse; misisse armorum copias, quæ Ioannis violentiam propularent: spem pulcherrimam præbuisse nunquam se relicturum Cathalanos, quos sibi suæque coronæ peculiare elegisset. Nihil ex Gallia timendum dixisse, cuius rex aut amicitia suæ, aut armis cessurus esset: nunc vel metu, vel amicitia victum, receptos in fidem reliquisse: & cui credas si casta est regis fides? Metus regem, an avaritia vicerit incertum.

Maguntia ab Adolfo noctu occupata, Dyetheri partibus eiecit, & Palatini in captiuos principes barbara sauiua.

Adolfus archiepiscopus Maguntinus inter hæc quamuis rigeret hiems collectis militibus circiter octingentis intempesta nocte Maguntiam inuadit: bellatores audaces ab ea parte muros scandunt, quæ vineas & hortos intra urbem claudit: Fit tumultus in ciuitate, postquam hostis ingressus est: concurritur ad arma: pugnatur inter frequentia vrbis ædificia summa contentione, hinc Dyetheri præsidium, inde Adolphi miles acrius vrget: ciuium diuersa sunt studia: superat tamen Adolfus, ac cæsis fugatisq. Dyetheri partibus urbem in potestatem recipit non sine admiratione cunctorum, qui tam parua manu tantam ciuitatem suo populo & externo defensam potuerit obtinere. Noctis beneficio res acta, metus adesse maiores copias credidit: Aduersæ factionis ciues sponte sibi exilium elegere. Hæc pro captis à Palatino principibus belli compensatio Adolfo data, ut est rerum humanarum inconstans status nunc vnâ nunc alteram eleuans partem. Palatinus post victoriam de principibus habitam, nulla vsus clementia captiuos (ut diximus) in vincula coniecit, & in tetto carcere clausit; compedibusq. coercuit, & catenis tanquàm latrones vltimo supplicio dignos. Cum ferre miseri captiuitatem nequirent; & squalorē carceris horrerent; peterentque ut à suis redimi

A redimi possent, his tandem legibus dimissi sunt. Metensi episcopo aureorum quinquaginta millium imposita multa est; marchioni Badenensi centum millium: tantundem comiti Wirtembergensi, reliqui nobiles pro suis facultatibus & ultra multati. Amplius marchioni, & comiti munitissima adempta castella, & quædam ita dimissa, ut pro illis homagium facerent, & tanquam Palatini vassalli in eius verba iurarent. Vxor quondam Ludouici fratris Palatini gemmas & aurea vasa, donaque non pauca pretiosa ab eo receperat, quo mortuo Wirtembergensi comiti nupserrat, secumque dona portauerat; ea Palatino restituere cuncta oportuit, & annua quinque millia remittere, quæ sibi tanquam dotis vsusfructus ex comitatu Palatino debebantur quod pro viri libertate non inuita fecit cum tantum auri corrudere principes nequirent, quo se redimerent, amicos inuenere fideiussores; atque ita demum carcerē exiere. Ea Palatini liberalitas fuit, & animi magnificentia, & gloria Baioaricæ gentis. Idem factitauit Alexander victo in India Poro: idem Cyrus superato in Asia Cræso: idem Philippus maria captis nauali prælio regibus, quorum alter Alfonso septem præfuit regnis. Non tantum auri Palatinus ab infelicibus captiuus exegit, quamuis totum extorsit quod potuit; quantum victor Philippus donauit uictis, vtraque liberalitas fuit: Palatinus suis captiuus ademptis bonis miseram donauit uitam: Philippus quos vicerat non solum viuere, sed bene viuere iussit, ditioresq. reddidit, quàm fuerant ante captiuitatem.

Vienna in Austria, quæ (ut supra diximus) Imperatorē & dominum suum in arce clausit, & machinis oppugnauit, ac suo potestatis arbitrio iuri iurando renuntiauit: hæc eadem, ut de crudelitate Barbarica amplius aliquid adijciamus, nouam materiam suggerit. Nicolaum cognomento Holzer supra retulimus apud Viennenses rerum nouatorem fuisse, cuius consilio, qui plebis ductor esset, Imperator Federicus Viennam amisisset, Albertus germanus eius obtinisset. Pœnituit hunc patrati facinoris, cum violentum esset imperium Alberti, & in vrbe nulla libertas, nulli sua suppellex, nulli coniunx, nulli familia salua, rapinæ militum cuncta paterent. Cognouit excluso pio principe, crudelem admisum esse tyrannum: doluit vrbis vicē, quæ sua culpa pessum iret: conatus est errata corrigere, urbemq. restituere Federico. Clamper internuntios res componitur: Panchircher, & Grafnecher copiarum duces equites mille ducentos haud procul ab vrbe in-

Coniuratio Holzer contra Albertum apud Viennam deprehenditur suppliciumq. de cōiuratis inter solemnia Paschalia atrocissime sumitur.

insidijs collocant. Pulchauser duarum portarum custos in ipsa A
Paschæ vigilia quadringētos equites intra moenia recipit. Exci-
tatur subito rumor captam esse urbem: conclamat populus Cæ-
sarianos ingressos ferro & igne cūcta vastare: occurrit Albertus
ualida militum caterua stipatus; sumunt & arma ciues, qui se
præde futuros verebantur: Nondum signum intromissę cohortis,
qui latebant in insidijs acceperant, nec se loco mouerant. Pu-
gnatur in vrbe infensis vtrinque animis, & ira feruida: uincūtur
Cæsariani, capiunturque omnes ducentis trucidatis. Claudun-
tur portæ ciuitatis, & in ipsis paschæ diebus vnica Alberti cura
est conspiratores inquirere, neciq. tradere: opulenti quiq. in sus-
picionem adducuntur, nunc iste, nūc ille rapitur, non sufficit pu-
blicus carcer, implentur atria, proscriptorum bona inter milites
diuiduntur. Holzer, cuius opera non erant dubia, tumultuan-
te ciuitate cum aufugisset, à piscatoribus interceptus, atq. in fo-
rum deductus, in quattuor partes dissectus est, caput eius hasta
affixum in ea porta suspensum, quam Cæsarianis aperuerat; di-
gnus qui hoc sine periret, ex fece vulgi tribunus vrbis effectus,
modo has partes, modo illas adiuuans, nulli fidus, & nullo rerū
statu contentus. Captus est & Osualdus Reicolfus unicus opu-
lentorum ciuium, cuius proauus Viennæ fuisset natus, Viennā C
enim frequentes incolunt aduenæ; indigenæ pauci, cum eo &
Sebastianus Zigelauser, quem magistratu ciuium Cæsar di-
gnum duxerat, plebs reiecerat, in vincula coniectus est: Et Pul-
chauser quem diximus equites Cæsarianos admisisse, & Augu-
stinus equestri militia recens donatus, & Ioannes Odonacher al-
ter plebis concitator, & Volchangus quidā de plebe audacis spiri-
tus, quibus post habitas quæstiones in publicum adductis, inter
ipsa paschalia festa spectante populo ceruices præcisæ sunt: tan-
tum religioni Albertus attribuit: in cuius potestate vsque in hūc
diem Vienna perseuerat metu coercita, digna tali Domino, cui D
iustus clemensq. placere non potuit.

Ioannis Dra-
gulæ imma-
nis atque ne-
fanda crude-
litas, eiusque
in regem Hū-
gariæ depre-
hensa perfu-
dia, & tandē
captiuitas.

Austrialem sæuitiā, & crudele descripsimus Alberti facinus,
adijcienda est Ioannis Dragulæ atrox nequitia & natura imma-
nis; cuius inter Valachos, quibus præfuit, adeo nobilitata sunt
scelera, vt nulla quæant tragœdia superari. Valachi populi sunt
vltra Danubium habitantes inter Euxinum mare, & regiones,
quas hodie Trāsiluanas appellant: in quis septē ciuitates Theu-
tonici sermonis existunt. Valachi lingua vtuntur Italica, verū
imper-

imperfecta, & admodum corrupta sunt qui legiones Romanas
eo missas olim censeāt aduersus Dacos, qui eas terras incolebat:
legionibus Flaccum quendā præfuisse, à quo Flacci primū, dein-
de Valachi, mutatis litteris sint appellati: quorū posteri (vt ante
relatū est) barbariores barbaris euasere. Is nostra ætate Dragu-
la præfuit animo inconstanti & vario, quem anno sexto & quin-
quagesimo supra mille quadringentos incarnati Verbi Ioannes
Huniates regni Hungariæ gubernator, eo quod ad Turcas defe-
cisset, bello victū, captumq. cum altero filio neci tradidit, Ladi-
slao quodā ei suffecto, qui Valachos imperio regeret. Fugit gu-
bernatoris manus alter Dragulę filius nomine Ioannes, qui pau-
lo post exercitu comparato, interfecto Ladislao, paternæ heredi-
tatis magnā parrem vendicauit, cunctis qui sibi, patriq. fuerant
aduersi crudeliter necatis: Cybiniensem ingressus prouinciam
quamplures villas populo plenas succendit. Viros catenatos ad-
modū multos in Valachiā tractos palis affixit. Negotiatores pu-
blica illectos fide per Valachiā cum pretiosis mercibus transeun-
tes, direptis bonis interemit. Ex Vurcia quadringentos pueros
tanquā lingua Valachorū erudiendos, ad se iussit afferri, quos in
æstuario clausos immisso igne cremauit. Viros sui generis nobi-
liores, & qui propinquiores sibi fuerunt, cum liberis & vxoribus
interfecit. Quosdam ex domesticis suis vmbilico tenus terra suf-
fodi iussit, ac sagittis transfodi: nonnullis cutem ademit: Daym
quendam filium alterius Daym Vaiuodæ in bello cepit, viuenti-
q. ac videnti sepulchrū erexit, iussitq. sacerdotes exequias de-
cantare, quibus finitis captiuo caput amputauit. Legatos Sicu-
lorum, & Transiluanorū quinquaginta tres ad se missos in vin-
cula coniecit, & ingressus eorum terras, nihil hostile timentes,
ferro & igne cūcta vastauit. Cæilinum suarum copiarum du-
cem, eo quod immanitati suæ non satisfaceret, palo transfixit.
Viros ex Vurcia sexcentos in alteram prouinciam transeuntes,
cum in manus eius peruenissent, ad palos peremit. Zeganum
quendam quoniam furem deprehensum recusasset manu sua su-
spendere in magno lebetē decoxit, epulandumque suis ciuibus
tradidit. Pueros quoque lactantes è sinu matrum abstulit, & il-
lis videntibus ad saxum allisit. Transiluanam ingressus prouin-
ciam cūctos Valachos illic habitantes quasi amicos ad se vo-
cauit, & in vnum congregatos immisis militibus interfecit, &
villas eorum exussit. Supra triginta hominum millia his arti-
bus

bus interfecisse proditur. Anno millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo Turcarum Imperator, cuius ditioni subisset censum petijt: ipse iturum se Andrinopolim dixit, censumque allaturum: petijt ergo litteras ad locorum præfectos, quibus tuto ire posset, concessæ sunt. Transmisso Danubio, qui glacie coactus erat, cum exercitu occurrentes Turcarum præfectos interfecit, & late crassatus in populos, supra viginti quinque millia vtriusque sexus hominum trucidauit, inter quas & virgines venustissimæ perierunt, quamuis à Valachis peterentur vxores: captiuorum magnum numerum in Valachiam duxit, quorum alijs pellem ademit, alios igni assauit affixos veribus; alios in oleo feruenti decoxit; reliquos palis affixit: ita vt filua palorum quædam in campo appareret, in quo hæc sunt gesta. Cum animaduertisset virum aliquem in agro laborantem, cuius camisia breuior vix pudibunda tegeter, perconctatus est, an vxor ei esset, vbi didicit vxoratum, iussit accersiri feminam; venientemq. interrogauit quodnam eius esset artificium? respondenti nere & luere: cur ergo subintulit viro tuo camisiam quæ verenda tegeter non perfecisti? iussitq. mox feminam ad palum rapis viroq. aliam dedit vxorem. Cum tot flagitia perpetrasset, à Matthia rege Hungariæ, tandem captus est ea hieme, quæ Pius Pontifex ex Tuderto Romam redijt; capturæ causam præbuere litteræ suæ, quæ in hunc modum ad Imperatorem Turcarum cum scriptæ mitterentur, interceptæ sunt. Imperatorum Imperatori, & dominorum domino, qui sub Sole sunt magno Admurato, & magno Soldano Maumethi, in omnibus fortunato; Ioannes Vaiuoda, & dominus Valachia humilem subiectionem. Seruus ego magni imperij tui certiore in te facio me hodie ad terram meam proficisci cum exercitu, & confido in Deo obtenturum me illam, nisi tuo præpediar imperio. Ideo magnitudinem tuam supplex oro, ne meum errorem, & peccatum magnum meum inspicias, quoniam imprudenter in te peccaui, & malum feci in terra tua; sed misereatur mei tua clementia, atque indulgeat, vt legatos ad se mittere possim. Mihi nota est omnis Transiluanæ regio, & omnis Hungaria, & conditiones locorum, rerumque calleo. Si placuerit imperij tui magnitudini, possum pro redemptione delicti mei totam regionem Transiluanam tuis manibus tradere, cuius possessionem adeptus, poteris omnem Hungariam tuæ potestati sub-

A subijcere. Legati mei plura ad te deferent. Ego quoad vixero tuus ero inconcussa fidei seruus. Deus magni imperij tui multos faciat annos. Scriptum in Rhotel septimo idus Nouembris millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo. Fuerunt & aliæ binæ litteræ eiusdem fere sententiæ, vnæ ad Basam, alteræ ad Thoenonæ dominum, vt pro se intercederent apud magnum Imperatorem. Eæ de lingua Bulgarica in latinum conuersæ ad Pontificem missæ fuere. Valachus adhuc in carcere delitescit, magno & honesto vir corpore, & cuius species imperio digna videatur, adeo sepe differt hominis ab animo facies.

Stephanus circa idem tempus, qui paulo ante genitori suo regi Bosnæ vita functo successerat, legatos ad Pontificem misit duos senes statura proceros, & habitu venerabiles: quorum alter huiusmodi orationem habuit. Rex Bosnæ filius tuus, beatissime pater, nos ad te misit, iussitque suo nomine hæc dicere. Certior factus sum Maumethem, qui Turcis imperat, æstate proxima infesta contra me signa moturum, & iam co-

Legatorum Bosnæ regis ad Pium, oratio cōtra Turcas, auxilia & quædam alia petens, Pijq. clemētissimū ac iustum responsum.

pias, & belli machinas apparasse. Non sum ego qui tantum impetum ferre possim: orauī Hungaros, & Venetos, & Georgium Albanum, vt opem mihi afferant: idem ex te peto; neque auri montes postulo: scire hostes ac prouinciales meos cupio tuum mihi fauorem haudquaquam deesse. Si norint Bosnenses me non futurum in bello solum, fortius dimicabunt, neque Turcæ terras meas ingredi audebunt, quarum sunt aditus difficillimi, & arces pluribus in locis propemodum inexpugnabiles. Tuus antecessor Eugenius patri meo coronam obtulit, & pontificales ecclesias in Bosna voluit erigere. Renuit pater ne Turcarum in se odium prouocaret. Erat enim nouus Christianus, nec Manichæos adhuc regno expulerat. Ego à puero baptizatus fui, & litteras latinas didici, & Christianam fidem solide complexus sum: non timeo quæ pater timuit; coronam vt ad me mittas opto, & sanctos episcopos. Hoc signum erit te mihi non defuturum, si qua ingruerit belli moles. Spem subditis à te coronatus, terrorem hostibus afferam. Iussisti, viuentis genitore meo, arma quæ in Dalmatia sub Venetorum manu erant, Cruciatæ nomine collecta, vt ad eum mitterentur. Non placuit senatui Veneto. Iubeto ad me modo mittantur, fortasse maius imperium inuenies, quando mutata est mens Venetorum, &

MM 2 Turcis

Turcis feruntur indicturi bellum. Hæc peto, & ut legatum ad A Hungaros mittas, qui meam causam regi cõmendet, horteturque arma mecũ iungere, hoc pacto saluari Bosna poterit, alioquin peritura est. Turcæ in meo regno munitiones aliquas construxere, & in agrestes mitem animum ostendunt, dicunt futuros liberos quicumque ad se deficiunt, blandeque complectuntur: rusticorum rude ingenium non intelligit artes & libertatem perpetuo duraturam existimat. Facile his dolis illectæ plebes à me deficient, nisi tuo præsidio munitum viderint, nec diu nobiles in suis arcibus perseverabunt deserti à rusticis. Si quæreret regnum meum Maumethes, neque ultra progredi vellet, B ferenda esset mea fors, neque pro me tuendo reliquam Christianitatem vexare deceret: verum insatiabilis regnandi cupidò nullas habet metas. Post me Hungaros agitabit, & Dalmatias Venetis subiectos, & per Carnos, & Histros quærèt Italiam, cuius imperium ambit, & sæpe de Roma loquitur; atque huc direxit animum. Quod si permittentibus Christianis meo regno potitus fuerit, aptissimam prouinciam, & loca peropportuna inueniet ad suum desiderium explendum. Ego tempestatem primus expecto, post me Hungari, & Veneti, & reliquæ nationes suam sortem experientur: nec Italia conquiescet. C Sic stat consilium hostis. Hæc explorata ad te defero, ne olim dixeris non fuisse prædictum, & me argueris negligentia: pater meus antecessori tuo Nicolao & Venetis futuram Constantinopolis calamitatem prædixit, non fuit adhibita fides; amisit cum suo magno malo Christianitas regiam urbem & patriarchalem sedem, & Græciæ columen: nunc ego de me vaticinor; si fidem datis & opem, saluabor, alioquin peribo, & meam ruinam multi sequentur: hæc Stephanus ad te deferri iussit. Tu qui Pater es Christianæ religionis, & consilium, & auxilium adhibe. Pius his auditis consilio fratrum adhibito, ita D respondit.

Responsio
Pontificis.

Habemus fidem legationi Stephani, eadem multis ex locis nuntiantur. Occidentis quærît Imperium Maumethes, qui orientale peruasit: aptissima eius desiderio Bosna est; hanc portam (credibile est) in primis perfringere conabitur: non perficiet audente rege forti animo resistere. Ardua sunt montium elaustra, & aditus, quos facile tueri pauci queant. Coniungent Hungari arma, & Veneti, legatum eius rei causa ad vtranq. gentem mitte-

A mitemus: communem causam communibus adiuuabunt viribus. Nos tantum auxilij præstabimus quantum per facultates licebit. Arma quæ sunt in Dalmatia ministrari iubebimus: Ecclesias cathedrales in Bosna mandabimus erigi, & erectis constituemus episcopos. Coronam mittere sine præiudicio regis Hungariæ haudquaquam possumus, cuius rex Bosnæ vassallus est, & ad eum pertinet coronare regem. Sciscitabimur quid sit animi eius: si æquo animo tulerit, coronam quæ parata est, per legatum mitemus, inuito non faciemus iniuriam, neq. irritabimus eum à quo sunt auxilia expectanda. Stephanus (si sapiat) Matthiam Hungariæ regem omnibus sibi studijs conciliabit, quo cõfoedere, ac beneuolentia iunctus difficile à Turcis pessundabitur. Sic remissi Bosnenses læti abierunt, quos secutus est orator Pontificis Dominicus Lucensis, qui & apud Venetos, & apud Hungaros eorum postulata curaret exequi.

Inter hæc nonnulla castella comitatus Fani, quæ superiori æstate Ecclesiasticus exercitus armis obtinuerat coniuratione facta media hieme nocte concubia rebellauere, captisq. præsidijs quæ inerant cum per inertiam parũ sibi cauerent, ad Sigismundum defecere. Ea comes Vrbinas primo Veris aduentu non magno negotio recuperauit; coegitq. patrati flagitij poenas dare.

Circa idem tempus cum Veneti vehementer vrgerent Dominico Malatestæ veniam dari, seq. concordia per legatum media offerrent; annuit Pontifex, atq. in hunc modum pacis leges edixit. Dominicus si peccati veniam petierit, si Rauennati Ecclesiæ, & Sarsitanensi bona quæ abstulit restituerit: si oppida quæ ab Ecclesia capta ad eum defecere rursus in potestatem Ecclesiæ dederit: si censum Apostolicæ cameræ debitum dissoluerit: si cauerit, ut se sine liberis masculis legitimisq. decedente, Cæsena, Bretenorũ, Meldula, & alia quæ possidet oppida, ad imperium Ecclesiæ redeant: si deinceps fidelem vassallum se promiserit, pacem habeto: neq. sperato recuperare, quæ sibi armis adæpta sunt vno tantum castello excepto, quod pro sua liberalitate donaturus est ei Pius Pontifex. Placuerunt leges, in eo tamen difficultas orta, quo pacto caueri posset post obitum Dominici ne ciuitates eius in alias manus quàm Ecclesiæ peruenirent: digna res videbatur: de modo erat contentio. Pontifex in eam rem iuramenta ciuium requirebat, quibus se obligarent, deficiente sine liberis Dominico, nullius imperium, præterquam Romani Pontificis admissu-

Rebellio quorundam oppidorum comitatus Fani, & eorum celerissima recuperatio.

Leges pacis inter Pontificem et Dominicum Malatestam.

ros: legatus Venetus id nouum atq. insolitum aiebat, neq. sine A
uili pendio Dominici fieri posse.

Veneti con-
tra ius fasque
Ceruiam à
Malatesta e-
mūt ac Pij a-
pud eorū le-
gatum redar-
gutio.

Deliberatione pendente Veneti Ceruiam à Dominico data pecunia coemunt quattuor millia aureorum sibi quoad uixerit, & se mortuo quibus voluerit quot annis dissoluturi, & amplius faccos salis ducentos. Salinæ apud Ceruiam sunt, & sal ibi optimum reperitur, quod ad Romandiolæ vrbes delatū plurimum Malatestis emolumentum præbuit, Veneti quoniam Ferrariensibus vel inuitis sales præbent, veriti ne clam hinc subueniretur illis locum quocunque tandem modo possent siue iure siue iniuria ad se trahere statuerunt: fœdum hoc erat Ecclesiæ Romanæ B
deficiente Malatestarum virili sobole ad eam rediturum; nec licebat Malatestis in aliam familiam gentemve quouis pacto transferre, nec Venetis, aut cuiquam fas erat inuita Ecclesia Ceruiam emere. Sed quid mirum si à non domino Ceruiam emerunt, qui paulo ante Rauennâ Ecclesiastici iuris occupauerant? Facit & Ceruia ad imperium ampliandum, cuius sales Romandiolæ magno erant vsui: nunc ex Venetis quærendum sal, nisi longinquum afferatur: quod sine magno pretio fieri non potest. Damnauit omnis Italia Venetorum factum, qui Ceruiam Ecclesiæ ciuitatem ab eo emissent, qui vendere non posset. Pius cum accepisset de C
Ceruia quod factum erat, accersito Venetorum legato percontatus est, quid ea in re excusationis afferret. Ille factum confessus est, vt qui sciret non posse defendi: dixit tamen id utilitatis causa factum, quoniam salis vectigal, quod Venetis in agro Ferrariensi vicinisq. locis maximum est, Ceruiensibus salibus clam aduectis magnopere comminueretur, noluisse id detrimenti rem publicam ferre, atque ita locum emisse, vnde fraudibus occurrere posset. Cui Pontifex: Senatu intercedente Veneto pacem Dominico promisimus, te vice senatus concordiam mediatorem accepimus, inter concordiam leges illa præcipua fuit, vt moriente sine D
virili sobole Dominico, ciuitates eius, quas ab Ecclesia recepisset in fœdum seu vicariatum, ad Ecclesiam reuerterentur. Laudasti hanc legem; laudauerunt & Dominici procuratores, quamuis de modo contentio esset. Interea Ceruiam ab eo qui vendere non potest, senatus emit: obstat natura fœdi, obstat confiscatio propter rebellionem: obstat lis iam mota: obstant Apostolica litteræ inuestituræ, quæ omnem alienationem prohibent: obstat ipsa honestas. Agimus de Ceruia & alijs Malatestæ ciuitatibus,

A
ratibus, quomodo ad Ecclesiam redeant illo vita functo, cum Venetis ista tractamus, & dū simul cogitamus, Venetis Ceruiam emere fas non erat. Ceterum vos quantum lucraretur vestra res publica, & non quantum damni Romanæ inferretis Ecclesiæ animo pensitastis. Roma sacerdotalis facta est, & maior Italiae pars beato Petro æternæ vitæ clauigero & successoribus eius in patrimonium cessit. Cuncti reges & Imperatores Romano Pontifici tanquam Iesu Christi Vicario caput inclinant, & pedes eius osculantur, sic & uos Venetos iura, ipsiusque possessiones defendere par erat. Ea cum audisset legatus Venetus cū nihil aliud B
haberet, quo suæ ciuitatis causam tueri posset, respondit se quamprimum senatum de Pontificis animo certiorum facturum, & quicquid à patribus accepisset, id totum ad Pontificem maximum primo quoque tempore allaturum, asserens se sperare senatum facile Ceruiæ emptionem irritam redditurum, & in Pontificis sententiam uenturum.

Hunc annum viri tres in Ecclesia præcellentes insignem morientes reddidere: primus fuit Isidorus cardinalis episcopus Sabiniensis, qui diu antea percussus apoplexia (vt diximus) perdidit sermonis usum: Ruthenis hic præfuerat quondam pontifex Bononiensis realibus populis græcicum ritum seruantibus. Cum capta est Constantinopolis à Turcis legatum illic agebat Apostolicæ sedis iam pridem ab Eugenio Pontifice maximo cardinalatus dignitate donatus, in cede Christianorum, quæ ingens ibi facta est, iacenti cadaueri hominis, qui sibi fuisset similis vestimenta subtraxit, & cum suis permutauit, cuculla & rubenti pileo supra mortuum dimissis. Ipse tanquam vnus de plebe captus paruo pretio redemptus est; cadaueri super quo insigne cardinalatus reperi- tum, caput abscissum est, & hastæ suffixum cum pileo per urbem castraque Turcarum per ignominiam contemptumq. sedis Apostolicæ vectatum, clamitante præcone esse Rutheni cardinalis verticem: ipse vero paulo post ad Nicolaum Pontificem redijt, quem aliquot annis postea defuncto Gregorio Patriarcha Constantinopolitano, qui anno quo Mantuam itum est, non sine sanctitatis opinione Romæ obiit, Pius Pontifex ad Patriarchatus culmen euexit, eiq. fatis functo Bessarionem cardinalem Tusculanum virum doctissimum substituit, natione Græcum, genere Trapezuntinum. Obijt & Prosper S. Gregorij ad vellus aureum diaconus cardinalis Columnensis familie princeps Martini quod

Isidori Rutheni & Profperi Columnensis cardina- liū ac Theoderici Coloniensis archiepiscopi obitus, eorumq. vitæ breuissima descriptio atque electio noui Coloniensis.

dam quinti nepos, miti vir ingenio litterarum cultor, & quem A nemo potuisset non amare, nisi plus æquo Gebellarum partiū studiosis auscultasset. In monte qui Larianus dicitur, imminet, que Velitris, & vniuersæ Campaniæ dominari videtur arcem edificare coepit, neq. cessauit (prohibente Pontifice) nouum opus erigi. Ceterum dum operi esset intentus acri correptus morbo non solum ab ædificando desistere, verum & curam relinquere vitam coactus est. Luxere Romani eum fere omnes, & cardinales, & qui curiam sequuntur exteri: nec Pius eius mortem non acerbe tulit, memor antiquæ beneuolentiæ. Pius hominem semper dilexit, atq. idcirco fratres eius & nepotes, & vniuersam Columnensium gentem singularibus fauoribus profecutus est. Theodericus quoq. hoc anno è vita decessit, Colonienſis Ecclesiæ præful, cum annis supra quinquaginta pontificatum administrasset. Tres ei fratres fuere, senior comitatum Morſe gubernauit, unde illustris familiæ Morſensis nomen, alter ecclesiæ Monasteriensis præfuit episcopus: tertius ad Traiectensem ecclesiam electus, nunquam possessionem adipisci potuit, quamuis per arma tentauerit ingredi: Cunctos ante se fratres præmiserat, cū decessit Theodericus, vir sui tēporis omniū Germanorū facile princeps: fuit enim statura eminenti, & corpore pulchro atq. agili, adeo vt C septuagesimū agens annū nullo adiuuante conscenderit equū, & arma non magis grauate quàm iuuenis gestauerit. Induunt loricas, & thoraces, & galeas episcopi Germaniæ, & pro necessitate ecclesiarum aliquando tanquam reges bella gerunt, interfuntque prælijs: an id deceat non asserimus: moribus multa tribuas necesse est: quæ sunt in vna prouincia sanctæ leges, sepe in altera damnantur. Theodericus pro sua ecclesia plurima bella gessit clientelis & affinitatibus potens, alloquio blandus, auditu facilis, comitate & liberalitate insignis, circumſpectus in rebus agendis, & solers; latinæ litteras domi didicit, vt Pontificij iuris D notitiam adipisceretur, in Italiam venit; Bononiæque doctores canonum audiuit, atque ibi à Ioanne vigesimo tertio Pontifice summo, Coloniensi ecclesiæ præfectus, cuius possessionē priusquā assequi posset, decies centena millia auri nummum in bellis absumpsit: nec minorem summam aduersus Cluensem ducē bellum gerens (vt ante diximus) exponere coactus est: quæ res & ipsum, & Ecclesiam ad egestatem deduxere; cum pacem assecutus præterita resarciret damna, rebus humanis exemptus est. Cano-

nici

A nici successorem ei elegerunt Robertum Baioariæ ducem Federici comitis Palatini Germanum, sperantes eum esse, qui Coloniensi & Magūtinæ ecclesijs pacē daret. Missi sunt oratores ad Pium confirmationem petentes: Pio res suspecta visa est, cum propter fratrem Ecclesiæ Romanæ infensum hostē, tum propter electionem, quæ parum sincera dicebatur: nec Federicus Imperator eā electionem laudabat eius viri, cuius frater hostis esset imperij: Accedebant & Philippi Burgundi preces nepotem suum, archiepiscopū Lugdunensem ad eam ecclesiā transferri petentis, nec de possessione dubitantis; cuius amici, & consanguinei Coloniensem B dioecesim suis principatibus vndiq. cingerēt: quibus rebus factū est, vt prouisio tam insignis Ecclesiæ, aliquandiu dilatata sit.

Quartus interea iam currit annus belli, quod de Sicilia regno gerebatur, & ver prope aderat, in quo expeditas vtrinque C copias prodire oportebat; nec dubium quin multo melior eius esset conditio partis, quæ prior exercitum instruxisset, atq. in hostiū percurriſſet agros. Multa Franci minabantur, auri montes suis militibus promittentibus. Appropinquante vere nulla apparent signa, quæ partibus Gallicis spem certam præberent. Pertinax odium in Ferdinandum, & conscientia criminis, & vltionis D metus fortem in aduersis animum faciebant: experiri omnia extrema animus erat, priusquam redirent ad eum, à quo per proditionem defecerant. Pius Pontifex & Ferdinandus & Franciscus Sfortia omnem in celeritate apparendorum exercituū spem uictoriæ collocant; nec dubitant quin priores ad bellum prodeant, cuius gerendi hoc consilium ineunt: In Calabros quoniā essent hostes propemodum attriti, illud duntaxat afferret metū quod amici Ferdinandi copiarumque duces potentia & auctoritate pares alter alterius nollent imperium ferre; Alfonso esse mittendum regis primogenitum, cui nemo parere dedignaretur, quamuis annis minori: Principem Tarenti frequētibus legationibus verbisque blandioribus in officio retinendum. In Apulis eas equitum turmas retinendas, quæ hostiles incursiones prohibere possent: tum segetes in agris inimicorum corrumpere, falce magis quàm ense vtendū. In Terralaboris exercitum cogendū Ecclesiasticorum, regionum Sfortianorumq. qui vt primū ematuruerint fruges, in agrū Theanensem, Sinuessanūq. prorumpēs spē messis auferat hosti, abstineat munitas vrbes atq. arces inuadere, ne tēpus incassum terat: frumēta corrūpat, pecusq. abigat; vbi

Quarti anni consilia atq. instituta belli gerendi in regno, & in Piceno postea pro rerū oportunitate mutata.

ubi cuncta vastauerit relicto Sinuesse duce, quem Rossani principem vocant, dimissis copijs, quæ ad tutandam regionem sufficiant, rex Alexander, Antonius, ducesq. reliqui vnitis viribus in Aprutiū traiciant, Ioannē Andegauensem, & Iacobū Picininū vbiunque locorū fuerint oppugnaturi: impares illos tantis apparatibus haud ausuros congregari, in fuga spem posituros. Quod ubi Aquilani ceteriq. Gallicarum partiū amici populi animaduuerterint, non expectabunt infesta ad se signa conuerti: Ferdinando prius sese dabunt, quàm requirantur: in reditu facile Sinuesse, Theanumque, & aliæ hostium ciuitates fame laborantes capientur; sic futurum vt æstate proxima bello finis detur. Cum his mandatis Alexander Sfortia, Antonius Picolomineus, & Ioannes Comes, qui ad Pontificem venerant, remissi sunt: statutum quoque est ne interim Picininus in agrum Romanum excurrere posset, Neapoleonis copias augeri, qui ei esset oppositus. Auxit eius exercitum Pontifex ad turmas equitum vsque duodecim, & Roberto fratri eius stipendia dedit, qui Matthæo Capuano iungeretur: alteram Aprutij partem defendenti ad Adriaticum mare versam: duas quoque turmas equitū ex Piceno accersiuit, quæ Roberti, Matthæiq. copijs iungerentur. Cardinalis Theanensis ad res Malatestarum missus pecunias attulit, vt coactis quamprimum copijs cum Federico Vrbinate, ceterisque ducibus Ariminum pergeret obsidere. Hic ordo rerum institutus postea mutatus est, quemadmodum res casusq. tulit. Quis enim futura satis præuidit? Nulla mortalibus certitudo consilijs inest.

Pij ad Ostia Tyberina amoenissimus secessus, atque eius loci, & Portuensis iocundissima descriptio, & ingens ac terribilis tempestas.

Ad hoc vsque tempus non viderat Pius Ostia Tyberina, neque id mare, quod littus Romanū abluat. Inuitatus à cardinali Rothomagensi, qui Ostiensis esset episcopus, sub monte Auentino nauem conscendit, & quattuor cardinalibus comitantibus amne secundo nauigationem gratissimam peregit. Ripæ fluminis virebant hinc atque inde gramine læto, floribusq. varijs Maio mensis cuncta vestiente, nisi qua veteris ruinæ mansere vestigia, quæ plerisque in locis tanquam parietes fluminis alueum coercent. Cum ventum est ad Ostiam septem maximi pisces in littore sunt oblatis, nostra ætas sturiones vocat, & in pretio habet, vetus nomen non inuenimus, nisi lupos Tyberinos hos fuisse vocatos quispiam voluerit; ducentarum & quinquaginta librarū vnus pondus esse dixere. Ostiam urbem condidit Ancus ex priscis Romanorum regibus tertius: fuisse olim magnam ruinę probant, quæ

quæ multum agri occupant: mille circiter passibus à mari abest. Visuntur dirutæ porticus, & columnæ iacentes, & statuarū fragmenta: extant & veteris templi parietes marmore spoliati, qui nobile quondam fuisse opus ostendunt. Cernitur & pars aquæductus, qui ex locis remotioribus salubrem vrbi inuexit aquam. Vetusiora vrbs mœnia, & ampliora iam pridem corrunt, & in angustiore redacta formam, ecclesiam tantum cathedralem, & paucas habitantium domos clauserunt: quorum pars in ipsis aquæductibus fundata fuit. Hæc quoque nostra ætate Ladislaum Sicilię regem destruxisse ferunt. Aperti sunt magna ex parte muri, ædem sacram, quæ non ignobilem fuisse constat, incertum an vetustas disiecerit, an violentia; pars tantum superior extat, in qua est ara maior: sub ea, Eugenio sedente, pleraque sanctorum ossa reperta sunt: inter quæ diuę Monachæ Aurelij Augustini matris corpus inuentum, Romam delatum est, & apud Augustinenses reconditum, cui Maffæus Vegius poeta marmoreum locellum condidit, & versibus adornauit. Domus reliquę dirutæ iacent: palatium episcopale Ludouicus Eugenij camerarius tecto cooperuit, & aliquantisper instaurauit, neque aliud extat ædificium, quod inhabitare queas, præter meritariam quandam tabernam, & turrinam, quam Martinus quintus excelsum & rotundam ædificauit ad loci custodiam, ne vestigalia fraudari possent, & quasi speculam ne hostis ascenderet improuisus. Hanc ferunt (si vera est fama) multo sublimiorem fuisse, quàm nunc est: subsedisse agitatum terræmotibus aiunt, & ultra quàm hominis statura est, intra viscera terræ delituisse. Huiuscemodi hodie Ostia est: cuius magnū fuit apud antiquos nomen, Piscatores pauci inhabitant è Dalmatia profecti, & turris custodes. Ager in quo iacet triangularis est, partem mare abest per duo millia passuum, nec minorem partem circuit Tyberis: reliquam claudit stagnum in quo sales fiunt. Aquæductus olim per medium stagnum ædificatus, hodie pontis vsu præbet, & per ipsum ab Ostia rectum iter ad Urbem pedibus patet. Olores in ripa & herba palustri oua ponunt, & pullos alunt, quorum greges visere atque audire suaue est. Stagnum vix passibus quinquaginta abest à Tyberi, ita vt facile sit ex peninsula veram insulam facere: vbi latius stagnum cernitur, stadio patet, nec altitudine hominis profundius est: coangustatur cum mari appropinquat, & formam canalis habet hinc atque inde at-

boribus

boribus septum, in quis dulce modulantur aues: mari haudqua-
 quam coniungitur, nisi tumefcente pelago: tunc enim arena,
 quæ inter stagnum & mare littus efficit, vndis tegitur, & stagnū
 inflatum cum mari idem efficit corpus. Tota peninsula grami-
 nea est, & utilis pecori, quamuis plerisque in locis, & præsertim
 circa mare arenis abundat. Ostium ipsum Tyberis maius trire-
 mes admittit, & naues onerarias non admodum magnas, verū
 cum periculo, quia non amplius tribus cubitis super arenam ef-
 ferri aquam ferunt, & arenam ipsam sæpe mutare locum. Ob
 quam rem magistro opus est, qui loci naturam nouerit, pedotā
 vocant, eumq. mercede conducunt. Si quis neglexerit auaritiā
 naufragio punitur. Huic Ostio obiectam fuisse Carthaginē tra-
 dunt, nec plusquam quingentis millibus passuum abfuisse, adue-
 ctasq. ficus recentes inde Romam, propter quas argumentum
 sibi Cato assumpserit delendā esse urbem, quæ hostis populi Ro-
 mani potentissima tam propinqua esset, Ioannes cardinalis, &
 episcopus Portuensis, vbi accepit Pium Ostiam petiuisse, ad eum
 nauigans, rogauit suam quoque ecclesiam visitari: non negauit
 Pontifex. Ingrediuntur cardinales, & Papa nauigium vnum, &
 amne aduerso trahuntur. Supra Ostiam milliario secundo Ty-
 ber in duas partes scinditur: pars maior, & quæ multo superat
 alteram, ad sinistram decurrit Ostiam versus: pars minor ad dex-
 teram flectitur, & in occidentem vergit, siue natura id iter inue-
 nit, siue humana vis effodit: insulam hæc duo Tyberis brachia
 non paruam efficiunt pascuosam, & bubalis apprime gratam.
 Ecclesia Portuensis in ea iacet detecta; parietes tantum extant,
 & turris campanaria sine campanis non ignobilis. In insula nul-
 lum eminet aliud ædificium; verum vbicunque effoderis, mar-
 mora inuenias, & statuas, & columnas ingentis magnitudinis:
 marmora huc aduexisse è Ligusticis montibus, alijq. regioni-
 bus mercatores ferunt, atque hic Romanis exposuisse venalia,
 quorum frustra multa iacent scabra & impolita, vniuersa fere
 supercrescente terra obruta iacent. Insula plana est & herbo-
 sa ambitus decem millium circiter passuum: tempore pacis ar-
 mentis plena. In parte Tusciæ: qua minor Tyberis pars Thire-
 num influit pelagus, Claudius Imperator portum extruxit, cir-
 cundato dextera sinistraq. brachio, & ad introitum profundo
 iam salo mole obiecta, quam quo facilius fundaret nauem an-
 te demersit, qua magnus obeliscus ex Aegypto fuerat aduectus
 conge-

congessitq. pilis superposuit altissimā turrim, in exemplū Alexan-
 drini fari, vt ad nocturnos ignes nauigia cursum dirigerent. Tur-
 ris adhuc extant vestigia, quæ procul in mari cernuntur, reliqua
 stinditus periere: huic propinqua vrbs Portuensis à portu nomē
 sortita, siue Claudij fuerit opus, siue Traiani, ruina tantum vi-
 suntur: Extat porta vrbs nudata marmoribus, & pars murorum
 corrupta, cernuntur & Gentilium templorum vestigia, & Chri-
 stianarum ecclesiarū cadauera: in medio nauale fuit, quod Tra-
 iani opus dicunt, & vulgo pro Traiano Troianū vocant mul-
 tarum triremium capax, nunc stagni formam habet oppletum
 coeno: olim canale per duo millia passuum à mari portuque na-
 ues eduxit, & falsam dulci miscuit aquam. Circa stagnū colum-
 narum ordines nondum omnes cecidere, quibus alligari naues
 consueuerūt prope adsunt fornices ad seruandas merces apti, &
 ampliora officinarū loca ad struendas reparandasq. naues ido-
 nea. Pamachius Patricius Romanus hoc in loco Xenodochium
 ædificauit, quem diuus Hieronymus commendat, cuius rei nullæ
 visuntur reliquæ. Vrbs olim destructa fuit, postea in formā ca-
 stelli redacta, & id quoq. inhabitatum cernitur. Cardinalis Por-
 tuensis super ruinis dirutæ vrbs tentoria fixit, & tabernacula ex
 ramalibus erexit; atq. in his Pium Pontificem excepit hilari vul-
 tu & alloquio blando, multa de Traiano locutus, cui successisset
 Hispanus Hispano. Reuersus Ostiam Pius reperit pisces del-
 phinum quendam permagnum cepisse, quem quidā multis mo-
 dis coctū auide comederunt: ceteri autē ad crapulam vsq. turio-
 nibus saturati fuerunt. Delphini captura signum futuræ tempe-
 statis habitum: nocte quæ secuta est, decimo octauo calendas Iu-
 nij hora circiter tertia, mare quod superioribus diebus semper
 inquietum, atq. intractabile fuerat, longe plus solito conturbari
 coepit, tempestas exoritur valida, auster ab imis sedibus pelagi
 D aquas euoluit, fluctus immensi euerberant littora, audisses quasi
 gemens & vlulans mare. Vis tanta ventorū fuit, vt nihil ei resi-
 stere posse videretur; sæuire inter se ipsos & alter alterū nunc fu-
 gare, nunc fugere: siluas & obstantia quæq. subvertere; coru-
 scare crebris ignibus æter: intonare cælum, & fulgura è nubibus
 terrifica ruere: ex quis vnum turrim percussit, & propugnaculū
 quoddam simulq. campanam deiecit in terram, parumq. abfuit
 quin monachum quendam opprimeret somno sepultū. In pro-
 ximo armenta bouum stabulabantur, & vacca foetæ pro vitulis
 anxie

anxiæ horribilem mugitum emittere, siue tonitrua vererentur, A
 siue lupos in tenebris formidarent. Nox obscurissima, quamvis
 crebri micarent ignes, terrorem ingeminavit, & tanta vis aqua-
 rum é cælo cecidit, vt iam non pluuias, sed diluuiū diceret, tan-
 quam statuisset orbis conditor humanum genus iterum aquis
 inuoluere. Cum non essent in episcopali palatio, neq. in turri di-
 uersoria, quæ omnem Pontificis, cardinaliumque familiam ca-
 pere possent, multi sub tentorijs iacuere, & pars in nauibus quie-
 tem quæsiuit: inter quos ciues Romani fuerunt, & nonnulli ex
 familia Pontificis, & dispensator domus Rothomagensis: Li tem-
 pestate oborta cum ventus nauim agitaret, & pluuia carinā im-
 pleret, metu attoniti, quid agerent nesciebāt: & dispensator qui-
 dem aquam fugiēs, in aquam se proiecit parumq. à summerfio-
 ne abfuit: forte fortuna proximus ripæ funem apprehendit, &
 auxilium implorans: tandem adiutus, flumen madidus ac semi-
 mortuus exiuit. Vnus ex familia Papæ apprehēso lumine, quod
 vnicum erat in nauī, prosiluit in terram: Tum Romani in tene-
 bris relictī, alter amplexari alterum, rogare ne relinquerentur:
 miseros se dicere, quibus sine lumine pereundum esset, suam for-
 tunam lugere amarissime, diem vltimum aduenisse non dubita-
 re; atq. ita complexi madidq. rei exitū expectare. Tentoria ven-
 tus cuncta deiecerat: duo erant tentoria extra muros, in quibus
 familia Vicecancellarij decubuerat: hæc violētus turbo cum ar-
 ripuisset, obtruncatis funibus, perfractisq. malis prorsus dilace-
 rauit, & malorum alter prope iacētis viri tibiam casu percussit,
 ac pene dirupit, fugere omnes tētorijs disiectis, nec per tenebras
 licebat iter cernere. Vis nimbi inter carduos, qui multi locum ob-
 sederant, nudos impulit, & spinis vulnerauit asperioribus: mise-
 rabile visu, cruenti tandem, & gelu rigentes, ac propemodum
 stupidi ad vicecancellarium peruenere in palatio iacentem, &
 horridæ tempestatis impetum formidantem, qui vbi suos vidit,
 relictis tentorijs aduenisse nudos, num salui ne omnes essent, &
 vbi posuissent argentū interrogauit, nec vnquam consolatus est,
 nisi postquam omnes saluos esse cum argento didicit. Tremere
 in palatio cuncti, nemo suæ vitæ nō timere, præter eos qui in coc-
 na plus solito adbibissent, & in cubiculis humilioribus collocati
 fuissent, altissimo sepulti somno nihil audiuerunt. Pius in cubiculo
 suo pro cōsuetudine dictare aliquid cęperat, Augustino Patrio
 scribente, & iā quasi horā nihil motus tempestatē paruifaciebāt:
 at cum

At cum increbuisse nimborum violentia, & venti muros quate-
 rent; nutarentq. parietes; totaq. domus tremere, & in tecto ver-
 se tegulæ huc atq. illuc raperentur, timere periculum cœpit, &
 aspiciens parietes, ac laquearia, cum vetusta omnia cerneret,
 verereturq. ne putrefacta corruerent, iussit Augustinum surgere
 atque accersire cubicularios, quibus aduenientibus: afferte, in-
 quit, vestimenta; vt domum exeam: negabant illi vtile consi-
 lium esse, quia nec foris tuta mansio esset in pluuia vehementi,
 nec in palatio locus tutior cubiculo suo: At Pontifex minime,
 inquit) sapitis, ferenda est magis pluuia, quàm ruina domus: ve-
 stite me cito sub diuo tegar melius: muri fatiscunt, & in cubicu-
 lo confiditis? Obediunt cubicularij: cum semiuestitus esset Pius
 tempestas illico sedata est, & omnes venti quieuerunt tanquam
 Pontifici veriti fuissent incommodum afferre; nec aliud auditum
 est quàm pluuia: & Pius mutato proposito in lectulo suo quie-
 uit. Parem tempestatem perpeffus est eadem nocte cardinalis.
 Portuensis in vrbe sua commoratus, qui ruente tentorio, atque
 disiecto sub diuo relictus vestimentis sese operuit, atq. ita pluuia
 & noctem euasit periculofam: fuerunt & Romæ tonitrua non
 minora quàm Ostiæ; Pontifex sequenti die domum redijt, non si-
 ne lætitia expectantis populi.

Aquilani per hoc tempus greges ouium, quæ in Ecclesiæ pa-
 fciis maritimisq. locis hiemauerant, ad montana reducere fata-
 gebant: Pontifex violasse Aquilanos induciarum foedera res-
 pondebat, qui Picinino Sulmonam obsidentium comitatus præ-
 buissent, atq. hostis copias in suis municipijs admisissent, præ-
 dasque coemissent in agris Ecclesiæ factas, & alia quamplurima
 aduersus induciarum formulam datamque fidem patrauissent:
 propter quæ poenam aureorum quinquaginta millium sæpe in-
 currissent, oues pro poena retinendas fore. Aquilani contra, li-
 beras oues dicere, neque retineri posse ob inducias violatas, a-
 liudve delictum, etiam si læsæ maiestatis crimen interciderit, ita
 cum publicanis Ecclesiæ fuisse conuentum, cum missæ sunt ou-
 es: Procurator fisci publicanorum eam potestatem esse nega-
 re. Rebus in contentionem deductis, Pontifex auditores sa-
 cri palatij ad se quasi ob aliam causam vocatos iuramento a-
 digit, vt taciti veritatem inquirant, sibi que suum iudicium
 afferant, liceatne stante publicanorum conuentione, ob vio-
 latum foedus Aquilanorum greges retinere. Illi tempus deli-
 bera-

Ouium Aquil-
 lanorum ma-
 xima multi-
 tudo Apосто-
 lico fisco ipso
 iure aplican-
 da, Pij libera-
 litate Aquila-
 nis ingratiss
 redditur.

berationis exposcunt, atq. octo diebus inter se dubio discusso, Pō-
 tifici nuntiant in quæstione proposita quid sit iuris compertum
 habere. Pius accersitis cardinalibus publicum consistorium edi-
 cit, & Aquilanorum legatos adesse iubet, atque in hunc modum
 affatur. Quamuis duobus de regno Sicilię contendentibus, cum
 Aquilani complecti regem, venerariq. debeant, cui sancta sedes
 Apostolica regnum decernit, immemor tamen honesti, iusti,
 ciuitas Aquilana, tanquam nihil in se iuris habeat Romana Ec-
 clesia, Ferdinando à nobis rege declarato sese opposuit, Rhena-
 to eiusq. filio paruit: duces nostros Ferdinando militantes armis
 aggressa est: Picinino agrum Ecclesię vastanti peditatum adie-
 cit, nec uerita est modis omnibus aduersus dominum suum Ro-
 manum Præsulem hostilem ferre animum. Cum nostri superio-
 res in bello essent, diripereturq. rebellium Aquilanorū ager, ro-
 gati sumus bellum remittere atq. inducias amplecti: Miserti fi-
 liorum, cessare ab armis placuit, temporaneamq. pacē Aqui-
 lanis largiri: his adiectis legibus, ne hosti commeatus ministra-
 rent: ne Picinini exercitum intra suos fines reciperent; neve præ-
 das emerēt ex nostris agris ereptas, si cōtra facerent, aureis quin-
 quaginta millibus totiens mulctarētur, quotiens delinquerent.
 His communi consensu constitutis, greges suos quoniam alibi
 per hiemem feruari non poterant, ad loca nostra maritima mi-
 serunt, fide publicanorum accepta, quod nullam ob causam reti-
 neri possent. Post hæc bis terq. violata sunt ab Aquilanis indu-
 ciarum foedera: propter hoc diximus perdidisse Aquilanos oues.
 Vos oratores eorum, quamuis delictum fateremini, violataq. pa-
 cta; negatis tamen retentioni ouium esse locum, publicanorum
 obstante conuentione: Nos rem omnem ad auditores palatii no-
 stri retulimus, qui rotam faciunt, orbemque iudicant, ab his au-
 dietis perdita ne sint animalia uestra: Dicite auditores quid
 tandem in hoc dubio ius decernat. Tum decanus rotæ vir gran-
 dæuus natione Hispanus, qui multos annos reddendo iuri in A-
 postolico palatio dedisset operam: Adsumus, inquit, Beatissime
 Pater, capellani tui auditores rotæ: fecimus quod mandasti, ex-
 aminauimus diligenter propositam quæstionem, factum quo-
 modo se haberet diligenter cognouimus: vidimus constitutiones
 Apostolicę camera; vidimus conuentiones Aquilanorum
 & Publicanorum, quę super mittendis ouibus interuenere: vidi-
 mus induciarū foedera: Aquilanorum notoriam rebellionem,
 & in

A & in te commissum læsę maiestatis crimen, & inducias manife-
 ste violatas considerauimus: inuenimusq. publicanos tuos non
 potuisse promittere quę promiserunt, ne que te illorum pactis a-
 stringi, quę decreta Camera prohibent. Quibus ex causis ma-
 nifesti iuris esse didicimus Aquilanorū oues absq. vlla reprehensio-
 ne per te posse retineri. Exin Pontifex: Omnium uestrum hæc,
 inquit, sententia est, an aliqui contradixere? Aderat Sanctius ve-
 nus auditorū, & ipse item Hispanus atq. penultimus in collegio:
 is assurgens, deinde genua flectens: Omnes inquit (vt ait decanus
 noster) eius sententię sunt, quę dicta est: ego solus dissentio, &
 cur dissentiam inter collegas dixi: Tum alij dissensisse quidem
 Sanctium à se dixerunt, verū dissensionis causam, quę pondus
 haberet nullā adduxisse. Post hæc Pontifex: Audiuitis, inquit,
 oratores Aquilanorum quę sit auditorum sacri palatii senten-
 tia. Oues uestrę perditę vobis sunt, & factę nostrę: iure possu-
 mus illas retinere: quod si fecerimus, minor erit poena uestra,
 quàm delictum; nec quisquam qui sapiat dixerit non iure fa-
 ctum, quod primum in orbe tribunal iustum censuerit; possu-
 mus ab ingratis, & rebellibus filijs poenam exigere: non facie-
 mus; maior erit nostra clementia, quàm uestra perfidia: Ite &
 C animalia uestra, quę iure perdidideratis domum reducite; do-
 no ea damus reipublicę uestrę, quamuis malemerenti. Discite
 inter Ecclesiasticum & sæculare imperium quantum interfit.
 Nemo qui regem quempiam offenderit, quemadmodum vos
 Ecclesiam offendistis, ab illo eam gratiam reportasset, quā vos
 hodie refertis à nobis: vos deinceps nisi prorsus fueritis ingrati,
 Romanam Ecclesiam abstinebitis lædere. Resumpserunt spiritum
 Aquilanorū legati his auditis, qui prius quasi attoniti quo ten-
 derent verba Pontificis expectabant anxij, melioremque longe
 sortiti finem, quàm sperauerant: confessi errorem ciuitatis suę,
 D Pontifici gratias egerunt. Admirati sunt omnes liberalitatem
 Præsulis: nam supra centum millia ouium ea die donauit Aqui-
 lanis. Miserat & ante aliquot dies Præsul ad Aquilanos proto-
 notarium Bononiensem cum decreto Rotæ, vt in senatu ciuium
 perditas oues ostenderet, ac benignitate Præsulis prioribus domi-
 nis recuperatas, quod ideo factum est, ne legati Aquilanorum
 suę diligentię adscriberent quod benignitate Pontificis erat fa-
 ctum: sed nihil ea res Aquilanorum perfidię detraxit; accepe-
 runt oues, nihil effecti meliores.

Euerfus Anguillariæ comes dum talia fiunt, nullo vnquam
 tempore perfidiæ suæ oblitus, multa in Pontificem machina-
 tus est, si quo pacto perdere eum posset vel ferro vel veneno;
 Broccardum ad eam rem præcipuum Picinini cancellariū con-
 sultorem habuit. Inuentæ sunt epistolæ alterius ad alterū mis-
 sæ, in quis plures modos tentatos fuisse constabat extinguendi
 Præsulem: nonnullos adhuc tentandos. Reperta est & Petri Pa-
 zij Florentini epistola ad Euerfum, qui de nece Pontificis ab eo
 requisitus, respondit se Gallis amicum esse, eorū causa nec fortū-
 nis suis nec corpori hactenus pepercisse: idem facturū deinceps;
 verum animam Deo seruare velle; Pontificis maximi insidiari
 vitæ nulli fas esse, neque sine animæ detrimento fieri posse: De-
 fineret posthac similia ex se querere. Venenum se Broccardus
 inuenisse aiebat, cuius si vel modica portio fellā tinxisset Pon-
 tificis, mox illi in ea sedenti vitam eriperet: corrupendum
 esse aliquem ex Pazaliæ satellitibus, quibus gestare Pontificis
 fellam mos erat: extincto Pontifice Ferdinandum prorsus peri-
 turum: apud Andegauenses mansurum regnum, ex quis Picini-
 nus, Euerfusq. cuncta quæ velint, obtenturi sint. Cavit sibi Pon-
 tificis inuentis his litteris quanto amplius potuit, quamuis diui-
 næ magis custodiæ, quàm humanæ se credit. Euerfus interea
 ex domesticis suis quosdam apprehendit, tanquam cum Gre-
 gorio Lollio de nece sua tractassent, & apud Vetrallē patrem
 cum duobus filijs in puteo arido clausisse, ibi fame perituros tra-
 ditus est, ore ita obstructo vt audiri nullatenus possent, alios a-
 lijs supplicijs peremisse. Quibusdam proditorem confessis,
 quasi clemens pepercisse, litteris per Italiā missis, quibus Pon-
 tificem suæ vitæ insidiari diceret; ignarus suos mores omnibus
 esse notos, qui tum se proditum dicit, cum prodere alios frustra
 tentauit.

Secessus Pij: Pius interea celebrato in æde sancti Petri Dominicæ Ascen-
 sionis festo, inuitatus à cardinali Aquileiensi camerario suo,
 gratissimus, monasteriū sancti Pauli, quod est in Albano visere, vt ea vetu-
 statis loca cognosceret, non inuitus annuit. Profectus eo tris car-
 dinales & domesticam familiam secum assumpsit. Egressus Ap-
 pia porta per viam, quæ ducit Neapolim, multas intereundum
 ruinas contemplatus est, quarum præcipua fuit Hippodromi
 apud sanctum Sebastianū, & magni contracti obelisci, ad quē
 dirigere bigarum quadrigarumq. cursus consueuerunt, & Cæcilie
 Metellæ

Metellæ sepulchri nobilis: Bouiscaput nunc vocitant: Villas dein-
 de plurimas dirutas offendit, & aquæductus altissimis suspensos
 fornicibus sæpe interruptus, prope Albanum inter nemora Ap-
 pia via reperta est atro ac durissimo silice strata, & hinc atq. in-
 de frequentes sepulchrorum moles instar turrium spoliatæ mar-
 moribus. Ludouicus camerarius in Albano monasterium affe-
 citus sancti Pauli, quod olim Honorius tertius Pontifex maxi-
 mus gentis Sabellæ fundauit, iam dirutum instaurauit, Ecclesiā
 quæ sine tecto fuit, reparauit, ædes egregias edificauit: & vbi quō-
 dam lupos, vulpesque cepit, hortos plantauit, & amoenissi-
 mum locum reddidit; ibi fons perennis est, & nihilominus ad-
 ditæ cisternæ sunt, ex quis aquæ meliores haurirentur. Aer hic
 non insaluber, quamuis marinis expositus ventis locus, qui ex
 Africa perflāt. Hic animalia Ludouicus nutriuit diuersi generis,
 inter quæ pauones aluit, & gallinas Indicas, & capras ex Syria
 vectas, quarum aures longissimæ fuerant, & late hinc atq. inde
 pendentes, & vtrasque tegentes genas. Reformata est sub Lu-
 douico facies loci, & monasterium reparatum; dispar circa
 ecclesiam suam cardinalis Fuxensis cura. Albam olim par-
 uam fuisse urbem crediderim, in qua regnauit Ascanius Aenæ
 filius, & quæ de Scrofa albos enixa suillos cognomen accep-
 tit; sextodecimo ab vrbe milliario distans. Illam deleuit
 Tullus Hostilius traducto Romam populo, & in monte
 Cælio collocato; instauratam deinde, & in amplissimam
 formam ædificatam fuisse constat, sicut ruinæ murorum ve-
 teres ostendunt, quæ non minus spatij ambiunt, quàm Bo-
 noniæ moenia: à labro enim Albani lacus vsque ad castel-
 lum, quod nunc Albanum vocant, protendebatur: nec mi-
 nor erat amplitudo. Extant vestigia priuatorum & publico-
 rum ædificiorum ex quadrato lapide raræ magnitudinis. Cer-
 nitur adhuc theatrum, cuius pars media monti cohærens in
 ipso montis incisa lapide vetusta sedilia retinet, formamque
 seruat integram, quamuis obsitam rubis: alteram partem ex
 cocto latere addiderunt fornicibus, qui adhuc extant innixam
 compluribus: aquarum cōseruatoria plurima & ingētia insunt.
 Baptista Florentinus ex Albertorum familia vir doctus & anti-
 quitatum solertissimus indagator supra triginta inueniri tradi-
 dit, quæ inter vepres rubosq. latitant; Pius quattuor inspexit
 ingentis amplitudinis nondum collapsa. Henricus tertius Teu-

tonicæ gentis Imperator maiorem Albā subuertit vltimus. Super
 per ruinas castellum ædificauerunt Sabelli parui ambitus, quod
 nostra ætate patriarcha Alexandrinus destruxit, cum Ecclesiæ
 Romanæ esset infensum: id nunc reparatur, & iam defendi po-
 test. In eo palatium Ascanij adhuc manere dicunt: falsa res est:
 thermæ fuerunt Imperatorum opus magnum ac sublime: altis-
 simi fornices extant, vnde calefactæ defluerunt aquæ vestigia
 ostentantes. Amplitudo thermarū ea fuit, quæ nunc Albani est,
 cuius muri ab ipsis ruinis robur accipiunt. Cernitur ad eam par-
 tem, quæ respicit Aritiā quadrata moles exteriori spoliata mu-
 rō, è cuius summitate quinque assurgunt pyramides forma ro-
 tunda sublimes, quarum tres sectis lapidibus, quibus vestitæ fue-
 runt, nudatæ cernuntur: duæ adhuc suum retinent ornamentū,
 quamuis inimica rerum verustas nonnullos lapides ita commo-
 uerit, vt ruinam minentur, & in plerisque locis infensam muris
 inseruerit caprificū. Hunc vulgo tumulum esse aiunt Curiatio-
 rum, qui pro libertate certantes cum Romanis Horatijs trigemi-
 ni pugnaverunt, atq. in pugna ceciderunt: aiuntque duas pyra-
 mides additas propter duos Horatios, qui simul corruerunt:
 Quod nobis non sit verisimile: trigemini enim inter Romanos
 & Albam pugnantes cecidere, vno seruato, qui patriæ victoriā
 peperit: vbi res gesta est, illic titulos erexisse maiores crediderim
 & vbi sunt inuenta cadauera, aut certe non procul inde tumu-
 los excitatos, Albam ex vrbe petenti tres moles ostenduntur ve-
 rustate corrosæ, quas censent Curiatij fuisse dicatas: in agro
 nim Albano iacent. Retro Albam qua perflat septentrio lacus
 Albanus in valle profunda latitat, quæ hodie Castelli appellant
 à Castello Gandulsi Sabinorum, quod illi supereminet, olim à
 patriarcha destructum, nunc instaurari coeptum. Pius eo se cō-
 tulit, si quid inesset vetustatis inspecturus. Mira est eius lacus a-
 mœnitas, vndique rupibus cingitur altioribus, quarum quæ mi-
 nor est Romam versus stadij descensum habet: aliæ multo al-
 tiores sunt, & inaccessible: siluæ omnia tegunt, in quis multa
 est ilex omni tempore virens: forma lacus quasi ovi, paulo lon-
 gior quàm latior: ambitus quinque millibus passuum panditur:
 aptissimus naumachiæ locus, quæ spectare infiniti populi queāt:
 aquæ perspicuæ, & pisces alūt optimos, præcipue vero anguillas
 eximiæ magnitudinis. Profunditatem lacus quidam immensura-
 bilem dicunt, cuncti maximam ferunt. Traditū est bello Veien-
 ti va

Ati vatem Hetruscum dixisse, si emitteretur aqua ex Albano lacu
 futurum vt Romani Veijs potirentur. Factum est emissoriū ma-
 ximi operis; & mons ipse Albanus haud minus duo millia pas-
 suū perforatus, ex qua re ingens vtilitas emerfit: molæ constru-
 ctæ sunt, quæ perpetuo agitantur, anguillarum inuenta captu-
 ra, agri sitientes humefacti, lacus ne cresceret cohibitus. Aquam
 inde egredientem Blondus hanc esse ait, quæ ad sanctam Ana-
 stasiam tertio ab vrbe milliario decurrit, ac paludē efficit, quam
 vocant ad aquas saluias. Pius vtrinque locum spectauit, & qua
 egreditur aqua lacus deductum foramen, & qua ingreditur, v-
 trumque dignum admiratione. Vidit & speluncam in saxo de-
 fossam muris vetustioribus amplificatam, templi faciem præse-
 ferentem, & loca in quis idola fuisse apparet: antrū dixeris, quod
 ab occidentali parte adiacens lacui Driades habitauerint. Me-
 dia sunt inter lacum & antrum prata satis ampla, siue nundina-
 rum locus, siue sacrificij fuit aut spectaculi, nihil ei ad voluptatē
 defuit. Hinc Pontifex Albam redijt, & sequenti die ad visendum
 lacum Nemorensem cuius ingentes acceperat laudes sese contu-
 lit Appia via profectus, quæ adhuc strata cernitur, formosior
 in plerisque locis, quàm Romanorum florente imperio fuerit
 nucis auellanæ frondentibus, atque admodum mense Maio
 virentibus circum supraque tecta. Iter natura gratissimum
 præbuit quamuis arte superior. Antiquæ ruinæ ad sinistram
 in monte mansere, sub quo reliquiæ veterum cernuntur ædifi-
 ciorum, quas Bouillas dicunt, & locum esse tradunt, vbi Clo-
 dium occiderit Milo. Aquæ ibi recentes scaturiunt, & agri sunt
 vberes: à dextris mille circiter passibus stagnum cernitur, cui
 Aricino lacui nomen imposuerunt. Ascenditur deinde mons,
 in quo Cynthianū castellum sedet Columnensis familiæ à Cyn-
 thia dictum, quam & Dianam gentilitas appellauit, sub eo Ne-
 morensis lacus iacet, quem & Dianæ speculum prisce vocauerunt
 latini: neque ab re; speculi enim orbiculati formam gerit; & a-
 qua in modum vitri perlucida intuētis reddit imagines, vallem
 profundam occupat, in quam descensus præceps haud minus
 quàm duo stadia continet à summo vsq. ad imum nemorosus:
 Ambitus duo millia passuum, aut paulo amplius complectitur.
 Circa lacum vndiq. via est, quam possis deambulare, & plani-
 ties non equalis, vbi minor est decem passibus coarctatur; vbi
 maior in ducentos aut eo plures extenditur: deinde rupes inci-
 piunt,

itinere monasteriū sanctæ Marię Palatioli cognominatū inuisit **A**
 ibiq. Missarum solemnibus interfuit. Ecclesia est vetusti operis
 non magna vno contenta fornice, cuius vestibulum marmoreis
 nitet columnis: insunt monachorū habitacula, & officinę oppor-
 tunæ quamuis parum nitidę, & vetustate corruptæ. Imminet lo-
 cus Albano lacui. Saxum excisum est ad tantum spatium, quā-
 tum monasterio necesse fuit & horto. Speluncę quoq. suffossæ
 sunt: aquarum vis magna his scaturijt, & fontes perlucidi viua-
 ria implent piscium. Delectabile est sub estu frigidæ & bullien-
 tes aquas cernere, quę per fistulas emissæ sublime saliant, & ad
 omnia monachorum opera præsto adsunt; vltra hortum quem **B**
 pulcherrime excoluerūt, antrum est ante meridiem semper um-
 brosum instar aulæ, in qua plures possint apparari mensæ: illinc
 quoq. fons largus emanat perspicuę perennisq. lymphæ, quæ
 iuxta piscinā implet. Isidorus cardinalis Ruthenus cum per æ-
 statis caumata eo profugisset, in hoc antro plerumq. prandiū
 fecit. Olim Carthusienses inhabitauerunt, æstiuum Romæ fugita-
 tes aerem, nunc sancti Francisci monachi tenent, quibus obser-
 uantia regulæ nomen dedit. Aditum ad monasterium perangu-
 stum pauci facile custodiunt, à dextris altissima præcipitia in la-
 cum tendunt, à sinistris ingens ac sublime præminet saxum, in **C**
 quo viam ferro excidit antiquitas: Priusquam monasterium in-
 grediaris stat rupes alta pro muro sinistrae partis, in qua fasces
 consulum Romanorum, & duodecim secures pro veteri consue-
 tudine sculptę fuerūt, sex hedera cooperuit: sex adhuc uiuentur.
 Pius hederā iussit amoueri antiquitatis memorię fauens. Hinc
 ad Arcempapę se contulit, quæ in alto sita monte munitissima
 est, & loci natura, & ope humana. Prosper Columnensis multū
 adiecit roboris: vna ex parte oppugnari potest, qua itur ad altio-
 res montes, quamuis saxum natura obiecit, super quo turris in-
 genti murorum mole excitata est: reliquas partes frustra tenta-
 uerit hostis, quæ oppido imminent in pendenti rupe collocato.
 Exceptus est in Arce Pontifex blando & benigno ducis vultu, fa-
 ctosq. ibi prandio exiuit in prata, quę latissima patent ante Ar-
 cem: tū gramine cuncta virebāt & floribus: deinde in siluas pro-
 cessit auellanæ nucis, sub quibus umbra suaues: mox castanea
 multa successit, & diuersi generis arbor: pratis atq. Arcipapæ col-
 lis supereminet mille circiter passibus altior, & qui omnia supe-
 rat circūstātia iuga. Hūc Pontifex ascendit: in cacumine planicię
 repe

A reperit, stadium aut amplius paulo in circuitu complexam anti-
 qui per ambitum muri fundamenta extant, & saxa ingentia ferro
 expolita, & sacellum in medio dirutum, super cuius ruinis
 Dalmata quidam eremitorium sibi construxit cōgestis sine cal-
 ce lapidibus. Hic olim fuisse aut castellum aliquod aut villam
 potentis cuiuspiam Romani indicio est strata per montem via
 Appiano silice, quæ vsque ad summum cacumen adhuc inte-
 gra perseuerat. Nonnulli Gabiorū arcem fuisse coniectant, quia
 montem Cauarū vulgus appellat, quasi Gabiorū per corruptio-
 nē dicere velit. Excelsitas hinc patet quod Amiatę montem nō
B obstante Cimino, qui medius interiacet inde cernere licet. Con-
 sedit Pontifex aliquantisper cum cardinalibus, & maritimam
 contemplatus plagam à Terracina vsq. ad Argentarium mon-
 tem omne littus Ecclesiæ metatus est oculis: intuebantur Cen-
 tumcellarum iuga quæ nouo alumine nostram ætatem ditant,
 & vsq. ad Romanum portum, Tuscorum frequentia littora:
 Tum Ostiam in latio, & in morem anguis labentem Tyberim
 varios per plana flexus agentem. Vidit & Ardeam Turni pa-
 triam siluis undiq. cinctam, & mare versus stagna Numici, ex
 quis tantum libari Vestę fas fuit: & Aricinæ ruinas, vnde matrē
C Augusti ortam memorant, & in colle sitū Lauinium à Lauinia
 dictū latini filia Aeneæ coniuge? Vidit & in littore maris Neptu-
 nium in Antij ruinis ædificatū, cuius populus piscatione venatu
 & aucupio viuit: vere coturnices ex Africa redeūtes allectas fistu-
 la retibus capiunt: triginta diebus aucupiū durat: captura vnus
 diei sæpe cētū millia coturnicū interficit. Capitur & ibi vis ma-
 gna palumborū, cū transuolare mare, Italiāq. relinquere parāt.
 Vertit & oculos Pontifex ad Circei culmina mōtis, & iuga fabu-
 losa, & Pontiā insulā Alfonsi regis captiuitate nobilitatā, & ip-
 sam deniq. Terracinam, quā Volsci sua lingua Anxur uocauerē
D Nemorensis lacus, & Aricinus, & qui de Iuturna nomen habuit,
 & Albanus haud aliter de monte cernebātur, quā si super corū
 labijs confederetur: indeq. & magnitudinē & formam ad verū
 cognoscere licuit, & interiacentia spatia, quæ frondosis eo tem-
 pore siluis, herbisq. tecta virentibus, varios atque iocundos ex-
 pressere colores. Maxime vero genesta placuit, quę flore suo ma-
 gnā cooperuit camporum partem. Roma deinde in conspectu
 se tota obtulit, & Soracte, & ager Sabinus, & Apenninum iugū
 niue candidum, & Palumbaria, & Tybur, & Præneste, & in agro
 quem

quem nunc Campanū appellant, plurima loca. Cernebatur & A
 lacus Regillus, quem hodie Griphorum paludem vocitant. Tu-
 sculi quoque ruinæ in conspectu fuere: Romani urbem deleuere
 post acceptam cladem sub Federico primo, quam ferunt fuisse
 maximam: regiam ibi magnificentissimi apparatus fuisse Stra-
 bo commemorat, cuius adhuc fundamenta visuntur fornicibus
 innixa quamplurimis: tamen non procul Molara deserta iacet.
 Cernitur & Rocchaprior Sabellis parens, & Lucullanum L. Lu-
 culli quondam villa, Frascatum hodie dictū: & Marianū, quod
 Marinum appellant, Columnensis familiæ oppidum, sexdecim
 stadijs ab arce remotum. Pontifex omnibus è monte considera- B
 tis, in Arcem redijt, ibiq. pernoctauit. Exin summo diluculo ad
 Criptamferratam se contulit. Id vetus monasterium est in agro
 Tusculano situm, Marianum inter & Lucullanum, quo in loco
 Ciceronis villam fuisse putant, & ibi quæstiones Tusculanas e-
 ditas. Coenobium monachi Græcanico ritu barbati colunt, di-
 uinasq. laudes, & officia græce canunt. Templum vetustū nobi-
 li opere constructū gloriosæ Virginis reginæ calorū, cui dicatū
 est, effigiem pulcherrimam seruat in tabula pictam, Græcanicū,
 Lucæ (vt perhibent) opus Euangelistæ, ad quam visendam Se-
 ptembriō mense singulis annis frequentes concurrunt populi: C
 quo tempore & nundinæ fiunt. Aquam monachi more Græco
 in festo Pentecostes purificant, & in Ecclesiæ vestibulo vase
 marmoreo clausam toto conseruant anno, febricitantibusq. cō-
 cedunt tanquam febris expultricem. Habitacula monachorū,
 & abbatis seorsum egregia sunt, & horti olerum pulcherrimi,
 & qui cetera superat fons frigidus ac largissimus ante vestibulū
 ecclesiæ scaturiens ad omnes officinas deriuatur, & piscinā im-
 plet late patentem. Huic monasterio præfuit abbas Calaber, ho-
 mo litigiosus, verum qui multa per iudicium recuperauit amif-
 sa: Romani hunc infestum habuere, cum possessiones eorum ve- D
 tustas perturbaret, & antiquas sopitasq. dudum lites pergeret
 excitare: Pius eum in Siciliam transtulit, ibiq. fecit Archiman-
 dritam: Criptamferratam Bessarioni cardinali Niceno commen-
 dauit, qui monasterium ipsum nouis ac pulcherrimis ædificijs
 instaurare cœpit. Pontifex hic prandium peregit, deinde præter
 opinionem omnium æstu iam excitato, via Latina inter multas
 veterum ædificiorum ruinas Romam repetijt: & Lateranensem
 ingressus ecclesiam apud aram maiorem cum paululum orasset
 inspe-

A inspexissetq. templi tectum, cuius magnam partem reparaue-
 rat, reliquam reparari mandauerat, per vias Urbis inhabitatas
 transtyberinam regionem intrauit, & deinde in palatium se re-
 cepit apud beatum Petrum, in cuius æde sequenti die sacrā Pen-
 tecostem solemnī pompa celebrauit, & populo benedixit.

Pridie noas Iunias huius anni Blondus Flavius obiit. histo-
 riarum scriptor egregius, natione Forliuensis, qui diu secretariū
 Apostolicum gessit, & Eugenio quarto Pontifici maximo acce-
 ptissimus fuit, ab Honorio Arcadioq. Cæsaribus (quo tempore
 inclinasse Romanum imperium memorant) vsque ad ætatem
 B suam vniuersalem scripsit historiam, opus certe laboriosum &
 vtile; verum expolitore, emendatoreq. dignum. Procul Blondus
 ab eloquentia prisca fuit, neque satis diligenter quæ scripsit exa-
 minauit, non quàm vera, sed quàm multa scriberet curam ha-
 buit. Si quis aliquando vir doctus scribendi peritus opera eius
 emendare, atque ornare decreuerit, haud parum utilitatis poste-
 ris afferet, & se ipsum clarum efficiet: multarum ætatum gestis,
 quæ propemodum sepulta sunt, in lucem redditis.

Idem fortasse de nobis dixerit aliquis; neque ab re, qui etsi ve-
 ra scribimus, elegantiarum tamen expertes indigestam & rudē
 C teximus historiam. Alius olim fortasse inuentionibus Blondi,
 nostrisq. lucem dabit, & alieni laboris fructum metet. Extant
 & alia Blondi opera non parua utilitatis, quamuis caute legen-
 da sunt, ne falsa pro veris accipias; in pluribus enim errasse de-
 prehenditur. Scripsit Italiam illustratam, Romam instauratam,
 & eandem triumphantem, quam paulo ante obitum absoluit.
 Mortuus est Romæ pauper, vt philosophum decuit, familiam
 bene institutam reliquit vtriusque sexus. Patrimonium quod ha-
 buit tenue, dotium causa inter feminas diuisit: masculis præter
 doctrinam, bonosq. mores nihil reliquit; id morienti fat fuit eius
 D ætatis filios dimisisse, qui sibi ipsis consulere possent.

Legati per hoc tempus Matthiæ regis Hungariæ Pontificem
 adeunt. Albertus episcopus Vesprimiensis, & Stephanus Segniæ
 comes; statuisse Turcas Hungariam inuadere dicunt, nec vires
 Hungaris esse, quibus tanti hostis propulsare impetum queant:
 perijisse superioribus bellis omne robur exercitus: regnum nec vi-
 res habere, nec opes, nisi externa inueniant auxilia, nullā spem
 superesse salutis: orare Pontificem rebus afflictis vt opem affe-
 rat, simulq. reliquos Christianos hortetur, ne Christianæ reli-
 gionis

Blondi Flauij
 obitus, eiusq.
 opera,

Pius laboran-
 tibus Hunga-
 ris ab eorum
 legatis requi-
 situs suppe-
 tias mittit.

gionis murum expugnari sinant: murum esse Christiani nominis Hungariam affirmant, quo perfracto facile pateat in omnes Christianorum prouincias Turcis iter. Occurrendū prius quàm porta pateat hostibus. Pius collaudata Hungarorum constantia, qui annis supra octuaginta cum Turcis pro religione certauerint, stipendia equitum mille missurum se regi pollicetur in annum præsentem: hortaturumq. reges, qui proximi sunt, ut arma coniungant: in annum sequentem spem longe maioris: auxilij præbet: dum medio tempore sibi ipsis & reipublicæ non defuerint Hungari. His sponsonibus legati fiducia pleni domum redire, ubi res multo deteriores inuenere, quàm dimiserant regno Bosnæ à Turcis interea subacta.

Bosnense regnum à Turcis occupatur, rexq. gentis contra datam fidem obtruncatur,

Bosnense nomen apud veteres non inuenimus, nouum est a Bosna (vt arbitramur) fluuio receptum, qui regnum Bosnæ interfluens, Sauum influit. Prouincia uero Bosnensis à Moesia initium capiens Occidentem versus, media inter Pannoniam, & Dalmatiam procurrit. Rex gentis nouus tributum, quod sui maiores iam pridem pendere Turcis consueuerant incertum qua spe fretus petentibus recusauerat, & oppidum quod ad confluentes Sauum, Bosnamq. hostes construxerant, Sclauis & Hungaris magnopere formidandum expugnauerat; ea contumelia permotus Maumethes Turcarum Imperator uisus, quod in Hungaros, aut alios existimabatur concepisse, in hunc regem euomit: Quod cum ille accepisset moestus ac pauidus accersito Nicolao Modruensi episcopo, qui tum forte Romani Præsulis in regno Bosnæ legationem gerebat: Tu me, inquit, legate his meruisti malis: qui eosque tuis consilijs perpulisti, ut Imperatoris potentissimi, cui uix queat orbis resistere, ausus fuerim oppida expugnare: aufer quod intulisti periculum. Cui legatus: Sine, ait, in Hungariam proficiscar; mox adero cum certis, & validis auxilijs, tu modo in fide permaneas. Cōceditur eundi facultas: episcopus Hungaros adiit, & Apostolicæ sedis nomine perituris Bosnensibus opem implorat. Hungari exercitum cogunt, Sauoq. prope trāsmisso, hostem à tergo lacerare statuunt, si forte retrahi ab incepto possit. Utile consiliū perfidia interceptum: vnus ex Turcarum ducibus, Bassam uocāt, decimo quarto calendis Iunias ingentibus præfectus copijs sub oppido Bobazio, quod regni Bosnæ caput fuit, castra locauit, post die Imperator consecutus est: Radaces Manichæus olim, deinde Christianum mentitus, oppido præfectus erat: is pre-

pretio corruptus hostem intra moenia recepit, suadetque custodiis arcis, ne Turcis rerum dominis resisterent. Tradita est arx munitissima, quæ facile poterat biennio defendi, nulla re indigens. Imperator præter opinionem potitus oppido ad persequendum regem cum parte copiarum Bassam mittit triginta millibus passuum rex aberat in oppido, quod Lazi uocant: eorumq. Turcarum aduentu percepto, cum thesauris confugerat Dalmatiam petiturus. Bassa cum uenisset Lazi, abiisse regem inuenit, eumque magnis itineribus consecutus in castello Elutio clausit, & arcta cinxit obsidione. Ille quarta demum die fame & siti coactus, sese cum omni thesauro, quem quinq. reges tot annis congregauerant fidei Bassæ credidit: quem Imperator ad se ductum multa spe demulcens, facile induxit, ut oppida, quæ in sua potestate restauerant, reddi iuberet, plura & meliora à se deniq. expectaturus: Scribitur præfectis arcium, clauis, munitio nesque tradant: parent omnes, atq. ita octo ferme dierum spatio amplius septuaginta natura, & arte munitissima oppida, & auri amplius quàm decies centena millia nummum ex Christianis opibus in manus hostium peruenere, quamuis non tam re quam nomine Bosnenses Christianum sibi nomen usurpauerunt. Raptæ matronæ, atq. uirgines, templa sanctorum diruta: Viri religiosi omni contumeliarum genere affecti: nobilitas omnis ad seruitium in Asiā missa: regi paucis post diebus caput abscissum, & cum eo alti sanguinis pleriq. necati. Post regem secundum in Bosna caput dux Stephanus fuit, subditorum numero, atque auro potens, uerum Manichæorum infectus hæresi: filius eius cum patris imperium ferre non posset ad Turcas defecit, quorum armis adiutus patrem bello persequi coepit: eumq. uiribus imparē ad insulas Dalmatiæ fugere compulit. At ubi regem Bosnæ contra fidem necatum animaduertit, ueritus Turcarum sæuitiam, patri reconciliatus est, & cum eo ad munitiora loca se contulit. Regina Bosnæ dum perduto regno, uiroq. capto ab hostibus, furem Turcarum fugitat, in manus Pauli cuiusdam Sclauoniæ Bani peruenit, à quo tanquam hostis esset, captiua retenta est, quāuis ad eum, quasi hospitem declinasset. Ipse uero non multo post dum Turcis agrum suum uastantibus occurrit, cum quingentis nobilibus circumuentus, ab illis occiditur, atq. ita uolati hospitij poenas persoluit. Bacchari undiq. per Bosnam Turcæ: abdita quæque scrutari, nihil intactum relinquere: uicinas regiones incurfare

curfare, atque prædari. Prope rex Hungariæ aderat cum copijs, A
 qui ubi per transfugam insidiari sibi Turcas accepit, insi-
 dias contra tetendit. Turcarum ducem quendam
 cum quattuor millibus militum circumuenit,
 congressuq. vertit in fugam, ac perfec-
 tus trucidavit fere omnes. Hoc tan-
 tum solamen post amissum
 Bosnæ regnum Hun-
 garis datum.

COMMEN-

COMMENTARIORVM

PII. II. PONT. MAX.

LIBER DVODECIMVS

ET VLTIMVS.



NE APOLEO dum ea geruntur Ecclesiastici du-
 ctor exercitus coactis duodecim equitū tur-
 mis, ac mille fere peditibus in agrum Sora-
 num ducit Petri Cantelmi superbi atq. in-
 solentis ducis, qui iam pridem Pio Pontifici
 fuisset infensus, temeritatem correcturus; ac
 prima incursione castellum adortus Casale
 vi capit, militiq. tradidit diripiendum, late-
 que vastat agros, & iam maturescentes quaque versum corrup-
 pit segetes. Insulani primi agrorum vastitatē perpeffi, deditio-
 nem faciunt, stulto consilio, qui non ante se dediderunt: id est
 C oppidum agris Ecclesiæ conterminum, aquis vndiq. cinctum,
 profluentibus ripis altioribus. Fluuium quod ambit insulam Vi-
 ridē vocāt, aut Lyris hic est, aut in Lyrim cadit: trutis abundās,
 nusquam vado circa insulam transmittendus. Sitū oppidi hunc
 perhibent. Flumen de superioribus partibus quiete placideq. sa-
 bens saxum offendit latum atq. altum, à quo duas in partes di-
 scissum hinc atq. inde in subiecta barathra præceps ruit; circun-
 datoq. non sine querelis, ac murmure aliquāto terræ spatio, rur-
 sus in vnum coit. In saxo quod aquam diuidit, arx iacet natura
 ipsa & arte munita, reliquam insulam oppidum tenet, arce hu-
 milius, inter vtrunq. educta fossa aqua compleri potest, oppida-
 nos ab arce prohibens. Obtento per deditioem oppido resta-
 bat arx difficilis expugnationis flumine atque altitudine defen-
 sa. Tentare etiam difficilia placuit: nec coeptis audacibus bo-
 nus euentus defuit. Bombardæ transfluum collocantur illic
 arcem quassaturæ, qua diximus fergere saxum, quo flumen
 scinditur: oppugnatur pluribus diebus arx, nec spes vlla vi-
 ctoriæ datur, nisi postquam concussa frequentibus bombardarū
 lapidibus maior turris ruinam fecit, casuque suo iter præbuit,
 quam-

Sorani dux à
 Pij exercitu
 Sora & maxi-
 ma agri sui
 parte mulcta
 tus pacem pe-
 tit.

quamuis arduum, quo scandi posset. Tum miles æthiops, qui pluribus annis inter seruitia Neapoleonis fuerat, tandemque militiæ sese dederat: Video, inquit, commilitones apertam in arcem viam, & ruinam turris scandere licet: capta est (si mihi creditis) arx, meque sequimini: ibo primus, atq. iter aperiam: Audete pariter, mecum, nec me solum ire sinite. Quibus dictis lancea trans aquam in ruinam turris emissa, projectis vestibus, nudus in aqua profiliit, celeriq. natatu traiecto flumine comprehensa lancea tetro niger aspectu superare molem nititur: sequuntur exemplum quicumq. sunt in castris audaces: impletur natantibus aqua, duos vis fluminis verticibus absortos in præcipitia rapit, caesusq. magno in prærupta saxa deuoluit: quorum alterum euasisse perhibent: reliqui ad æthiopem salui perueniunt, simulq. mole conscensa, (mirabile dictu) armatos pro muris stantes, saxa telasq. iacentes defensores arcis, nudi hastisq. tantum armati loco deturbant, atq. arcem ingressi cuncta diripiunt. Audax facinus, & incredibile, nostra tamen ætate gestum. Virtus æthiopis quod inexpugnabile credebatur, munimentum expugnationi subiecit: posteritas fabulosum putabit. Nam quo pacto verum existimabit ventura ætas auditum, quod nostra visum somnio ducit simile? Qui capti sunt in Arce, ubi se prædam videre nudentur, supraquam dici possit moerore affecti sunt, quod fabula deinceps & irrisio plebis futuri viderentur. Arpinum deinde itum est, nobile olim Romanorum municipium, vnde Caius Marius, & Marcus Cicero originem trahentes, alter armis, alter litteris urbem illustravit. Dederunt se Arpinates Ecclesiæ nihil morati: arces due, quas dux Soranus in oppido muniuerat uicæ captæ sunt, Arpinates fere omnes, aut Tullios, aut Marios appellari hodie perhibent, eo pacto clarissimorum civium conseruari memoriam apud se ratos. Sorani cum accepissent arcem Insulæ expugnatam, Arpinum quoque deditioem fecisse, legatos ad episcopum Ferrariensem misere, qui Pontificis legatus erat in castris, pariturosq. se mandatis eius obtulerunt, haud aliū quam Romanum Pontificem habituri dominum: tædere se tyrannicæ dominationis; Romanæ Ecclesiæ paternum imperium esse, ei solibenter obedituros. Annuit conditionibus episcopus, Soranamq. urbem pro Romana Ecclesia sese deditioem accepit: loci episcopus eius rei præcipuus extitit auctor: dux Soranus his acceptis vulneribus, pacem petit, aut saltem inducias belli, quibus duran-

tibus

atibus à summo Pontifice pacem valeat impetrare. Conceduntur induciæ paucorum dierum, tribus munitissimis oppidis ab eo receptis, ea lege vt nisi gratiam Pontificis obtineret, sciret se ea oppida prorsus amisisse. Venere legati ducis Romam: Pax hoc modo cōuenit: Iussus est dux Soranus monasterio Cassinensi, marchionissæ Pischeriæ, comiti Populi germano suo, & alijs plerisque quæcunque abstulerat quamprimum restituere: Sora, Arpinum, Insula, Castellutium, Domusoliuerij, Fontana, & alia pleraque loca apud Ecclesiam remansere: per pauca ei, & parui momenti reddi iussa. Sic multatus, coercitusque Soræ dux relicto Francis, ad imperium Ferdinandi redijt, decreto Pontificis, factus certior, quod à rege non possit contumeliam ferre.

Soranis rebus peractis, exercitus Ecclesiasticus vterius profectus, Pontemcorui nobile oppidum in potestatem accepit. Alfonso Siciliæ rex id oppidum ab Eugenio quondam armis abstulerat: Ioannes Rhenati filius Ferdinādo demū ademerat hoc bello ad verum dominum redijt. Roccha deinde Sicca per deditioem accepta est: arx viribus expugnata, quamuis in alto sita monte inaccessibilis videretur: Ea Ferdinandi nomine capta. Proximus his locis erat Antonius Spinellus Gallicarum partium præcipuus assertor, & qui omnium conspirationum aduersus Ferdinandū patratarum fuisset inuentor: huic munitissimū parebat oppidum, Vilhelmi Roccham vocant, ex quo tempore belli octingenti pugnatōres & quidem, vt montani feroces ad pugnam exire solent: in montibus situm, arduos habet aditus, quos aduersus quamplurimos pauci custodiant. Mittuntur nuntij, qui Antonio amicitiam Ferdinandi suadeant; respuit ille Aragonense nomen, ac mandata cum derisione contemnit: Neapoleo duo eius castella inuadit, primoque impetu capit: cuius rei percepto nuncio Antonius senio grauis, subito moerore concussus, exanimatus cecidit, nec locutus quicquam, in subitam mortem oculos clausit. Mansere eius filij, & fratris filij de successione contententes. Oppidani arcem in suas manus receperunt, hisq. tandē legibus cū Ferrariensi episcopo ac Neapoleone conuenerūt, vt litem de successione Antonij Papa decideret; arx & oppidum ei pareret, cui sedes Apostolica hereditatem adiudicaret: Victor Ecclesiæ vasallus esset, nec regno Siciliæ, nec Ferdinando quicquam deberet. Accepta est deditio, ne tempus ibi frustra tereretur. Deinde castella plera-

Expugnatio Pontemcorui, & Rocchæ Siccæ, Antonij Spinelli pertinacia, atque mors, & monasterij Cassinensis oppidorum recuperatio.

OO que

que ad Cassinense monasterium pertinentia, quæ Gallici occupauerat Alfonsi exempla secuti, recuperata sunt, ac monasterio reddita, quod iam pridem spoliatum atq. direptum, hoc denique tempore sub Pio Pontifice restitutum & instauratum est.

Cur Veneti bellum Turcis indixerit eorum deinde metus; Bessarionis cardinalis Nicæni ad eos legatio, auxilia que Raguseis decreta.

Veneti priusquam rex Bosnæ caperetur, accepto nullum esse in Peloponneso Turcarum exercitum, Imperatorem namque in Bosnam profectum omnes fere copiarum secutarum fuerant, tempus aduenisse rati, quo maximam nobilissimamque totius Græciæ Chersonensium sibi subijcere possent, ingentem classem instituerant; præfecto Aloysio Lauredano ingentis spiritus, ut existimabatur viro, quem sub specie Euboeæ defendendæ in orientem nauigare iusserant, potestate concessa, ut si sibi à republica videretur, bellum Turcis inferret. Peloponnesum illis ceterisque possessoribus quocumque posset modo eriperet. Aderat omnis Albanensium fauor Venetorum imperium supplicibus votis ultro vocantium, quorum ingens multitudo Archadiæ, ceterosque peninsulæ montes inhabitat Græcis infesta: equitatus ex Italia peditatusque numerosus transfugetus erat: ex Creta sagittariorum tria millia fuerant accersita. Ex alijs insulis alia auxilia conuenerant, nec dubium erat, quin Albanis in castra Venetorum venientibus exercitus supra triginta millia bellatorum posset ad pugnam educere. Belli causæ iniuriarum propulsatio, & Christianæ religionis defensio prætedebantur: Argolica expugnatio, & Naupacti direptio contra foedera Turcis obijciebatur: Peloponnesus quanti esset emolumenti norant, cuius vectigalia auri trecenta millia nummum quot annis afferrent. Arcem hanc olim Græciæ vocitatum non ignorabant in medio maris sitam, quod Asiam, Syriam, Aegyptum, Libyam, Hispaniam, Galliam, Italiam, Illyricum, Macedoniam, Epirum, Boetiam, Atticam, Thessaliam, atque omnes Tracias abluit, & Euxino miscetur pelago: aptissimam ad orbis commercium regionem, veramque mercatorum sedem, vino, tritico, & omnibus, quæ vitæ humanæ requirit usus abundantem: meditantur Veneti Peloponnesum modico labore expugnare posse, quando nuntiatum est regem Bosnæ à Turcis infeliciter captum, omnemque prorsus Illyriam in periculo versari maximo. Renuntiant audita Pontifici: Christianos omnes per litteras in auxilium vocant, reique suæ maxime metum, qui alienis paulo ante imminebant: nec satis domi securi sunt, qui foris terrere alios coeperant. Ragusei quoque & Georgius Albanus, & Despotus Artæ, & alij quamplures Romam mittunt

con-

consilia atque auxilia petitum. Pontifex quoad potest omnibus consulit; Bessarionemque cardinalem Nicænum Apostolicæ sedis legatum Venetias ire confestim iubet, qui Senatui spe auxilij præbeat, metumque hostis auferat: Vocaturum in arma Pontificem Christianos reges asserat, futurumque breui, si Deus annuerit, ut ingentes copiarum sub vexillo Crucis aduersus Turcas educantur: Raguseis peditum manus, visque non parua frumenti auxilia decreta.

His constitutis Pontifex urbis caumata veritus celebrato apud adem sancti Petri martyris eius festo, sequenti die Tybur concessit. In quo itinere Salone fontem non sine voluptate animi speperauit. Duæ sunt scaturigines Anieni propinque, decimo ab urbe milliario distantes adeo copiosæ, ut molam vertere singule facile queant, vbi casus aliquantisper adsit. Perlucida est vnda, & admodum frigida, quæ res incautos per æstatem multos exanimat. Cardinales nouem in itinere Papam secuti cum eo apud alterum fontem, decurrentemque riuum in tabernaculis pransi sunt, quæ de ramalibus excitauerant famuli: Prandium ut Pontificem decebat, magis nitidum, quam sumptuosum fuit, cuius multæ reliquæ remansere, quamuis sexcenti & amplius viri ad saturitatem edissent. Illic dum ferueret æstus, dulces inter cardinales & Papam fuere sermones: ventulo deinde suborto, qui spe falsam temperati aeris præbuit, iter continuatum, & sub ipso solis occasu ventum Tybur.

Ferdinandus hoc anno siue negligentia, siue perfidia suorum ducum, siue quod ærario prorsus exhausto stipendia militi dare non potuit, longe serius quam constitutum esset in castra exiit, nec Sfortianos ex ordine dato secum duxit: sex tantum & viginti equitum turmis, peditum duobus millibus in expeditionem coactis. Cum his profectus in agrum Theanensem vicinasque regiones Sinuessano duci parentes, fruges iam maturas, ac falces egentes passim corrumpit: nec potuit hostis impedire agrorum vastationes, quamuis equitum ordines sexdecim expeditos in armis haberet. Miles lucri auidus, alienam messem suam fecit: vbi falcibus pedites, manipulos in areas comportauere, euerberatisque diligenter paleis excussere triticum, Capuanisque vendidere modiorum supra ducenta millia frumenti & ordeis ex hoste rapta perhibetur quod asportari nequiuit, conculcatum exustumque est, & omnibus agrestibus spes messis adempta. Restabat ager Sinuessanus frequentibus edificijs, quæ vocant casalia plenus, vini frugumque ferax, & rebus

OO 2 abun-

Pontifex Urbis caumata timens Tybur secedit.

Regionum excursio in agrum Theanensem: Sinuessanæque planitie direptio, ac vana tractatus pacis inter regem & Sinuessanum.

abundās vniuersis humanæ naturæ amicis: beatū dixeris, & cæli
 clemētia, & vbertate soli. Hūc ab oriēti sole, borealiq. vento mon
 tes altissimi claudunt, à meridie Tyrrhenū pelagus, ad occiduas
 partes Lyris excipit amnis, profundior quàm vadari queat, & la
 tus, triemiūq. capax. Qua nauibus transmittitur turris antiqua,
 & in arcis modū munita custodit aditū. Vnicus erat per planū
 introitus ab orientali parte inter montem, & mare per angustus:
 hunc quoque deducta fossa, excitatoque vallo prorsus insupera
 bilem reddiderant. Arx quoque ad radices montis sita natura &
 arte munitissima hostes ab aditu prohibebat. Secura intus om
 nia & trāquilla pax; Sinuessē tyrānus cetera in manu Dei posue
 rat: Sinuessanam planitiem totius belli expertē existimabat, ho
 stesq. ingressuros eo non modo non verebatur, sed neq. ingredi
 tentaturos; subditi eius ex propinquis regionibus quæcunq. ha
 buere carissima, huc tanquā in tutissimas munitiones asportau
 re. Ferdinandus nocte de quarta vigilia Robertū Sancti Seueri
 ni, & Antonium Picolomineum cum peditatu equitatusq. par
 te, montē editissimum arcis, quā diximus aditū custodire immi
 nentē, & pene inaccessibilē occupare iubet: ipse iam albescente au
 rora cum reliquis copijs mouet. Cumq. hora diei ferme tertia ad
 ipsum aditū peruenisset, quem ad turrim Balnearū vocant, acies
 tantisper immorari præcepit, dum classis, quæ plenis ferebatur
 velis Villamarina præfecto (terra enim & mari statuerat hostes
 aggredi) littori applicaret. Interim tentato leui prælio cum feli
 citer succederet, milites superatis primo impetu fossis, vallū a
 scendere: quibus principio deiectis, cū mox magis magisq. irrita
 tis animis alij atq. alij ascendissent, peditesq. qui montem occu
 pauerāt de superiori loco impetum etiam facerent; regius exerci
 tus antequā classis eo appulisset, vallo potitur, quo statim effra
 cto, duo primū equitum ordines immittuntur, qui cū equitatu ho
 stium transuallū congressi illum fugant. Accurrit cum reliquis
 copijs tyrannus Sinuessæ: interea regi vallū transmittunt: instau
 ratur prælium ab hoste fugato: fit maior à regijs impetus, quem
 cum sustinere hostes non valerent, terga & ipsi vertunt: In
 stant regij, longeque persecuti fugientes multos capiunt, nec
 fit insequendi finis donec ad diui Francisci templum, quod sub
 ipsis Sinuessæ moenibus situm est, eos compulerunt. Equites
 galeati circiter quinquaginta capti, in his Acciaiolus Florenti
 nus, Pandolphus Pandonus, Vrsus Anguillaria; Ioannes
 Ar-

A Archionus, & Sanctius Charillus equitum præfecti: gregariorū
 vero militum magnus numerus Tyrānus ipse Sinuessē abiectis
 armis ac faleris, equiq. tegumentis incisis, fuga saluatus est, æ
 quo inter fugiendum pene exanimato: vici qui plurimi in agro
 Sinuessano sunt, direpti pene omnes, & in his multi mortales ca
 pti, tandemq. ad multum diem cum ingenti præda in castra re
 uersum. Sententia regis, ducumq. fuit ad ipsum Francisci tem
 plum castra ponere; sed cum munitiones valli defatigato iam
 milite dirui nō potuissent, nec fossæ impleri, quæ duodecim erāt
 pedum, traduciq. impedimenta nullo modo valerent, & iā ves
 per esset, placuit ea nocte castra ad ipsas fossas habere: hisq. post
 æquatis, munitionibusque deiectis Sinuessam petere cum omni
 exercitu. Sequenti die excursus est totus ager Sinuessanus, tan
 taque vis pecorum abacta, vt boues aureo nummo venirent,
 sues argenteo: mercatores è Caieta nauibus aduecti prædam
 coemerunt. Irrupere Sinuessani in palantes regioes, ceperunt
 que nonnullos pedites: sed accurrentibus equitum cohortibus
 repulsi sunt non sine damno. Castra à Sinuessā secundo mil
 liario locata, & ad portas vsque prædando discursum. Vo
 catus à rege Neapoleo cum copijs Ecclesiasticis permittente
 Pontifice non est aduersatus, in itinere pleraque oppida citra
 Lyrin expugnauit Sinuessani tyranni, quæ Fundorum comi
 ti in sortem cessere. Auxilio Sinuessani Ioannes Rhenati fi
 lius cum duabus equitum cohortibus, peditibusq. ducentis pro
 fectus, haud spem tantam obsessis dedit, quin concordia tra
 ctaretur. Missi legati ad regem inducias petiuere paucorū die
 rum, donec de legibus pacis conueniret: rex pacis tractatum non
 abnuuit, inducias negauit: oppugnatumque interea misit turrim,
 quā diximus fluminis transitū obseruare: quæ paucis bomba
 rā ictibus cōcussa ruinā fecit, & aliquos ex custodibus interfecit:
 reliqui pauore attoniti sese dediderunt. Turris altera in ostio
 eiusdem fluminis sita multo munitior fuit, nec tamen præfectus
 eius expectare bombardas præsumpsit, pactus salutē è vestigio
 cessit: Arx imminens vallo regionum impetu perfracto, & tur
 ris, quam vocant ad Balneas, ipsa die introitus interceptæ fue
 runt, & postea incensæ atq. dirutæ. Interea de pace actum An
 tonius Triciensis ducalis legatus à Sinuessano vocatus postquā
 aliquandiu collocutus est, persuasisse tyranno foedera pacis exi
 stimauit adeo sibi certus, vt ad regem reuersus oliuæ ramum in

manu gesta uerit, regique certam spem concordie fecerit: Postera die Sinuessani legatos in castra venturos, ob signatamque concordiam allaturos. Crediderat mendaci Antonius magno captus errore, qui periuri hominis iuramento fidem præbuit. Non uenere legati, ut erat conuentum, excusatio ea prætenditur, quod Francisci Mediolanensium ducis non eam attulisset Antonius auctoritatem, quæ obligare illum posset: generale quoddam manderatum ostensum, cui non satis confideret: concordiam tam se cupidum esse: orare ut mittatur Colantonius compater suus, ei se fidem habiturum, mittitur Colantonius: dicuntur concordie leges: acceptantur, omnia placent: Vade (inquit) Sinuessanus, certioremq. regem facito, me postridie procuratores missurum, qui conuenta inter nos meo nomine publice amplectantur. & in uerba Ferdinandi iurent. Cui Colantonius, Antonio inquit Tricensi hoc idem promissisti, nec fidem seruasti, caue ne me fallas. Si non est animus ea facere quæ polliceris, nunc potius negato, nec me uana spe deludito. Ad ea Sinuessanus, perge, certa sunt quæ promitto: non mutabor: ostendoq. filio impubere, qui coram aderat: hunc, inquit, fame compellar edere, si te sefellero. Mentitus & huic est, uana fuere promissa; non posse se his mediatoribus credere Sinuessanus ait, uiris maioribus opus esse: adest Ferrariensis episcopus Apostolica auctoritate præditus, & huius quoque potestas non sufficere dicitur. Accersitur à Beneuento frater eius cardinalis Rauennas Apostolicæ sedis legatus: iterum atque iterum de concordie legibus agitur, dantur uerba, nec certi quicquam excutitur; quanto diligentius concordia quæritur, tanto plures Sinuessanus moræ causas annectit, difficultatesque ingerit ampliores.

Infauista Mō-
tis aragonum
obsidio; subit-
us Sinuessan-
orum in re-
gios insultus
atque Anto-
nij Picolomi-
nei, & socio-
rum egregia
virtus, & rur-
sus pacis irri-
tus tractatus.

Interea rex ad oppidum, quod Montisaragonum uocant, castra locat, bombardasque admouet, quæ nullo usus fuere, siue magistri negligentia, siue quod his erat loci situs, ut lædi bombardis nequiret. Emisisti lapides intactum oppidum præterire, spes erat siti oppidanos ad deditiōem compelli posse, prohibito ad fontem aditu, unde aquari solebant, cisternisque omnibus per æstum exhaustis. Iugum montis erat unde Sinuessanis ad ferendum obsessis opem patebat iter. Hic Ferdinandus castellum ex materia excitat, imponitque custodes, qui Sinuessanis prohibeant transitum. His Possa præfectus erat Senensis bellator egregius: paulo inferius ad bombardarum custodiam Antonius

Antonius Picolomineus locum fortitur. Castra regis sub monte quingentis passibus adsunt. Marcus Cremonensis, qui paulo ante ab hoste defecerat, fontem obseruare iubetur, ne oppidani per noctem aquentur. His ita constitutis Sinuessanus mille, aut amplius pedites robustæ iuuentutis eligit, iubetque intempesta nocte uias hosti non cognitatas ire, Antonioque uel capto uel fugato bombardas rapere; falluntur excubiæ regionum, priusque castellum ligneum à Sinuessanis inuaditur, quam audiri hostis aduentus queat. Oppugnatur in tenebris castellum, defenditur summa uis: præfectus Possa uiri fortissimi officio fungitur: socij quoque pro sua quisque uirili audacter hostem repellunt, sed parua inerant manus, & hostium multitudo castelli munimenta parum firma disiecit. Sagittariorum ordo quingenta simul tela unico iaciebat impulsu. Præfectus Possa multis uulneribus confossus, & omnes qui cum eo erant uulnerati capiuntur: curritur ad tumulum, in quo erat Antonius & Ioannes Comes Romanus: exoritur clamor cum primum ad tentoria uentum est; uix spatium quo sumerent arma Ioanni & Antonio datur: in tenebris tanto maius est periculum, quanto minus cernitur. Ruunt ex monte Sinuessani, impetumque in Antonium faciunt; qui postquam arma induit, & Ioannes adfuit. En age, inquit, Comes: hunc seruare locum promissimus, aut hostem fugare oportet, aut hic mortem opterere: me uiuo non auferet Sinuessanus machinas fidei meæ creditas. Laudat Ioannes Antonij propositum, amboque hosti sese obijciunt. Sequuntur quattuor tantum, sex uel famuli: pelluntur Sinuessani, qui priores irruerant: armantur interim commilitones Antonij, eique iunguntur: augentur & Ioanni uires, sed magis hosti, cateruatim ex monte Sinuessanorum multitudine descendente, & iam ægre defenditur tumulus. Currunt ad Bombardas hostes, minoresque rapiunt: egrediuntur ad pugnam oppidani, res summo in periculo geritur. Marcus Cremonensis audito tumultu, ratus quod erat, propere cum cohorte suorum accurrit, mediumque se pugnae infert, neutri parti cognitus & utriusque suspectus. Is ubi timere hostes animaduertit, edita uoce qua posset inter nosci, in hostes impetum fecit; secuti sunt alacres Ioannes & Antonius: hostes terga dedere, dimissisque bombardis, & omni præda non paucis eorum cæsis in montem diffugerunt. Oppidani intra munitiones trepidi sese receperunt, cum iam albesceret: Sic eius noctis euitata pericula. Sinuessanus, qui præcedenti die om-

nem concordia tractatum abruperat, vbi frustra tentatas infidias animaduertit, nocturnumq. præliū male gestum; præmissis pro sua consuetudine falsis excusationibus, denuo pacem flagitat. Interuentu cardinalis pluribus diebus res agitur; cum composita omnia sunt, nec iam aliud restat, quàm formulam ipsam subscribere, atque obsignare concordia: Sinuessanus nouam adiicit difficultatem: vsque adeo regem offendisse se ait, vt veniam sperare non possit, nisi filio suo filia regis nubat: fit voto eius satis: promittitur matrimonium, & postulata dos: certissima in alteram diem expectatur concordia. Interea venti siue australes, siue alij nubes cogunt, imbresq. copiosos excitant, ci-
 B sternas obsessorum implent, & quæ vnica erat obsessibus capiendi per sitim oppidi, spem omnem adimunt. Afferuntur & Tarentini principis litteræ Sinuessano, ne regi concilietur suadentes, auxiliumq. promittentes: quibus erectus perfidi hominis animus, nouas in dies cōcordia moras inuenit, & noua querit foedera. Cardinalis se verbis retineri cognoscens, indignatus tandem é castris abijt, Beneuentumq. repetit. Rex obsidionem non sine suo dedecore Montifaragonum soluit, qui parum explorato consilio, & plerisque contradicentibus eo castra locauerat: cui non succedit conatus, hunc stulte meditatum existimat
 C populus. Erat in castris regijs Romanus quidam Gentilis cognomento Molara, quem dux Mediolanensium pacis causa sæpe ad Sinuessanum miserat: hic reuersurus Sinuessam contendit, conueniensq. tyrannum cur pacem spreuerit, & cur totiens mentitus sit perconctatur; cui tyrannus: Nulli mentitus sum nisi compatri meo, & id quidem confidenter, ita mos patrius est inter cōpatres nulla seruari promissa: reddet ille vicem quando voluerit, mēdaciūq. mendacio pensitabit: quod pacem mihi meisq. subditis necessariam non amplector diffidentia est: regem dolo interficere sum conatus, non possum sperare veniam. Exiget a-
 D liquando tanti flagitij poenas rex quis dubitet, si eius incidero manus? nisi magnos expromissores habeam, non possum quieto esse animo. cui Gentilis: at Mediolanensium principem Antonius Triciensis expromissorem dedit; cardinalis Papam: cur tantis nominibus non credidisti? Ad ea tyrannus: cancellario li me sequi fidem iubes? non est Antonij ea dignitas, cui tuto possim meam salutem credere. De cardinali quid dicam? nunquam mihi placuit: perfidus atque indignus cui milites au-
 sculent.

sculent. cui Gentilis: Iratus es, inquit, & incompositæ mentis verba profaris; qui sacerdotes odit, & Deum, cui ministri sunt odit. Vale, si quid mandas hero meo, libens proferam. tum Sinuessanus: Commendato me, inquit, duci, dicitoque ex suis aliquem mittat virum auctoritatis, cui credere possim; omnia faciam quæ iubebit. subiecit Gentilis: Parebo, quamuis scio non plus ponderis his esse tuis verbis, quàm superioribus. Indeque digressus Pontifici apud Tybur agenti hos sermones exposuit. Rex alia via Sinuessanum aggredi proposuit.

Alexander Sfortia per hoc tempus in Appulis agens supra-
 B quam sua & omnium esset opinio in colligendis armandisq. copijs immoratus est, adeo vt sæpe de eo male sit cogitatum: tarditatis causam præbuere cohortes apud sanctam Seueram per prodicionem interceptæ, quibus equi & arma fuerant adempta. His longum fuit quæ sunt necessaria cuncta ministrare; in Apulia præsertim prouincia non tam equitibus, quàm bubulcis ac pastoribus apta. Instruxit tandem acies Alexander, & agros Lucerientes, Seuerinosq. prorsus vastauit: deinde comitis Campibassi corrupit segetes, & in Aprutios ingressus est iter. Lucerientes spe segetis adempta, Francos excludere; missisque ad Ferdinandum legatis deditioem fecere. Seuerinenses vero ita demū
 C ad obedientiam redituros sese polliciti sunt, si regimen eorum cardinali committeretur, cuius tecti clypeo impunitam fore suam rebellionem non dubitarent: cardinalis annuente rege ad eam rem profectus dolis & fraude Tarentini principis frustratus est.

Federicus Vrbinas, & cardinalis Theanensis collecto inter
 hæc milite cum statuisent Ariminū ire obsessum, mutato consilio quod ad expugnationem vrbs amplæ, egregieq. munitæ nō
 D satis copiarum videbantur habere. Fortunæ Fanum contendūt: positisq. ad iactum sagittæ castris cum quattuordecim turmis equitum, peditibusq. non multis urbem circumuallant; aduentisq. tribus bombardis maioribus moenia quatiunt, subterraneosq. meatus effodiunt, quos cuniculos dicunt, quibus possint ad muros tecti peruenire; & ne mari, cui adiacet vrbs, importari commeatus aliudve genus auxilij queat, onerariam nauim septingentarum, vt aiunt, amphorarum, trirememq. vnā, nauigiq. minora ex Ancona, Pisauoq. accersunt: quibus armatis Fanense littus diligenter custodiunt. Augentur castra Ecclesia
 ex Fo-

Sfortiani Lucerientium Seuerinorum atque comitis Bassi agris vastatis in Aprutios tendunt: Lucerientes deinde regi se permittunt: Seuerinenses uero concordiam quarunt.

Fanenensis difficillima obsidio, naualis victoria contra Sigismundum, & Venetorum occulta auxilia.

ex Foroliuij, Fauentiaq. decem turmis equitum accedentibus. **A** Premuntur fame obsessi; adeuntesq. Robertum Sigismundi filium, tradituros se urbem aiunt, nisi afferatur annona, pugnare, vigilare, incommodaq. ferre, perpeti omnia milites posse, præterquam famem. Robertus ex aduerso bene sperare milites atq. oppidanos iubet, atque ut res suas melius firmaret, Venetū mercatorem, qui forte Fani aderat, quasi legatum ducis Veneti in medium producit, missurosq. propediem Venetos certissima auxilia dicit. Interim patri scribens hortatur quam celerissime succurat obsessis, nisi propere subueniat, se cum insigni dedecore ciuitatem amissurum. Sigismundus oneratis frumento quibusdā nauigijs, permagnam quandā nauim, & minores quas vocant fustas armat, instructamq. rebus omnibus classem iubet statim rectā Fanum contendere: quod cum Federicus per exploratores accepisset, nauticę turbæ parū fidens in classe Anconitana delectos ē castris milites, audacesq. statim collocauit, iussitq. omnes præstanti esse animo, hostilemque repente classem siue die, siue noctu accesserit, prælio adoriri: nil frustra dictū. Post mediū noctis classis Ariminensis ex conducto tensis velis in littus Fanense defertur: occurrit Ecclesiastica, pugnae potestas fit: committitur acriter certamē, nauis Ariminensis, quæ cunctis altior esset, frequentibus missilibus Anconitanā triremē, ac minora nauigia grauius infestare, Ecclesiastici bombardulis, iaculisq. & omni genere tormentorū contra niti. Aderat forte sacerdos acris ingenij, non tã sacræ militiæ idoneus, quàm profanę: is subito iaculatus ignē maioris nauigij vela succedit: curritur ad restinguendā flammā: interim Ecclesiastici admotis scalis nauem scandunt, nec mora victoria potiuntur: capiuntur naues omnes, tam onerata, quàm armata, & iam in ipso diluculo cum ingenti gloria Anconam ducuntur præter maiorem, quam velis carentem perfractamq. multis in locis trahere non potuerunt: impositi sunt milites, qui eam seruarent. Accersuerant per id tempus Veneti ex Dalmatia quattuor triremes, iusserantq. Ariminum petere tanquam piraticam prohibitorum: re vera ut Sigismundi causam sua iuuant præsentia: accesserant iam duę, quæ ubi captam Sigismundi classem didicerat, nauimq. videre relictam, illico impetum in eam fecerunt, superatosq. paruo certamine custodes ceperunt, & nouis impositis velis Ariminum duxerunt. Misit cardinalis Theanensis ad Venetarum triremium præfectos perconctatum

cur

A cur nauim iure belli à se captam inuasissent, cum inter Venetos Papamq. pax esset. Negauerunt se nauim cepisse, immo vero de cepisse nautas, qui erant in sentina clausi positi ad custodiam milites, vocasse illos ad colloquium, blandisq. verbis illectos ad inferiora traxisse, ipsosque paulatim exiuisse, & superiora nauis obtinuisse: eoq. facto clausisse qui se clauserant in locum suum, atq. ex victis victores factos, se vela carentibus concessisse, cum iam liberi essent. Quæ res Fanensium animos ad perferendam obsidionem magnopere auxit, tanquam certa res esset Venetos Sigismundo fauere, breuique missis auxilijs Malatestarum **B** rebus opem laturos: At Venetis alia mens fuit, quibus nec vincere Sigismundum, nec vinci placebat; producere bellum studebant, & ambas partes fatigate sumptibus: sic futurum arbitrati, ut relictus ab omnibus Sigismundus accepta pecunia Ariminum & quæcumq. obtineret loca eis venderet.

Anconitani per hoc tempus misso clam legato ad Sigismundum, Montemmartianum, quem Exini mandante cardinali obsidione cinxerant, occultis pactioibus dedit sibi petere: Quid ille responderit incertum; illud constat Anconitanos misso præsidio arcem, atq. oppidum obtinuisse, Exinisq. ut abirent mandauisse, nec parentes telis impetiuisse. Cardinalis ne nouum incendium in Picensibus oriretur, dilata in aliud tempus tantæ temeritatis ultione, Exinis ut obsidionem soluerent imperauit. Neapoleo ex agro Sinuessano dimissa copiarum parte in castris regijs cum recessisset, reliquam exercitus partem, quod postea prosequemur aduersus Rugerottum Celani comitem duxit.

Alexāder Sfortia dum ista fiunt magno labore superatis montibus, qui Apulos, Brutiosq. determinant, in agrum Caudolensium descendit, non procul ab oppido, quod Archarum arcem **D** vocant, ducens secum lectissimas equitum turmas octo & decē: ibi ad eum conuenere Matthæus Capuanus, Robertus Vrsinus Alonsus Hispanus, & Iacobus Picininus cognomento Caballus præfecti equitum, qui per omnem hiemem regias partes in Aprutijs defenderant, nec minusquam duodecim ordinibus equitum præfuerant. Iacobus Picininus percepto Alexandri aduentu, intercipere transitum eius conatus est: quod ubi non successit ad Archas se contulit, & ante oppidum castra locauit, turmis equitum decem simul collectis, inter quas & Caudolæ com

putati

Anconitani
Mōremmar-
tianum dolo
occupāt. Nea-
poleo cū exer-
citu in agrū
Celani profi-
ciscitur.

Conuentus
Picinini cum
Alexandro
Sfortia, & o-
rationes eo-
rum milita-
res, ac cōcor-
diæ tractat;
tandemq. pa-
cis leges.

putati sunt: pedites quoq. non paucos neq. inexpertos penes se habuit; Alexander explorato consilio comitum, ubi omnes in vnam sententiam conuenere, laceffere prælio Picininum statuit, si forte pugnandi copiam faceret. Campus erat ad iactum teli propinquus hosti; hic tentoria figere decretum, atq. inde hostem laceffere. Præmittuntur qui campum occupent delecti equites: Picininus suos contra dirigit, qui loco arceant Sfortianos; præludia quædam certaminis, non prælia dixeris. Procurrunt Bracciani, fractisq. cum hoste lanceis illico se recipiunt, nec totis habenis in pugnam descendere audent. Aduolant Sfortiani suis auxilio complures, Braccianosq. campo deturbant, & ad munitio-
 nes vsq. castrorum reijciunt, probrisq. omnibus irritare hostes pergunt; ubi nemo ad pugnam exit amplius. Alexander quo in loco designauerat atq. in oculos Picinini tentoria figit, Picininus sub silentio noctis castra mouet, conscensoq. monte mediū inter sua & hostium castra relinquit oppidum, propinquitatem veritus: Postera die missis ad Alexandrum nuntijs, colloquium petit. Res in consilio ducum agitur: placet audire præclarum belli ducem; si forte aliquid afferat ad regnum Ferdinandi salutare. Descendit in castra regia Picininus, & cum eo fratres Caudolæ, & ductores ordinum viri fortes: Itur ad tentorium Alexanderi sibi omnes conueniunt duces equitum, peditumq. præfecti: sit corona virorum illustrium: respiciunt alteri alteros, resq. singulorum gestas animo voluūt, atq. inde comparatione facta, quantum quisque superet expendunt. Illic Picininus: aduersus me, inquit, proceres conuenistis omnes: vnum me perdere multi queritis; impar sum, fateor, vestris viribus, nec possum qui pusillo sum corpore, iusto certamine vobiscū configere, nec vos me compellere potestis inuitum pugnare: natura me loci tuetur, & fides militum, hiemis aduentu obsidionem soluere coget, interim frustra terebitis tempus: nouus annus noua cōsilia ministrabit. Sed esto Picininum prælio vincere, atq. in vincula rapere liceat: quæ vicistis obsecro duces? non ne ego is sum, qui vos nutrio? Ego vobis opes, delicias, ac regna concedo, me duce atq. arma tenente, & Italia pacem infestante vocati estis ad bellum, qui domi iaceretis inertes. Ego vobis aurum, quo fulgetis, arma, vestes, equos apparauit: & qui paulo ante fuistis sine nomine, gloriosos feci: me igitur persequimini vestrae salutis auctore? Esto, capiat, aut in bello moriar: quid vobis emolumenti supererit? Vobis ne,
 an alijs

an alijs consuletis? quiescet Italia me mortuo? cui pax utilis est nisi mercatoribus & sacerdotibus? presbyteros impinguabitis, si non sunt satis pingues: mercatores ditabitis, si non sunt satis opulenti. Sinite me: vester ego sum auceps. Vobis venor: in mea salute vestra est sita salus. Quid Romana curia ditius? quid opulentiùs Venetis ac Florentinis? quicquid est vbique desiderabile, pax Italiae his affert. Nisi ardeat Italia bello, nihil inde corradere possumus. In pace despectui sumus, atque ad aratrum cogimur; in bello clari. Ars nostra est arma tractare; nolite rubiginem in ocio contrahant; consulite in medium, bello & armis fauete. Ab his qui arma tractauerunt, æquū est regna teneri. Laudo Francisci Sfortiæ dominatum, bellica virtute quæsitum: regnare desides turpe atque indignum. Mercatores emundis vendundisq. mercibus insudent: sacerdotes sacra ministrent: nobis imperia debentur. Si mihi creditis facile omnes opes ad nos trahemus: quæritis quo pacto? in promptu ratio est. Nolite vincere: trahere bellum consilium est, in cuius fine militaris lucri est finis. Nemo qui sapiat, ad eius rei terminū festinat, qua pereunte, sua pereunt commoda. Excepta sunt ingenti fauore Picinini verba, pauci non vera locutum putauere: indignum dicere ductores ordinum, gregarijque milites insignem belli ducem ita vrgeri, vt fugere nequeat: Picinino capto nullam superfore de regno litem. Quo ibimus inquit? pacata est omnis Italia; ad Ligonem redibimus: pax nobis mortifera est: in bello viuimus, sinite viuat, qui nobis vitæ causam præbet. Claudamus oculos, locumq. fugæ Picinino demus: superiores fuisse sufficiat: belli semper reliquæ supersint aliquæ, hoc deniq. pacto salui erimus. Aderant veterani milites, idemq. factitatum superioribus bellis aiebant: alius se olim potuisse Nicolaum Picininum incaute agentem capere: alius Franciscum Sfortiam abstinuisse ne bellū finiret: alij alia exempla commemorabant. Tum Alexander: Nolite, inquit, timere commilitones, nunquam Italia bello carebit, nisi vnius imperio gubernetur, quod quàm facile factu sit, ipsi cernitis. Multa imperia bello carere non possunt, dum alterū imminet alteri, solumq. cupit esse: nisi Venetus Italiae principatum arripiat, non intelligo quisnam alius indomitam hanc provinciam frenare possit: hunc timete, huic resistite, eiq. si quando militaueritis, cauetes; ne vincendo vincamini. Nunc alia ratio belli est, hoc absoluto bello, ad maiora vocamur. Nec tu ti-
 bi Pi-

bi Picinine hanc gloriam arrogaueris, quasi vnus sis, qui bellatores in Italia nutrias. Superassent Gallici Ferdinandum, pacatumq. regnum tenerent: cessassentque iampridem tibi stipendia ministrare; nisi Pontifex maximus duxq. Mediolani suppeditas Ferdinando misissent: bellumq. hoc annorū quattuor, quo nutritus es nutriuissent: sed ais cessissent Galli iampridem, nisi dux eorum fuisses; non eo inficias: verum non sine dedecore Gallicæ gentis ducatum accepisti. Insignia fers Aragonēsia, & Aragonensem Ferdinandum impugnasti: natus sub Ecclesia, aduersus Ecclesiam militasti: Ducis Mediolani fratris mei gener socerum persequi non dubitasti. Heccine tua fides? tanta ne tibi honesti cura? Te nostræ salutis auctorem vocitas? priusquam arma indueres, me belli ducem ex his commilitonibus multi videre: Non ex te pendet vita nostra: Tu magis ex nobis pendes. Seruare te possumus & perdere, quamuis spē videaris in montibus collocasse: cælū hi milites ne dum iuga montium expugnabunt: quin potius forti cedito, atq. in nostras concedito partes? Ego si annuas, & Papæ, & regi, & duci conciliatum te dabo: sic tuū exercitum, teq. ipsum conseruabis. Cetera quæ commemoras, vana sunt: nos fide optima nostris superioribus militamus. Ad hæc Picininus; coactus, inquit, militauī Gallis, cum me alius nemo vellet. Nolui ab exercitu derelinqui nutritus in armis: patri potius indixissem bellum, quàm miles me reliquisset: accepi Gallorum stipendia; non licuit non seruire pecunias suggerenti: nunc liber sum, quocumque vocabor ibo: si modo conditiones me dignas inueniam. His dictis ambo in cubiculum secessere, multa que simul de concordia locuti sunt: tandemq. his modis conuenere.

Conditiones
pacis.

Picininus regiarum omnium copiarum imperator esto: aureorum nonaginta millia stipendij nomine (quamdiu regi militauerit) quot annis habeto. Ciuitates & oppida, quæ obtinet in Aprutijs retineto: possessiones comitis Campibassi licēter inuadito, atq. acquirito: equitū tria millia, pedites quingentos quoties opus fuerit ad prælium educito, ac per omnē Italiam vbi rex voluerit bellum gerito: Francorum signa persequitor; stipendij mediam partē ex vectigalibus exigito, quæ sunt in Aprutijs obnoxia regi: reliquum Pontifex maximus, rex Ferdinandus, & dux Mediolani equis portionibus persoluūto: comes Brocardus cancellariā regni, & urbem in Appulis Vestā obtineto: Picininus

in verba

A in verba regis iurato, eiusq. vexilla erigito, quamprimum quarta portione stipendij percepta: stipendium in annum durato, & si regi placuerit, iisdem legibus in biennium, si modo ante finē primi anni mentem suam declarauerit: stipendio finito cui velit Picininus militato, dum regi non inferat arma. Et in hunc modum plura condita & accepta sunt; ea conditione adiecta, vt liberum sit Ferdinando, Papæq. ea intra decem dies, vel rata habere vel reijcere. Duci Mediolani bis tantum temporis datum. Alexander vt consensum Pij Pontificis extorqueret, iturum se ad eius præsentiam pollicitus est. Nec mora apud Tybur Papam conuenit, diuq. de concordia locutus rati habitionem in formula promissa obtinere non potuit, immutatis plerisq. conuentionum capitibus remissus est, vulgata vbiq. fama tanquam Picininus in gratiam Pontificis redisset, relictisq. Gallis ad Aragonenses prorsus defecisset.

Interea exercitus, qui contra Picinum conuenerat aduersus Aquilanos proficiscitur, primoq. mox incurfu castella nonnulla cepit: inter quæ oppidum magni momenti, Anum vocant comitis Montorij apud Aquilanos potentissimi. Pestifera tunc lues urbem inuaserat: primarij ciues in villas & castella remotiora suæ ditionis effugerant: tenuiores in suburbana prædia se receperant: trepidare omnes hostis aduentu cognito, propere in urbem reuerti: contemnere mortis periculum, dum patriæ consulant. Conueniunt in senatu frequentes, quo se vertant, vnde auxilia petant, nesciunt: nihil à Picinino sperandum aiunt, quem sciunt Ferdinando conciliatū: à Pio Pontifice quem spreuerint minus: aut Ferdinando parendum, aut armis dimicandum, alterum ciuitati odiosum, alterum impossibile: placet tandem legatos ad Pium mittere, eiq. urbem & agrum dedere, atque vt populi sui misereatur supplicare.

Miserat iampridem Pontifex Lucam quendam Dalmatam in Gallias visum, an ea vera essent quæ Gerardus scripserat. Meritoriam hic tabernam Bononiæ tenuerat, natione Gallus, que stuq. mendacissimo peculiolum congregauerat: deinde perdita Constantinopoli, cum accepisset prædicatores in ecclesijs sermonantes publice asserere, cælum mereri qui contra Turcas arma capesserent, zelo fidei ac religionis feruore correptus sub Calisto tertio publicata in hostes fidei Christianorum expeditio-
ne, distractis rebus, & omni substantia in argentum redacta;

cum

Aquilani armis hostium perterriti urbem Pontifici tradere in senatu decernunt.

Gerardicuiusdam Gallimagne pollicitationes de societate Iesu congreganda, & demū comperta mendacia.

cum trecentis peditibus Romam venit, profecturus in Græciam, si stipendio iuuaretur. Cum nihil accepisset, moestus abiit, feruoreque omni deposito, in Sabaudiam migravit. At Pio Mantuam petente, ad eum se contulit, multosq. sibi comites esse ait, qui cuperent contra Turcas militare: facultas eis tantum detur societatem congregandi sub nomine Iesu, in qua conscripti plenariam peccatorum remissionem consequantur. Accedit Bessarion cardinalis Nicænus, dignumq. fide hominem probat, concedenda esse omnia quæ petuntur: facile illum decem millia hominum cogere posse, quæ rebus gerendis magno sint adiumento: Petrum eremitam vilem & abiectum hominem idem factitasse, quo tempore Gottifredus Bolionius exercitum traiecit in Asiam. Cur nequeat ea præstare tempora nostra, quæ præstiterunt superiora? Cur non fiet iterum quod semel est factum? Annuuit Pontifex ea lege, vt in societatem nullus admitteretur, qui suis militare sumptibus in Turcas per annu nequiret. Profectus est homo cum litteris, quas optauit: & cum Gallias circuisset, quarto demum anno, memoria eius iam oblitterata, ex comitibus suis vnum ad Nicænum cardinalem misit, Pontifice apud Pientiam agente, quattuor hominum millia in eam vsque diem societati adscripta referentem, breui supra decem millia conuentura. Vexillo opus esse, & facultatibus quibusdam amplioribus, ac ducentis aureis quibus filium redimat creditoribus obligatū. Nicænus his acceptis, lætus ad Pontificem pergit: nuncium adducit, litteras ostendit ad se missas: rogat ne tanta bene gerendarum rerum omittatur occasio: Pontifex similia somnio dicit quæ referuntur, excogitatasq. nugæ ad corradendum aurum; Vexillum quod petitur haud temere credendum, nisi homini cognito ac probato: facultates quæ peterentur, non parui ponderis esse, neque cuique concedendas, timendum ne nouum inde quærat aurum, quæstus causæ peti; ducentos aureos perdere haud multum esse Romano Pontifici; at honorem amittere nimium. Missurum se hominem in Gallias fidum, qui rei veritatem inquirat, feratq. aurum; & si recte actum inuenerit, Gerardo tradat: reliqua è vestigio mitti posse, vbi fraus absit. Laudat Nicænus consiliū Præsulis: Lucas mittitur, qui Gerardum conueniat, & an vera sint quæ scripta sunt inspiciat. Huic quoque mandatum est Burgundiæ ducem accedere, & quæ dixisset ei Ferrariensis anno superiore, quæve ipse respondisset commemorare:

memorare: cur non seruata essent promissa perquirere; hortari vt voto suo faciat satis: Lucas in Sabaudiam cum appulisset, inuenit Gerardo de societate Iesu percontatus, comperit generosos aliquos, excellentesq. viros dedisse nomina, daturumq. ducis filium nomine Philippum, si dux societatis à Pontifice crearetur: quæ res non nihil spei Lucæ præbuit. At cum ventum in Burgundiam est, quo in loco quattuor millia conscriptorum esse ferebantur, & arma multa collecta, diligenter omnia perscrutatus nihil inuenit. Gerardum de mendacio coarguit. Ille se vera locutum aiebat: verum Burgundiæ nomine Barbantiam ac Flandriam intellexisse, quod ibi quoque Burgundus dominetur: eundem illuc esse conscriptorum multa millia inuenturum. Itur Bruscellas, in itinere multæ insidiæ Lucæ fiunt: quibus superatis certus redditur nugacem fuisse Gerardum. Interrogantur episcopi, qui rerum gestarum fuisse testes asseruntur; nemo Gerardum se nosse ait, nec quisquam inuenitur, qui de societate Iesu aliquid audiuerit: illud vero quidam ex consilio ducis asserunt fuisse Gerardum apud regem Franciæ Carolum prius quàm moreretur, facultatemque petiuisse societatem congregandi: educturum se exercitum ex Gallicis copiosum, tanquam contra Turcas iturum, & apud Anconam traiecturum mare: at in Picenses profectum, in Aprutios transiturum, deiectisq. Ferdinandi partibus regnum Rhenato firmaturum: spreuisse regem flagitiosi hominis consilium, qui religioni statuisset illudere. Hæc de Gerardo comperta, cuius conuersionem non habuisse radicem constat. Vera est Euangelij parabola de semine iacto. Non inuenit in Gerardo verbum Dei terram bonam, cito euauit pia cogitatio, quia non fuit sale condita: plura sibi persuasit quàm præstare posset, deceptus in arcum prauum conuersus est; qui postquam Lucam incolumen appulisse Bruscellas animaduertit, sciens mendacia sua deprehensum iri, curauit ne vsquam inueniri posset.

Lucas conuento Burgundo mandata Pontificis exposuit: ille in Anglicos suæ tarditatis causas coniecit: nō potuisse inducias belli pacisci: non tutū fuisse impacata domo longinquā expeditionem inire: de concordia vsq. in eam diem actum, in natalitio diui Baptistæ futuros apud sanctum Audomarum Francorum & Anglorum legatos, atq. in annos decē se auctore accepturos pacem; licere iam exequi Ferrariensi episcopo, quæ promississet:

P P

me.

Mandata Pij ad Burgundum, eiusq. in promissis exequendis tarditas, subito ac graui morbo correptus: & tandem de legatus pro expeditione rerū mittendis firma deliberatio.

stituit: nec licere in regno suo præter se, cuiquã ad id manus extendere. Constituta poena si quis decreta transgredere, non tam religiosus abolita pragmatica sanctione visus, quã huiusmodi decretorum editione sacrilegus. Pius irato regi haudquam litteris respondendum censuit, quæ semel lectæ, quod amplius dicant nihil habent, nec respondent interrogatæ. Duo legati missi sunt, alter ab ipso, alter à collegio viri excellentes, qui iampridem in Rotæ iudicio claruerunt: Theodorus episcopus Feltrensis, & Ludouicus archidiaconus Bononiensis Apostolicæ sedis notarius, quorum doctrinam, an facundiam magis admirare incertum ducas. Instructi sunt quibus modis obiecta Pontifici crimina diluerent: quibusve regem placarent: eique potissimum rei incumbere iussi: de bello quoque aduersus Turcas suscipiendo verba facere, eamque prouinciam quo ad possint suæ celsitudini persuadere, facultate concessa, inducias in regno Siciliae quinquennales triennalesve saltem componendi, si regi contra Turcas animus sit arma sumere.

Hungariæ situs ac gentis origo, eorūq. præclara gesta & varia fortuna, & tandē inter Matthiam ipsorū regem atque Imperatorē confecta pax.

Per hos dies adnitentibus Pij Pontificis oratoribus Dominico de Dominicis episcopo Torcellano, & Rodulfo decano Vormaciensi rex Hungariæ Matthias Imperatori Federico, cui iampridem fuerat infensus, reconciliatus est: Christianis rebus salutare factum. Hungaris aduersus Turcas audacius pugnaturis nihil à tergo timentibus. Hungariam nonnulli quasi Hunnariam, & Hungaros pro Hunnis dictos putant, tanquam Hunnorum reliquiæ ad ætatem vsque nostram perdurauerint. Nos compertū habemus ultra Tanaim non procul à frontibus eius in Asiatica Scythia populos vsq. hodie reperiri, qui Hungari appellantur, quorum sermo nihil ab eo differt, quo circa Istrum habitantes vtuntur. Illi parentes horum se dicunt, Deosq. more Gentilium, & idola colunt, rituque barbarico, ac propemodum ferino vitã agunt. Eugenius quartus Pontifex maximus ad cultum Christi traducere conatus est: missis ex Hungaria nobis propinquiore viris religiosis, qui verbum Dei prædicarent, & notã illis facerent baptismi gratiam: interiacentes Rutheni transitum vetauere, qui Græcanico ritu Deo sacrificantes, perire potius in errore idololatræ voluerunt, quã Romanæ ritum Ecclesiæ ad eos deferri. Hungaria nostris nota circa Danubium sita est, vtranque ripam obsidens pars citerior Pannonia quondam fuit à superiori Mysia, vsq. Noricum intra Danubium & Illyridem sita;

sita: partem vltiorem Gepidæ tenuerunt, & alia Sarmatarum barbarorumq. nomina Romani florente imperio Pannoniam tenere: is declinantibus Gothorum subiere reges: deinde Huni: postea Longobardi: vltimi omnium accessere Hungari, quorū tantam ab initio immanitatem fuisse proditum est, vt humanis vesci carnibus crederentur: his multa cum Germanis fuere prælia: victores aliquando ad Augustam vsque Vindelicam cuncta populati processere: illic prælio superati profligatiq. sunt, & ingressi Hungariam Theutones, non minora quã acceperat intulerūt hostibus damna: fortuna deinde res Hungaricas adiuuante imperium gentis adeo propagatum est, vt à regno Poloniae vsque in Dalmatiam, & Adriaticum pelagus protenderetur, rursusque ab Austrialibus, Morauisq. gentibus ad Euxinum mare pertingeret, septemque regna sub vno concluderet, linguas plures dissonasque complexum, Cloatini, Dalmatæ, Bosnenses, Seruienses, Rasciani, Bulgari, quos Mysos vocauere prisca Sclauonico sermone vtuntur: Valachi corrupto Italico: Transilvani Theutonico. Scythas veros esse Hungaros aiunt, quorum parentes primi ab antiqua Hungaria profecti fuerint, nec mores præter cultum religionis mutauerint: genus hominum pauper, lacrum ac nudum: verum superbum & arrogans, solos se nobiles ex Hungaris putant, & seipos salutant dominos: pauci agros colunt, opes armenta sunt, ex quibus victitant. Tributa nulla pendunt: nisi regis coronationis adsint solemnia: tunc quot sunt patresfamilias, tot boues regi donant: Sexaginta millia proditum est aliquando bouum regi fuisse tradita. Intra regni limites sine stipendio militant, exire non compelluntur: Inter reges Hungariæ gentis claruisse olim Belam memorant, & Andream, & Ludouicū Stephanum cunctis præferunt, & rerū claritate gestarū, & vitæ rectitudine, cui Germanici iugū Imperatoris declinanti Romanus Pontifex coronã miserit gemis & auro preciosam, quæ vsq. hodie quasi sacra seruatur: nec Hungari verū existimant suū regē esse, nisi qui ea fuerit coronatus. Ludouicus sine virili sobole decessit: filiã eius Sigismūdu Caroli quarti Imperatoris filius duxit vxorem, cū quã regnū Hungariæ adeptus supra duos & quinquaginta regnavit annos digna, & indigna perferēs, qui prælio cum Turcis commisso, victus profligatusq. fuit, quãuis ex omni Europa ad eū auxilia accessissent: Gallos cladis causã fuisse memorant, qui propter nobilitatem priores pugnae partes sibi arrogantes

gantes, vbi ad hostes peruenere dimissis equis pedestrem pugnam A
 conseruere; nec Hungaros sui consilij fecere participes. Soluti e-
 qui retro abierunt, quos sine fessoribus conspicati Hungari vni-
 uersam Gallorum Anglorumq. manum (excitatus enim puluis
 prospectum impediēbat) obtruncatam credidere, ac terrore per-
 culsi turpi se fugæ commiserunt. Illi dum acriter pugnant relictī
 à suis, vndiq. ab hostibus circumuēti magna ex parte cæsi sunt,
 reliqui capti: inter quos fuit Ioannes Burgundiæ dux, cuius ge-
 sta supra conscripsimus: & Amedei Sabaudię ducis frater extra
 matrimonium natus, quem Turcę emascularunt: vterq. auro re-
 demptus est. Sigismūndus ad mare cōfugiens, Constantinopolim B
 nauigauit: indeq. domum saluus, sed inglorius redijt. Ab eo tem-
 pore res Hungarię declinare cœperunt: Turcanicę vero, quę
 Asia, Græcięq. magna parte subacta admodū florentes erant,
 in dies magis ac magis augetur, & tum quidē Bulgaria ad ho-
 stes defecit. Oram Dalmatię maritimā Veneti iam pridem sibi
 acquisierant. Obijt & Sigismundus sine virili sobole, filiam eius
 Helisabeth vxorem duxit Albertus Austrię dux, cum qua re-
 gnum Hungarię, Bohemięq. consecutus, Imperium quoq. Ger-
 manicū est adeptus. Huic sicut & ceteris regibus infesta fuerunt
 Turcarum arma; aduersus quos profectus intemperie locorum C
 offensus in morbum incidit, breuiq. mortuus est, cum tribus non
 plenis regnasset annis relicta vxore prægnante: cuius imperium
 non ferentes Hungari, Vladislaum Polonię regem asciuerūt in
 Hungaria regnaturum, ac reginæ futurum virum: regina con-
 sensuram se ait, nisi masculum pareret. Dum Vladislaus se itine-
 ri accingit, Helisabeth filium parit, quem Ladislaum appellat:
 baptizatumq. illico in Albaregali pro veteri consuetudine coro-
 nari iubet; nec morata puerum cum corona, quam sanctam di-
 cunt, Federico patrueli Austrię duci, qui postea Imperator as-
 sumptus est, alendum conseruandumq. mittit, verita ne Poloni D
 aduentu interceptus occideretur. Polonus Budam profectus, tā-
 quam rex intromittitur. Regni proceres, prælatiq. in duas diuisi
 partes, alteri Ladislaum, alteri Vladislaum regem esse dixerūt:
 Regina Laurini se continuit, ad quā omnes se contulerunt, qui
 Ladislaum regnare cupiebant. Quorum princeps Vlricus Cilię
 comes ingentis spiritus vir, & in armis clarus, partes aduersas
 magnis affecit cladibus. Federicus imperio præfectus tanquam
 Ladislai tutor; ab altera Hungarorum parte receptus, hostis Po-
 lono

lono fuit. Interuētu deinde Iuliani cardinalis sancti Angeli Apo-
 stolice sedis legati, cum Turcæ Hungariam premerent, foedera
 cum eo pepigit, & inducias belli; Polonus pacem à tergo conse-
 cutus, pugnare cum Turcis constituit, frontemq. tueri ab hoste
 inuasam: exercitūq. coacto Polonorum & Hungarorum in Ra-
 sciam contendit, & vltra in hostium fines accurrente Amurate
 Turcarum Imperatore cum ingentibus copiis audacius quā
 consultius (vt est mos gentis) commisso prælio superatus atque
 occisus est. Dignus laude, & fortasse martyrio coronatus, qui pro
 religione decertans occubuit, nisi regnandi libido plus valuit.
 B Cardinalis sancti Angeli tribus sagittis vulneratus inter fugien-
 dum apud quandam paludem equo prolapsus nobilem exala-
 uit spiritū. Ioannes Huniates celeri fuga seruatus est: qui regni
 gubernator effectus, non multo post tentare iterum cum Turcis
 belli fortunam decreuit, nec melioribus auspicijs ad pugnam pro-
 fectus maiorem exercitus partem amisit, plerisque proceribus
 ac prælatis in prælio cæsis. In vtroque conflictu, supra quadra-
 ginta Hungarorum millia periisse proditum est: nonnulli cæso-
 rum numerū adduplicarunt. Duobus his attriti vulneribus Hun-
 gari, Ladislaū regem acclamauere omnes; missisq. ad Impera-
 torem legatis dominum suum coronamq. petiuerunt: nec impe-
 trauere, dicente Cæsare, nec tutum esse puerum extra tutelam
 suam emittere, neque Hungaris vtile à puero gubernari. Con-
 firmata est Huniati gubernandi potestas, tanquā pro Ladislao
 regnaret. Imperator Romam profectus coronę suscipiendę gra-
 tia, Ladislaum secum duxit, duodecim annos natum. Id ægre
 Hungaris, Bohemis, ac Austrialibus fuit, qui Alberto quondam
 parentes imperium filij summo cum desiderio expectabant. Cō-
 spirauere absente Imperatore cuncti simul; vindicareque suum
 dominum armis constituere: primique Viennenses eiectis magi-
 D stratibus ab Imperatore præpositis libertatem sibi asseruerunt,
 quousque Ladislaum vindicassent: exemplum primarię vrbis
 cuncta per Austriam secuta oppida. Reuerso ab Italia Cæsari le-
 gationes præsto adsunt Ladislaum petentes: vbi negatus est, Au-
 striales ac Bohemi, non expectatis Hungaris, collectis raptim
 copijs Imperatorem apud Nouamciuitatem Austrię obsidione
 claudunt, coguntq. puerum tradere: qui apud Viennam multa-
 rum gentium dominus præcipuā imperij sui sedem elegit, quam
 his modo in Hungariam modo in Bohemiam proficisceretur.

Interea mortuo apud Turcas Amurrate, Maumethes suscepit **A** imperium acris ingenij adolescens, & regnandi cupiditate insatiabilis: qui sub Nicolao quinto Pontifice maximo regiam urbem Constantinopolim orientalis imperij sedem atque totius Græciæ columnen (vt ante dictum est) terra marique obsessam incepit atq. diripuit, Imperatore gentis occiso, & omni nobilitate ferro deleta. Fleuere Christiani omnes tantæ vrbis cladem: cõuentus agitauere: occurrendum Turcis priusquam amplius inualescerent, vtile consilium putauere, hinc Romanus Pontifex inde Cæsar, reges ac populos in arma vocare, religionis periculum ante oculos ponere, hortari, monere, ne suo tempore sanctum Euangelium conculcari sinerent: frustra omnes fuere conatus. Domesticae seditiones externi remotiorisq. belli curam reiecere: segnitieque & auaritia obfuit. Turcæ capta Constantinopoli in Rasciam Seruiamq. trajicientes, gentis dominum (quem Despotum appellant) eiecerunt: consanguineis eius interceptis oculos effoderunt: regionumq. munitissima quæq. oppida, præter Sinderouiam, & Belgradum expugnauere, ac transmissis Danubio, Valachos sibi vectigales fecere: aptissimus ad incurfandos Hungariæ fines visus Belgradi situs, quem confluentes Saurus Danubiusq. duplici latere ambiunt; prisca Taurunum, hodie Belgradum vocauere, Hungari & Theutones alteram **C** Albam appellant. Huic Maumethes coactis ex omni regno viribus ingentes copias duxit: qui maiora de magnis loquuntur, trecenta hominum millia in castris eius conuenisse tradiderunt: qui autem apposite ad verum, quæ viderunt enarrauere centum & quinquaginta millia. Calistus tertius natione Hispanus ex ciuitate Valentia Romanæ præsidebat Ecclesiæ, qui percepto Turcarum ad inuadendam Hungariam apparatu, legatum Apostolicæ sedis eo direxit Ioannem cardinalem sancti Angeli virum prudentem, & animo præsentis plenariam peccatorum veniam **D** largiturum his qui contra Turcas arma capefferent. Quæ res multos ex Germania populos traxit: Verum pauperes ac prope inermes; horum est enim regnum cælorum: Diuites præsentibus illecti delitijs, haud quaquam futura inquirunt. Erat in Hungaria Ioannes Capistranius, ordinis Minorum professor, natione Italus, verbi Dei acceptissimus in populis prædicator: quippe qui litterarum eruditionem cum vitæ sanctitate iunxisset, exemploque Domini Saluatoris: pietatis opera faceret, & doce-

ret:

Aret: huic Germani se coniungere; ingens cruce signatorum numerus hunc sibi ducem elegere, nec alterius parere imperio voluerunt: cum eo Taurunum profecti sese Turcis obiecerunt: Ladislaus qui paulo ante Budam venerat, trepidante regno, Turcarumque arma timente, retro in Austriam fugit, Ioanni Huniati regni gubernatione ac tutela dimissa: Is quoque prope cum equitatu peditatuque raptim collecto, obuiam hosti proficiscitur: delectaque militum robustissima manu ingressus oppidum, Turcarum consilia quam diligenter nosse conatur, atque illis occurrere. Adoriuntur priores oppidi muros Turcæ, **B** machinisque deiciunt. Vacua ibi pars oppidi fuit, in qua cruce signati stationes habebant. Ab his prælium cum Turcis inicitur, qui modo Turcos extra moenia compellunt, modo repulsi intra urbem pugnant. Capistranus & Huniates ex arce altaque turri prospectant prælium, & alter ostentans diui Bernardini Senensis imaginem, atque altissima voce Saluatoris inuocans nomen, Iesus Iesusque sapius intonans, pugnare cruce signatos admonet: alter cui sit loco instandum, subueniendumque docet, cessare vulneratos, fessosque iubet; & sufficit integros. Interdum & ipse vbi pugnari à suis remissius videt, è turri descendens fortissimi militis partes implet. Diu prælium anceps **C** ducitur, cum modo Christiani cederent, modo Turcæ: tandem fugati longius extra muros hostes nostris victoriam reliquere, Maumethes sub mamilla vulneratus, ea quæ secuta est nocte relictis Bombardis cum omni exercitu aufugit: trepidus fama quæ raro quadrat vero, quadraginta Turcarum millia in ea pugna cecidisse vulgavit: qui diligenter perscrutati sunt verum, iacentiaq. in campis cadauera dinumerauerunt, haud multo plura quàm millia quattuor inuenta prodiderunt. Trepidatio & fuga Imperatoris potentissimi victoriam nobilitauit, & classis eius in Danubio disiecta, atque combusta. Huniates & Capistranius fugato insignes hoste paulo post morbo obiere; felices tanquam rebus prospere gestis triumphaturi, (vt creditum est) ad superos migrare. Capistranij cadauer tanquam viri Deo accepti sepeliri Hungari non permiserunt: conditum arca in Ecclesia custodiunt, sacrumque habent. Ladislaus his cognitis ex Austria Budam venit, non tam hoste profligato lætus, quàm Huniatis obitu, qui se potentior in Hungaria fuisset. Descendit iam seuro regno ad visendam Albam, & loca in quibus pugnatum e-

rat:

Christianorum
cum Turcis
victoria.

rat: vbi dum sacris operam dat, missamq. audit, Vlricus Ciliæ comes à Ladislao Huniatis filio in consilio obrucatur, sumpta occasione quòd suam à comite vitam didicisset inquiri. Non est ausus rex damnare factum, propter potentiam occisoris: dissimulauit ad tempus iniuriam, donec Budam redijt: ibi Ladislaũ in arce deprehensum securi percussit, & fratrem eius Matthiã in carcerem coniecit, secumq. deinde in Austriam, & demum in Bohemiam captiuum duxit. At cum in Praga (quæ est Bohemorum Metropolis) celebrare nuptias parat, missis legatis, qui sponsam ad se deducerent Magdalenam Caroli regis Franciæ filiam subito morbo correptus interiijt. Quidam toxico perijsse tradiderunt, quod sibi Georgius regni gubernator propinauerit, & hæresiarchæ Rochezanæ ministerium. Hungari cognita regis morte successorem electuri, apud Pestam frequentes conueniunt trans Danubium é regione Budæ. Eo Michael Silagi auunculus Matthiæ cum quattuordecim millibus equitum se confert, Matthiamq. Huniatis filium regem proclamat. Consentiant omnes, cum libera non esset inter armatos contradicendi facultas. Arma regem vel captiuum faciunt. Mira res: Matthias ex carcere ad fastigium regni sublimatur. Georgius qui & ipse regnum Bohemiæ vsurpauerat, acceptis quinquaginta millibus aureis captiuum dimisit, eique filiam despondit vxorem. Matthia regnum adepto nunquam Turcæ conqueuerunt, modo hanc regni partem, modo aliam inuasere: ægreque illis restitit, cum plenam in subditis obedientiam non haberet, tanquã non esset verus rex, per vim electus, nec sacro diademate coronatus. Petijt sæpe ab Imperatore coronam, neque obtinuit. Ob quam rem despectior apud suos in dies fuit. Accessit & manifeste rebellionis malum: præcipui regni proceres Ecclesiastici & sæculares ab eo deficientes, Federicum Imperatorem supra se regem constituerunt, cum quibus & Michaellem Matthiæ auunculum sensisse proditum est; qui postea à Turcis captus necatusq. est. Hinc ortæ inimicitia inter Federicũ & Matthiã capitales, cum regnũ non caperet duos, & vterq. regẽ Hungarię se diceret. Et quãuis Hungari Imperatori fauentes, eo minora faciẽte quàm promiserat cito ab eo defecerint, & in gratiam Matthiæ redierint, non tamen cessauit odium, nec belli materia defuit, Imperatore regni coronam & titulum retinente; Hungariamq. per suos duces pluribus in locis infestante. Molesta ea res Pio Pontifici fuit,

cum

A cum propter odia regũ nullo tempore nõ detestanda, tum quòd ea dissensio Turcas ad imperium occidentis suopte ingenio erectos magis ac magis inuitabat. Mandauit igitur cardinali sancti Angeli apud Hungaros agenti, vt Imperatorem accederet, pacẽq. suaderet. Paruit cardinalis, frustra q. verba fecit. Missus est & Bessarion Nicæus alter cardinalis idipsũ procuraturus, nec profuerunt labores eius: Hieronymus deinde Cretensis archiepiscopus ad eandem prouinciam iussus ire, quamuis prope ad concordiam reges deduxit, non tamen perduxit ad exitum inchoata. Successit vltimo Rodulphus, qui modo vnã, modo alteram partem adiens monendo, vrgendo, dies ac noctes instando, concordia tandem formam reperit, quam rex vterque probauit. At cum signari conuenta peterentur, Imperator nihil facturum se ait, nisi Romani Pontificis accederet auctoritas, quæ foedera comprobaret, & aduersus ea facturos anathemate feriret: Ea res triginta dies pacem suspendit. Interim Pius secundũ postulata litteras Apostolicas ad Rodulphũ misit: tum quoq. & aliæ difficultates intercessere. Opportune circa idem tempus Torcellanus episcopus alijs de causis in Germaniam missus Imperatorem adierat: hunc sibi Rodulphus in tam difficili ac propemodũ desperato pacis negotio, socium asciuit, nec recusauere partes ob reuerentiã primæ sedis: ambo concordie summis conatibus operas nauauere, alter ad eam rem missus alter admissus: quibus adnitentibus præter omnium spem sublatis difficultatibus his foederibus in concordiam itum est. Matthias regnum & regni titulum conseruato; Imperatorisq. filius adoptiuus esto: eiq. auri nummum octuaginta millia dissoluito. Decedenti sine liberis Maximilianus alter Imperatoris filius ex coniuge natus succedito. Imperator regium inane nomen, & oppida quædam in finibus regni vita comite retineto: vltius regnum ne ingreditur; sacram coronam Matthiæ reddito: amici deinceps ambo sunt. His vltro citroq. acceptis, atque obsignatis, rursus noua contentio emergit: priores ne Hungaros pecuniam numerare oporteat, an Imperatorem tradere coronam. Legati vno simulo tempore, & aurum ad se deferri, & coronam iusserunt: quo facto, vt acceperunt, partibus tradiderunt, publicariq. pacem iussere; quæ tanto iocundior visa populis, quanto diutius expectata. Tempestiua res & ad expeditionẽ contra Turcas ineundam admodum necessaria Pio Põtifici nuntium eius vltima die quinti Pon.

ti Pontificatus sui anni allatum est: sequenti die anniuersarium A
quasi natale celebratum: & annus inchoatus sacerdotalis emi-
nentiæ sextus.

Leodiensium
cum eorum
episcopo re-
conciliatio.

Paulo ante Hungaricam pacem, & Leodienses feroces Belgia
populi (quorum supra meminimus) interuentu legati Apostolici
episcopo suo conciliati sunt: cum prope ad arma venissent. Ciui-
bus cum iurisdictionem Ecclesiasticam violassent episcopus sa-
cris interdixerat ob manifestam iniuriã: clerus episcopo suo pa-
ruit: populus ægreferre diuinorum subtractionem, maledicere
sacerdotibus: verbera cædesq. minari: episcopus Philippi Burgū
diæ ducis, cuius esset nepos, auxilia quærere: ciues Ludouici Frā
ciæ regis patrocinia implorare: vterque postulata promittere: Su
perbire magnis adiutoribus partes: augeri in dies odia, nec aliud
expectari quàm bellum: quod sine magno Gallicæ gentis incen-
dio fieri non poterat: emergentem ignem, & iam comburere in-
cipientem Petrus Ferricij sacri palatij auditor, quem Piūs ad eã
rem miserat, priusquam flammæ euomeret summa diligen-
tia extinxit, persuasis partibus iudicia potius experiri, quàm
arma.

Tractatus cõ-
cordiæ inter
Maguntinos
& leges pa-
cis.

Bellum quoque Maguntinum, quod biennio iam gestum vi-
cinas regiones exusserat hoc tempore intermissum est. Carolus C
marchio Badensis é carcere missus inducias pepigit, pacisq. fœ-
dera in hunc fere modum dixit, Archiepiscopatum Maguntinū
pro decreto Pij Pontificis adiudicandum esse; Dyethero quoad-
uiueret quattuor oppida relinquenda, dandamque peccati ve-
niam. Quæ Dyetherus Palatino castella donasset, ea nomine pi-
gnoris apud illum remanere, donec auri Rhenensis centum mil-
libus nummum redimerentur: censuras in eum prolatas vltro re-
mittendas: fratrem Palatini electum Colonensem, quàm mini-
mo fieri queat sumptu á Pio Pontifice confirmandum. Omnes D
qui mandata Pontificis spreuerint, damnumve dederint, eccle-
siæ Maguntinæ absoluendos. Et cetera in hunc modum minu-
tiora, quæ si à Pontifice impetrari possent, Palatinus de summa
centum millium florenorum pro redimendis castris decreta vi-
ginti millia remitteret: captiuis quoque dimissis, inflictam mul-
ctam comminueret. Adulfus ita demum ea probare se ait, si Pio
Pontifici placerent: ob quã rem legati missi sunt Marcus Mar-
chio Badensis Caroli frater, Ropertus Scholasticus Magūtinus,
& duo Alfonsi nepotes, quorum senior nondum quintum deci-
mum

Amum expleuerat annum. Tres quoque doctores accessere, & v-
nus eques: Quibus apud Tybur auditis, digere paulisper con-
uenta placuit, ac deinde responsum dare.

Medio tempore Alexander cardinalis sanctæ Susannæ non si
ne summo Pontificis moerore febre correptus extinguitur, cuius
vitæ sanctimonia, cum per omnem vitam emicuisset, tum ma-
xime in obitu claruit: qui etsi dies quamplures agonizauit, nun-
quam tamen intermisit de fide catholica disputare, symbolum
exponere, obstruos scripturarum sensus aperire, dubiaq. re-
soluere: hortari astantes ad Euangelicam vitam; ad cælestis pa-
triæ desiderium erigere, contemnenda esse huius promissa sæcu-
li, quæ velis, nolisve relinquere oportet: In ea patria thesaurizã-
dum, cuius gaudia sine carent. Cum rogaretur testamentum fa-
cere: animam, inquit, meam Deo relinquo: Pio Pontifici corpus;
& hæc quæ vocantur sæculi bona; ipsi familiæ curam & sepul-
turæ meæ committo. Deinde quasi dormiens expirauit, ingens
sacri collegij decus in quo vitæ fulgor cum doctrinæ luce conten-
dit. Potuerant sine damno multi homines perijisse: in hoc graue
vulnus accepit Ecclesia. Ita plerūq. fit, vita breuis bono est, ma-
lo quamdiutissima: seruantur ad pænitiã pessimi, siue vt bo-
nos exerceant: probitas cælum petit. Pius exequias cardinale di-
gnas amico peregit, & familiæ curam suscepit. Ad ecclesiam Ca-
mertinam cui præfuerat Alexander, Aegyptū Anconitanū epi-
scopum transtulit: Aprutinum ad Anconitanam, ad Apruti-
nam Crotoniatem. Legatis Germanicis ad res Maguntinas
componendas missis, graua esse postulata respondit: legatum-
que videri mittendum, qui condiciones Ecclesiæ & Apostolicæ
sedis amicorum meliores efficeret, neque id legatis ingratum
Tricaricensis episcopus natione Romanus eam prouinciam su-
scipit.

Bessarion cardinalis Nicæus dum ista fiunt, cum Venetias ap-
pulisset, Bucentauro naui magno ciuitatis fauore à principe &
senatu exceptus est, & pro reuerentia primæ sedis, præcipuis
cumulatus honoribus. Auditus in senatu persuasis patribus fa-
cile suasit quæ voluit: id est vt bellum in Turcas publice decer-
nerent. Veneti enim etsi præfecto classis liberum belligeran-
di arbitrium permiserant, tectum id tamen consilium sapien-
ter seruabant, nō prius vulgaturi quàm magno aliquo damno,
vt sese occasio obtulisset, hostes affecissent: at Bessarione audito
cogni-

Obitus opti-
mi viri Ale-
xandri cardī-
nalis sanctæ
Susannæ.

Veneti Apo-
stolici legati
suasit bellum
Turcis pa-
lam indicunt

cognitaque Pontificis voluntate, qui se belli socium offerebat, A senatus consultum palam ediderunt, in quo Turcæ hostes Venetorum declarati sunt: hisque magnis animis bellum indictum, & ad classem, quæ iam nauigauerat plures triremes additæ, & supplementa militum missa. Bessarion obtento decreto rem diuinam in diui Marci templo fecit coram principe & senatu, cum Vrsati Iustiniani classis imperatoris vexillo benedixisset, eidemq. cum imperio abeunti maiorum more solemniter remonia de Turcis victoriam precatus esset: mox religiosorum pompam per urbem duxit, decimas, vigesimas, ac trigesimas imposuit: & plenarias indulgentias publicauit his qui sanctam expeditionem, aut ære, aut manibus adiuuarent.

Legatio Burgundi Pontificem Tybure conuenit.

Circa idem tempus legati Burgundorum Pontificem apud Tybur conuenere Gulielmus Tornacensis episcopus iam pridem Pontifici notus, & ab eo ex Tullensi Ecclesia ad Tornacensem translatus, & cum eo tres proceres in ducali palatio potentes. Qui sine arbitris auditi, Philippum, dixerunt, principem suum stituisse facere pro defensione fidei, quæcumque desiderasset ab eo Ferrariensis episcopus: dilationis interiectæ Anglicos fuisse causam, qui bellum illaturi Gallia videbantur, impediturique ducis iter; nunc induciarum decennaliū spem certam fore, liberumque duci quo velit ire: reliqua se Romæ dicturos, quam breui petitorum Pontificem didicissent. Collaudauit Pius sanctum Philippi propositum, dignumque principem esse dixit, quem sancta sedes Apostolica summis prosequeretur honoribus.

Legatus Apostolicus à Rege Franciæ interceptus, & Auinionensis cardinalis temporalitate priuatus.

Longe dispar hisdem ferme diebus Ludouici Franciæ regis obedientia visa est, qui spiritu rebellionis imbutus, legatum Apostolicum Ioannem Cæsarinum sacri palatii Auditorem in Britannia proficiscentem comprehendere, scripturasque cunctas ei auferre temerario presumpsit ausu: neque his contentus Alano cardinali Auinionensi, qui mittendi legati causa fuisset, fructus beneficiorum omnium, siue, ut aiunt, temporalitatem ademit, sibi que usurpauit. Pari poena & duos eius nepotes episcopali dignitate præditos coercuit, quamuis prorsus innocentes. Comminatus est, & cardinali Rothomagensi, tanquam & ipse cum Auinionensi conspirasset: crimini dabat missionem Cæsarini, quoniam de feudo iudicaturus iret in Britanniam inter episcopum Nanetensem, & gentis ducem, quos suos esse subditos aiebat, sibi que iudicium feudi pertinere, non Papæ: tyrannica vox & mendax.

A dax. Neque dux, neque episcopus regis Franciæ se subditum confitetur, quamuis vterque magni regis potentiam vereatur, quem admodum imperatorem in suo regno Ludouicus se dicit, ita & se regem in suo principatu Britannia dux asserit: episcopus vero Nanetensis prius fundatam fuisse suam Ecclesiam, temporaliaque dominia, & quæ vocant regalia iura habuisse contendit, quam regnum Franciæ constitueretur, in quo Ludouicus regnat: merito itaque Pontificem in contentione ducis & episcopi iudicium suscepisse. Sed quis ista regi suadeat cum pro lege cupiditas est, prurientesque tantum auribus magistros audit?

B Auditus est & Tybure legatus Georgij Albanie domini, quem vocant Scanderbechium: Verba eius hunc habuere sensum. Venisse Maumethem Scopiam innumerabiles ducentem copias, improuisumque Georgium opprimere voluisse: nullum patuisse Georgio ad muniendam prouinciam tempus. Vnicum ei salutis remedium fuisse, pacem ab hoste petere: id factum esse conseruandæ prouinciæ causa: at cum voluerit Pontifex, rursus in bellum ibitur: optare Georgium in terris Ecclesiæ refugium, si regno pellatur à Turcis. Pontifex necessariam pacem non improbauit si, quod aiebat Georgius, imperium Apostolicæ sedis saluum esset: C refugium pulso in agris Ecclesiæ non defuturum, si pro religione pugnans ab hoste fidei eijciatur.

Georgij Scanderbechij ad Pium expurgatio, quod foedus cum Turcis fecerit.

Alexander interea, quem diximus inducias belli cum Picinino pepigisse, atque ad Pontificem, de pacis foederibus acturum venisse, accepto responso in Aprutium redijt. Matthæus Capuanus, & Alonsus Hispanus cum suis & Alexandri copijs in Aquilanos duxere: castellaque comitatus fere omnia prima excursionem cepere. Rocchamedia, & alterum quoddam oppidum, cum aliter furorem exercitus euadere non possent, Neapoleoni Romanæ Ecclesiæ nomine se tradiderunt. Aquilani (vt diximus) sequentem in vrbe pestilentiam in agros confugerunt. At vbi hostis adfuit, mox intra moenia se receperunt, non tam diuinum bellum veriti, quam humanum. Secuti sunt & agrestes cum pecoribus, & imbelli mulierum puerorumque turba: nec minus in vrbe quam ciues poterant: qui vbi hostes tenere agrum didicere, & ad portas vsque procurrere, nec ullam auxilij spem superesse, hinc pestem, inde ferrum timentes, aperiendam Ferdinando urbem clamauere; quem sedes Apostolica regem dedisset, haud amplius recusandum esse; nisi petant ciues pacem sibi non deesse animū traden-

Aquilani rebus suis diffusi, Ferdinando regi sese tradunt.

tradendę vrbis stultum esse cum Deo & hominibus bellū gerere. Aquilani, qui se liberos, & vxores vendituros, aut famis causa commesturos sæpius asseuerauerant, priusquā Ferdinandū regē admitterent, ad primam rusticorum terri vocem, quarendam cum hoste pacem censuere: missisque legatis pro voluntate ducum, regi se dedidere; oratoribus auctoritate abrogata, quos ad tradendam Pontifici urbem miserant: auctorem tam repentini consilij Petrum cognomento Lalla Montorij comitem tradiderunt, virum muliebris animi, & cui vxor imperat: hunc Aquilani sequuntur propter familiam, cuius est princeps, parati vel bovi parere, qui domui Componiscorum præsideat. Petrus igitur quā fuit in tradenda Gallis vrbe leuis, tam modo in restituenda Ferdinando præceptus visus & inconsultus, cui multo salubrius fuerat mediatore Pontifice in gratiam Ferdinandi rediisse, quod ei non erat difficile: sed quæ possunt effeminati esse consilia? Aquilanae vrbi si bene successerit, miraculum erit, cuius populus imprudentem sequitur ducem, ducique imprudentior imperat coniux. Illud præsidio potest esse, quod aiu nt: ibi plurimum esse fortunæ, vbi minus est prudentiæ.

Celani comitatus expugnatione, eiusque concessio Antonio Pontificis nepoti facta, & Pij erga comitissam clementia.

Rugerottus Celani comes, cuius ante meminimus, his mutationibus, & quoniā Neapoleo sibi intulerat arma deterritus, matrem hortatur, vt se liberam Pontifici scribat, veniamque filio petat: mulier ne peiora ferat quod iubetur facit: accedunt legati Pontificem matris & filij litteras afferentes, bellumque deprecantur. Pontifex indignum pace Rugerottum ait, qui nec matri dederit pacem; comitissam tunc se liberam crediturum, cum extra potestatem filij fuerit; illā si se adierit inuenturam pro meritis gratiam; Rugerotto aut principatū, quem matri abstulit dimittendum, aut armis defendendum. Neapoleo interea comitatum ingressus cum exercitu, castella pleraque & munitiones vi obtinuit, inter quæ magni momenti oppidum expugnauit Ortuchiū Fucino adiacens lacui: quo percepto Rugerottus matrem dimisit, sperans per eam Pontificem posse placari. Illa Tybure Piū conuenit, atque his verbis vsa est: Ante tuos pedes constituta, maxime Pontifex, nunc demum me liberam esse intelligo. Impius me filius coniecit in carcerem ancillam, & captiuam ex domina fecit: tua mihi pietas libertatem reddidit, tibi gratias ago, meque commendo, & hunc paruulum filium (duxerat enim secum alterum ex liberis natu minorem) pro maiore nihil peto, plura dicere

Acere volentem lacrymæ impediuerunt; cui Pius: Tua fides, inquit, mulier digna est, cui fauori simus; neque tibi, neque huic secundo filio tuo deerimus: adsunt in Apulia non parui census castella, quæ Rogerottus tibi perdidit, ea in tuam potestatem restitui iubebimus: tu deinde huic relinques. Comitatus Celani, cuius erat Rogerottus heres, quoniam ille indignum se fecit, ad Antonium nepotem nostrū ex voluntate regis perueniet. Armenta, quæ in agrum nostrum hiematura misisti, petenti Rogerotto nunquam tradere voluimus, salua sunt tibi: esto boni animi: non erit sine nostro præsidio tua virtus. Nec plura in primo congressu verba fuerunt. Sed cum Pontifex breui Romam profecturus esset, mulier quoque eo pergere iussa est. Medio tempore Celanum per deditonem captum est, & arx tradita apparatu regio ædificata; nec minus munita, quā commoda. Similiter & castella reliqua comitatus, præter duo, deditonem fecerunt, quorum alterum nondum tentatum erat: in alterius arcis oppugnatione Robertus Ursinus lapide ictus in fronte prope exanimatus fuit.

Marinus vero Sinuessæ tyrannus postquam tandem expertus est plus regias vires, quā suas valere fraudes; nec iam amplius insidijs esse locum, pacem quam sæpe promissam reiecerat, missis legatis, vltro repetijt, neque repulsus est. Filia regis eius filio desponsata est. Arces & oppida pleraque munitissima tanquam fidei pignus regi tradita: Ioannes Andegauensis, qui Marino cum duabus equitum turmis auxilio venerat, intra dies quindecim ex agro Sinuessano iussus excedere, intra constitutam diem ad Enariam insulam nauigauit, fideique Ioanni Entoreliæ se commisit, hominis Aragonensis famosi piratæ, & qui dominum suum Ferdinandum prodidisset. Alumen (vt ante diximus) in insula reperitur, cuius seruandi causa Ferdinandus turres aliquas crexerat; ac præsidium imposuerat, quod pluribus diebus Ioannes frustra oppugnauit.

Pontifex cum iam legationes Italicae Romam peterent, ad res fidei accersita, relicto Tybure ad eas properare statuit: prius tamen Frascatum adijt, quod supra diximus olim villam fuisse Luculli, nunc oppidum est haud magnum: ruinae veteres priusquam nobilitatem ostendant. Ascendit & Tusculanum montem, cuius urbem natura loci munitissimam, ac propemodum inexpugnabilem, ante annos trecentos deleuere Romani: regia

Pacis tãdem confectio inter Sinuessanum & regē & inter eos affinitas.

Pontifex viso Frascatu ex Tybure Romam reuertitur.

QQ nobi-

nobilissimæ, de qua Strabonem meminisse retulimus, fundamenta extant, & altissimi fornices ad occidentem solem, meridianumque versi: præclarum id opus fuisse apparet, siue regia fuit, siue curia senatorum: reliqua solo æquata iacent, quibus inspectis, & iterum Cripta ferrata reuisa, ubi & casum aquæ altissimum spectauit, & Missarum solemnia ritu Græcorum se celebrari iussit. Quinta denique die idibus Septembris Romam reuersus est, cardinalibus, omnique clero, & populo, ac legationibus principum extra moenia occurrentibus. Post dies deinde aliquot, eo in consistorio publico sedente, accersitis Burgundorum legatis, & quæ uellent dicere iussis, Guilelmus episcopus Tornacensis professione monachus, legatorumque primus, longam ac doctrina refertam orationem habuit: in qua multa de Turcis, & eorum insolentia, foedisque moribus, disseruit: gesta eorum exposuit, & quanta intulerint Christianæ religioni detrimenta narrauit. De nobilitate Græcorum, de antiquitate, de doctrina plura recensuit; eorum ruinam deplorauit; ostendit pericula, quæ Christianis ceruicibus imminerent, nisi celeriter arma sumerent, ac seipsos defenderent. Adhortatus est Pontificem maximum, cardinales, cunctasque legationes astantes, ne tanto in periculo differrent amplius Christianæ reipublicæ consulere, atque hosti occurrere. Philippum Burgundiæ ducem, qui se misisset, statuisse proximo uerno tempore classem in Turcas ducere, bellumque totis conatibus pro sacra religione suscipere: neque corpori suo paraturum, quamuis senex esset: venturum in exercitum, ac non solum ducis, sed militis quoque munera subiturum, nisi mala ualitudine impediretur: eoque casu missurum qui suas uices implerent. His auditis Pontifex, ita locutus est: Expectatis uenerabiles fratres, filijque dilectissimi, Burgundis oratoribus auditis, responsum nostrum non sine desiderio (ut arbitramur) in quo dignas pro meritis amantissimo filio nostro Philippo Burgundiæ duci laudes attribuamus: & quæ sunt amplissima eius præconia in medium afferamus: non tam possibilia, quam iusta desideratis: non est ea nobis dicendi vis, quæ uestræ queat expectationi satisfacere. Multa & magna de Philippo dicenda essent, quæ sine uena oratoris uberrima explicari non possent. Dicendum esset de nobilissimo familiae genere, cuius originem ab Illo repetunt: de corporis, & animi dotibus, de iustitia, de

Oratio Burgundorum, & Pij excellentissimum responsum.

Pij uerba.

fortitudine, de moderatione, de humanitate, de ceteris uirtutibus, quæ in summo viro semper summæ fuerunt. Dicendum esset de rebus ab eo clarissime gestis, siue pacis fuerint tempora, siue belli; cuius tot fuere uictoriæ, quot prælia, & tamen pluries cum hoste conflixit, quàm alius nostri temporis quispiam cum inimico suo concertauerit. Plena est omnis terra Gallica trophæis ab eo positis, qui etiam ultra Rhenum in Germanica gente uictoriarum signa defixit. Non sunt hæc, quæ noster possit percurrere sermo, ne dicamus explicare: acre ingenium, & os magna sonaturum cupiunt: senilis & arida uena nostra tantæ rei non sufficit. Nec Philippus ista desiderat: uerâ uirtus eius se ipsa contenta, uerborum lenocinia non requirit. Magna & præclara operatus est, non cupiditate laudis, sed ut Deo placeret; ab eo præmium expectat non ab homine, qui nihil potest non mortale largiri. Sed esto non possumus Philippo quantas meretur laudes impartiri, nec ipse talia requirit: an propterea legationem hanc dignissimam præteribimus, & nullo prosequemur honore? minime gentium: dicendum est aliquid ad ea quæ modo proposita sunt, nec fraudanda est suo præconio tam insignis legatio. Quid habet legatio Philippi? quid mandat? quid offert? Turcarum arma nostris imminere ceruicibus dicit: clades quas passa est Christiana religio, & quas passura uidetur, in medium affert: hortatur hostibus obuiam eamus, prius quàm amplius inualecant: Philippum si Turcæ bellum indicatur, si exercitus idoneus apparetur, in hanc expeditionem venturum, nec corpori suo passurum ut incolumitati consulat sacrae religionis. Qualia uobis ista uidentur fratres? quis non hæc maxima & summa dixerit? quis hunc principem satis collaudare potuerit? nulli Christianorum minus timendi sunt Turcæ, quàm Philippo: & nihilominus primus est, qui se profecturum in eos, gesturumque bellum pro sacro Euangelio pollicetur. O mentem principem dignam; o excellentem animum; o sanguinem nobilissimum: longissimum iter opponitur: rigida superandæ alpes: altissima transmittenda flumina: latissima trananda maria: uasta terrarum spatia ab occidente in orientem peragrandæ: cuncta superare est animus. Nullum in causa Dei recusandum fore laborem; nullum uitandum periculû censet. Amanti omnia sunt facilia: princeps Deo amicus nihil tā horribile putat, quin pro Dei honore sit subeundum

dum. Ditissimus principum maximis æquandus regibus; cui opes & deliciae omnes affluunt: cui tot latissima provincia, tot clarissima vrbes, tot valida gentes, tot ditissimi populi seruiunt, cui præsto adsunt cuncta, quæ mortales maxima ducunt: relinquere splendidam domum, amatam coniugem, carissimum filium, dilectam sororem, dulces nepotes, fideles amicos, ut Deo seruiat non veretur. Accedit ætas grandior, cui quiete opus esset: hanc quoque postponit: nihil sibi antiquius est, quam Deo placere: spernit omnia propter Deum. Nec vos hanc egregiam voluntatem aut leuem, aut nouam putetis, solida est, & iam pridem firmata, diu hoc propositum Philippo fuit, ab eo tempore quo Turcæ Constantinopolim expugnauere hoc votum vouit, nec unquam ab eo recessit: decimum fere annum in hac voluntate perseverat. Serenissimus Imperator Federicus complures in Germania conuentus celebrauit, in quis de suscipiendo contra Turcas bello consuluit: in omnibus aut præsens Philippus adfuit, aut legatos habuit: nos eum Ratisbonæ in Norico supra Danubium vidimus eadem promittentem, quæ nunc à suis oratoribus audiuitis. In Mantuano conuentu Ioannem ducem Cliensem ab eo missum vidistis, nec excidere memoria (ut arbitramur) egregia eius promissa. Iamdudum obfirmatum hoc propositum magnanimo duci fuit, ut aduersus Turcas proficeretur: non est profectus, quoniã non adfuit consensus aliorum principum, qui ad tantam expeditionem obeundam sufficeret: nunc fortasse miserebitur nostri Deus, exercitumque iam tandem in Turcas cogi validum, ac felicem donabit, quando etiam Venetorum florentissima respublica classem armavit potentissimam, & in hostem misit: & Matthias Hungariæ rex coronam & pacem in regno consecutus, quas volet armare copias poterit & hic nobilissimus princeps cum lectissima militum manu ad hoc bellum venturum se pollicetur. Conuenient (ut speramus) & reliqui potentatus Italiae, nec reges occidentis auxilia negabunt ostendetque pius Iesus Maumethæas spurcicias sibi odiosas esse, & pro nobis pugnantem ante faciem nostram conteret hostes. Sed ut ad vos tandem, insignes oratores verba nostra conuertamus, consolati estis nos hodie oratione vestra, & magnifica sponse Philippi digna profecto suo sanguine, ac suo nomine. Quod autem nos hortamini, ut ad fidei sanctæ defensionem nauemus operas, currentem pungitis equum. Nihil nobis tam

cordi

cordi est, quam sacrae religionis defensio. Audiuit omnis ecclesia in conuentu Mantuano consilia & desideria nostra; non fuimus exauditi, frustra laborauimus: nec tamen propterea defatigati sumus: stat animus ab inceptis non desistere, donec Christianos principes ac populos ad defensionem sacro sancti Evangelij, diuinæque legis excitemus: ob hanc causam accersiuimus per hos dies ad præsentiam nostram Italiae potentatus; quorum legationes adstantes cernitis, ut cum his & vobiscum de tuenda religione consulamus. Quod si non defuerint nobis auxilia fidelium, & præsertim Italorum; intelliget breui non Roma solum, sed omnis Italia, & ipsa tota Christianitas curam nobis & animam Christianæ reipublicæ consulendi non defuisse. Pietas tamen magni Dei & Domini nostri Iesu Christi nobis adsit, & suam potius misericordiam, quam nostras metiatur iniquitates. His dictis ex auditorio discessum est, cunctis Philippi nomen & animam ad astra tollentibus.

Postridie Pontifex legationibus Italis ad se vocatis percontatus est, quando Philippi sponse audissent & necessitatem belli gerendi non ignorarent, quid tandem offerrent pro fide catholica defendenda: quibus respondentibus expectare omnes, quod Pontifex onus imponeret, nullum pro sua virili in operam sancto defuturum. Tum Pontifex: Quid opus est, inquit, multis immoremur? extat Mantuanum decretum: illud si placeat seruabimus; in eo secundum vires distributa sunt onera: clericis decimæ, laicis trigemæ prouentuum trium annorum impositæ sunt: Iudæis omnium bonorum vigemæ: laudauerunt hoc omnes populi, quamuis postea executio impedita est, Italia nouis bellorum motibus perturbata: nunc pax propemodum redijt, licebit iam Turcis inferre bellum: pecunia quæ necessaria est, secundum decretum, colligi poterit: nobis nec facilior vlla via occurrit, nec distributio equalior. Ad hæc legati probare se verba Pontificis dixerunt, tanquam priuatos homines: verum ut oratores non habere ad ea potestatem: rogare ut liceret suos dominos reddere certiores, atque ab eis consensum requirere. Solus orator Venetus: Meus, inquit, princeps his hortamentis haudquaquam eget, in bello est, Vrsati Iustiniani fortissimi viri auspicijs classem aduersus hostes fidei, & magnam & validam misit; & iam partem Peloponnesi à Turcis eripuit. Acceptauit decimas, vigemæ, ac trigemæ, & alia sponte per seipsum consentiente senatu, suis

Pontificis ad Italiae legationes oratio, eorumque responsa, & Venetorum magnifica verba.

subditis ascripsit onera : omnia sunt quæ ad victoriam necessaria creduntur : tibi nostra respublica nulla in parte deerit. Tum Pontifex collaudatis Venetis, qui magno, & excellenti animo bellum fidei suscepissent, conuersus ad legatos reliquos: Ite, inquit, & vestris dominis renuntiate quæ diximus, atq. hoc vnũ adijcite : nos eorum pecunias minime cupere, nec tangere illas velle : exigant ipsi à suis subditis argentũ, atque in milites & naues erogent, quibus in bello possimus vti : ipsi duces sibi deligant, & sua nauibus affigant signa: libentius hæc auxilia, quàm pecuniaria ab eis accipiemus. Placuit dictum, nec plura eo die gesta.

Florentinorum de bello Turcarũ dissuasio, & Pij prudentissimum responsum.

Florentinus orator nihil horum æquo animo audiuit, cui spectata erant omnia, quæ Venetorum æstimationem augere videntur; is solus Pontificem solum adiens. Quid agis, inquit, maxime Præsul? aduersus Turcas bellum geres, vt Italiam Venetis seruire cogas? Quæcunq. in Græcia exactis Turcis acquiruntur Venetorum erunt, qui subacta Græcia fortasse ad reliquam Italiam manus apponent: nostri gentis insatiabilem regnandi cupiditatem: succedere Romanis se iactitant, & imperiũ orbis sibi deberi: huc eos adiuuas socia iungens arma, nec vides quo præcipitem trahis Italiam: sed taceamus Italiae damna, quid erit Ecclesia Romana illis regnantibus? putas ne suam dignitatem seruabit? Tuæ prudentiæ fuerit his periculis obuiam ire. Venetus in bello est; Turcasq. graui vulnere lacesiuit, Peloponneso propemodum adempta: non est quod amplius reconciliari Veneto Turca queat: immortale odium natũ est. Hoc nobis meo iudicio optandum fuit. Sine inter se decertent: æquæ sunt hinc atque inde vires: nec Venetus Turcam, nec Turca Venetum debellabit: diu trahetur bellum, & ambo fortasse corruent; vt nos tandem frui quiete permittant. Tuum propositum est, quantũ ego animaduerto, Italiam & omnem Europam à metu Turcarum liberam reddere, atque idcirco belli societatem cum Veneto iungis: ego salubrius affero consilium, qui non modo Turcas Christianorum ceruicibus imminentes, sed ipsos quoq. Venetos doceo repellendos, atque id sine sumptu, sine labore, sine periculo, & cum summa quiete. Florentinorum consilia (quemadmodum ego existimo) pro tua sapientia non contempnis, neque paruiducis: hæc est media prudentium aliquorum schola ad te detuli: tu quod in rem Christianã fuerit, complecteris. Admiratus est vehementer Pontifex his accepis, tandemq. ita locutus est.

Si esse-

Si effemus ipsi quo tu es loco: nec sacris imbuti, nec Iesu Christi vicariatu decorati, fortasse idem sentiremus quod ipse sentis; fucatisq. rationibus tuis succumberemus: sed non est principis eadem quæ priuati hominis mens; nec viris Ecclesiasticis idem animus, qui sæcularibus: multa in populo tolerantur, quæ in clero nemo audire potest: quæ sunt plebi venialia peccata, in sacerdote mortalia ducuntur. Principes sæculi, & vrbium rectores, quocunq. tandem modo sua tueantur imperia non curant, dũ tueantur; atque idcirco sæpe ius gentium violant, & moribus aduersantur honestis. Populus victorem laudat, nec turpitudini ascribit per fraudes ac dolos vicisse; si modo laicus est qui strauit hostem: at si sacerdos insidijs inimicum perdidit, immo & si aperte insidiantem necauit, iniurius habetur, adeo iustiorum populus clericum vult esse, quàm laicum. Noli ergo mirari, Otto amantissime, si de rebus quæ modo gerendæ sunt, alia est nostra, quàm tua vel Florentinorum sententia. Illi si salua respublica sua, omnia ire perditum sinunt: si fidem negligunt, inter homines tamen suum retinent locum. At nos si vel minima negligentia in his vtimur, quæ sunt fidei, mox omnium Christianorum vocibus laceramur: En, inquiunt, Christi vicarium sicine defensionem fidei postponere decet? concilio opus est, in quo negligentia puniatur, & melior eligatur. Nulla in Pontifice maximo tam parua culpa est, quàm populi non ducant maximam: Angelum esse volunt non hominem. Audi ergo ex nobis, Otto, verba, & si non angeli, at saltem clerici & hominis communem sortem excedentis. Fatemur Venetos more hominum forsitan plura cupere, quàm habeant, atque Italiae dominatum quærere: sed id commune est vitium, larius vnumquemq. dominatũ cupere, cum nemo sua sorte quiescat: victoria potiti aduersus Turcas Veneti Illyridis, ac Græciæ possessores effecti, Italiam forte subigere conabuntur, si modo barbarorum metu vacent, & nõ externis bellis distineantur. Sed esto) Italiam subigant; quid ais Venetis an Turcis seruire mauis? Inimus Mantuam, Christianos omnes adhortati sumus, in Turcas vt arma caperent, nec finirent hostes: fidei in Christianos vltra crassari: spreuerunt Veneti hortamenta nostra: spreuerunt & alij ferme omnes non sine magno detrimento Christianæ religionis. Nunc mutata est sententia Venetorum: audito legato nostro apertum bellum indixere Turcæ, & armata ingenti classe hostem perterruere: suppetias à

QQ 4 nobis

nobis petunt, vt qui se hoste inferiores esse non dubitant. Suasimus Venetis bellum pro religione capefferent, paruerunt, nunc petentibus auxilium denegabimus? Quis hæc audiens laudabit? Deus hanc mentem inimicis tribuat viuificæ crucis, vt consortes suæ legis in bello relinquunt, Nobis non licet pro sancto Evangelio pugnantibus opem quouis pacto subtrahere. Dices in bellum Venetos non fidei defendendæ causam, sed imperij cupiditatem adduxisse: Peloponnesum quæsiuisse: sit ita, hoc satis est nobis, quoniam vincente Veneto, Christus vincet: Turcarum victoria Evangelij subuersio est, quâ totis conatibus auertere tenemur. Afferuisti Turcis atq. Venetis cõtendētibus, futurum vt ambo corruant tanquã non sint maiores Turcæ quàm Venetorū opes: falleris: multo est inferior Turca Venetus, quamuis classe maritima superior habeatur: Insulas & quæ sunt in littore maris oppida vexare potest: in Mediterraneis minimū est quod efficere queat; quod si Turcarum duces terrestres copias (quod Deus auertat) in oras Dalmatiæ deduxerint, quemadmodum consiliū cepisse videntur, facultatem Venetis armandi classē facile possent eripere, qui remiges naualesque socios sæpe ex Dalmatia legunt. Non tam facile terræ imperiū, quàm maris acquirunt. Memoriæ traditū est Rhodios, & alios plerosq. imperitasse mari, quorum in terra admodum parua potestas fuit. At qui longe lateque in terra dominati sunt, his proxima maria plerunque patuerunt. Non est igitur existimandū Turcarum principatū, qui est in Asia terra & Europa latissimus à Venetis posse deleri, quamuis mare pro sua voluntate procurrant, quando in terra pugnaturi castra conferre castris nequeunt, equitum peditumque turmis ac robore multo inferiores. Quod si à nobis & alijs Christifidelibus non fuerint adiuti; cum dedecore damnoque nostræ religionis cito deficient. Maximi sumptus est classē in orienti magnam alere, nec diu id fieri potest: At si recedit classis quæcunque illic quæsitæ sunt, necesse est ad hostes illico deficient, quorum præsto aderunt exercitus, nisi prorsus ab Europa migrare Turcæ cogantur. Per parum est quod in Græcia obtineri à Venetis aut seruari queat. Non est ergo salubre consilium tuum, quod nec Venetos seruat, nec Turcas delet. quod si perierint Veneti frustra de seruanda Italia cogitabis. Bellum maximum & periculosissimū inierunt, in quo sine pernicie Christianæ religionis succumbere non possunt, ferenda sunt laboratibus

Atibus auxilia: adijciendæ vires, supplementa militum ministranda, atque omni ope nitendum ne cedere cogantur hosti: commune bellum est: querenda est omni studio victoria; & nos quidem cum Philippo Burgundiæ duce Venetis non deerimus, classes classibus coniungemus, atque omnes maritimas vrbes infestas reddemus Turcis. Ex altera parte Matthias Hungariæ rex superiorem Mysiam, Macedoniam, vicinasque regiones terrestribus copijs agitabit: difficile erit Maumethi, cui non desunt potentes in Asia inimici, omnibus in locis resistere. Vincetur, vt nostra fert opinio, atque ab Europa prorsus eliminabitur, nisi iustus & misericors Deus nostris offensus iniquitatibus, aliud (quod absit) de suo populo censuerit. Nec propterea Venetos Italiae iugum imposituros arbitramur, quando de Turcis triumphauerint. Non omnia quæ Turcæ occupant in Europa Venetorum erunt. Peloponnesus illis cedit, & fortasse Boetia atque Attica, & in Acarnania, & in Epiro pleraque loca, quæ mari coherent. In Macedonia Georgius Scanderbechius primas partes sibi vendicabit: in alijs Græciæ regionibus non deerunt Græci nobiles, qui Turca eiecto tyrannidem occupent, quibus necesse erit libertatem relinquere. Reliqua quæ vergunt in Danubium vt est Bulgaria, quæ olim inferior Mysia dicta est, & Rascia quæ superior, & Seruia, & Bosna, & ultra Danubiū, Valachia, quæ prisca Dariam vocauerunt in solo Sarmatico, siue, vt quidam volunt, Scythico, vsque ad Euxinum pontum, cuncta ad Hungaros peruenient, quorum aliquando fuere possessio. Nemo victis eliminatisq. Turcis plus locupletabitur, quàm Hungarus: qui multo potētior erit quàm Venetus, inter quos postea de Dalmatia forte bellum orietur: nunc autem inter eos aduersus communē hostem, quæ magis veretur societas est, & de lite Dalmatica silentiū; non est quod Italiæ tantopere timeamus: nec Romanorū exēpla vereri oportet. lōge distāt, à Romanis Venetorū mores. Multas licebit videre niues, priusquam Veneti Italiam frænent: at nisi Turcæ potenter resistimus, cito & Hungari cedent, & Venetis; nec mora fiet quin nostra quoq. libertas pereat. Occurrendum est præsentis periculo quod à Turcis imminet. De Venetis suo tempore cogitabitur si opus erit, nec deerunt valentia remedia. Prouident viros esse Florentinos ab ipsa pueritia didicimus, & res antequam fierent multo cernere, atque hoc est quod de imperio Veneto vaticinamini: verum simile monstri est, non videre propinqua

qua eos qui longinqua prospectant. Ardentibus ædificijs non A
 affertis aquam: crematuris olim consulere properatis. Aegrefertis in Græcia crescere Venetos, atque vt magis magisq. crescât operam datis: qui societatem belli declinantes, quæ vestra futura erant spolia, Veneto relinquitis: non est hoc sapere: consultius aget vestra respublica, si pro suis viribus classem instruēs nobis sese adiunxerit: Orientalisq. prædæ partem petierit, hoc pacto honesti & utilis rationem habebit. Quod si otiosius domi Florētinus remanserit, cum Papa in bellum ierit, & reliqua omnis Italia in arma proruerit, infame nomen vrbis erit; & Deus illi succensibit, nec ducturos in eam Venetos quispiam arguet aut opem vobis afferet. Iustum Dei iudicium illud experiemini, vt B
 qui Christianos in bello contra Turcas periclitantes relinqueritis in discrimine constituti & ipsi ab omnibus deseramini. Ea cū accepisset Otto; existimare se, inquit, Pontificem vera loqui, nec animum eius fore mutabilem. Victum se rationibus prope adamantinis: scripturum senatui Florentino quæcumque accepisset, nec dubitare quin tandē omnia fierent ex voluntate Pontificis, verum non sine labore ac mora: cum populo rem gerendā, cui nihil odiosius est, quàm aurū exponere; nec plura locutus abiit.

Pij Pontificis ad cardinales ardentissima oratio, multis argumentis bellum contra Turcas sumendum ostendens.

Pontifex sequenti die secretum consistorium aduocat, cardinalesque hoc modo alloquitur: Sextus agitur annus (viri fratres) postquam beati Petri cathedram ascendimus. Quis vestrū interea defensionem fidei non multis magnisque precibus nobis commendauit? quis non dixit bellum contra Turcam gerendū esse, & omnes Ecclesiæ thesauros effundendos? Vestro consilio suafuque Mantuam iuimus, Christianos vt ibi reges in belli societatem accersiremus: non successit ex sententia: non audierunt Christiani Pastoris vocem. Reuersi domum perturbata omnia reperimus: Ioannes Andegauicæ Rhenati filius nauigia, quæ cardinalis Auinionensis sacra pecunia contra Turcas in Rhodano comparauerat, sibi arripuerat, & iustructa classe aduersus Christianos in regnum Siciliae duxerat, atque Italiam, quæ pace gaudebat bello infestauerat. Misimus suppetias Ferdinando qui rex erat à nobis constitutus, ne de regni possessione sine iudicio eijceretur. Rem difficilē inchoauimus: regni Barones paucis demptis, omnes aduersus Ferdinandum rebellauerant. Magnū & memorabile Franciæ nomen haud parum in regno valebat. Accesserat Picininus Picinini filius, qui à rege Ferdinādo ad Frā

cos

Acos defecerat, & tanquam belli fulmen terrorem prouincialibus ingesserat. In agris Ecclesiæ familiæ nobiles aut aperte cum hostibus sentiebant, aut auxilia clam ministrabant, Vrsinis exceptis atque Comitibus, quos ære conduximus. Columnenses in Campania sæpe res nouas moliti sunt: Euersus Anguillariæ comes modo vnum, modo alterum furari oppidum aggressus est. Gentilis Salensis Vrbem ueterem occupare tentauit, & ficullam nobis eripuit. Rebellauerunt & nobiles in arce Canali munitissima, quam putabant inexpugnabilem. Quid Sigismundus Malatesta, quot nobis molestias intulit? Liberatus ab hoste cui prorsus erat impar beneficio nostro, pacemq. consecutus, Muldauū & alia oppida, quæ iure pignoris tenebamus, per fraudem dolosque nobis eripuit, ad hostes defecit, Gallorum stipendia meruit, copias nostras in Piceno profligauit: omnemque late agrum populatus est. Perusini nouarū cupidi rerum non tam nobis, quàm Picinino fauebant. Rheardini vix in officio mansere. Romana iuuentus crassari per vrbem: rapinas cædesq. facere, hostemq. accersire. Aduersus tot, tantaq. difficultates nec Veneti, nec Florentini, vt ex foedere tenebantur, auxilia præbuere. Dux Mutinæ Gallorū partes enixissime iuuit. Solus Frācisus Mediolanensium princeps Ferdinādo nobisq. auxilio fuit. Vidimus per id tempus vos ferme omnes metu trepidare, nec quisquam vestrum consilia nostra probabat: ruituram Ecclesiam arbitrabamini, nec poteratis de nobis non dura loqui, qui re Turcarum omissa, bellum Gallicum suscepissemus, Ferdinādiq. magis causam, quàm Christi defenderemus. Existimabatis ex animo nostro zelum fidei penitus decidisse, nec vllam nobis esse curam tuendæ religionis: falsa opinio fuit: male de nobis opinati estis: non uidebatis eor nostrum, neque introspicere mentem poteratis: nulli molestiores quàm nobis fuere Turcarum victoriæ: nullæ ab illis subactæ gentes: nullæ vrbes euersæ, nullæ Christianorum animæ raptæ sine singulari moerore nostro atque intensissimo dolore. Ardebat animus subuenire miseris: pudebat hostes crassari in agris fidelium, neq. inuenire resistentes. Sed quid ageremus? occupati domestico bello foris pugnare non poteramus: aut Roma cedere oportebat, aut Gallos vincere, qui spretis iussionibus nostris contra ius fasque Siciliae regnum inuaserant, vassallosq. nostros in circuitu contra nos armauerant. Necessaria sumpsimus arma, quæ defenderent, non quæ offenderent; pacare domū

opor.

oportuit, deinde Turcas bello petere. Huc mens nostra, huc cogitationes omnes intentæ fuerunt. Pro Christo pugnaui-
 mus cū Ferdinandum defendimus. Turcis bellū intulimus, cum Sigismūdi concussimus agros. Vidit ex alto pius atq. optimus Deus animum nostrum, nobisq. adfuit, & direxit consilia nostra. Misit de cælo angelum suum, atque hostes conterruit & contriuit. Factiosi tyranni omnibus exuti oppidis præter pauca prostrati ante pedes nostros veniam petiere. Tyburtini, qui & ipsi prope modum ad hostes defecere, arcis subire iugum coacti sunt. Columnenses humiliati summis precibus, vt eos ab inimicis protegeremus pro vetustate dignitateq. domus obtinuerunt. Euerfus pauidus tremensq. domi quiescit: Canalenses funditus deleti sunt: Gentilis quoque amisso patrimonio in exilium actus: Perusini dicto parentes effecti: Rheatini nulla imperata reculant. Iulius Camertinus, qui vnus fuerat ex conspiratoribus à Sigismundo citatis, domi contra naturam quiescens, oppidum Scorticatæ, quod non recto titulo inuaserat, trepidus reddidit. Quid de Sigismundo sit actum tenetis omnes, cum Senogalliam nobis eripuisset, inuasus ab exercitibus nostris, fugatus, profligatusq. est, vixque cum paucis euasit: Muldauium deinde vi captum, quamuis externo milite abunde munitum esset, & omnia Vicariatus oppida in potestatem recepta. Transuere copiæ in agrū Ariminensem, breuiq. Mundainum, Montemflorum, Verruchium, sanctū Archangelum, & circumiecta castella partim vi, partim deditio-
 ne nostri duces obtinere: mirabili prouidentia Dei, atq. misericordia, inexpugnabilia quæ putabantur loca, & quæ nec Picinini, nec Franciscus Sfortia præclari duces, quâuis tentassent, euincere nullo pacto valuerunt, breui tempore capta sunt. Itū est ad Fani moenia vrbs magna & potens, & in littore maris iacens, vnde sæpe auxilia suscepit, obsessa tandem manus dedit: recepta est & Senogallia, & Gradaria, quæ Franciscum Sfortiā in obsidione iacentem delusit. Nihil Sigismundo remansit præter Ariminum. & quædam in Apennini montibus niuosa loca, & in Hetruria Cisterna: magna Dei ultio; peste, fame, atq. bello conteritur, qui paulo ante superbus per contemptum atque irrisionem interceptis episcopi Cornetani ornamentis equitem ex suis quendam iusserat illa induere, atque obequitantem per castra quasi legatum summi Pontificis populo atque militi benedicere: sic sacrorum contemptoribus Deus retribuit. Dominicus
 Mala-

Malatesta cum Sigismundo fratri opem tulisset, nostrisque conatibus aduersaretur, magna parte agri multatus est; fuissetq. Casena reiectus, nisi resipiscens ad misericordiam nostram conuolasset. Hæc in agris Ecclesiæ gesta extra regnum. Referamus nunc breuiter quanto nos fauore misericors Deus in ipso regno profecutus est: transeamus Campaniæ recuperationem, cuius magna pars ad hostem defecerat, concordiam Vrsi Vrsini, res Calabrum, expugnationem Cosentiæ, reditū marchionis Crotoniatis, & sancti Seuerini familia: ad maiora veniamus. Quid Troiana victoria gloriosius, in qua omnes hostium vires in vnū coniunctæ infelix prælium commiserunt? Ioannes Andegauensis, cuius auspicio res gerebantur, & Picinini formidatus copiarum imperator, atque inuictus existimatus, primarijque duces turpem arripere fugam coacti sunt: Troia deinde in potestatem venit, & Ioannes Cossa regia liberalitate dimissus. Contra principem Tarentinum ductæ copiæ, Asculum illi eripuerunt: dux Melfiæ ad Ofantum regi se dedit, & paulo post princeps ipse relictis Francis, atq. abiurata Picinini societate suo regi reconciliatus est, cum quo procerum maxima caterua in gratiam redijt. Neapoleo nostri ductor exercitus ad compefcendam Sorani ducis temeritatem profectus, Insulā & Soram, & Arpinum, & alia pleraq. magni momenti castella illi eripuit, ac frænū imposuit, recuperauit & agrum Abbatiae sancti Germani, & Pontemcoruum olim Eugenio ab Alfonso ereptum; Antonio Spinello præcipuo Gallici nominis assertori tantum terroris incussit, vt subito morbo correptus obierit: nepotes eius in Arce Vilhelmi, quam inexpugnabilem putant, Ecclesiæ vexilla erexerint. Duxit & aduersus Rogerottum Celani comitē, qui Picinini armis adiutus, priuatā imperio matrē in carcerē coniecerat, huic breui tyrannidem ademit, atq. vt Ferdinandus decreuerat, comitatū nepoti nostro Antonio tradidit. Ex altera parte Alexander Sfortia ab Apulis per asperos montes in Aprutios duxit, coniunctusque Matthæo Capuano, & Roberto Vrsino in Caudolas Picinumq. contendit, qui apud Archas castra tenebant. Non fuit animus hostibus cum Alexandro manus conferere, mutatis castris ad munitiora montis loca migrauerunt, ac misso caduceatore pacem petentes post paucos dies compositis rebus suis Ferdinando se submittere: duxit & Alexander aduersus Aquilanos, qui omni spe auxiliij destituti, mox deditioem fecere; quamuis
 liberos

liberos & vxores commesturos se olim dixerant, priusquã Fran-
 cos relinquerent: vt sæpe maior oris quã animi ferocitas repe-
 ritur. Ferdinandus vastata Rossani principis agrorum magna
 parte in planiciem Sinuessanam ingredi conatus est, quæ mari
 flumine, ac montibus clausa difficillimos habet aditus: vicit
 omnia constans animus diuino fauore adiutus: munimẽta disie-
 cta sunt, & omne præsidium ad turrim, quam vocant Balnearũ
 locatum magna vi repulsum; obtenta est: planities & ager
 omnium ditissimus direptioni datus, atque vsque ad portas Sin-
 uessæ procursum. Consternatus tandem animo Rossani prin-
 cept, quamuis Andegauensis cum duabus equitum turmis auxi-
 lio aduenisset, pacem nihilominus petijt: multatusque nonnul-
 lis munitissimis locis in pristinam beneuolentiam receptus est:
 Ioanni libertas data est intra quindecim dies quocunq; vellet
 extra regnum abiret: is apud Enariam se recepit, ibique Ca-
 thelani fidem secutus, qui suum dominum prodidit egens moe-
 rensq; latitat. Hæc illi præmia sunt violatæ fidei, & Eccle-
 siasticæ classis in Christianos armatæ: sic Deus in suos hostes
 vlciscitur. Quis non hæc diuina opera recognoscat? Non sunt
 hæc nostra, viri fratres, Deus Deus est, qui talia orditur & textit.
 Maximum regnum quadringentis circiter millibus passuum pro-
 tensum, nusquam minus quã centum millibus latum, tot vr-
 bibus, tot munitis arcibus refertum: tot baronibus, tanta militia
 plenum cum vno anno concordie rebellione ad Francos defecif-
 set, paucissimis aut ciuitatibus, aut baronibus cum Ferdinando
 remanentibus, donatè altissimo cuius est regna de gente in gentẽ
 transferre, huc deniq; redactũ est, vt omnia Ferdinandi nomine
 teneantur, exceptis in Aprutijs Ortona, in Appulis Mafredonia,
 Bestia, Sancta feuera, & arce Lucerię, & Campibassi comitis par-
 uula regione: in Calabria Manthea: in Tyrrheno mari è regione
 Neapolis Castrum oui semidirutũ ab hostibus detinetur: & non
 procul à Bais arx Enarię, in qua diximus Ioannẽ latere: reliqua
 nostris & sociorũ armis euicta ad officium rediere. Quorsum hæc
 quæritis, tam longa narratio? Nempe vt intelligatis beneficia
 magni Dei, quibus & Romanam Ecclesiam, & vos nosq; cumu-
 lauit, vt cogitetis vnã nobiscum vicem rependere, atque habere
 gratias largitori. Peracta sunt duo grauissima bella Siculum
 ac Picense. Et quamuis reliquię in regno nonnullæ remaserint,
 satis est quod nostris cogitationibus impedimento esse non pos-
 sunt:

A sunt: ipse per se Ferdinandus minuta hæc quæ restant euellere
 offendicula sufficit: nobis iam liberum est aduersus Turcas ar-
 ma capessere: non possumus amplius, nec volumus differre: nũc
 desiderium nostrũ implere licet: nunc pro fide pugnare fas est,
 quod semper optauimus. Nouit Deus cogitationes nostras, hisq;
 viam iam tandem expeditam reddidit. Rogastis nos sapius, vt
 hoc ipsum ageremus: nunc vos rogabimus: caute ne quod in no-
 bis reprehendistis; in vobis increpare possimus. Nunc vestra fi-
 des, vestra religio, vestra deuotio, in lucem veniet: si vera erit, nõ
 ficta charitas vestra, nos sequemini: exemplum dabimus vobis,
 B vt quemadmodum nos ipsi facturi sumus, ita & vos faciatis.
 Nos autem magistrum, & dominum nostrum Iesum Christum
 piũ & sanctum pastorem imitabimur, qui pro suis ouibus ani-
 mam ponere nõ dubitauit: ponemus & nos vitam nostram pro
 grege nostro, quando aliter Christianæ religioni, ne Turcarum
 viribus conculcetur, subuenire non possumus. Armabimus clas-
 sem quantam pro facultatibus Ecclesiæ instruere poterimus: a-
 scendemus nauem quamuis senes, morbisque conuassati: dabi-
 mus vela ventis, atque in Græciam, & Asiam nauigabimus.
 C Et quid ages (dicit quispiam) in bello? senex, sacerdos, mille
 morbis oppressus, & in præliũ ibis? quid togata valebit in pugna
 cohors? quid sacer ordo cardinalium præstabit in castris? vix
 tympana tubasque ferent, ne dicam bombardas hostium: in
 delitijs egere iuuentam, & tu senium macerabis armis? incon-
 sulte agis: melius domi cum cardinalibus, atque omni curia re-
 manebis: classem vero argento paratam forrique & assueto ma-
 lis milite instructam mittes in hostem; aut Hungaris aurum sug-
 geres, qui copias quamualidissimas in Turcas agant. Pulchre
 dictum & vtile, si adsit aurum, sed vnde id corrademus? Aera-
 rium nostrum diutino bello exhaustum est: nec proventus Eccle-
 siæ ij sunt, qui tantæ rei sufficiant, quãuis diuino munere alumi-
 nis uena reperta est, quæ magis ac magis diuinæ pietati nos ob-
 ligat, & ad tuendã religionẽ inuitat. Omnis pecuniarũ summa,
 quæ singulis annis ad Camerã nostrã peruenire potest, trecenta
 millia auri nummum haud quaquam ascendit: mediam partẽ
 custodes arcium, & præfecti prouinciarum, & belli duces, & au-
 lici nostri consumunt: neque his sumptibus carere Apostolatus
 potest: quis reliquum ad debellandos Turcas sufficere dixerit?
 D Intelligitis pro vestra prudentia longe maiori pecunia opus esse

vix decies centena millia in annum sufficiant Turcanico bello, A
 quod triennale, aut certe longius futurum in Mantua viri docti
 iudicauerunt. Audimus infufurrations vestras: si adeo difficile bel-
 lum censes, qua spe pergis non apparatis viribus quæ sufficiant?
 Istuc venimus: bellum necessarium cum Turcis imminet, nisi su-
 mimus arma, atque occurrimus hosti, actum de religione cen-
 semus: tales inter Turcas erimus, quales inter Christianos Iu-
 dæorum despectam cernimus gentem, nisi bellum sumimus infa-
 mes sumus. At bellum sine pecunia geri non potest: querere oc-
 currit hoc loco, vbi pecuniam perquiremus? à fidelibus Chri-
 stianis respondebitis: vrgemus amplius: quo pacto? quonam mo-
 do? omnes tentatæ viæ sunt, nulla voto respondit. Indiximus
 Mantuæ conuentum, quis inde fructus emerit? Missimus in pro-
 uincias legatos, sprete atque irrisi fuere. Imposuimus clero deci-
 mas, appellatum est pernicioso exemplo ad futurum conciliū.
 Iussimus indulgentias prædicari; aucupium id esse ad extorquē-
 das pecunias dixere, & inuentum curialis auaritiæ. Omnia quæ
 cumque agimus in partem deteriore populus accipit: ea con-
 ditio nostra est, quæ mensariorum perdita fide, nihil creditur no-
 bis; despectui sacerdotium est & nomen cleri: & si verum fateri
 volumus, nimius est curiæ nostræ vel luxus vel fastus: hinc o-
 diosi populo sumus, adeo vt nec vera dicentes audiamur. Quid
 agendum in tanta contumacia censeatis? An non quærenda via
 est, qua perditam fidem recuperemus? Vtique dicitis: Et quæ via
 huc nos ducet? nulla certe nostris temporibus vfitata: ad insueta
 iam pridē itinera transeundum: querendū est quibus artibus ma-
 iores nostri hoc nobis imperium Ecclesiæ latissimum pepererūt,
 atque illis vtendum. Principatus enim facile his modis retine-
 tur, quibus ab initio partus est: Abstinentia, castitas, innocentia,
 zelus fidei, religionis feruor, contemptus mortis, martyriūq. cu-
 pido Romanam Ecclesiam toti orbi præfecerunt: primi Petrus, D
 & Paulus in clyto martyrio dicauerunt: secuti deinde Pontifices
 alter post alterum longa serie ad Gentilium tribunalia rapti,
 dum falsos deos accusant, Christumque verum & singularem
 Deum manifesta voce fatentur, exquisitis supplicijs mortem o-
 bierunt; eoq. pacto nouellæ plantationi consuluerunt. Creditete
 discipuli magistros vera locutos, qui sua doctrina mortem fir-
 massent, nec ullis potuerint ab ea tormentis auelli: veri & pro-
 bati pastores, qui pro gregibus suis animam posuerunt, magi-
 strum

strum & Dominum imitati Iesum æternum & optimum Pasto-
 rem, qui pro suis ouibus in ara Crucis occisus humanum genus
 pio Patri reconciliauit: conuersis deinde ad Christum Roma-
 nis, apertis ecclesijs, & Euangelio passim disseminato, cessauere
 martyria, & sancti confessores introiere, qui doctrinæ lumine,
 sanctiorisque vitæ fulgore non minus Christianis plebibus pro-
 fuerunt, quàm martyres, vitijs hominum fræna ponentes, quæ
 solēt in pace latius euagari: ab his, & ab illis Ecclesia nostra ma-
 gna effecta est. Seruari nō potest, nisi prædecessores nostros imi-
 temur, qui regnum Ecclesiæ condidere: nec satis est confessores
 esse, prædicare populis, fulminare vitia, virtutes in cælum tol-
 lere: ad priores illos accedendum est, qui pro testamento Do-
 mini sua corpora tradiderunt. Nihil est quod pro salute gre-
 gis nobis commissi perpeti non debeamus, etiam si anima
 ponenda sit. Turcæ modo istam, modo illam Christiano-
 rum prouinciam vastant: Bosna hoc anno capta est, & rex
 gentis obtruncatus: trepidant Hungari, trepidant vicini om-
 nes: Quid agemus? armatas illis copias mittemus obuiam? non
 est aurum vnde parentur: quid ergo? reges hortabimur illis
 occurrant, atque hostes é nostris finibus propulsent? at hoc
 frustra tentatum est: non belle dicitur, ite: fortasse melius au-
 dient, venite: hoc tentare libet: stat sententia in bellum con-
 tra Turcas pergere, Christianosque principes vt nos sequan-
 tur facto simul & uerbis inuitare: fortasse cum viderint ma-
 gistrum & patrem suum Romanum Pontificem Iesu Christi
 Vicarium, senem, & ægotum in bella vadentem, pude-
 bit eos manere domi: arma capient, defensionemque sa-
 cræ religionis fortibus animis amplectentur. Hæc nisi uia
 Christianos in bellum excitat, nescimus aliam: hanc ingre-
 di placet. Scimus rem senio nostro pergrauem esse, nos-
 que ad certam quodammodo mortem profecturos; neque
 hanc recusamus: cuncta Deo committimus: fiat voluntas
 eius: moriendum nobis aliquando est, neque interest quo in
 loco; dum bene moriamur. Beati qui moriuntur in obse-
 quio Domini. Mors bona malam vitam redimit. Nobis-
 cum bene actum putabimus, si Deo placuerit in eius serui-
 tio nostros finire dies. Vos qui tantopere nos adhortati es-
 tis in Turcas bellum mouere, domi in otio remanere non
 decet: oportet membra suo coaptari capiti, & illud sequi
 R R quo-

quocumque ierit. Quod agimus necessitatis est: promissa est profectio nostra Philippo Burgundiæ duci; votum is vouerat profecturum se contra Turcas in bellum, si aut Imperator, aut rex Franciæ, aut alius princeps, quem se sequi non dedeceret, idem agere proponeret. Intelligebamus quanti momenti esset profectio Philippi, quem magna pars occidentis sequitur. Cupiebamus hunc iter incipere, atque (vt aiunt) glaciem perfringere primum, haud dubitantes, quin eum maxima nobilium ac procerum multitudo sectaretur. Verum neque Imperator, neque rex Franciæ, neque princeps alius eo superior in Turcas arma proferre animum apposuit: solutum se voto Philippus existimabat, cuius non esset impleta conditio: venit in mentem excusationem hanc ei subripere, vocatisq. sex cardinalibus, quorum fides ac taciturnitas spectata nobis erat, anno ab hinc fere secundo, propositum nostrum aperuimus. Obstupere ad primum sermonem cardinales rem maximam, & superioribus inauditam temporibus probare non poterant; at postquam sæpe consultatum est, & hinc pericula fidei, inde Romanæ Ecclesiæ detrimeta æquis lancibus ponderata sunt, in sententiam nostram omnes concessere. Scripsimus itaque senatui Veneto propositum nostrum indicto silentio, eiusq. principis consilium, & auxilium postulauimus. Placere Venetis meditata nostra, atque auxilium promiserunt; summaq. fide silentium seruauere. Episcopum deinde Ferrariensem ad Ludouicum regem Franciæ misimus, qui veluti somnia dicta nostra contempsit: ratus idcirco talia nos effinxisse, vt eius animum à rebus Italicis auerteremus, quâuis maiora eius fuere somnia, qui se vno anno victurum Angliam atq. Hispanicas contiones pacaturum iactauit: deinde per Italiam domitis Genuensibus, subactoque Sicilia regno facile in Græciam traiecturum, omnes barbaras nationes edomiturum. Deferuit Ferrariensis regem, & ad Philippum (vt erat iussus) rectam se contulit; ad quem cum venisset lectulo cubantem: atque inter cetera dixisset, necessarium ei esse contra Turcas arma sumere, votoq. satisfacere: nam & nos ipsi in eam expeditionem profecturi essemus, qui regis & sacerdotis locum teneremus. Probe ades, inquit, episcope, nam hoc mihi nuntio sanitatem affers: faciam quæ iubet Pontifex, euntem sequar, breui ad eum legatos de tota re transigenda missurus. Ecce adfunt legati, audiuitis eorum postulata, defensionem fidei nobis

A nobis surdent, atque in Turcas bellum: promissa Ferrariensis exigunt: venturum principem dicunt, si nos pergimus, sin minus domi mansurum: Quid aimus? promissa duci & Venetis profectio sine dedecore, summaque turpitudine negari non potest: non est integra res, ire oportet. Periculosum iter ingredimur, non negamus, nobis scilicet, qui senes & valetudinarij sumus: ceteris non item quando spes magna victoriæ consequenda oblata est: neque enim soli in hostem pergimus: Venetorum valida classis & maris domina nos comitabitur. Aderunt & alij potentatus Italiæ dux Burgundiæ occidentem attrahet secum. B A septentrione vrgebit Hungarus & Sarmata: rebellabunt per Græciam Christiani, atque in castra nostra procurrent. Albani Serui, Epirotæ libertatis tempus aduenisse gaudebunt, & partes nostras adiuuabunt: nec deerunt in Asia motus Caramanni, & Iansæ, & aliorum qui Ottomannos oderunt. Adsit tantum diuinus fauor, ad victoriã cetera succurrunt: nec nos pugnaturi pergimus corpore debiles, & sacerdotio fungentes, cuius non est proprium versare ferrum. Moysem illum sanctum patrem imitabimur, qui pugnante aduersus Amalechitas Israele, orabat in monte: stabimus in alta puppe, aut in aliquo montis supercilio C habentesq. ante oculos diuinam Eucharistiam, idest Dominum nostrum Iesum Christum, ab eo salutem & victoriam pugnantibus nostris militibus implorabimus: Cor contritum & humiliatum non despiciet Dominus. Eritis & uos nobiscum: exceptis senibus, quibus vt remaneant ignoscimus: orabitique pariter, & operibus bonis Christiano populo diuinitatem reddetis propitiam. Cogitatis dum ista dicimus, quod erit interea Romanæ regimen Ecclesiæ: recusabunt Ultramontani ultra mare te sequi, nec in absentia tua satis tutum erit Ecclesiæ patrimonium. Istuc pergimus: omnia prouisa sunt: Audite, Romanam curiam, & omnia eius officia, & duos pariter legatos ex ordine vestro apud Vrbem relinquemus, alter spiritualibus negotijs prærit, temporalibus alter: inuenient omnes quod quærent non iniqua petentes. Maiores tantum causæ, & perdifficiles, & raræ ad nos deferentur. Vicarius noster iustitiam temperabit, beneficia conferet; viduatibus prouidebit ecclesijs, succurret egentibus; dispensabit: gratias largietur pro dignitate & personarum meritis. Alter subditis Ecclesiæ ius dicet, & hostem propulsabit, præsidio militum fulsus, quorum ductor erit Antonius nepos noster. Huic equitum

tria millia: peditum duo millia relinquemus, quorū pars apud Picenses manebit. Hoc pacto quantum humana possumus ratione prospicere, in tuto dimitemus omnia: sed nihil est in quo magis speremus, quam in Altissimi adiutorio: nisi enim Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Pro Deo nostro propriam sedem, & Romanam Ecclesiam relinquimus, & hanc canicem, atque hoc debile corpus suæ pietati deuouemus: non erit immemor nostri: si non dabit reditum, dabit in cælum aditum, & primam sedem, sponsamque suam indemnem conseruabit. Audistis propositi nostri seriem, vos nunc vicissim animi vestri sententias promite.

Cardinaliū
consensus de
bello contra
Turcas sus-
cendo.

Interloquendum sæpe illacrymatus est Pontifex, neque fletum cardinales continere potuerunt. Prior in collegio qui responsurus esset cardinalis Ostiensis fuit, Rothomagensis ecclesiæ pontifex, homo Gallicus, qui licet à re proposita alienus; iussus tamen sententiam dicere minime aduersari ausus est: naturam hominis rei peruicit honestas: Ego, inquit, & consilium tuum Pontifex laudo, & animū admiror, te sequar quocumque iusseris: & si mihi nihil nauigatione difficilius est: onus quodcumque imposueris feram. Cardinalis Portuensis natione Hispanus atque grandæuus, cadentibus vbertim lacrymis; nec singultus retinere valens: Hominem te, inquit, hætenus existimaui, Pontifex, nunc Angelum iudico, vicisti opinionem meam: Deus adsit tuis coeptis: ego lateri tuo semper comes adero, siue aqua, siue terra sit, iter habendum; nec te per flammam euntem deseram, quando recta in cælum vadis. Similia fere locuti sequentes ad Spoletanum vsque Pontificis propositum summis in cælum laudibus extulere. Spoletanus etsi vnus eorum cardinalium fuerat, cum quibus rem ab initio tractatam diximus, & in vtramque partem disceptationes audierat, intellexeratque obiecta in contrarium confutata fuisse; vt tamen plus aliquid quam ceteri scire videretur, propositum Pontificis, etsi magnum & dignum laude videri asseruit: ignorare se nihilominus ait an perfici posset, difficultatesque iam millies refutatas in medium adduxit, tanquam ea primum die de profectioe verbum audisset, sed non impune locutus est. Pontifex facile sæpe victum reuicit. Aliorum percontatus sententias nullum inuenit, qui non magnopere profectioem & laudauerit & suaserit; nec quisquam fuit qui non res simul & corpus obtu-

obtulerit, excepto Atrebarensi, vt post subiiciemus. Pontifex lætus assensione senatus silentium imperauit vsque ad constitutam diem.

Interea cardinalis Theanensis, & Federicus Vrbinas post diu-
tinam Fani obsidionem, in qua supraquam dici queat incōmoda pertulerunt, non solū ab hoste iaculis, ac tormentis mirū in-
modum lacerati, verum etiā inclementia cæli, & imbribus vexati; quibus castra tanquam stagna, & ingentes lacunę inundaue-
runt: oppugnare tandem vrbs mœnia decreuerunt cuniculis, & patentibus fossis, per quas miles à lateribus tutus incederet ad
muros vsque deductis. Sigismundus Malatesta per eos dies ex
Arimino Fanum venit, inspecturus an seruari oppidum posset, com-
meatu (quod pro tempore parare potuerat) nauibus importato. Is vrbe lustrata, & hostium robore atque operibus consideratis accersito Roberto filio, quem loco præfecerat: Ego, inquit, Ariminum necessario reuertor: tu quemadmodum cepisti, hanc urbem forti animo defendito: quod si vis hostiū superauerit, aut deditioem ipsi ciues tentauerint, caueto ne salua ciuitas ad Ecclesiam perueniat: aut ignem tectis iniucito, aut hostibus exponito prædæ; atque his dictis abiit. Vrbinas & Cardinalis cognitis quæ gerebantur in ciuitate, paratis machinis muros adoriuntur. Committitur acre certamen; vndique tela & saxa volant: scandunt Ecclesiastici muros iam magna ex parte bombardis eiectos. Reparauerant ciues interius ex materia terraque alteram molem, quam dum illi seruare nituntur, Ecclesiastici deiicere, multi mortales periere, multi ex vtraque parte vulnerati ex pugna recesserunt; fuisseque procul dubio capta moles, & vrbs direptioni exposita, nisi Ecclesiasticis missilia defecissent: quod vbi Federicus agnouit receptui cecinit. Intellexere Fanenses periculum in quo fuerant, nec ausi secundam expectare pugnam, in-
tempesta nocte legatos ad cardinalem misere, cum quo rebus compositis septimo calendas Octobris deditioem fecerunt: nec facultas fuit Roberto patris imperium exequi, qui paulo post arcem & ipse tradidit, paternamque sæuitiam veritis declinato Arimino Rauennam se contulit. Pius in mensa forte accumulabat cum cardinalis nuntio significatum est Fortunæ Fanum in potestatem suam integrum deuenisse. Erexit illico ad cælum manus, & optimo summoque Deo gratias egit, qui se tantis beneficijs cumularet: secumque tacitus, inquit: Nulla iam cau-

Fortunæ Fani, & Senogallie, & Gradariæ expugnatione.

fa est, quæ me domi retinere possit: vocat me Deus ad bellum A suum, atque iter aperit. Non est cur amplius differamus: capto Fano, paulo post & Senogallia in potestatem recepta est, & oppidum sancti Ioannis in Mariliano: & Gradara deditioem fecere. Et Anconitani quamuis inuiti Montemmartianum, quæ clam legato à Sigismundo coemerant, Ecclesiæ tradiderunt. Deinde cum omnibus copijs cardinalis in Montemferetranum traiecit.

Italorum omnium præter Florentinos consensus de auxilijs cõtra Turcas mittendis.

Italorum interea legationes acceptis à dominis suis responsis Pontificem adeunt, decretumque Mantuæ factum de decimis, vigesimis, ac trigesimis receptum esse affirmant: mittantur B exactores, nihil moræ futurum, quin Præfulis desiderio satisfiat: Ferdinãdus Siciliae rex ita respondit: & Franciscus Mediolanensium dux: & Borfius Mutinensis: & Ludouicus Marchio Mantuanus: & Bononienses, & Lucenses. Genuenses quamuis rogati nullum ad conuentum misere: nec Sabaudia dux, quamuis in Italia multum agri obtineat: nec marchio Montisferati. Florentini legato misso, nihil nisi verba dedere, habere se Constantinopoli negotiatores suos primarios ciues, vereri se ne bello contra Turcas implicantibus, sui ciues infortuniũ patiantur: vt sunt Barbarorum mores: statuisse magistratus triremes C ex maioribus tres, quas vocant galleatias, sub specie negationis Constantinopolim mittere, indeque suos ciues, atq. omnes eorũ fortunas abducere: quod ante natale Dominicum existimarent futurum: tum facile ciuitati suaderi bellũ posse, siue pecuniarias ad bellum contributiones: priusquam hoc fieret, frustra tentari populum; cui nihil difficilius, quàm sumptum suadeas. Senenses post diutinas consultationes, & frustra senatorum defatigata subsellia, tandem auri nummum tria millia trecentos in eã expeditionem sese collaturos dixere: Tantum illi & Iesu Christo domino Deo suo polliciti sunt, tantum Romano Pontifici cui suo blanditi: qui post acceptum Pontificatum in urbem Senensem supra quingenta millia aureorum transtulit. Contempsit Pontifex illos: neq. enim de Florẽtinis aliud iudiciũ fecerat. Correxerunt se tamen post aliquot dies Senenses, & pro tribus millibus decem millia collaturos scripserunt, suæ reipublicæ paupertatem excusantes: quæ licet opinioni Pontificis minime satisfacere, accepta sunt tanquam grata, vincẽte Pium patriæ charitate, cui vel erranti acquiescendum putauit.

Vene-

A Veneti, vt relatum est, apertum indixerant Turcis bellum. Aloysius Lauredanus classis præfectus ad Isthmum Peloponnesi ad nauigauerat, vasa quindecim millia calcis eo detulerat: elaborataque materiæ tantam vim, ex qua turres quinque multorum tabulatorum siue castella excitari possent. Duo hic maria Ionium & Aegeum ad sex millia passuum terram coercent: hoc spatium Examilium Græci uocant, quo clauso, vniuersa Peloponnesus à terrestribus copijs defensa est. Propter quod murũ à mari ad mare duxerunt veteres turribus & fossis egregie munitum, qui sepe ab hostibus deiectus, saepe ab incolis instauratus B est. Turcæ vltimo deuicta Constantinopoli Attica & Boetia subacta, murum destruxere; Peloponnesumque ferme omnem in suam potestatem redegere. Extabant adhuc fundamenta, & reliquæ veteris ædificij, cum Veneta classis appulit. Excitatus est repente murus Veneti studio in altitudinem, & crassitudinẽ pristinam. Turres erectæ supra centum quadraginta, & ab exteriori parte latior ac profundior fossa deducta: cumque Venetis interior quoque vis timenda videretur: neq. enim Græci omnes peninsulæ ad eos defecerant, Turcarumq. nõ parua manus munitiora infederat loca, alteram quoq. fossam interius effoderunt C egestamque terram in aggeris modum composuerunt, propugnaculis & armamentis desuper constitutis, seruato spatio inter murum & aggerem, in quo velut in arce custodes protegerentur, & machinæ omnis generis ad propulsandos hostes conseruarentur: tum portæ opportunis constitutę locis. Quattuor tantũ oppida in fide Turcarum mãsere, in quis præcipua fuit Corinthus, vrbs quondam celebris: tria millia eo confugisse Turcarum fama fuit. Veneti non presumpserunt munitissimũ oppidũ ac defensore plenum armis oppugnare: fame macerandos hostes putauerunt, curis omnibus atq. studijs ad muniendum Examilium D conuersis. Duces Turcarum, qui Atticam obtinebant, vbi mura ri Examilium didicerunt, coactis octo millibus equitum perturbaturi opera eo procurrerunt: sed cum iam opus absolutum inuenissent, retro abiire confusi, maioribus viribus opus esse censes. Interea & lemnos & complures insulæ Aegei maris, quas vocant Cyclades, abiecto Turcarum iugo ad Venetos defecere: quæ cum Pontifex didicisset, decretũ suæ profectionis promulgandum statuit: ad quam rem perficiendam multa consultanda cum cardinalibus fuerunt, in quis semper aduersum ac reniten-

Veneti Peloponnesi maximam partẽ occupant, Isthmumq. firmissimo atq. alto muro in credibili celeritate muniunt, & insulas plerasque recuperant.

R. R. 4 tem

tem Ioannes cardinalis Atrebas sese præbuit cum subalienato animo Pontifici esset, namque cum aliorum iudicio doctus, suo vero doctissimus Atrebas tibi videretur, vt qui litteras memoriæ multas mandasset, & profanas & sacras: & quicquid apud Latinos legitur percurrisset, selectisque philosophorum & poetarum dictis referisset memoriæ pænu, ac de quacumque re sermo incidisset, paratus esset aliquid dicere, & præcorum dicta doctorum in medium afferre: omnia hac de causa sibi licere existimabat. Cum itaque vacassent in Gallia aliquot mensibus ante duæ insignes ecclesiæ, altera metropolitana Vesuntiorum apud Burgundos, altera cathedralis Albiensis apud Francos in Aluernis, vtraque satis diues, Atrebas vtranque ambiuit, atque Pontificem adiens: Vesuntinam, inquit, ecclesiã, vnde mihi origo est, negare nõ potes, Albiensem petit rex Franciæ vt mihi commendes, iam pridem hoc regi promisisti, cui Pontifex: Nostram, inquit, consuetudinem nosti, Pontificales ecclesias nulli duas committimus, nisi sit altera ex titulis cardinalium; harum vnã delige, duas sperare noli. Quo audito Atrebas vehementer doluit, & quasi contumelia tactus commemorare suam in sedem Apostolicam beneficia, pragmaticæ sublationem sibi attribuere, & amicitiam regis Franciæ, quæ suo studio quæsitã fuisset. Mansit tamen in sententia Pontifex, quare indignatus Atrebas Pontifici quantum potuit semper deinceps restitit, & demum impetrata abeundi potestate, post decretum in Turcas promulgato in Franciam abiit.

Franciscus Inter hæc voluens animo Pontifex quantum & quàm periculosum esset bellũ, quod aduersum Turcas suscipere itauisset, & quantum rebus gerendis conduceret Francisci Mediolanensis auctoritas in eo militantis, longã ad eum epistolã misit, quæ inter alias eius inserta est. In ea conatus est homini suadere, vt secum in expeditionem iret, totius exercitus Apostolici dux futurus, æternã inde famam, & animæ salutem consecuturus: posteritatiq. suæ in principatu Mediolanensi consulturus. Sed frustra conatus est, delictis iam præsentibus deuinctus animus futuras contempsit: excusationesque procul quæsitã obtendit. Pius nihil minus in adiutorio confusus Altissimi, ad vndecimum calendas Nouembris, Pontificatus sui anno sexto, conuocato publico consistorio, quod admodũ frequens fuit, tanquã legatis Burgundis responsurus, Gregoriũ Lollium decretũ communi cardinalium

confi-

A consilio & assensu editum legere iussit; in quo & necessitatem belli contra Turcas gerendi, & profectiois suæ, & sperandę victoriæ causas, & præmia bellatorum, & impediendum vltiones late differuit. Auditum est summa attentione decretum, quamuis vix duabus horis recitari potuerit. Ipsa dulcedo sermonis, rei que nouitas, & promptitudo Pontificis animam suã pro suis ouibus offerentis multis astantibus excussit lacrymas: Burgundi in gentes gratias egere Pontifici, domino suo tam gratũ, tamq. magnificum relaturi responsum. At Romani cogita Pontificis deliberatione, prope in desperationem adducti sunt, tanquã Romanam curiam, & quæ inde proueniunt emolumenta profusus amissuri. Quod vbi Potifex animaduertit: Bono inquit esto te animo, filij Romani, quos velut animam nostram diligimus: Profecturi aduersus Turcas Apostolicam hic cameram relinquemus, & audientiam causarum, & cancellariam & pænitentiarum, & reliqua Romanæ curiæ munera, & duos legatos, alterum qui temporalibus præsit rebus, alterum qui spiritualia administret, & concurrentibus ad urbem vice nostra subueniat. Remanebunt & cardinales antiqui, quibus egritudo profectioem interdicit: nos quoque (auctore Domino) cito cum victoria reuertemur. Confidite Deus consolationis & pacis huic vrbis sanctorum Apostolorum martyrio consecratæ sua præsidia non denegabit. His dictis summa omnium alacritate dimissa contio est. Pontifex, qui acerrimo pedis dolore tenebatur, atq. ægre tamdiu poenam dissimulauerat, prope in cubiculum abcessit.

Diebus præcedentibus conuenerant legati Burgundi, ac Venetus cum Pontifice, atque in hunc modum foedus inierant. Bellum totis viribus contra Turcas in vnum duos, tresue annos (si sic res posceret) gesturos se promiserant, ea conditione adiecta, vt sine socijs nulli liceret à bello discedere: Addideratq. Pontifex veniente Philippo duce ad Italicas oras, & in Græciã profecturo se simul iturum: legati quibus esset ampla potestas his vinculis suos dominos obligauere simile foedus & Matthias rex Hungariæ cum Venetis pepigit.

Picininus qui leges pacis ab Alexandro dictas aliquandiu recusauerat, nec retinere mendacijs militem posset, vltro in concordiam venit; Sulmonem urbem, & aliquot in Aprutijs oppida consecutus, & in annum stipendij nomine auri nonaginta

millia

Fœdus inter Pontificem, Venetos, ac Burgundum contra Turcas.

Picini tandem concordia cum rege.

millia nummum, quorū Pontifex pacandi regni cupidus, quindecim millia dissoluit: multum enim ad victoriam pertinebat, quarum partium Picinus esset.

Sigismundus Malatesta animo fractus, a Pontifice tandem supplicem pacem impetrat.

Sigismundus Malatesta in Arimino clausus, castella iam pauca possidens, animo fractus, legatos ad Pontificē mittens: Pacē, inquit, victus peto, quas leges dederis subiturus: victoris honor est victo parcere. Confiteor, peccavi in te grauius: verum neque leues dedi poenas: seruatus deinceps cauebo Ecclesiam lædere. Pontifex exhiberi mandata iussit: quæ postquam iureconsulti probauerunt, in hunc modum Sigismundo pacem dedit. Procuratores eius in basilica sancti Petri die festo dum res diuina geritur, errores super quibus accusatus est manifestam hæresim sapientes ab eo prædicatos, atque assertos fuisse testentur, illosque suo nomine reuocent & abiurent; eos præsertim, qui mortuorū resurrectionem inficiantur, & animas hominum immortales: idem Sigismundus per sese agat in Arimino. Pro crimine maiestatis, atque hæresis omni se priuatum imperio, ceterisque fortunæ bonis intelligat: Ariminum ex benignitate Apostolica correctus de nouo nomine Vicariatus accipiat, censumque pendat quot annis mille aureos, oppidis & arcibus reliquis, munitionibusque quocumque in loco sita fuerint, nihil moratus cedat. Ecclesia quam læsit pro damnis cuncta recipiat. Federicus Urbinas quæ sua fuerunt recuperet: his peractis pax esto. Tum quoque apud Ariminū pars agri propinqua, & vrbi necessaria & immunita, reconciliato Sigismundo dono dabitur. Procuratores dictam pacem acceptauerunt, quibus perdendæ ciuitatis Ariminensis magnus inceserat metus. Et die Dominica, quæ proxima fuit, in Apostolorum basilica frequente ad rem diuinam populo multis astantibus episcopis apud aram diuæ Mariæ, alta & intelligibili voce Sigismundi hæresim publice confessi, iuxta facultatem traditæ potestatis abiurarunt. Sigismundus autem oppidorum, & arcium, vt erat iussus, cardinali Theanensi possessionem ad præstitutam diem tradidit: inter quæ nobile oppidum Cisterne in Tuscia Tifernatibus imminens ad Ecclesiam peruenit non sine Florentinorum molestia, qui eo loco potiri multis artibus adnixi fuerant. Perfecta est consignatio locorum per Sigismundum pridie calendas Nouembris: sequenti die cardinalis pacem ei reddidit, & agrum præscripsit, quem posset Ariminensem dicere, & sibi possidendum habere: in arctum coarctata potestas eius

A eius est: tumbe (vt appellant) quædam ei dimissæ sunt, idest palatia paucis habitata colonis: munita & frequentia loca cuncta perdidit. Post hæc Sinuessanus episcopus ex imperio cardinalis Ariminum concessit anathema sublaturus, cui vniuersus populus & ipse Sigismundus occurrit, erratorum veniam petens. Ipse ad Ecclesiam profectus quantum errasset & tyrannus & populus palam ostendit, qui mandata Ecclesiæ contempsissent: iussitque triduo cessare diuina officia: atque in ieiunijs esse populū, vt mereretur absolutionē accipere. Post triduum congregato in Ecclesia populo Sigismundus flexis genibus coram episcopo, & abra maiori errores suos confessus est, & veniam petijt, atque in verba Pij iurauit: idemque populus fecit, promittentes deinceps mandata & censuras Ecclesiæ omni tempore seruatuos. Episcopus vero hoc facto, pænitentes absoluit, ciuitatique benedixit: Sacerdotibus, qui stante interdicto diuina profanauerāt officia, pro facinoris qualitate suspensis. Atque is tandem belli Picensis & Malatestarum rebellionis, ac insolentiæ finis fuit, pro sedis Apostolicæ mansuetudine haud seuerus, pro scelerum magnitudine mitissimus. Feliciter hæc Pio cessere: nec minus illud quod circa idem tempus de Maguntina Ecclesia gestum est.

C Miserat Pius (vt ante diximus) episcopū Tricaricensem in Germaniam ad res eius Ecclesiæ componendas. Interea seu fractus animo Dyetherus longis bellorum calamitatibus afflictus, siue diuinitus ab iniquo proposito retractus, misereri Ecclesiæ cœpit, cuius esset filius, & quam diutius afflictaffet, haud ignarus Palatinum comitem nil aliud belligerando quærere, quam Maguntinæ sedis neruos omnes elidere, ac dignitatē prorsus extinguere, quæ suum videretur splendorem obnubilare: clam igitur eo per internuntios Adolphi conuentum quæsiuit, quoniam pacem ei reddere statuisset. Conuenere ambo cum amicis, bellique socijs, D excepto Palatino, apud Frankfordiam, quæ ciuitas Mugano adiacet, frequentibus nundinis, & Imperatoris electione insignis. Hic enim vacante Imperio Germani electores conueniunt, & in prætorio clausi Imperatorem eligunt, quamuis non ante Imperatorem appellant, quàm Romæ coronetur. In Aquisgrani suscepto diademate Romanum regem vocitant, prius Electum. Templum hic diuino dicata numini magnificentissima sunt, & domus ciuiū egregiæ quamuis maior pars ex materia constat. Teguntur omnes tenuissimo lapide plumbei coloris, quem nostri

Dyetherus Adolfo Maguntino præfuli Palatino inconsulto credit secundū Pontificis decretū, & Frankfordiæ laudes.

abbacum vocant. minutis frustis ita contextis, vt squamas piscium imitari videantur, & lucente sole mirum splendorem exhibeant. Muganus ex montibus Bohemiæ proximis effusus in occidentem vergit, Herbipolim & alias plerasque Franconiæ ciuitates percurrens, apud Frankfordiam ponte iungitur lapideo, quattuordecim fornicū vno interrupto vltioris oppidi metu, quem pacis tempore trabibus neclunt: ferax amnis piscium, & anguillarum maxime: è regione Maguntie Rhenum influit: nulla non die trecentorum hominum capax nauis, altera Frankfordiam petit ex Maguntia: altera ex Frankfordia Maguntiam traientibus equis: tanta est vehendarum necessitas mercium. Hoc in loco Adolfus, Dyetherusq. conuenientes, accersito Petro Ferrici Apostolico nuncio, cuius auctoritate res gereretur, de concordia tractauerunt. Conuenitque tandem inter eos, vt Dyetherus iure quod in Ecclesia Maguntina sibi competere asseruerat prorsus dimisso, Adolfum tanquam dominum suum & archiepiscopum à Romano Pontifice institutum veneraretur. Nec mora in coetu virorum illustrium, qui frequentes aderant, gladium insigne principum, quod electores ante se ferri iubent, deposuit, & humiliatus flexo genu ab Apostolico nuncio veniam petens absolutus est, & tanquam priuatus pratorium exijt, moxq. Asciasburgium, & alia quæ tenebat oppida, munitissimaque arces Adolfo restituit, retentis aliquibus ex conuento quoad viueret, ne ad inopiam vergeret, dissipato diutinis bellis patrimonio. Par fere istius & Sigismundi fortuna, vterque contra sedem Apostolicam nixus exauctoratus est. Quantum Pio diuina pietas faueret ambo sensere, quamuis misericordiam magis quam seueritatem experti. Germani archipresulem Maguntinū quasi alterum Deum existimant: neque in eum Romani Pontificis auctoritatem extendi censent, atque idcirco cū deposuisset Pius Dyetherum, irridebant tamquam rem aggressus esset effectu carituram: nec in collegio deerant cardinales idem sentientes, nimiamq. Pontificis audaciā clam insimulantes. Vicit constantia vanas opiniones, eosque delirare constitit, qui delirasse Præsulem putauerunt: Adolfus secundus est, qui ex familia Nassauorum, iubente Romano Pontifice, Maguntinum archiepiscopum è folio deiecit, & in eius locum sublimatus eam cathedram cum dignitate retinuit. Pio hinc nomen ingens ortum, & ad res contra Turcas gerendas liberior datus animus.

Resta-

A Restabat princeps Tarentinus in regno Siciliae, qui profectio nem Pontificis in Turcas perturbaturus videbatur, noua incendia aduersus Ferdinandum excitaturus: cui etsi anno superiore post victoriam Troianam reconciliatus fuerat, memor tamen perfidiæ suæ bellum sibi salubrius quàm pacem arbitrabatur. Simulare igitur cum Ferdinando beneuolentiam, eamq. palam ostentare: clam vero Ioanni Andegauensi suppetias promittere, hortari ne regnum relinqueret; si nequeat tutam alibi mansionem habere, munitiones suas offerre, oppidanos Sactæse ueræ bono animo esse iubere, cauerent ne Ferdinando sese redderent: polliceri auxilia, & in milites externos pecunias ministrare, & iam duas ac viginti equitum turmas ad res nouandas in superiorem Apuliam expeditas ducere. Compertæ sunt eius epistolæ eadem die scriptæ; altera ad Ferdinandum missa præcipuam quandam charitatem præseferbat: altera Ioanni directæ, ne animo deficeret hortabatur, & auxilia vltro offerebat. Quibus cognitis maturandū in Apuliam Ferdinandus cen-suit, & iam Luceria Sarracenorū eiecto Gallico præsidio ad eū defecerat. Delectis igitur ex omni exercitu quattuor & viginti equitum turmis, prope in Apuliam traiecit, nec Sanctamseueram egregie defensam aggredi ausus: Manfredoniam petijt, quæ mox deditioe ciuium in eius potestatem deuenit, quamquam direptionem euadere non potuit: præfectus arcis Gallicam triremem ad se nauigantem cōspicatus, & noui auxilij spe deceptus eruptionem facere præsumpsit, cui dum Ferdinandi cohortes resistunt, & miles è castris ad tumultum excitatus occurrit, ciuitatis rapina prohiberi non potuit. Præfectus in arcē repulsus non sine damno profugit, triremisque ipsa Gallica intercepta est, de sensoribus in terra deprehensis. Completa est nouis militibus capta triemis, & aduersus alteram, quæ non procul aberat, tamquam amica nauigare iussa, illam quoque fraudis ignaram comprehendit. Quod postquam principi Tarentino nunciatum est, subitus illum inuasit mœror & stomachi dolor, vehemens metus exagitabat hominem: erat enim pusilli animi, superbus & tumens in secundis rebus, pavidus & fractus in aduersis. Crescebat in dies morbus, neque medici spem vllam salutis promittebant. Retto igitur ad propria reuerti statuit iam ferme dies duodecim aduersus ægritudinem contendens, vehabatur clausa lectica ad oppidum, cui Altamura nomen

Tarentini principis obitus, totiusque sui principatus ad Ferdinandum regē defectio, & duodecimi atque vltimi libri absolutio.

men est, quem cum deponere vellent, decimo septimo calendis A
 Decembris extinctū sine testamēto inuenerunt; neq. confessione
 Deo reconciliatū, neq. sacramentis Ecclesiasticis ex more Chri-
 stiano munitū: qualis vita præcessit, talem consecutus est exitū.
 Sine religione vixit, sine religione decessit. Oppidani nihil eius
 morte felicius audierunt: mira res: nulla ciuitas eius indoluit mor-
 tē, publicum vbi que gaudiū, publicā conuiuia, & commessatio-
 nes, communisq. lætitia, vt assolet in auari diuitis obitu; quem
 nihil recte facere vulgo dicunt, nisi cum moritur. Auarissimus
 enim fuerat Ioannes Antonius, adeoque lucris intentus, vt sibi
 soli mercaturas sui principatus reseruauerit, à subditis emit quā
 ti voluit pretij quæcumque venalia fuerunt: ea que vendidit ne-
 gotiatoribus externis: creditoribus raro satisfecit: Iudæos, quos
 posset expilare facilius, complures in ditione sua sustinuit: cum
 Turcis commercia habuit: tenui victu contentam esse familiā
 voluit: luminaribus nullis utebatur: nisi candelarum ex adipe,
 hisque perparce. Itaq. mors eius visa est subditorum vita & re-
 surrectio. Ferdinandus accepto mortis eius nuntio, relictis apud
 Manfredoniam paucis, qui arcem expugnarent, cum omni equi-
 ratu celeri cursu Altammuram contendit: vbi singulari omniū
 lætitia exceptus est. Ingens rerum mutatio: infra dies ferme o. C
 to legati ciuitatum, & oppidorum omnium: quæ in potestate
 principis fuerant supra trecenta percipide sese regi dediderunt:
 principis quoque coniunx & Iulius gener, & duces exercitus ni-
 hil morati imperata regis fecere: atque in eius verba iurauerunt.
 Ingens gaza reperta, nihil regem latuit. Conseruatq. in multos
 annos opes, & nimium custoditi thesauri subito in lucem vene-
 re. Relatum est supra decies centena millia auri nummum va-
 luiffe que in thesauris, horreis, ac pecoribus principis inuenta
 sunt, & sine diminutione in regis manus peruenere. Secundum
 hanc felicitatē, & arx Manfredonia obtenta est, & vrbs Vesta. D
 Seuerinenses apud legatum Apostolicum de reconciliatione
 sua tractare cœperunt, cum se omni spe destitutos intellige-
 rent. Lucretia Alfonsi quondam amasia Ferdinandi faciem ve-
 rita cum filio Ioannis Costa in Dalmatiam fugit, ibique fertur
 delitescere. In regno cuncta Ferdinando parent, præter Sanctā-
 feucrā, nisi in hanc diē se dederit, & arcē Lucerie, & castella pau-
 ca Basi comitis in Apulia, & Ortonā in Aprutijs, & Manteam
 in Calabria, & in Tyrrheno mari Enariā insulā, in qua Ioannes
 Ande-

A Andegauensis latitat, & arcem, quam vocant Ovi Neapoli pro-
 ximam bombardis propemodū dirutam: reliqua iussa faciunt,
 nec iam dubium esse videtur quin pace regnum fruatur, Pioq.
 Pontifici ad expeditionem in Turcas obeundam nulla deinceps
 impedimenta, & multa possint adiumenta prouenire, quibus ip-
 se confusus ad eam rem se accingit, & omnium bellorum maxi-
 mo præparat; cuius coeptis, vt adsit diuina pietas rogamus.

Hæc habuimus, quæ ad annum sextum Pontificatus sui
 nondum exactum de rebus eius scriberemus, in li-
 bros digestis duodecim, quorum vltimus pri-
 die calendis Ianuarias finem accepit,
 anno ab incarnato Verbo Mil-
 lesimo quadringentesi-
 mo sexagesimo
 tertio.

¶

*Commentariorum Pij secundi Pontificis maxim.
 libri duodecimi & vltimi finis.*

ALIQUA
COGNITV DIGNISSIMA
AD HVIVS OPERIS
INTELLIGENTIAM.

Genuesibus pro Pontifice Pio.



ACCEPIMVS litteras vestras, & vidimus quæ dilecto filio Fabiano oratori nostro publice respondistis. Laudamus devotionem omnium vestrum, qui verba salutis audire non neglexistis, & personam patris in personam nuntij honorastis. Fecistis quod catholicos decuit, & quod facturos vos semper credidimus: litteræ ipsæ bonam mentem vestram declarant: testimonium Fabiani exploratam spem præbet operis boni: aliter de ea ciuitate credi non potest, quæ Dei est cultrix, & ad protectionem fidei opportunitatē præcipuam habet. Erunt hæc omnia ad gloriam vestram, & animarum perpetuam salutem: Deo sic placeat, cuius causa nunc agitur. Dicitis cōtentari vos, si hæc felix sanctaq. cruciata effectualiter fiat, velle ex vobis arma octo vsque in decem naues. Tempus hic nullum vel abducendæ, vel continuandę classis præfigitis: de numero nauium & continuatione audietis oratorem nostrum; habet à nobis quid vtile hac in re censeamus: tempus vero educendæ classis ipsi dicemus. Intellexistis in litteris istic publicatis ad Nonas Iunias Anconam nos profecturos, vt inde nauigemus in expeditionem hanc sanctam. Hæc publica vox omnibus satis esse deberet, qui ad obsequium Domini deuotis animis tendūt. Sed si terminus hic certus alicui forsan non est, & cogitatis impedimento aliquo interim teneri nos posse, quominus diem præscriptam seruemus, propterea que conditionem hanc addistis, si hæc felix sanctaque cruciata effectualiter fiat; significamus sufficere vobis, vt adueniente duce Burgundiæ, qui ex Massilia per mare vestrum Ostiam ibit, eodem tempore vos quoque soluatis, & classi suæ vestram iungatis, ad nos inde postmodum ad condictum locum venturi. Hoc pacto effectualiter

ter

643

Ater fieri cruciata tam videbitis; & latere vos dies non poterit. Sic quæsumus (dilectissimi filij) agatis, & Deum adhibeatis in consilijs vestris inspectorem verum cordium hominum. In iisdem litteris additis dicimus non indignum fore, vt quas condiciones ciuitas hæc vestra in huiusmodi bello ac victoria sit habitura non ignoret, tam pro his locis nostris nostrorumque, quæ à Turcis sunt occupata, si recuperari ea continget, quàm iuribus alijs, quæ ad nos & nostros pertinere videntur: ad quod gratissimum esset nobis lucidius responderi. Respondemus ad omnia vobis vt pater & Pontifex, cui commissa est salus animarum vestrarum. Primum cum Christiani sitis, & Deo omnia debeatis, iniuriarumque suarum testes saepe fueritis: posset esse satis vobis proposita spes vitæ æternæ & merces cælestis, vt immaculatū sacrificiū videremini Deo offerre. Hoc tamen esse vestrum propositū credimus, & hæc mente audiuisse vos monita nostra confidimus. Verū si adhuc ultra requiritis: intēdimus quæ à Turcis sunt occupata, & vestrorum superunt, aut vestra, pro viribus niti vt ad manus vestras reueniant. Hoc honestum nobis videtur, & nostris fauoribus dignum: atque ita nos iuxta possibilitatem nostram facturos recipimus. Iura quoque vestra & vestrorum in omnibus commendata habebimus, cooperantes enim nobiscum pie & fideliter, expectare à nobis paternam retributionem debetis. Ij sumus, qui retribuere pro benefactis semper optamus. Præcipuum quoque in perficienda classe esse asseritis, vt quicquid virtute bullarum nostrarum per indulgentiā aut aliter in dominio Genuesi colligi poterit, in apparatus huiusmodi cedat. Compatimur angustijs vestris, quibus per hos annos estis afflictī, nec supra vires vestras aliquid petimus. A diuare vos volumus in eo quod possumus, vt in eo quod potestis adiuuemur à vobis. Habet in hac re mandata à nobis noster orator, ipsum audite, recta via euntibus ministrabit quod poterit, atque vt plurimum possit nitetur affidue. Audiuisse vos credimus, quæ ex Pelopōneso his diebus sunt nuntiata, & nescimus an animis estis commoti. Non turbetur, filij, cor vestrum, nec propterea segnius ad opportuna incumbite. Vna calamitas deijcere mentes nostras non debet: non ita sancta hæc causa, nec ita nomen Italum poscit. Malis cedendū non est, sed duce signo viuificæ Crucis audentius contra eundū. Misericors Deus victoriæ viam aperiet, pias defensiones aliquādo videtur differre, non quia sit verbi sui oblitus, in quo nobis

SS 2 spem

spem præbet; sed ut tentet constantiam nostrā, & uideat quā stabilia sunt fundamenta cogitationum nostrarum. Perseuerantibus præsto est misericordia eius uictorem faciens, qui putabatur antea uictus. In nobis ipsis experti aliquando hæc sumus: suscepimus pro iustitia defensionem regni Neapolitani: bellum gessimus cum Sigismundo Malatesta propter hæresim, de qua erat damnatus. Deposuimus archipræfulē Maguntinum electorem Imperij, propter rebellionem aduersus hanc sedem, atq. alium eius loco præfecimus. Eæ omnes causæ iuste sunt iudicatæ, in earū tamen exordijs damna accepta sunt manifesta. Apud Sarnū fusus est unus exercitus in Piceno, alter deletus: in Germania ab his qui partes nostras tenebāt ingēs iactura accepta. Non sumus animo fracti; ad eum oculos uertimus, qui in tribulatione sperantes in se consolatur. Duximus omnia in bonum perseuerantes constantes; non dati tandem sumus in opprobrium hostibus. In regno causa Romanæ sedis superior est: Sigismundus quæ habebat amisit: abiurauit publice hæresim, & pro iniquitate ueniā supplex poposcit. Priuatus Maguntinus recognouit erratū, cessit Ecclesiæ, & cū gloria sedis uero archipræfuli manus submitit. Dona Dei hæc sunt: & piæ constantiæ præmiū. Itidē in præfenti bello nobis Christianis eueniet, si nos nō fregerint inuita: & si in Domino spēs nostrā locauerimus, cū propheta dicentes: Domine factus es spes nostra, turris fortitudinis à facie inimici. Veniet (disponēte altissimo) Burgundiæ dux, & exemplū eius nobiles & barones multi sequētur: erit inuictus exercitus. Veneti in diē magis copias & classē instaurāt. Hūgarix rex Bosnæ regno recuperato, quod ætate proxima interfecto rege erat amissum, potēter se parat ad reliqua, & cū Venetis triēnali foedere cōtra Turcā est iūctus. Nos quoq. operamur sine intermissione quod possumus: cōuocamus in societate nostrā catholicos principes. Ibi mus ipsi, & ponemus animā pro grege cōmisso. Nō apparēt nūc forsā quæ uidere multi desiderāt, sed apparebūt, & maiora opinionibus Deus præstabit. Nostrū est operari pro uiribus, illius in cremētū dare operibus nostris: Venite filij nobiscū: nec pp Turcæ metū, aut dissuasionē abscondatis faciē uestrā à Christo, qui plagas intulit multas, maiores habet quas possit inferre: attēdite eū te Vicario suo & portate crucē super humerū eius, quid agāt Dominicæ oues: Retribuet unicuiq. secundum opera sua, poenam & præmiū gerēs in manu. Nos deuotiones uestras facturas ea confi-

confidimus, quæ catholicos decet, & quæ soliti estis; atq. ita per viscera misericordiæ Dei nostri vos obtestamur. Erit ex mandato nostro uobiscum noster orator, cooperans uobiscum dies ac noctes. Curate ut per eum continue consolemur de actionibus uestris: ab eo quoq. in singulis mentem nostrā semper noscētis.

Pro Pio II. Hieronymo Lando archiepiscopo Creten.

ACCEPIMVS litteras tuas, & intelligimus quæ de confluente multitudine scribis. Deo agimus gratias, qui corda fidelium ad defensionem fidei tangit: retine qui tibi retinendi videntur, & consolare eos quantum potes, & adiuua ad vitam in aliquo, ut non tristentur neque desperent. Præmittimus omni celeritate venerabilem fratrem nostrū Ioannem cardinalem sancti Angeli, qui eos ad locum opportunum confestim trajiciat. Tua fraternitas vnā cum Priore Pisarum conducat istic ea nauigia, quæ necessaria nouerit ad præsens opus passagij, & omnia quàm meliore conditione potest componat & transigat. Nos hodie, Deo duce, Vrbe discessimus, & quàm celerius per ualitudinem poterimus, Anconam petemus, executuri in aduentu nostro quæ reliqua erunt. Tu diligens esto, & pater Deo seruiens & nobis, & animæ tuæ.

Protonotario Flisco Pij nomine.

NTELLEXIMVS oblationem, quam Deo fecisti de persona tua, & triremi armata sumptibus tuis pro sancta expeditione in Turcam. Cognoscimus Deum tecū esse, & inspirare tibi quæ sunt ad salutem animæ tuæ. Acceptamus hanc tuam sanctā oblationem, zelumq. tuum erga nos & domum Domini, & ea quæ sunt Iesu Christi: ac toto corde benedicimus tibi, & substantiæ tuæ. Verum quia tempus instat profectionis nostræ, aduenienteq. duce Burgundiæ classē ascendemus; hortamur deuotionem tuam, & requirimus, ut serues quæ promisisti, paresq. te ipsum & triremem armatam quanto maturius potes. Retribuet tibi Deus in hoc sæculo & in futuro: & nos erimus memores huius tui pij officij in augēdis honoribus & utilitatibus tuis. Vale.

*Iacobus Cardinalis Papien. Francisco Picolomines
 Cardinali Senensi, de infirmitate, & morte
 Pij Pontificis maximi.*

LIBENTE R, præstantissime pater, de Pio nostro & cogito & loquor cum possum; lenio semper hæc agens defuncti desiderium, & me ipsum conolor: idem quoq. euenire dignationi tuæ existimo, qui eum viuentem pie coluisti, & mortuū grate es prosecutus. Totum itaque id tempus, quod ab ultimo eius discessu ab Vrbe vsq. ad obitum fuit, hac epistola breuiter repetam, credens quæ absens videre nō potuisti, cognosces nō inuitus ex me, qui interfui singulis, & vsq. ad supremū spiritum ab ore suo pependi. Cupiens igitur Pius sanctissimus profectionem suam in Turcas perficere, quæ fidelibus repromissa iam erat, ad quartū decimum calendas Iulij in Basilicam sanctorum Apostolorum mane descendit, sicut suus erat mos semper cum Urbē relinquebat, atque ibi veneratis aris, & successu rerum pie deprecato, Roma egressus est, patribus & prælatis lecticā eius sequentibus: ad pontem Miluium dimisit à se omnes, præter eos qui secum erant ituri: lembum deinde ad leuandam fatigationem terrestris itineris ascendens per aduersum amnem ad castellum Iubileum peruenit: decimo ab vrbe milliario viam per Tyberim agentibus. Delegit sibi huiusce nauigationis comites Dominicū de Dominicis Torcellanæ, & Agapytum Camertinæ, & Ioannem Tifernatis ecclesiæ præfules, quorum Dominicus & Agapytus de supplicationibus referre soliti erant: Ioannes sacrorij Apostolici curam gerebat: me quoque & Andream germanū tuum, & Gregorium Lollium adiungi his voluit. Præfusus eo die in lembo Pius est, & coenauit, & quieuit nocte illa. Postridie ante ortum solis ex eo loco soluentes Fianum appulimus, primis iam intendentibus tenebris, longam nauigationem emensi, ac plenam tædio millium passuum amplius quadraginta. Coenatum quoque est à Pontifice & pernoctatum in flumine, neque enim sine multa offensione membrorum tractari & circumferri à lecticarijs poterat. Eodem die venit ad eum Nicolaus sanctæ Cæcilie cardinalis Theanensis, quem Pius adhuc Senæ agens ad Pisānum portum legatum præmiserat vt partem classis, quæ ibi

parata

A parata erat, & quæ ex Genua expectabatur per Sicilia fretum ad se Anconam perduceret. Is ergo ad Ostium Tyberis appellens vbi abiisse iam Pium, sed non longe abesse cognouit, celeriter in urbem delatus circiter meridiem nos est affecutus: cupiebat enim de legatione & triremibus quæ egerat antequam progrediretur referre. Ad molestiā incommodæ nauigationis hæc quoque sancto seni eo die tristitia accessit, quod iuuenis vix annos natus viginti, ad nauigij ministerium conductus, dum per ripam fluminis paulo incautius subducendo lembo intendit, lapsus in eam partē qua profundior aqua erat, nautis tarde operentibus ante oculos nostros submersus est. Hunc casum grauius ingemuit Pontifex, tacitusq. & lacrymantibus oculis orationē sæpe pro defuncto soluit. Die quæ secuta est iter nobis fuit nō amplius viginti quinque millium passuum: peruenimus autem ad coenobium diui Benedicti inclinato iam sole, quod positum est ad radices montis Soractis, qua in oriente spectat. Ante meridiem cardinalis Theanensis, quem dixi renunciatis Pontifici quæ opus habebat, accepta benedictione ad classem reuersus est. Vix Pio ad ripam appulso præsto ei fuit Ioannes Carualgenus genere Hispanus, & episcopus Portuensis, cardinalis sancti Angeli vulgo dictus, qui eodem die maturato itinere ex vrbe aduenerat. Nam cum biduo ante Pontifex ab Hieronymo archiepiscopo Cretensi litteras accepisset, in quibus significabatur magnam Crucesignatorum multitudinem quotidie Anconā confluere, & lamentari quod Pontificem, qui eos traiceret, non inuenissent: veritus ne (quod accidere in talibus solet) turba diuersarum nationum, & linguarum, tumultum aliquem per otium excitaret, aut in diuersa dilaberetur, præmittere hunc intendebat, qui paratis confestim nauigijs, in Peloponnesum eos traduceret. Homine autem opus æstimabat, cuius auctoritatem illi secuti desiderio non tenerentur secum, quem tardare oportebat, in classe eundi. Hac igitur de causa cardinali ad se maturius euocato, rationē vocationis prima in colloquutione proponit, & vt profectionem capiat impensius precatur. Verē eundē admodum annofo seni, & attrito iam pro Ecclesia onus tam grande imponebat, sed magnitudinem rei considerans, & imminentē necessitatem, ac cognoscens quā pauci essent, qui suscepturi mandatum hoc viderentur, annis eius parcendū non duxit. Adfui ego solus sermonibus his cū habebantur, vñ sem-

per atque eadem confās Ioannis vox fuit, plena humilitatis & spiritus. Si is sum (beatissime Pontifex) quem tantis rebus idoneum iudices sequor sine mora imperium tuum, & certe etiam exemplum, qui in fragili valitudine, animam pro me ponis, & pro ceteris ouibus tuis. Scriptū mihi est: Veni; ecce adsum; imperatur vt vadam; iam iter ingredior. Pars hęc vitę vltima neganda Christo non est. Commouere hęc verba Pontificem, & quanto magis robur animi in sene agnouit, hoc ei dolentius est compassus. Amabat vnice Pium nostrū Ioannes, & suafor continuus, ac confirmator fuerat sancti huius propositi, increpans eos continue, qui infirmioribus animis dissuadere illi navigationem hanc contēdebant; id agens videlicet, amabilis Deo senex, vt extremus vitę actus reliquis operibus nō esset absimilis. Obierat autem ante cardinalatū legationes complures difficiles omnes, & plenas semper periculo. Cardinalis creatus, sedente Nicolao quinto, in Germaniam rursus est missus. Succedente deinde Calisto statim ab initio Pontificatus in Pannoniam, atq. in omnem oram Illyrij ad bellum in Turcas iussus est ire. Sexennalē ibi legationem inter asperam gentem, & cælum insalubre gessit. Versatus sæpe in castris est, sæpe etiam nunciatis irruptionibus hostium in occursum contendit cum militibus, qui Crucem asumpserant. Desertus nonnunquam à suis, quos ex Hispania & Italia in domesticum famulatum secum adduxerat, se ipsum tamen nunquam deseruit. Patienter pro Christo tulit omnia, languit inter hos labores annum fere continuum vsque ad desperatam salutem. Propter vim etiam frigorū, quibus infesta regio illa est, ita ei dentes omnes emoti sunt, vt quotidianis pelliculis aduolutis illos, sicut videmus, egre retineat: innumeris porro difficultatibus vno aliquando tempore afflictus, nunquam tamen reditum est precatus. Expectauit semper quid Romana sedes de se statueret. Erat ergo patri sexagenario in tot anteaētis & D rumnis legitima excusatio deprecandi prouinciam, etiam iuuenibus operosam, sed nihil tale in mentem venit carnis contemptricem: pro Deo & pro imperio Romani Pontificis quampatientissime subeunda omnia iudicauit. Rara hęc virtus est, prestantissime pater: rara in duris legationibus obedientia: Magni esse & honorati in populis volumus, sed pro salute cōmuni incommoda ferre non possumus, obtendentes semper impedimenta varia negligentię nostrę: & immemores tot ante actorum

marty-

A martyrum Christi, qui suo sanguine maiestatem hanc, qua nūc gloriamur nobis pepererunt. Dignatus est ea die Pius honore suę mensę illum & me; nihil inter epulas preterquā desiderium soluendę classis suspirans. Ipse postmodū ex consuetudine superiorum dierum pernoctauit in lembo: nos ad cœnobium diuertimus. Ea nocte missio legati significata Anconam est nuntio veloci, ad animos illorum qui conuenerant retinendos. A cœnobio ad portum Oriculi quarta statione peruentum est ascensu non breuiore viginti millium passuum. Inter eundem tractatū sedulo est de ratione tota traducendorum Crucesignatorum, & de eroganda pecunia, & de litteris ad iniunctū opus scribendis. Mallianenses quoque, quod oppidum in Sabinis est, audientes aduentum Pij, ad subiectam ripam Tyberis, qua transeundum erat, populariter descenderāt abeuntem illum visuri. Trahebatur lembus per sinistrum amnis latus funibus ad malum ligatis, vt nauiculatorum nostrorum est mos: sed Pius conspicata multitudine oppidanorum, & apparatu epularum, quas sublatis in altum lancibus longo ordine ostentabant, ne impensę factę costæraret, aut inconsolati dimitterentur, conuerti subito in dexteram partem nauigium iussit: atque ibi aliquandiu visendum se, adorandumq. præbuit. Grata Mallianensibus ea humanitas fuit, euntemq. miserati orauerunt reditum celerem, & felicem rerum successum. Cardinalis mandatis iam omnibus à Pio acceptis vesperi dimissus est cum benedictione, & osculo pacis. Altera die Oriculum vltra progressi non sumus, contenti, ob prementem valitudinem eius, duobus tantum millibus passuum. Hic de rebus nonnullis prospere in Peloponneso gestis est nunciatū: Orator Venetorum, qui nos sequebatur, litteras à senatu suo habens cum successum ordine indicauit. Gratias habuit Deo Pius, qui pro his quę audierat, & continuationem diuinę opis est deprecatus. Ab Oriculo ante lucem vitandi solis causa mouentes, Narniam æstu nondum intendente peruenimus, patriam natalem Berardi nostri cardinalis sanctę Sabine, quem Pius propter excellentē virtutem quadriennio ante ab ordine referendariorū ad cardinalatū assumpserat, ibi totam diem quieuius. Postridie Interamnam contendimus via breuiore, & pridiana magis iocūda, quippe per subiectam planiciem iter tenentes, per agrorum culta cum delectatione intuebamur castella plurima, quę in vicinis collibus non longis inter se spatijs apparent: paulo post ortum

tum solis ciuitatem ingressi sumus, & natalem beati Ioannis Ba-
 ptistæ, volente Pio, ibi peregrimus: Statuerat enim minutis itine-
 ribus periculum offendendæ grauius valitudinis euitare. Adiun-
 ctæ ea die comitatu nostro sunt Guilielmus cardinalis Rothoma-
 gensis, & Berardus, quem dixi, & Rodericus sanctæ Romanæ
 Ecclesiæ Vicecancellarius ex Vrbe nos affecturi. Hic ego totam
 eam diem operatus quædam scribendo, quæ à Pontifice iniun-
 ctæ erant: dum adhuc studium in multam noctem produco, &
 propter æstum paulo negligentius tegor, subita vi frigoris ita
 obsessus sum, vt quamuis ad lassitudinem fatus, vix recalescere
 vltra mediam noctem possem. Mane diei sequentis etsi motum
 hunc initium febris esse intelligebam, tamen diuelli à Pio non
 valens, quem & febriem & anxium doloribus ferri ad bellum
 pro nobis videbam, remanendum non censui. Itaque admixtus
 ceteris securus sum eum vt potui. Iter ab Interamna Spoletum
 etsi non amplius millibus passuum duodecim esset, tamen quia
 inter perpetuas & saxosas valles operosum nimium videbatur,
 partiendum Pius putauit: igitur ad tabernas tres Vallisstricturæ
 prope facellum, quod eo in loco situm est, restitit, viæ pene me-
 dio cardinalibus præcedere Spoletum iussis, vt commodius ibi
 diuerterent: me autem secum esse imperauit, nescius quid pri-
 ma nocte accidisset. Diem ibi reliquū & noctem sequentem sub
 tentorio fuimus non sine multo incommodo. Postera luce febre
 supramodum inualecente ægre Spoletum delatus sum: vbi con-
 tinuo magis adaucto languore, dies viginti non sine vitæ pericu-
 lo iacui, dolens eo casu Pius, à quo supra merita diligebam, me-
 dicos propere ad me misit, qui ad curandam cum studio egritu-
 dinem hortarentur, & vt bono essem animo; atque inde ante re-
 assumptam valitudinem non abirem imperarent. Ipse continua-
 to itinere ad medium fere Iulium nō sine labore Anconam per-
 uenit. Quæ illi in reliquo viæ acciderint quia non adfui, referre
 non possum. Valitudini vero prope iam redditus, cum sextum
 iam diem febris me non attigisset, iter quamquam dissuadenti-
 bus medicis ingredior, patris sequens vestigia. Via omnis beni-
 gnitate Dei sine incommodo accidit. Adiunxerat se mihi comi-
 tem Angelus Successanus præsul iunctim mecum adequitans.
 Is loquebatur continue & historias nescio quas sui præsidatus,
 quem paulo ante in Flaminia gesserat, recitabat. Ego silentium
 agens, nihil optatius expectabam, quàm domesticum quem-
 piam

A piam Pij procedere obuiam, ex quo sciscitari, & veram intellige-
 re eius possem valitudinem. Coortus tunc erat imber vehemens,
 & ego alia porta, quàm credebatur Anconam intrabam. Igitur
 nemo se obuiam dedit, sed mox descendenti ad ædes quæ mihi
 paratæ sub episcopo erant, præsto est Ambrosius Spānochia au-
 licus Pij, ynus omnium (vt scis) attentissimus semper ad odoran-
 da quæ fiant. Complexus est me facie præter solitum tristi: Pe-
 to ab eo: & quid de Pio nostro Ambrosi: ille statim; Papiensis mi,
 ingrauatius quotidie magis languor eius est: consumitur paula-
 tim, nec mensum integrum superfuturum nobis existimo, con-
 templaberis eum mox tu, & ita esse mecū pariter iudicabis. Mo-
 ra non interposita ascendo ad episcopiū inspecturus oculo quod
 ille verbo affirmauerat, intranti cubiculum subito iacentis senis
 concidisse facies tota est visa. Dies iam triginta non videram.
 Nescio quo pacto ex interuallo eandem rē intuētes rectius quod
 auctum, quod iniunctum, immutatumve sit internoscimus. Ne
 illum contristarem tristitia mea, subito serenam faciem induo,
 & ante lectulum osculaturus manū procumbo. Signandis sup-
 plicationibus tunc operam dabat: quiescere referendarios, & tol-
 lere de medio omnia imperat: rorantibus pene oculis amplecti-
 tur me, atque osculatur: moxque spiritum supra vires gerens ita
 de nauigatione sua, & spe rerum gerendarum sermonem habet
 vt ille qui præ desiderio ad horam discessus se venturum nō cre-
 deret. Diebus sequentibus Christophorum Maurum ducem Ve-
 netorum expectans, quem dolebat Anconæ non reperisse, & iā
 post accessum suum supra vigesimum diem tardare: comparari
 omnia ad nauigationem curabat, studium in hoc vno præcipuū
 habens: Confluxerat eo loci turba multa ex varijs gentibus nō
 satis considerate domo egressa: etenim cum (vt tu scis) eos solos
 euocasset Pius proposita peccatorum remissione, qui vel annū
 integrum, vel solum semestre suo stipendio in exercitu agerent,
 atque ita decretum eius per orbem circummissum contineret; il-
 li, nescio quo zelo inconsulto permoti, ac credentes stipendium
 & victum ministrante Pontifice nō defuturum, veniendum sta-
 tuerant. non inuenientes autem quæ sibi animis finxerant (ne-
 que enim Pius alere tantum concursum poterat) venditis armis
 regrediebantur in patriam. Quorum nihilominus misertus Pius
 ne omnino frustra venisse se angerentur decreti sui participes
 eos fecit. Erant vero inter hos qui consideratius venientes attu-
 lissent

lissent secum vnde semestre totum in bello continuare possent: **A** horum traducendorum causa naues Venetorum duas multis iam antea diebus in oras singulas expectabat (sic enim facturos se illi receperunt: sed cum ea diutius tardarent quam oporteret, cruce signati qui superfuerant morae impatientes cateruatim quoti die abibant, ita vt non multo post appulsis nauibus, miles iam non superesset, qui illis posset imponi. Ea res occasionem quoque plurimam dedit accelerandae mortis: dolente Pio, & supramodum tristante, quod retineri in eam horam non potuissent. Intè rim vero nuncijs & litteris Ragusinorū certior redditus est Turcam cum omni exercitu non longius triginta millibus passuum à Ragusia confedisse, & misisse ad magistratum legatos, qui dicerent, nisi triremes duas instructas, quas ea ciuitas datura erat Pontifici retinerent, & nisi imperaturos obsides traderent, & tributum in annos singulos penderent, ad eorum oppugnationem mox esse venturum. Nunciabatur quoque quosdam leuis armaturae milites in agrum Ragusinum praedandi causa iam excurrisse; in ciuitate vero non satis frumenti ad perferendam obsidionem esse, & militibus esse opus, qui in defendendis moenibus usum haberent. Quibus permotus Pontifex sagittarios pene omnes quos ad custodiam sui corporis ante conscripserat, subdito nauigare Ragusium iubet, & frumentum imponit, quod ad primam necessitatem satis esse iudicaretur, litteras quoque addit, quibus illos consolabatur, & spem subsequenti praesidij dabat. Ipse accessit ad se statim cardinalem sancti Angeli iubet, quem propositi sui inter ceteros studiosum habebat. Hunc praesente me consulit, quid si obsideatur Ragusium, agendum existimet, Ille vt erat semper ad bonum opus paratus nihil cunctans: Ibo inquit ego actuum cum triremibus, quae instructae in portu sunt, & vel obsidionem Deo adiuuante dissoluam, vel territis oppidanis spem bonam atque animum faciam. Ecquid, inquit Pontifex, conuigare tecum, frater, me prohibet? consilium certum est, si illuc Turcas adueniat, cum ijs quas potero triremibus eodem sine mora contendere. Ciuitas in littore maris est sita, natura loci & manu multum munita; eadem quoque portu abluitur: ad bene agendum opportunitas erit inuehi in urbem sine periculo possumus. Sola praesentis Pontificis opinio Turcam (Deo ita uolente) ab obsidione repellet: alioquin in locis asperis commeatuum inopia laborantem. Si consilium comprobauerit Deus, fama

A ma haec in omnem partem vulgata Christianorum corda ad nos sequendos inducet, concipientes iam ex felici principio victoriae reliquum. Haec enim cum probasset Ioannes, ego miser & carnem sapiens magis quam spiritum eorum propositum summo opere dissuadebam, non quod euentura non crederem, quae illi proponeretur, sed quia in fragili corpusculo febre ac doloribus fatigato, nauigationem illam finem vitae futuram verebar. Contendebam igitur argumentis multis, sed euincere mentes non poteram in Deum solum sperantes. Igitur confirmata inter se profectio-
B ne imperat illico Pius magno studio militem cogi ad triremes, & omnia necessaria imponi, vt ad primum obsidionis initium soluere e portu posset. Verum quadriduo post, nunciato recessu hostium diuina benignitate parcendum consilio fuit. Interea dum Venetorum dux a Pontifice expectatur, languor perurgens usque adeo inualuit, vt parum vitae superfuturum iam medici dicerent. Praebebatur dies ac noctes non doloribus modo, qui totum corpus apprehenderant, sed duabus etiam febribus, quarum altera concepta in venis cessabat numquam, altera ex interuallis recurrens magno ardore velut flamma membra absumebat. Haec mala ingrauebant aestus continui, qui Iulio & Augusto adeo intenderant, vt ardere omnibus horis ciuitas videretur. Re igitur ad extremam prope desperationem adducta, tandem Venetorum classis, quae Christophorum Maurum ducem eorum vehebat, pridie idus Augusti velis procedens, duodecim numero triremes erant rebus omnibus ad bellum egregie paratae appellit. Hoc cognito Pius subito suas & ipse triremes, atque omne nauigij genus quod ad nauigandum idoneum esset, adornari magno studio iubet, & obuiam duci exire cardinalibus quinque Pontificali quadriemi impositis, qui cum aduenientem exciperent: processum cum omni apparatu ac pompa est tam a patribus, & praelatis, qui secuti curiam erant, quam a magistratibus & ciuibus Anconitanis. Cum ad tertium fere milliarium classem Venetam in conspectu haberemus: subito illi vela dimittentes, quod esse signum nauigantium solet, cum reuereri digniore classem uoluerent remis consurgunt, ac vt quam bene instructas adducerent nobis ostentarent, iubent tanquam si inituri praelium essent, armatos, a prora, & puppi, & lateribus collocari, omnifariamque tormenta contendere. Mox vero vt conuentum est, vt contingere triremes se mutuo possent, sublato clamore & armis ad speciem pugnae con-

conculsis, tormentisque emissis, spectaculum iocundissimum
 præbuere. Pius ea die quamquã ita affectus (vt diximus) cernere,
 & ipse hoc spectaculũ cupiens ad fenestellã cubiculi, quæ in ma-
 re atque in portum respiciebat non sine labore deferri se impera-
 uit, atq. ibi aliquandiu obuias classes inspexit. Afflictari rursum
 incipiens: quod ea se non esse iam valitudine intelligeret, vt pro
 desiderio conuigare illico posset. Salutato duce à quinq. quos
 diximus cardinalibus discessum vtrinque est, neque enim pro-
 pter pestem, quæ ciuitatem supramodum premebat, aut descen-
 dere ipse dux ex quadriemi voluit, aut quemquam ex suis ven-
 titare: necessarijs omnibus ante communiti, in portu se contine-
 bant, trirēibus ad ancoram deligatis. Nocte quæ secuta est, at-
 tenuatus est multum Pii spiritus, & vox pene consumpta, pro-
 pterea ducem ipsum, qui ad colloquium venturus erat audire ea
 die non potuit, sed distulit in sequentem, expectans numi susci-
 rationem aliquam virium Deus concederet; verum detenus in
 horas singulas sibi est factum: profectus dies ille erat sanctæ Af-
 sumptionis matris Domini in calum, quo die conuenire in Ec-
 clesia ad sacrum vespertinum Romanus Pontifex cum patribus
 solet. Hoc cum impleri per illum non posset, per patres est factũ
 Perfectis solemnibus venisse iam horam suam Pius cognoscens,
 qua reddendus Domino spiritus esset, fratres omnes in cubicu-
 lum conuocari iubet, atque is ingressis, & si ad loquendum iam
 erat inualidus: tamen morientibus (vt poterat) atque interruptis
 vocibus nos appellans; fratres, inquit, mei dilectissimi, vide-
 tis quo adductus sum, hora mea iam venit: Deus hinc nos euo-
 cat, mori mur in fide catholica, in qua & viximus nihil sentiētes
 à Romana sede diuersum. Egimus vsque in hanc diem quod po-
 tuimus pro ouibus creditis: non pepercimus laboribus vllis aut
 periculis. Bis caput nostrum obtulimus ad communem salutē.
 Perficere quod coepimus potestas non est vltra: reliqua vestra
 sunt. Curate vos hoc opus Dei, & labi non finite per negligē-
 tiam fidei causam. Ad hoc enim vocati in ecclesiam estis, vt illi
 suis temporibus opem feratis. Mementote officij vestri, & redē-
 toris nostri, qui contemplator est omnium, & retribuit cuiq. se-
 cundum opera sua. Creuit ab initio & progressa est dignitas ve-
 stra fidei ministerio; per fidele ministerium vti que est retinenda,
 quæ rentes quæ vestra sunt non quæ Iesu Christi, retinere illam
 diu nequaquam potestis. Habete quoque ex nunc temporaliã
 curam,

curam, & videte ne quid detrimenti patrimonium commune ac-
 cipiatur, studium hoc omne esse vestrum oportet; dum licuit, no-
 strum fuit. Præterea, fratres, conuersati vobiscum sumus & ante
 in cardinalatu & post in præfulatu, ad quẽ nos elegistis. Cõuer-
 satio nostra sine peccato esse nõ potuit: ex carne enim sumus: of-
 fensus est à nobis Deus: offensa charitas vestra: pro his quæ in
 Deum peccauimus, ipse qui omnipotens est misereatur nostri:
 pro his vero quæ in vos, rogamus, dilectissimi, vt placatis men-
 tibus veniam morienti tribuatis: eos qui ex carne nostra sunt, &
 qui famulati sunt nobis, si dignos se præstiterint, commendatos
 habete. Valetate fratres; Pax Dei, & celestis gratia vobiscum sit.
 His agre & cum lacrymis enuntiatis tantus subito patrũ, qui le-
 stulo circumstantabant coortus est fletus, vt diu præ gemitu loqui
 verbũ nemo posset, atq. ora singulorũ lacrymantia viderentur.
 Tandem Bessarion cardinalis Nicænus primũ in collegio locum
 tenens verba pro omnibus fecit. Indoluit casum, in quem erat
 adductus, non sui tantum causa, quem lacrymabile erat deficere,
 sed magis Christiani populi, qui tantum salutis auctorem a-
 mitteret. Laudauit Pontificem, & præclara eius in præfulatu o-
 pera, agens cum humilitate gratias, quod etiam suprema hora
 monitis suis communem rem adiuuaret. Orare se Deum, dixit
 patrem misericordiarum, vt salutem illi restitueret, sed si mi-
 grandum propter peccata esset, habituros nos menti præceptio-
 nes patris, & daturus operam pro viribus. vt nec publicæ Chri-
 stianorum, nec priuata res Romanæ Ecclesiæ in perniciẽ irent.
 Veniam quam poposcerat humilitatis aliquorum dixit esse: be-
 nigne enim omnes semper habitos, atque indulgenter, nec que-
 relam aduersus eum extrare. Postulare autem singulos, vt bene-
 dictionem suam & pacem super fratres relinqueret. Ad commẽ-
 dationem vero suorum etiam pie respondit, docens quàm carus
 esse omnibus deberet sanguis eius, qui tantũ de Christianis & de
 Romana sede meritis esset. Post hoc responsum iterum surrexit
 fletus, & contritatio cordium multa. Pontifex manu è pallijs
 paululum eleuata, osculandam eam omnibus præbuit, flens ip-
 se & flentes alios intuens. Nos manu apprehensa, & ante lectu-
 lum procumbentes singulatim veniam precabamur erratorum
 nostrorum, & osculum supremum patris capiebamus: quibus
 ille: Ignoscat vobis pius & misericors Deus ac simul benedicens
 fratribus, eos à se dimisit. Biduo ante admonitus à medicis in
 omnem

omnem casum vitæ vel obitus habendam supremam rationem animæ esse, Dominicum Sacramentum, quod celeberrimis semper diebus valens sumebat, etiã tunc magna mentis contritione accepit, tundens pectus ad singula & flens, & peccatorem se confitens, communicatione indignum tanti mysterij. Repetere illud mane sequentis diei optabat in ampliorem salutem, & in honorem intemeratæ Virginis, cuius Assumptionem sciebat instare: ab adolescentia enim sua in hanc tanquam misericordissimam Matrem semper sperauerat, & hanc vitæ ducem actionumque suarum habuerat. Familiarius aliquando nobiscum loquens, recensensque antea actum vitæ cursum, diuersosque fortunæ euentus; credere dicebat, quia tantum huic gloriosæ Virgini se deuouisset, ab epidemia semel, à lethalibus languoribus sæpe, nonnunquam ex manifestis vitæ periculis ereptum fuisse: omnem denique successum dignitatis & rerum suarum huc referebat. Propterea templum illud Pientinum mirifici operis à fundamentis extructum, & suis manibus illi consecratum fuisse. Consolationem ergo hanc precipuam expectabat, vt intra cubiculum suum, quando in Ecclesia non licebat, solemnia missarum cantari audiret, & tanquam supremum Vale cum fratribus ageret. Optabat autem, sicuti mos erat per cardinalem hoc fieri, & me vnum delegerat, qui sacris huiusmodi operatus confectum Domini sacramentum illi rursum porrigerem. Instituerat etiam vt patres adessent reliqui, ac cetera pro veteri instituto obseruarentur. Comparatis igitur ad peragendum hanc diuinam rem omnibus: Ecce inclinante iam sole, inclinare & ipse admodum coepit, ita vt non procul à morte videretur abesse. Itaque confestim sacramenta reliqua persoluuntur, quæ morientibus debita sunt, sensu adhuc integriori quam lingua. Nox ad primam usque horam processerat, & cardinales ceterique, qui eò conuenerant, domos quique suas discesserant. Restiteram ego tantum ex omni nostro collegio, volens pietatem, quam patri debebam, etiam suprema hora persolvere. Mecum erant præfules tres ex Pontificis familia, & ex sorore filius Andreas, quem dixi, & frater consobrinus Gregorius Lollius ceterique; qui ad interior ministerium cubiculi seruebant: circum stabamus omnes deficientem senem lacrymantes, & moesti, famulabamurque morienti in eo quod vltimum poteramus. Intuens vero ille in me oculo innuit, vt accederem propius: accessi statim; voce itaque iam consumpta, quæ ab admotis auribus audiri vix poterat: ora (inquit)

quit) pro me fili, peccator etenim sum, & simul ad crucem conuersus, quæ collocata ante oculos erat, hoc non sine suspirijs frequentabat: Misere mei Deus, misere mei: & tu Virgo misericors seruum deficientem ne desere, per misericordiam filij tui suscipe animam excedentem: paulula deinde intermissa mora, rursus in me dirigens oculos: Continuationem, inquit, sanctæ expeditionis memora fratribus, & adiuua tu quoad potes. Væ vobis, væ vobis si opus Dei deseritis: cum respondere tentarem multa, & præ gemitu non possem, dexteram manum, quæ in cubitum eleuata erat demittens supra collum: Benefac, inquit fili, & Deo orationem offer pro me. Hoc illi vltimum verbum fuit: loqui ultra non valuit propter reuma continuum, quo pectus iam & fauces erant completæ: legebantur sine intermissione orationes Ecclesie, quibus animæ decedentium commendari Deo consueverunt. Ipse ad audiendum attentissimus erat. Ecce horam circiter tertiam inter legendum tanta quiete spiritum Domino reddidit, vt conuiuentem, non morientem diceres emigrare, & sine sensu mortis excedere. Hic, Reuerendissime pater, Pio nostro exitus fuit: hic labores omnes suos athleta fortis absoluit, incertum morte ne an vita felicius, qui ad summum Pontificatum virtute sua perueniens, & religionis atque ingenij æternam gloriam consecutus, mortem eam sit nactus, qua, si sæculum attendas, nulla sublimior: si in Deum respicias, præclara & amplissimi meriti plena fuit. Mortuus pro veritate est, & pro redemptione plebis captivæ, offerens se ipsum hostiam Deo, & relinquens exemplum sacerdotibus quales esse pro suis plebibus debeant. Martyrium autem pene quotidianum passus est à die, quo Philippus Burgundorum dux missis oratoribus venturum se ad bellum, & socium sancti operis futurum promisit. Subito in omnem partem curam impartiens fatigari amplius solito, ac vehementius coepit, non remittens ad contrahenda necessaria ne opus quidem nocturnum; diuidebat per horas singulas cuique opus suum rerum providendarum, perire huic causæ existimans quicquid momenti alijs esset impartitum. Cognoscebat quoque molem operosam aggressum se esse, & sub ea cadendum, nisi omnifariam studio difficultates vndique ingruentes superarentur. Hæc animi anxietas labefactauit supra modum ægram valitudinem senis, dum nec de alio cogitare, nec quietem capere, nec cibum sine astante cura sumere posset. Comparatis denique omnibus

vt poterat, iocunda spes aduenientis ducis, quæ sola spiritum eius sustentabat, vbi in medio rerum cursu spiritus deficit. Mirū dictū est, quantum non animo solum, sed totis uiribus consternatus, iudicabat quod re vera sapientes videbant; illo non ueniente maximam operis sui partem corruere, & laborem omnē sibi congeminare. Tum autem repromissos orbi fructus detrimentis maximis retardari. Accesserant præterea duæ dolorum faces, quæ animam incendebant properandum semper ad opus incoeptum. Altera quod ab eis lente ac frigide administrari omnia sentiebat, qui vel pecuniam mandare, vel armatum militem mittere, vel triremes ad bellum instaurare impensa sua promiserant: altera quod Anconam proficiscens cateruas regredientium cruce signatorum quotidie habebat obuias inermes, ac vacuas pecunia, qui (vt antea dictum est) lege decreti sui non obseruata temere iter erant ingressi. Hi ad suos redeuntes culpaturi nimirum videbantur Pontificem, vt tegerent inconsulti motus sui culpam. Tot singulis pene horis infligebantur cordi vulnera, quot cateruæ huiusmodi occurrebant. Vidi ego aliquando eis transeuntibus faciem mœsti senis sic conturbatam, vt habendū in præcipuo negotio medicis dicerem, lecticę vela demittere, vbi & conspectę à longe essent. Complectar vno verbo: publicæ Christianorum causæ vir sanctus non defuit, sperans in Domino, & supra vires animum gessit. Defuerunt ei qui deesse nullo modo debebant. Ipse cum omni constantia ad mortem contendit, & patienter passus est pro Christo Deo suo. Nos ergo, præstantissime pater, memoriam tantæ virtutis quamdiu viuimus in animis nostris contineamus, & grata patris nostri recordatione memores simus. Ipse est qui nos genuit, & qui usque in finem nos dilexit: ad cardinalatum ambos assumens, & de stercore erigens pauperes, & federe faciens cum principibus populi sui. Componamus quoque mentes nostras ad suorum operum imitationem, quæ huiusmodi sunt, vt siue publica spectemus, siue priuata, erudire nos in omnibus actionibus abunde possint. Coluit Deum, coluit iustitiam, animum gerens vt inuictum contra malos, sic misericordem in humiles. Ea porro laude ingenij & bonarum artium floruit, vt admirationi omnibus esset, & eloquium eius sustinere gentes, & regna sæpe nō possent. Hos vero imperitos detractores suos, quibus aliquando propter iustitiam molestus fuit, ita contemnamus, vt pertinere

A nere ad eum mendaces voces non arbitremur. Odium recens iudicare illos recte non finit. Succedentia sæcula omni affectu libera verius ista expendent, & gesta eius celebrabit Ecclesia. Nos credamus illum, quia sancte vixit, & in tam sancta expeditione defunctus est, in sinu Abrahæ esse, & cum beatis spiritibus, gaudijs cælestibus perfrui.

Vale.

•••••

TT 2 AENEAE

AENEAS TITVLI S. SABINAE

SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE

PRESBYTER CARD. SENENSIS

*Antonio tituli sancti Chryfogoni presbytero
Cardinali Herden. S. P. D.*



VM redditæ essent mihi superioribus die-
bus litteræ Martini Mayer natione Theu- B
tonici, quocum veteri benevolentia deu-
ctus sum: mox vt aperui & introspexi, sto-
machari occœpi. Nam qui læta me audi-
turum sperabam, in fronte epistolæ inueni
quod læderet: legi tamen totum, nec finem
suo principio discordem reperi. Non im-
puto illi: scripsit enim quod audiuit, fecitq. ex dato corio cal-
ceum: tenuit amicorum consuetudinem, qui & secunda & ad-
uerfa absentibus nota faciunt. Ibi cum reperissem nonnullos es-
se in Germania sanctæ Romanæ sedis inimicos, qui dentibus in C
eam frendent, & ad perniciem humani generis nati, dicentes ma-
lum bonum, & bonum malum, & nigrum in candida vertunt:
decreui rescribere, & illa confutare, quæ primæ Sedi obijciuntur.
Sed dum scribo, non mihi quod Flacco euenit, amphora cœpit
institui currente rota, cur vrceus exit? meditabar parua, & exie-
runt magna: epistolam scribere institui, & liber exiuit: quid di-
xi liber? libri exierunt. Traxit me diues ad disputandum mate-
ria: & quamuis meo aliena studio se offerrent, præsumpsi tamen
de ipsis loqui, & in abdita philosophiæ prolabi non timui: quin
& alta theologiæ sacra contingere non expaui. Scio, altius euo- D
lavi, quàm alis ferri meis possem: timeo casum; præceptoris
non seruantis monita, timeo morderi. Sed est adhuc res inte-
gra, nondum opus edidi: inter manus nostras est, nec sine tuo
exibit iudicio. Mittimus tamen ad tuum examen, vt videas cor-
rigasque, vel si melius putas, abscondas. Tu solus es cuius exi-
stimationem audiendam arbitrer, qui omni genere litterarum
instructus, non iam magister, sed princeps philosophorum, &
theologiæ sapientiæ dicendus es. Ad te ergo veluti ad fontem
doctri-

A doctrinæ venio, & ad ipsum iubar scientiarum, si condendū aut
occultandum opus iudicaueris; obediā imperio tuo: si dixeris
edendū, exhibit liber intrepidus, & nullius calumnias verebitur:
quando abs te probatus fuerit, quem omnes probant. Nam quo
pacto improbetur liber ab eo probatus, quem omnes probant?
Vale. Romæ Cal. Februarij M. CCCC. LVII.

*Martinus Mayer cancellarius Maguntini præ-
sulis, domino Aenea Cardinali Senen.*

B *Patri optimo S. P. D.*



OGNOVI ex litteris amicorum te cardinalem
esse creatum, gratulor & tibi, qui pro tua virtute di-
gna consecutus es præmia, & mihi, cuius amicus in
ea dignitate est constitutus, in qua me, meosq. ne-
cessarios aliquando iuuare poterit. Illud mihi mo-
lestum est, quòd in ea tempora incidisti, quæ sedem Apostolicā
afflictura videntur: nam domino meo archiepiscopo frequentes
afferuntur de Romano Pontifice querelæ, qui neq. Constantien-
sis, neq. Basiliensis decreta concilij custodit, neq. se pactionibus
G antecessoris sui teneri arbitratur, nationemq. nostrā contemne-
re, & prorsus exhaurire velle videtur. Constat enim electiones
prælatorum passim rejici: beneficia dignitatesq. cuiusvis quali-
tatis & cardinalibus & protonotarijs reseruari: & tu quidem ad
tres prouincias Theutonici nominis sub ea formula impetrasti
reseruatiōē, quæ hætenus insolita est & inaudita. Expectati-
uæ gratiæ sine numero conceduntur: annatæ, siue medijs fructus
absq. vlla dilatione temporis exiguntur: & plus etiā quàm de-
beatur, extorqueri palam est. Ecclesiarum regimina non magis
D merenti, sed plus offerenti committuntur: ad corradendas pecu-
nias nouæ in dies indulgentiæ conceduntur: decimarum exa-
ctiones inconsultis prælatis nostris Turcarum causa fieri iubentur:
causæ quæ tractandæ determinandæq. in partibus fuerant,
ad opportunum tribunal indistincte trahuntur: excogitantur
mille modi, quibus Romana sedes aurum ex nobis tanquam
ex Barbaris subtile extrahat ingenio. Ob quas res natio nostra
quondam inclyta, quæ sua virtute, suoque sanguine Roma-
num imperium coemit, fuitque mundi domina atque regi-

na nunc ad inopiam redacta, ancilla & tributaria facta est, & A
in squalore iacens, suam fortunam, suam pauperiem, multosq;
iam annos moeret. Nunc vero quasi e somno excitati optimates
nostri, quibus remedijs huic calamitati obuiam pergant, cogi-
tare coeperunt; iugūq; prorsus excutere, & se in pristina vendi-
care libertatē decreuerunt. Erit hac non parua iactura Roma-
nae curiae, si quod cogitant Germani principes, effecerint. Quan-
tū itaque de tua noua dignitate laetor; tantū commoueor & an-
gor tuo tempore hac parari: sed Dei fortasse alia est cogitatio,
& illius profecto sententia obtinebit. Tu interim bonum habe-
to animum: & quibus repagulis fluminis impetus coerceri pos-
sit, pro tua sapientia cogitato. Vale optime praesul. Ex Hascas- B
semburga Prid. Calend. Septembris M. CCCC. LVII.

Aeneas miseratione diuina sanctae Romanae Ecclesiae
tituli sanctae Sabinae presbyter cardinalis,
ac episcopus Senensis,

*Præstabili viro domino Martino Mayer iuris interpreti, & amico
suo carissimo salutem plurimam reddit.*



VAMVIS amara & rancida quaedam scriptis
admisces tuis, pergrata tamen fuit epistola, quam
proximis diebus ex tabellario tuo accepimus: reno-
uauit enim in animo nostro ueteris amicitiae suauis-
simam memoriam, qua diutius in Austria illa infe-
riori, quae quondam Pannoniae portio fuit, simul unanimes frue-
bamur: tunc potissime, cum Prutenorum causae apud imperiale
tribunal patrocinarere: scis enim nullum fuisse diem in quo
vna non contueneremus, horis non saltem duabus, sermones va-
rios misceremus: & nunc ergo tuas legentes litteras perinde
oblectati sumus, ac si te ipsum alloqueremur, & tecum disputā-
tes festiuum & ornatum sermonem tuum coram audiremus:
sed cum duo sint ea quae scribis, alterum priuatum, alterum pu-
blicum; vtrumque nobis examinandum videtur, & dignum re-
sponione. Nam quae de cardinalatu ais, nostra sunt: quae de se-
de Apostolica & natione Germanica refert communia. De car-
dinalatu nostro nihil ambigimus, te solidum suscepisse gaudiū.
Quis enim amicus est, & amici non laetatur honore? Commu-
nia

A nia esse amicorum inter se omnia veteri prouerbio dicunt: Si
quid est igitur in noua dignitate nostra, quod quidem sit expe-
tibile, habes vnde laeteris: nam & tu pariter nobiscum bonorum
nostrorum es particeps, quem verum esse amicum nunquā du-
bitauimus: At quod nos merito id honoris consecutos arbitra-
ris, longe falleris sententia nostra: nam qui multo inferiores su-
mus, quam quibus episcopatus cura committi debuerit, plane
intelligimus haudquaquam nos tales esse, quales sacro cardina-
lium coetui ascribi debent: cumq; non ignoraremus qua doctri-
na, qua probitate, qua nobilitate praeditos esse oporteat, qui
B summis de rebus acturi in senatum Apostolicum accersuntur:
horrescimus sane & contremiscimus ineptitudinis nostrae me-
mores; cum inter columnas Ecclesiae, inter orbis cardines, inter
lumina mundi collocatos nos esse videmus: scimus quantum a-
scendimus; sed quonam pacto, quae de causa tantum euecti su-
pra merita nostra sumus, prorsus ignoramus. Inscrutabilia sunt
(vt nosti) cōsilia magni Dei, & arcanę quāplures causae, ad quas
nulla potuit hominum curiositas peruenire. Nos promotionem
nostram diuini Pontificis maximaeq; vrbis Romae Praesulis Ca-
listi tertij beneficentiae, summaeq; eius in nos charitati atque af-
fectioni ascribimus: cui tanto magis obnoxij sumus, quanto di-
gnitas ab eo recepta maior est, quam nostra virtus: nec dubi-
tamus ita placuisse rectori omnium Deo, sine cuius nutu nihil
est quod in terris quidem valeat explicari. Cognoscimus tamen
C in quanto periculo versamur, quam fragilis est status noster,
quam lubricus, quem ascendimus locū: cum inter doctissimos,
indocti: inter expertissimos, rudes: inter probissimos, improbi,
vitam agamus. Itaq; protegat nos, oramus sanctissima manus
Dei: & qui dedit ascendere, auferat cadere. Quod vt nobiscum
rogites, obsecramus. Nec plura de cardinalatu.

D Nunc ad secundam epistolae tuae partem transeundum est,
quam de rumoribus aduersus curiam nostrā excitatis intulisti:
quo in loco asseris, Germanos tuos grauissime ferre, neq; Con-
stantiensis apud nos; neque Basiliensis concilij decreta seruari:
nec pactiōibus cum natione tua percussis locum esse: sed mille
modis, & quidem exquisitissimis, a nobis argentū corradi: qui-
bus ex causis nationem ipsam, quae quondā florentissima fuit,
longe lateq; imperans, ad summā inopiam deductam esse con-
tendis, vt iam ancilla, & quidem vilissima videatur: sed cogita-

re iam primores tuę gentis, quę sibi via, quibus artibus melius A
rei suę consulant: quod futurum sine dāno Romanę curiæ nō
arbitraris: & sicut in calce litterarum tuarum affirmare videris;
non tam reipublicę, quā nostrī causa hęc tibi molesta sunt:
nos contra, nihil mouemur ob priuatam utilitatē: experti paupe-
riem sumus: nec tam miseri fuimus ante cardinalatū, quā mo-
do nos esse sentimus, nec recusamus ad priora reuerti. Quietior
est pauperis, quā diuitis domus: & in sacco securius, quā in
serico dormitur: sed angimur reipublicę causa, & communem
deploramus calamitatem: quando ad hęc tempora uentum est,
in quibus malum bonum, & bonum malū esse contenditur: nec B
ueritas defenditur: nec admittitur (ut prędixit Apostolus) sana
doctrina: post fabulas incedunt homines, & magistros sequuntur
auribus prurientes: quibus & te frater carissime auscultasse dō-
lemus; nec dubitamus te perditum iri, nisi ē schola erroris & of-
ficina ueneni retrahas pedē. Nos autem pro charitate qua tibi a-
stringimur, respōdebimus huic secundę parti epistolę tuę, quod
uerum esse censemus: nec uerebimur erratum corrigere, ne cogā-
mur pereuntē si tacuerimus flere. Age igitur, audi quę dicimus,
& patulis auribus ueritatem admitte.

De grauami-
nibus.

Nam grauamina ipsa, quibus Theutoniā opprimi dicis, o-
stendimus uel nulla esse, uel longe minora, quā putas: ex in-
Germanicā nationem haud quaquā inopem esse (ut tua cōten-
dit epistola) sed diuitem & florentē, & bonis omnibus abundatē
ostēdemus: & si quid detrimētī perpeffa est, nihil impurandū esse
Apostolicę sedi manifesta ratione docebimus, cū gloria Germa-
norum, ipsaq. uestri populi salus ex Romano folio defluxerit.
Postremo de remedio ipso quod queri uis, disputabimus: osten-
dentes, omnia ad Romanę sedis examen referenda fore, si quę
sunt, quę ab ea nimis grauiter imposita onera uideantur.

Diuisio parti-
cularis graua-
minum.

De synodo
Constantien.
Ioannes, Gre-
gorius, & Be-
nedictus Pō-
tifices depo-
nuntur.
Martinus V.
creatur.

Et primum quidem articulum, in quo grauamina deducun-
tur, in tres alios subdiuidimus. Nam & Constantiensis decreta
concilij uilipendi, & Basiliensē contemni synodum, & con-
cordiam cum natione habitā uiolari uociferas. De synodo Con-
stantiēsi primum agamus. Magna illa & memorabilis fuit, quę
Ioannem, Gregorium, ac Benedictum de summo Pontificio con-
tendentes ab ecclesię gubernatione abdicauit, schisma pernicio-
sissimum, quod annus vnus de quadraginta Christianas agita-
uerit plebes, radicitus extirpauit. Martino quinto ex nobili Co-
lumen-

A lumenfium profapia genito, concordibus patrum votis, vices
Iesu Christi commisit: Ioannem & Hieronymum Hussitanum
Vesania principes igne cremauit, multa que alia peregit & illi
etati & nostrę utilia: quas ob res minime laudandi Pontifices
illi fuerint, qui constituta omnia tam venerandi conuentus te-
mere violauerunt. Audiendus potius atque imitandus D. Grego-
rius fuerit, qui se quattuor concilia ueluti quattuor Euangelia
suscipere, uenerari que profitetur. Commendandi sunt & alij Ro-
manę urbis præsules, qui generalium præcepta synodorū qua-
si diuina oracula & admirati sunt, & profecuti. Nec nos igitur

Ioannes &
Hieronymus
Vssitarum cre-
mantur.

Gregorius
quattuor cō-
cilia sicut qua-
tuor Enange-
lia veneraba-
tur.

B eum Antistitem probaremus, qui Constantiensi concilio in om-
nibus se opponeret: Sed ais tū mihi, Hoc est quod stomachor: nā
neque qui dormierunt etate nostrā Romanę urbis Pontifices,
nec qui modo, sed & Calistus tertius illius celeberrimę synodi
constitutionibus paruērent. Cum plura statuerint eius concilij
patres: nescimus, an omnia violata esse decreta contendis, an a-
liqua: si omnia, iniurius esses; sed procul à ueritate recedis. Nam
quę in Bohemos hæreticos constituta feruntur, nemo vnquam
Romanus Pontifex uiolauit; & sunt alia quamplura, quę Ro-
mana sedes omni tempore uenerata est: si aliquibus derogatū

C esse decretis arbitrabare, decebat te illa nominatim referre, ut
sciamus, quid est quod reprehendis: uteris non parua cautione,
siue (ut melius loquamur) fraude: maximum crimen, horrendum
facinus obijcis, spretum esse Constantiense concilium ais: quod
qui audiunt uelut inexpiabile nefas abominantur: quod si dix-
isses, illi aut illi contrauentum est constitutioni, minus appare-
bat esse delictum: que nammodum fornicatorem, non tam hor-
rent Christianę aures, quā diu Euangelij contemptorem: uo-
luiti quam maximum crimen opponere, sed non habes quo te
iuues argento, nisi constitutis synodalibus eam vim iudices es-

D se tradendam, quę diuinis mandatis inest, quorum si vnū quis-
piam uiolauerit, factus est (teste Domino) omnium reus: & hęc
quidem eterna sunt, illa pro temporum uarietate uariari & mu-
tari superiorum auctoritate possunt. Et quamquam supradixi-
mus, nonnullos Christi uicarios generalium statuta conciliorū
perinde ac Euangelia ueneratos esse: nihilominus inueniemus di-
uinā legem immutabilem esse, nulli mortali subiectā: synodalē
uero dogmata nō statuentem, & uariabilem esse, & Romani præ-
sulis arbitrio, si ratio exigat, abrogandā. Sed properemus, etiam
quod

quod est tuę mentis in mediũ afferamus, ne quę lateat: quid est? **A** quod Apostolico throno de Constantiensi concilio improperas? Statuerunt, dices, qui Constantiæ conuenerũt Ecclesiarũ rectores, ex eo tempore in posterũ singulis decennijs generales habendos esse conuentus: sanxerunt legem, quę seruanda esset, cũ duo pluresq; de Romano Pontificatu contenderent: nihil horũ seruatum est. Intelligimus quo tendis: omnes tuę nationis homines, qui paululũ docti sunt, quædã concilij cupido exagitat. Nam cũ synodi celebrantur, episcopi vestri domi remanēt, vos conciliũ petitis, ibiq; laute uiuitis, sumptibus alienis, & regentes orbem, in magnos & admirabiles euaditis viros. Hinc voces illæ conciliorum auctoritas salubris atque æterna est: mundum concilio regendum: ad concilium cuncta deferenda: sine concilio nihil esse quod recte perfici queat. Priuata vos trahit vtilitas, & crescendi cupido: scitis enim raros esse conuentus, quin res immutentur, & in seditionibus magnisque motibus obscuros emergere atque illustrari homines: cumque lucra vestra damnosa esse praelatis non ignoretis, ingenio subtili & peracuto illis concilium ab eis expetendum suadetis, in quo sedis Apostolicę summum in eos arbitrium coarctetur: & quemadmodum vos eos corroditis, ita & illis Apostolicum solium corrodendum esse offertis. At finito **C** contentu, episcopi expenso argento, nihil plus dignitatis, quàm prius habēt: vos aucti auro, beneficijs cumulati, æstimatione magnificati, domũ reditis. Quid mirũ, si conciliũ amatis, & eos quæritis ventos, qui alienã nauim ad uestros litus illidat? aliena miseria, vestra felicitas est: bellũ uobis, pace salubrius, & tẽpestas quiete melior. Eam ob causam, cũ post synodũ Basiliensem decẽ & amplius anni defluerint: ægrefertis non esse usquã conciliũ inchoatũ: atque hoc est in quo synodi Constantiensis violatas esse constitutiones accusas: sed nõ fuit ea cõcilij mens, vt cogi concilium oporteret, etiam si noxia congregatio videretur: publicam **D** semper vtilitatem legis obseruantia quærīt; quod si vergat in noxam, superior qui lex est, ipsam mutare potest. Est enim, vt Philosophi tradunt, quædam naturalis lex, quam rectam rationem imperandi prohibendiq; possumus appellare; quam qui ignorat, iniustus est: siue illa sit scripta vsquam, siue nusquam: & ad hanc quidem referenda sunt hominum instituta, vt inueniantur reipublicę salutaria: humanarum tamen legum nullam constat esse perpetuam: humanas dicimus, quas homines statuunt, quæ

A quæ modo vim habent, modo amittunt: in tempore namque oriuntur, & in tempore pro superiorum iudicio occidunt: ex quo tritum est illud apud iuris interpretes sermone prouerbiũ: humana statuta secundum tempora variari: cumque multæ per se leges existant, neq; se ipsas valeant interpretari, nec omnia comprehendere: necessario principem esse in republica oportuit, qui legum modo duritiem leniret, modo mollitiem coerceret, loquereturque, cum illæ silent, & cum nimia esset earum loquacitas, silentium indiceret, & in Ecclesia quidem catholica, hoc munus Romanis Pontificibus creditum est, quod nemo, qui sapiat inficiatur sicut & generalium conciliorum sanctiones confirmare siue interpretari, siue corrigere atq; abrogare posse. His autem dimissa Basiliensi synodo non fuit consilium nouum congregare concilium. Etenim cum pluribus annis Basilię synodus modo uera, modo reprobata confedisset, grauesq; motus in Christiano populo concitasset, visum ex usu est Constantiensis concilij sanctionem hoc tempore suspendendam esse: neq; enim generales conuentus sine magna vniuersalis Ecclesię nouitate sine grauiamine, sine tumultu, sine vexatione coguntur: Magna est expectatio conciliorum; maximas esse causas oportet, ob quas **C** clerus omnis in vnum conueniat, & si sepius concilia celebrentur, vilescat eorum auctoritas nimio usu necesse est. Dices fortasse, non defuisse celebrandi concilij urgentissimas causas, siue quod duorum de Romano præsulatu contententium dirimenda lis erat, siue quod Turcis Constantinopolim inuadentibus, atque Hungariam bello lateffentibus rogandi fuerant Christiani reges armis vt occurrerent; quæ res proculdubio generalẽ exposcere synodum uidebantur. At contentio quæ de Romana emerferat cathedra, sine cõcilio & quidem salubriter sublata est, quæ si ad synodum deducta fuisset, forsitan aut hodie quoq; duraret; aut duobus contententibus tertius fuisset adiectus, & bis **D** ceps Ecclesia, triplex facta. Aduersus autem Turcarum impiam gentem quæ præbuerit Hungaris auxilia summi Præsulis Calisti nostri siue prouidentia siue felicitas non ignoras, qui torpentibus ac ferme dormientibus tam aliarum quàm tuę nationis principibus; solus super grege Dominico vigilauit, solus in se belli pondus accepit, solus tueri armis Christianam religionem aggressus est. Nam missis in diuersas prouincias legatis, ac prædicatoribus exercitum non ex principibus ac magnatibus, non ex nobi-

nobilibus ac potentibus; sed ex humili & paupere plebe, fidei ta-
 men & audaci comparauit. Profectus est in Hungariam Calisti
 miles, atque navigatione Danubio, Drauio, Sauroque superatis
 apud Albam Græcam, cui quondam Taurino fuit nomen, Bel-
 gradum Itali vocant, superioris Misie ciuitatem Turcarum in-
 gentes copias, spiritualibus potius quam materialibus armis
 profligauit, fudit, fugauitque; præclarissimamq; illam & iam to-
 to vulgata orbe victoriam peperit, qua præcipue Turcarum
 vires cecidere: tumidusq; atque inflatus opinione sui, tantaq; mi-
 litia superbissimus Maumethes eius gentis Imperator, non fu-
 gere tantum didicit, sed etiam salutem quoque sibi ac suis despe-
 rare coactus est. Nam qui sibi Hungariam, Germaniam, Galliam,
 atque omnem Italiam conculcare ac perterrere prius posse per-
 suadebat, & modo litteris, modo nuntijs vincula, verbera, neces
 Christianis omnibus minabatur; iam Græciam ipsam, si Christia-
 ni victoriam prosequantur, retinere posse diffidit, neq; vnquam
 Albæ meminit, quin barbam manu demulcens obortis lacrymis
 illi diei maledicat, qua pugna aduersus Christi crucem cum Ca-
 listi militibus iniuit. Nolumus singula narrare, quæ classis Apo-
 stolica, duce legato Apostolico Cardinali & in Asia, & in ipsis
 orientalibus oris peregerit: cuius armis non modo quæ resta-
 bant, nomini Christiano fideles Insulæ conseruatae sunt, veluti
 Chios, Mirilena, Rhodos, Cyprosque, & aliæ quamplures: sed
 non paucæ iam pridem perditæ, recuperatae ad obedientiam se-
 dis Apostolicæ redierunt. Præterimus captas hostium naues, &
 cædes in eis sæpe numero factas, omittimus quæ data sunt Alba-
 nis auxilia. Neque enim fortissimus Christi athleta, & indefes-
 sus religionis nostræ propugnator Scanderbecchius, eam stragē
 in Turcas edidisset (cuius te famam audisse credimus, nam su-
 præ triginta millia Turcarum ab eo seu cæsa seu capta feruntur)
 nisi pecuniarijs Calisti subsidijs fuisset adiutus. Silemus quæ Bos-
 nenis, quæ Peloponnesiacis, quæ ceteris Græcis Turcarum
 bello laborantibus in dies sunt subuentiones. Neque enim diui-
 na Calisti prouidentia Christianis vsquam defuit, suam opem
 implorantibus. Fecit idem candidissima illa Nicolai anima: quæ
 vis eo sedente Constantinopolis expugnata sit, quod non Pon-
 tificis negligentie, sed Græcorum perfidie ascribendum est, quo-
 rum impietatem diuina ultio priuare imperio & seruitute pre-
 mtere voluit. Tu etiam mente manuque tangis quæ laudabilis

con-

A sint Calisti opera, & vnus Romani Pontificis quantum profue-
 rit Ecclesiæ solers cura, plane cognoscis. Incertum est, an ea per
 concilium geri potuerint, in quo tot solent esse sententiæ, quot ca-
 pita, nec facile multitudinem vnus voluntatis inuenias. Pericu-
 lum erat, ne dum patres in synodo verba triuissent, strictus in vi-
 scera nostra Turcarum gladius penetrasset. Vidimus tempesta-
 te nostra dum concilia sedebant oratores principum, qui ad ea
 conuenerant, non quæ Iesu Christi, sed quæ sua essent in primis
 quærere: & in Basilea quidem nulla maior cura, nulla diligētia
 potior, nulla disputatio contentiosior, quam de sedibus legato-
 rum fuit: cum reges inter se alter alterum præcedere conarentur,
 nec princeps principi, nec populus populo cederet. Neq; ista cō-
 memoramus vt generalibus cōcilijs derogemus; quorū est aucto-
 ritas sacra, & in sæcula veneranda potestas: sed cōsentimus Apo-
 stolicae sententiæ, quæ post Basiliensē conciliū in hanc vsq; diē an-
 tiquius esse iudicauit à generalibus abstinere cōuentibus: cuius
 iudicio, cū par sit Christianos omnes acquiescere, potissime tamē
 nationi tuæ silentiū competit, quæ nostra ætate duobus decorata
 concilijs, referre gratias pro susceptis honoribus potius debuit,
 quam noui cōcilij celebrationē expetere. Nā si ad hoc decurren-
 dum sit, cum alteri nationi generale conciliū debeat: in eo for-
 tasse loco Patres conuenient, ex quo Germani tui plus molestiæ
 quam commodi referent. Itaq; non est tantopere, cur Constans
 statuta concilij in medium afferas, si hac tua querela de-
 cretum illud, quod appellatur; Frequens; postergatum aut reie-
 ctum accusas: nec decimas aduersus ordinationem concilij tuæ
 nationi impositas merito calumniaberis. Nam quamuis causæ
 impositionis abunde suppetant, pro tuenda religione Christia-
 na, quam Turcæ perdere adnituntur: Germanis tamen iubente
 Calisto, nulla super decimis illata molestia est: & qui Colonien-
 ses exquestor irritasse fertur, non Apostolicus, sed Apostolici le-
 gati, cui Gallia commissa est, nuntius fuit, qui omnem eis Rhe-
 num prouinciam suam esse arbitratur. Sed adiungis in accusa-
 tione tua, constitutiones synodi Basiliensis irritatas in Romana
 curia esse, idque maxime putas iniuriosum: qua in parte tu
 magis iniurius es, qui litem iam sopitā renouare conaris: vt qui
 tecum altis cineribus suscitatur ignem: quod vt palam ostēdamus
 repetendū est ipsius concilij initiū, referendus progressus expo-
 nendusq; breuissime finis: sic enim & quanta insit illius concilij
 decre-

decretis auctoritas, & an recte illius fuerit obuiatum plane cognosces. Origo Basiliensis concilij ex Constantiensi synodo, de qua paulo ante sermo est habitus, prodijt. Ibi enim inter cetera illud quoque statutum fuit, vt post finem eius concilij aliud apud Ticinum Insubriae urbem, quae nunc Papia vocatur, intra quinquennium cogeretur quo pacto rursus aliud post septenniū cogeretur in Gallijs. Conuenerunt apud Papiam patres: sed cū pestiferum illic aerem offendissent, ex Martini quinti decreto in Etruriam migrare, Senisque conuentus est habitus, in quo loco pro concilio celebrando in septennium apud Basileam designauerunt, urbem Rheno adiacentem, situ Gallicā, more ac sermone Germanicam. Cum aduenisset dicta dies comparuerunt nuntij Iuliani cardinalis sancti Angeli Apostolicae sedis legati summi & praestantissimi viri, cui praesidentia concilij & à Martino quondam & ab Eugenio quarto demandata fuerat. Inchoata est synodus paucis ab initio conuenientibus, sed mox ab Eugenio iussi sunt qui aduentauerant, vt inde abeuntes Bononiam peterent, ibique concilium celebrarent: Non paruere patres, orata dissentio est, scissa Ecclesia, totaq. concussa Christianitas: pars fidelium verum esse in Basilea concilium credidit: pars Eugenio parendum existimauit: nec cardinales inter se fuerunt vnanimis, quorum nonnulli é latere Eugenij abeuntes Basileam se contulere. Eugenijs anathema in eos, qui sibi resistere praesumpserant indignato animo promulgauit. Illi eum, vt intra praestitū quoddam tempus dissolutionis praecipua reuocaret, concilioque adhereret comonuere, graues in eum poenas nisi pareret. Mansit itaq. diuisio Ecclesiae tetra, atq. horribilis: erectū altare stetit contra altare: crux contra crucē eleuata, donec Sigismundus Imperator Roma reuersus pacē composuit, nō tam verā quā necessariā. Misit Eugenijs, qui consilio praesiderent vna cum Iuliano legato celeberrimi patres nominis, inter quos Nicolaus cardinalis sanctae Crucis primū tenuit locū, vir non minori sanctimonia vitae, quā rerum maximarum experientia, doctrinaque multa memorabilis. Sed licet hoc loco illud poeticū inserere: Temporis exigui mansit concordia discors. Nam cum de trahendis ad vnionem catholicam Graecis tractari coepisset, essetque illorum causa concilium transferendum: diuisi inter se patres, alij apud Gallias Auinionem urbem pro loco futuri conuentus elegerunt; alij apud Italiam ciuitatem Florentinam Graecis qui vocantur

abantur proculdubio magis accommodam, vel alium in Italiam locum ex quo haberi possent quae ad rem Graecorum necessaria optabantur. Nam auri lxx. millia nummum habenda esse putabant. Hisque Pontifex maximus Eugenius consensit: qui quāuis essent pauciores, plus tamen aequitatis praeserebant. Vocati sunt Graeci ad vtrumque locum: missae triremes quibus veherentur, oblata in sumptus pecunia. Risit oriens latinorum infaniam, qui sibi ipsi dissentientes aliorum vnionem perquirerent. Graeci ad Ferrariam ad Eugenium venerunt: deinde Florentiam ducti in celebri synodo vetus fermentum expurgauere. Symbolum fidei de processione sancti spiritus concordibus animis cum latina Ecclesia decantantes, quamuis paulo postea relapsi, ita se gesserunt, vt Turcarum praeda, sicut ante relatam est, fieri mereantur. Inter haec qui Basileae manserunt, spretis Eugenij iussionibus atque censuris, nunc hoc, nunc illud decretum ediderunt: adeoque contumacibus hinc atque inde animis certatum est, vt Eugenijs illos tanquam schismaticos ab ecclesiastico rescandos corpore sua sententia declarauerit, illi vero Eugenio summum Pontificatum interdicentes Sabaudiae ducem ei suffecerint, Felicem quintum appellantes: magnum quidem & sapientem principem, & nisi hoc vno errore excidisset, perpetua dignum & memorabili laude. Horruerunt Christiani & orthodoxi reges bicipitem Ecclesiam, & quantum patres Constantienses, qui scissam ecclesiam resarcierant, commendabatur, tantum Basiliensem, qui vnitam proscinderat vituperabant. Ob quam rem Gallia quidem atque Hispania, Italia quoque Hungaria & Anglia Eugenijs sequebantur. Sabaudia Suicenses, Basilienses Argentinenses, ac ex Saxonia Caminenses, simulq. de ducibus Bauariae Albertus Moneci dominus Felici obediebant. Rex Aragonum & Siciliae Alfonso Pollonique & Britones nec Eugenio nec Felici, sed concilio Basiliensi auscultabant. Reliqua Germania neutralitatem quandam induit: diuque postea nullius partis mandata suscipiens suorum episcoporum contenta regimine monstriferam Ecclesiam ipsamq. nationem acephalam reddidit. Multi post haec in Germania conuentus habiti sunt: vt ea neutralitas quam partes ambae damnabant, é medio tollerent; sed producta est ea res ad vltimum annum Eugenij, quo iam in lecto egritudinis constituto; nos ad eū venimus ab Imperatore Federico transmissi, & nationis Germanicae nomine neutralitatem abdicauimus

mus, obtentisq. nonnullis litteris, quibus desiderio Germanorum fieret satis, obedientiam Romano Pontifici restitimus. Collega noster in ea re fuit Procopius, cui de lapide Coruino cognomen est, nobilis eques Bohemus, & nunc regni sui Cancellarius: Ioannes Lysura Iureconsultissimus Maguntini archiepiscopi; Federicus Salsemanus, nunc Lubicensis episcopus Marchionis Brandeburgensis, alij aliorum principum vices in ea re gesserunt: Sed obiit Eugenius priusquam Roma nos excederemus, eique Nicolaus V. susceptus est doctrina theologica illustris, qui legatum in Germaniam misit Ioannem cardinalem sancti Angeli nobili loco apud Hispanos natum, scientia iuris & munditia vitae singulari, ad quem cum Federico Caesare morante legati ex omni ferme Germania properarunt. Disceptatum est quonam pacto Pontifici Nicolao parendum esset: erant qui decreta Basiliensis concilij omnia suscipienda contenderent, illisq. saluis Papae obediendum: contra legatus Apostolicus, eius concilij legibus, quod Romana sedes refusasset, nullam inesse vim aiebat: Alij quibus media sententia placebat, verum Basileae concilium aliquando esse affirmabant, eiusque temporis constitutiones haudquaquam reiiciendas esse putabant. Postremo eo modo concordiae locus fuit, ut sententia quorundam decretorum Basiliensis concilij reciperetur: reliqua vero eius statuta reiecta viderentur. Quibus ex rebus intelligis, te non iuste agere; si quaecumq. conventus iste decreuit, his pondus inesse putas: neq. stare potest accusatio tua, qua violari decreta indefinite contendis, quasi passim omnia contemnantur. Neq. enim Romana sedes alias constitutiones feruare tenetur: quam quae receptae videntur. Sed pergis ulterius, & concordiae formulam attingens decretum super electionibus in Basilea promulgatum, tanquam receptum esse in conventionibus videatur, infringi reiicisq. contendis: inexcusabilem Romanum Pontificem esse arbitraris, & prorsus iniustum: qui cunctis electionibus aduersetur: nec tolerabile hoc tuae gesti esse existimas, nec tibi responderi posse in hac parte confidis: falleris haud modice, nostro iudicio, quemadmodum tibi luce clarius ostendemus. Nam formula concordiae, quae respicit electiones, hunc sensum habet: illas enim in Ecclesijs cathedralibus, & ex monasterijs expectari iubet per tempora, quae sunt à iure statuta, easq. si canonice fuerint confirmari, nisi Romanus Pontifex de persona magis idonea quam sit electus vacanti Ecclesiae de consilio fratrum suorum

Concordiae
formula.

Arum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium duxerit providendum: in dignitatibus autem quae vel primae sunt post pontificales, vel in collegiatis ecclesijs principales, libera dimittitur Romano Praefuli providendi facultas; nam eius dispositioni reservantur. Postulationes vero in iuris communis dispositione remanserunt. De postulationibus igitur non habes quod reprehendas, cum illae veteri iure ex gratia dependeant. De dignitatibus quoq. vel principalibus in collegiatis, vel in cathedralibus ecclesijs post pontificalem maioribus, minus est quod accusare possis, cum ex concordiae capitibus in his libera dispositio ad Papam pertineat, ac ex pacto datum est Apostolicae sedi, quod erat prius diuino atque humano iure permixtum. Restat ergo de pontificalibus ecclesijs, seu monasterijs differendum. Quo in loco pariter pugnam vincendus inis: nam si numeres quot vacarunt post initam concordiam in Germania cathedrales ecclesiae: perpauca profecto inuenies, quae non his commissae sint, quos capitula vel postulauerint, vel elegerint. Idemq. de monasterijs dicimus, quae raro alios habere praefatos, quam quos petiere conventus. Sed et Nicolao quinto vacauit Salrburgensis ecclesia & Imzuanensis appellata: item Magdeburgensis, quae Virgmipolis dici potest, utraque metropolitana, utraque insignis, altera inter Boarios, altera inter Saxones, opibus & auctoritate memorabiles, utraque ei credita est, quem petiere canonici. Patauiensis ecclesia ad confluentes Ennum ac Danubium sita: quamuis Ulricomestorphio nobili & praestanti viro tunc electo diu denegata fuerit, nam Federicus Imperator non sine magna causa alium episcopum expetebat, ad extremum tamen electo delata est. Elegerunt Estetenses in Norico constituti Ioannem Aychum excellentem iuris interpretem, ac singulari prudentia virum: laudauit Apostolica sedes capituli desiderium, electumque cupide admisit. In ecclesia sancti Corbiniani in monte Frisingensi, cuius radices fluuius lambit Ysera, cui quondam praefuit Otho non aspernandus historicus duorum Caesarum Conradi secundi, ac Federici primi alterius frater, alterius patruus; cum canonici ad electionem intenti veluti inspirati diuinitus in Ioannem Monacensem plebanum, venerabilem senem consensissent, non solum exauditi sunt ab Apostolico throno: sed vltro laudibus cumulati, quod vetustam & sanctam Ecclesiam incorrupto & aetate proeecto patri committendam putauerint: nec in Basilea

V V ipsa

ipsa concilij & anticoncilij matre denegatus est electioni assensus, quod Olubucensem ac Lubicensem commemoremus ecclesias ambas obtinuerunt electi. Olumicensis ecclesia Morauie mater bis Nicolao sedente vacauit: bis eis credita est quos petiere canonici. Curienfis autem idcirco Constantiensi episcopo commendata est; quoniam nec electio ibi canonice celebrata fuit; nec consilium erat eo tempore, vt episcopum illi ecclesie daret, quem Montani homines impotentem contempserunt. Insuper quamuis Maguntinae metropolis curia est, ad Italiam tamen pertinere videtur: cum homines terrae illius nostri temporis sermone Italico Curienfes appellentur; nec olim Germanici iuris fuerint in Leponsijs constituti non procul ab coetu Rheni. At noster Calistus ne quam Germanico nomini querelam dimitteret, cassata commenda ecclesiam illi commisit, quem clerus populisque petiuit. In Brixonensi ecclesia cum fuisset electio vi quadam & arte non probabili celebrata, placuit Nicolao praestantissimum virum Nicolaum sancti Petri cardinalem, cuius est nomen celebre, & virtus nomine maior ad eam prouehere, cuius id regimen est, ea subditorum cura, id bene agendi studium, vt nemini dubium sit Romanum Praesulem longe melius prouidisse, quam canonicos elegisse. Sub Calisto vero, qui nunc diuino munere sedet pontificem amisit ecclesia Treuerensis prope Mugellam posita vetus illa & venerabilis sedes, cuius plebem viuente beato Apostolorum principe, qui eò Rusticum, Eleuteriumque misit, salutiferam Christi religionem recepisse commemorant. Urbem vero ab Atreba conditam ferunt Nini ac Semiramis filio trecentis & mille annis antequam Romana iacerentur fundamenta, cui qui praesidet inter electores Imperij honoratissimo loco sedet, & Archicancellarius Imperij per Gallias & regnum Arelatense vocatur. Postularunt canonici ad eam ecclesiam Ioannem marchionem Badensem, cuius aetatis defectum singularis virtus redemit, & maiorum suorum imagines suppleuerunt. Nam familia Badensis claris illustrata titulis nullum vnquam non egregie sapientem virum produxit: Annuit votis capituli Romanus Praesul, quamuis Philippus princeps Bauariae, princeps potentissimus, ac de Romana Ecclesia optime meritis alium ex domo Baioaria in illa ecclesia suis circumdata dominijs pontificem peteret: quid Herbipolensem referamus ecclesiam flumini Mogano adiacentem? cuius episcopus

pro

A pro veteri more cum rem diuinam facit, stola indutus euaginatum, nudumque gladium sub altari collocat, quin etiam Franconiae nobilis prouinciae, & gentis Francorum altricis dux appellatur. Haec prima ecclesia est, quae sub Calisto nostro apud Germanos vacauit: non alium pastorem sortita est quam quae ipsa elegit: quae si quid modo in Romanam molitur Ecclesiam, indignas agit gratias, suasque diuo Calisto primitias foedat, atque funestat. Ad Oderam fluuium, quem plerique Germaniae, Sarmaciaeque terminum esse voluerunt, insignis ecclesia Vuratlauiensis iacet, Sclitarum mater, atque regina: haec Iodocum ex primaria Bohemorum familia natum, quam de Rosis appellant, & ab illustri gente Romana Ursinorum originem ducere putant, placidis moribus, singulari prudentia, & nobilitate praclarum postulauit: cuius pater Vulricus, quamuis Hussitarum exercitibus vndique premeretur, nunquam tamen induci potuit, vt illorum vesaniae consentiens genua sua flecteret ante Baal: cuius locum Ioannes Rochelaria & tenuit & tenet haereticorum ductor & princeps. Laudauit Calistus consilium capituli, & Iodoco commisit ecclesiam: & quoniam episcopatus ille, quem prisca Aurum vocauerunt, cuius canonici cucullis in modum cardinalium rubris vtuntur, ad inopiam hodie deductus est, assiduis Hussitarum praelijs laceffitus; eius pecuniae, quae Apostolicae camerae debebantur, liberali animo mediam partem remisit. Olumicensis ecclesia, quae, vt diximus, duos a Nicolao pontifices habuit, mortuo Bouffio, qui Ioanni successerat, sub Calisto vacans Protasio nobili adolescenti, & litteris appime erudito, quem canonici petiuerunt, commissa est. Nam quamuis pater eius olim ecclesiam persequeretur Hussitarum labe infectus: praedicans tamen in Morauia Ioanne Capistrano sanctissimi nominis theologo cum omni familia sua haeresim abiurauerat, ex persecutore religionis tutor effectus. Croauia quamuis Pollonici iuris est trans Vistulam condita fluuium in solo Sarmatico, eum praesulem tamen obtinuit, quem canonici delegerunt, virum non minus doctrina, quam aetate plenum, dignum quidem, qui urbem regat litterarum studijs ornata, & qui Sbingneo successerit sanctae Romanae Ecclesiae cardinali optimo, & doctissimo patri, quocum singularis nobis amicitia fuit, quamuis alter alterum nunquam viderit: sed paria litterarum studia nos iunxerunt; epistolarum frequentes missiones amorem retinuerunt.

VV 2

ipsa concilij & anticoncilij matre denegatus est electioni assensus, quod Olubucensem ac Lubicensem commemoremus ecclesias ambas obtinuerunt electi. Olumicensis ecclesia Morauie mater bis Nicolao sedere vacauit: bis eis credita est quos petiere canonici. Curiensis autem idcirco Constantiensi episcopo commendata est; quoniam nec electio ibi canonice celebrata fuit; nec consilium erat eo tempore, ut episcopum illi ecclesie daret, quem Montani homines impotentem contempserunt. Insuper quamuis Maguntinae metropolis curia est, ad Italiam tamen pertinere videtur: cum homines terrae illius nostri temporis sermone Italico Curienses appellentur; nec olim Germanici iuris fuerint in Leponsijs constituti non procul ab coetu Rheni. At noster Calisto ne quam Germanico nomini querelam dimitteret, cassata commenda ecclesiam illi commisit, quem clerus populisque petiuit. In Brixonensi ecclesia cum fuisset electio vi quadam & arte non probabili celebrata, placuit Nicolao praestantissimum virum Nicolaum sancti Petri cardinalem, cuius est nomen celebre, & virtus nomine maior ad eam prouehere, cuius id regimen est, ea subditorum cura, id bene agendi studium, ut nemini dubium sit Romanum Praesulem longe melius prouidisse, quam canonicos elegisse. Sub Calisto vero, qui nunc diuino munere sedet pontificem amisit ecclesia Treuerensis prope Mugellam posita vetus illa & venerabilis sedes, cuius plebem viuente beato Apostolorum principe, qui eò Rusticum, Eleuteriumque misit, salutiferam Christi religionem recepisse commemorant. Urbem vero ab Atreba conditam ferunt Nini ac Semiramis filio trecentis & mille annis antequam Romana iacerentur fundamenta, cui qui praesidet inter electores Imperij honoratissimo loco sedet, & Archicancellarius Imperij per Gallias & regnum Arelatense vocatur. Postularunt canonici ad eam ecclesiam Ioannem marchionem Badensem, cuius aetatis defectum singularis virtus redemit, & maiorum suorum imagines suppleuerunt. Nam familia Badensis claris illustrata titulis nullum vnquam non egregie sapientem virum produxit: Annuit votis capituli Romanus Praesul, quamuis Philippus princeps Bauariae, princeps potentissimus, ac de Romana Ecclesia optime meritis alium ex domo Baioaria in illa ecclesia suis circumdata dominijs pontificem peteret: quid Herbipolensem referamus ecclesiam flumini Mogano adiacentem? cuius episcopus

pro

A pro veteri more cum rem diuinam facit, stola indutus euaginatam, nudumque gladium sub altari collocat, quin etiam Franconiae nobilis prouinciae, & gentis Francorum altricis dux appellatur. Haec prima ecclesia est, quae sub Calisto nostro apud Germanos vacauit: non alium pastorem sortita est quam quae ipsa elegit: quae si quid modo in Romanam molitur Ecclesiam, indignas agit gratias, suasque diuo Calisto primitias foedat, atque funestat. Ad Oderam fluuium, quem plerique Germaniae, Sarmaciaeque terminum esse voluerunt, insignis ecclesia Vuratslauiensis iacet, Sclesarum mater, atque regina: haec Iodocum ex primaria Bohemorum familia natum, quam de Rosis appellant, & ab illustri gente Romana Ursinorum originem ducere putant, placidis moribus, singulari prudentia, & nobilitate praclarum postulauit: cuius pater Vulricus, quamuis Hussitarum exercitibus vndique premeretur, nunquam tamen induci potuit, ut illorum vesaniae consentiens genua sua flecteret ante Baal: cuius locum Ioannes Rochelaria & tenuit & tenet haereticorum ductor & princeps. Laudauit Calistus consilium capituli, & Iodoco commisit ecclesiam: & quoniam episcopatus ille, quem prisca Aurum vocauerunt, cuius canonici cucullis in modum cardinalium rubris vtuntur, ad inopiam hodie deductus est, assiduis Hussitarum praелиjs laceffit; eius pecuniae, quae Apostolicae camerae debebantur, liberali animo mediam partem remisit. Olumicensis ecclesia, quae, ut diximus, duos a Nicolao pontifices habuit, mortuo Bouffio, qui Ioanni successerat, sub Calisto vacans Protasio nobili adolescenti, & litteris apprime erudito, quem canonici petiuerunt, commissa est. Nam quamuis pater eius olim ecclesiam persequeretur Hussitarum labe infectus: praedicans tamen in Morauia Ioanne Capistrano sanctissimi nominis theologo cum omni familia sua haeresim abiurauerat, ex persecutore religionis tutor effectus. Croauiam quamuis Pollonici iuris est trans Visulam condita fluuium in solo Sarmatico, eum praesulem tamen obtinuit, quem canonici delegerunt, virum non minus doctrina, quam aetate plenum, dignum quidem, qui urbem regat litterarum studijs ornatam, & qui Sbigneo successerit sanctae Romanae Ecclesiae cardinali optimo, & doctissimo patri, quocum singularis nobis amicitia fuit, quamuis alter alterum nunquam viderit: sed paria litterarum studia nos iunxerunt; epistolarum frequentes missiones amorem retinuerunt.

V V 2

nuerunt: Ita ut & mortui dulcissima nobis memoria maneat, A
libet hoc loco nos ipsos exempli causa in medium adducere.
Ecclesia Vormiensis diues quondam atque insignis ultra Visce-
lam fluuiū ad septentrionē vergens, vicina Maxcouitis in agro,
quem Gothi primum tenuerunt, cum ex insula Scandauia in-
continentem descendissent, in Monticulo collocata est mari vi-
cino, quod Recens vocant. Est enim sinus oblongus, in qua
dulces aquae salcedinem vincunt, Franciscus ei pontifex praese-
dit, vir nobilis & virtute praestans, qui cum in eo bello quod
ciuitates superioribus annis aduersus religionem gessere popu-
larem insolentiam ferre non posset, apud Vratisslauiam exu- B
lans nonagenarius hoc anno mortali vita excessit. Canonici,
qui & ipsi patrem secuti in exilium erant apud Glogauiam ma-
iorem conuenientes in nos vota sua direxerunt; missisque pro-
curatoribus eam nobis ecclesiam commendari postulauere, at-
que in hunc modum Calistus, qui capitulorum desiderijs cupi-
de annuit, cum nobis episcopatum commisit: sed ille obuiam
postulationibus iuit. Omittimus Riualensem ecclesiam in ipsis
Hispaniae finibus consistentem, quam etiam suo electo Calistus
credidit, quamuis ad Boream & Orientem solem ecclesiarum
Christianarum vltima recesserit: nec Theutonici, nec Germani C
iuris dicenda. In Monasterio vero Vassalica ciuitate, non est
quod vota canonicorum spreta queramus. Nam & postulatio,
ut ante diximus, ex gratia pendet, liberaque Pontifici potestas
est eam vel amittere, vel reijcere. Praeterea postulatus Osna-
burgenſi ecclesiae obligatus erat, quem transferre non erat fa-
cile, cum migrationem episcoporum sacri canones admodum
detestentur. Et insuper nobili viro nobilior prelatus susceptus est
Ioannes ex Baioaria familia natus, qua nulla est apud Germa-
nos illustrior. Sed iam ad Traiectensem ecclesiam illam praepo-
tentem veniendum est: quam quidam in Frixiorum, quidam in D
Batauorum solo fundatam aiunt Rheni fluentis vndique cir-
cundatam: querela est, & in hac electioni non esse delatum.
Nam si qua electio apud Germanos magnificanda est, ea
Traiectensis fuerit, quam non ecclesiae cathedralis tantum,
sed collegiatarum totius vrbes canonici celebrant, & in ele-
ctum, qui reiectus est, supra quinquaginta consenserunt: ve-
rissimile est mirari omnes, & Romanum calumniari Ponti-
ficem, qui haec audiunt, nihil vltra intelligentes, qui nego-
tium

Baioaria fami-
lia.

A
fium totum norunt dignum laude Calistum censent, qui elec-
tioni contrarius fuit: Age, audi & si potes Traiectenses defendi-
to. Tria sunt quae illis obstiterunt: nam electio per preces mune-
ribus fuerat extorta, & illi qui elegerat excommunicationis vin-
culo erant innodati; electus quoque ea perpetrasse docebatur,
quibus irregularitatem incurreret. Fuit itaque necessarium in
eos uti rigore, qui censuras Ecclesiae contempserunt: expedit enim
qui sententiam Pontificis dum fertur paruipendit, aliquando ve-
hementius sentiat, & cum securum se esse confidit, tunc potissi-
mum vulneretur: sic enim fiet, ut non tam leui animo anathe-
B
ma feratur. Adde quod Traiectenses episcopi etate nostra viuo
adhuc Martino vltimo Desiderium episcopum suum canonicè
electum & confirmatum cum admisissent, postea leuibus offensi-
culis ex vrbe pepulerunt; nec iussi reuocare, paruere: omnes Ec-
clesiae, & vniuersali concilio rebellauerunt: infelicemq. illum pa-
trem & pastorem animarum suarum in exilio vitam finire cogē-
tes: nec Valramum illustri Morsanensium familia genitum Co-
loniensis archiepiscopi fratrem, quem canonici, in quibus ius eli-
gendi remanserat, concorditer expetiuerant, in vrbe aliquan-
C
do venire perpeſsi sunt, sed armis eum repulere. Quid mirum igitur
si electus eorum reijcitur non rite vocatus, quos canonicis vidimus
electionibus aduersari, & contumaci rebellionē obsistere? Traie-
ctenses insuper nunquam Basiliensis concilij decreta susceperunt, ne-
que pactionibus contineri voluerunt, quas Germani cum Pontifice
Nicolao sanxerunt; ut qui seorsum cum sede Apostolica iam pridem
conuenissent. Quapropter non est cur Traiectensis Ecclesiae ne-
gotium Germanica natio ad concordiam suam trahat: quae suapte
ingenio nationis ordinationem recusauit. Ferunt & Ratispo-
nensis Ecclesiae mentiones inter vos fieri: sedem illam Alberti quod-
D
dam summi philosophi in vrbe clarissima ad ripam Danubij in
Baioaria sitam, vbi & Imperatores Germani frequentes habuerunt
curias Henrico Aspergenſi electo denegatam esse, rumor & que-
rela Theutonice plebis improbat: fuerunt enim qui canonicam
electionem illius existimarent. Sed examinauimus nos causam ip-
sam simul cum patre doctissimo & recti amantissimo cardinali
sancti Clemētis, amboque diuo Calisto Pontifici, cui nihil est iuris
incognitum, electionis negotium referuauimus: ille pro sua do-
ctrina multis de causis inuolidam & nullius momenti esse decla-
rauit,

Bavaria fami-
lia.

rauit, Ecclesiae autem viduae extraneum quempiam non ignotum A
de plebe aliquem, non indoctum, aut rudem hominem praefecit;
sed Roberto de Baioaria illam commisit quattuor & viginti an-
nos nato in schola Coloniensi, Papiensiq. scientiam iuris audien-
ti iampridem & inter doctos recepto, cuius progenitores ecclesiam
ipsam fundarunt, dotaruntque, cuius pater ac germani ducatus
honore fulgent, cuius auus Romano imperio praefuit, cuius pro-
genitores longa serie inter Germanos primores habiti sunt, cuius
ea nobilitas est, ea generis claritudo, ut nemo ex clericis nostri te-
poris sibi aut praeferi possit, aut aequari. Iacobum excipio sancti
Eustachij cardinalem, qui regiam stirpem vnde prognatus est, ma-
suetis iamdudum moribus illustriorem reddidit, & litteris toto B
incumbens pectore, doctrina clariorem efficere nititur: ex quo in-
gentes referre gratias Apostolicae sedi Ratisponensis Ecclesiae de-
bet, quae talem sibi pastorem dedit, qualem nec Maguntia, nec
Colonia recusasset. Nam cum Theodoricus Coloniensis eccle-
siae pontifex anno abhinc secundo renunciaturus existimaretur,
in hunc unum canonici conuerterunt animos, & hunc cle-
rus, hunc populus paribus votis dari sibi praefulem exoptabat.
Talia nec tu Martine, neque garruli nationis tuae in conuentibus
dicitis: sed ad probra & maledicta recurrentes, si quid unquam C
peccatum est, id refertis; & minimos augentes excessus irritari atque
accendere principum animos pergitis, & ad res novas vrgetis.
Quod si vera ex ore vestro prodiret, & cum malis operibus, quae
proponitis ante oculos regularium, bona quoque recenseretis quie-
te respública & optima pace frueretur: sed infimae plebis homi-
nes (ut ante diximus) postquam litteras aliquas didicere, bello ma-
gis quam ocio ditantur, inque turbibus motibus sacerdotia piscan-
tur & praefecturas. Iniuriosa est, inquiunt, Romana sedes, quae
nullis fauet electionibus, concilia spernit, nationem veluti ancil-
lam habet: surgite, conuentus agite, excutite iugum: si nequimus D
priscam resumere gloriam, at saltem liberi simus. At vos non se-
dis Romanae si recte intelligimini (nam illa ut palam est, vobis non
plus imperat, quam diuinae leges ferunt) sed principum vestrae
nationis imperium effugere conamini, illos abijcere, illos sterner-
re, atque conterere anhelatis, quod cum multis alijs in rebus, tum
vero in hoc electionum negotio manifeste ostenditis. Nam cum
nuper Ratisponensis Ecclesiae in litem electio cecidisset: qui electo
astabant, hisce argumentationibus utebantur: si poterit Roma-

nus

A nus Pontifex suo ex arbitrio capitulorum votis obistere. Non est
quid deinceps mediae sortis homines, quamuis probi, quamuis do-
cti ecclesias sperare possint. Semper enim aderunt principum fi-
lij, qui petentes episcopatus praeferantur, quando & in domo Ba-
ioaria, & in Brosvicensi, & in Badensi, & in alijs illustribus fa-
milijs complures sunt ecclesiae mancipati, qui ditiores episcopa-
tus expectant. Age Martine; quid sibi haec voces contendant: quor-
sum haec argumentatio: verte si libet argumentum, & quantus
honus principibus deferatur intelliges. Si pro sua voluntate pre-
latos sibi capitula queant assumere, nec Romanus praeful in eos
B imperium vllum habeat, nullus unquam ex genere principum
in episcopum assumetur: Namque cum sint ecclesiarum cano-
nici maiori ex parte vel ignobiles, vel medij gradus nobi-
les: quis non videt illustres omnes exclusum iri? Cupiunt
sane omnes libertate potiri, nulli subesse, obedientiam omnem
abijcere: ideoque rectorem ex humili sorte deligunt, quem non
vereri, nec timere oporteat. Vidimus hoc in ecclesia Ratispon-
nensi: nam rogati canonici Ropertum postulare, prorsus renue-
re, ne praelatum sortirentur, cui parere cogentur. Nam & ipsi
statutum habent, quo cautum est: neque decanus canonicorum
C corripit, nisi maiori parte capituli consentiente; atque ita fit, ut
omnes discolori passim aberrent, compensantesque sibi quisque inui-
cem crimina, impunes abeant: quod si episcopum potentem sor-
tirentur, virgam correptionis frantumque timerent, atque idcirco in
ecclesijs Alemaniae rarus princeps eligitur, nisi Coloniae & Ar-
gentinae, vbi capitula ex illustribus complentur domibus: quae
cum ita sint, libet considerare in communi quod magis expediat:
an viris alto sanguine, an humili loco natis ceteris paribus ec-
clesiae melius committantur: cum Romana Ecclesia illos, capitu-
la istos praeferre consueverint: nec longa disputatione opus est.
D Illustres enim viri cum progenitorum imagines ante oculos ha-
beant, & multa incitamenta virtutum, perraro a probitate de-
clinant, cum paternos in filijs mores plerumque recognoscamus:
tum vero in reuerentia habentur, neque rebellant subditi, neque
insultant vicini: latet enim quaedam vis in nobilitate, quae po-
pulari sibi fauorem vel attrahit, vel conciliat. Contra vero
Ecclesiam ignobili praelato commissam, & ciues & externi dila-
cerant, nec quisquam est tam infimae plebis homo, qui Ecclesiam
pro sua virili non expilet, alius agrum, alius domum, alius vi-
neam

V V 4

neam

neam surripit, hic decimam, ille censum præstare recusat, atque **A** in hunc modum ecclesiæ, quæ olim opulentissimæ fuerunt, ad egestatem productæ sunt. Recte igitur Romano Pontifici ea facultas reseruata est, qua meliorem electum præferat. Quibus ex rebus his satisfactum esse putamus, quæ super electionibus obiecisti: nam sicut in pontificalibus ecclesijs Romana sedes electionibus detulit, quæ quidem rite peractæ sunt; ita & in monasterijs obseruatum est: sed est illa fortasse tua intentio, quam & aliorum quorundam esse didicimus; quia licet electi præficiantur ecclesijs, non tamen confirmantur electiones, neque satisfit eo modo publicæ concordia. Verum hæc querela non plus habet neruorum, quàm si hereditatem tibi ex testamento debitam cum tabulæ perierint intestato veluti proximior agnatus adire nolis; cum tamen utrobique ex asse sis heres: at qui sunt electi ubi prouisionem obtinuerunt, nihil ultra requirunt: neque auditus est qui reclamauerit tanquàm electionem potius confirmari quàm prouisionem de se fieri maluerit. Neque cassat Apostolica sedes canonicas electiones; sed ecclesijs viduatis ita consuluit, quemadmodum electorum verum fuisse consilium videtur; quæ via & tuæ nationi pro suo desiderio mos geritur, & Apostolicæ maiestati illæsa seruatur auctoritas, quàm priuatis minui stringere pactioibus nefas fuerit. Sed iam alia nos vocat ex tuis querelis, ad quam responsum præparamus. De gratijs expectatiuis conquereris, quia numerosissimæ in tua natione concessæ sint: & beneficia nominatim reseruantur; ac causas, concessamque nobis reseruationem, vel generalem reprehendere videris. At si conuenta legeris, inuenies dignitates, vt prædiximus, post pontificales primas, & in collegiatis ecclesijs principales in arbitrio sedis Apostolicæ dimissas esse: Reliquorum autem beneficiorum dispositionem partim collatoribus ordinarijs, partim summo sacerdoti per suos menses cedere: quòd si gratiam prima sedes de beneficijs ad se pertinentibus cuiquam, vel ante vacationem polliceri voluit, nõ est cur eam recte quisquàm incuset iure suo vsam, nisi fortasse votum captandæ mortis quispiam formidauerit; quod nos etiam vitandum esse iudicauimus: & Calistus quidem hoc semper exhorruit; neque conscij sumus pietatem eius dignitatem aliquam nominatim aliquando reseruasse, nisi forsitan vestri principes, & ipsi quidem maiores id precibus importunis, ac pene minacibus extorserint; nec tu gratiarum, quas vocant expectati-

Apectatiuas, vetitum vsu ex pactioibus arbitreris, nihil tale conuentum est. Assentimur tamen tibi, verumque esse fatemur huiusmodi gratias non esse omnino probabiles, eisque fortasse moderatius esse vtendum: nam passim concedi quibusuis, & ad vnam collationem multos concurrere haudquaquam probamus; nec ambigimus diuum Calistum, si paululum à molestia Turcarum requieuerit; huic rei proinde occursum, qui & hanc gratiarum consuetudinem ab initio sui Pontificatus abolere voluit, & nihil damnabile probat: arbitramur autem cum non deferrent ordinarij collatores, vt par erat, summo Pontifici, huiusmodi gratias repertas esse, quibus illorum manus per reseruaciones & irritantia decreta clauderentur, fieretque necessitatis quod prius fuerat voluntatis. At sicut indignum est ordinarios cuncta sibi retinere; pari modo detestabile censemus Apostolicam sedem vel nihil vel parum illis dimittere. Moderatio quam cuncti probant medium seruat iter: quod æquabile est, id iustum homines dicunt. Nunc de reseruacionibus cardinalium dicendum occurrit, quas primoribus tuæ nationis prælatis graue videri asseris. Loquimur hac in parte de nobis ipsis, alij suam causam tuebuntur. Reseruacionis nostræ ea vis est, vt beneficia Ecclesiastica, quæ nummos aureos bis mille annuos conferre possint in tribus Germaniæ prouincijs nobis, cum vacauerint, commendandæ seruentur: non putauimus hoc molestum esse nationi, in qua vitæ nostræ maiorem partem traduxissemus, & cui non paruis in rebus vsui fuissimus. Nos in ipso iuuentæ nostræ flore Germaniã intrauimus: fuimus in concilio Basiliensi pluribus annis, neque aliter nos gessimus, quàm si nati educatiq. in ea prouincia fuissimus. Ad Imperatorem deinde Federicum transiuimus, cui supra quindecim annos famulati sumus secretarium & consiliarium apud eum gessimus: interfuimus vestris conuentibus, qui de republica gerebantur, secreta vestra summa fide tractauimus, negotia diligenter absoluiimus, legationes quamplures obiuimus, nihil nobis antiquius fuit, quàm nationi vestræ obsequia nostra consecrare. Neque ista dicimus tamquam improperantes; habemus enim gratias Theutonice genti, quæ cū nostra opera vsa est, nobis magis, quàm sibi consuluit: honorauit enim personam nostram dū exercuit, nosque qui iacebamus erexit: ita vt intelligamus non nostris meritis, quæ scimus quàm sint exigua, sed Germanico fauore, & Imperatoriæ maiestatis intuitu dignitatem cardina-

dinalatus nobis esse delatam. At cum eò nos prouexerit Germanica natio, ut inter senatores urbis assumpti simus, & vnà cum primis Ecclesie viris summo præsuli Dei nostri vicario assistamus, persuasi eramus, quorū procuratione tantus nobis honor, tantus decor demandatus erat, eos non ægre daturos operam ut in eo perseverare possemus: ad quam rem necessarij sunt non parui redditus ac prouentus annui. Itaq. non putauimus Theutoniam ipsam, quam veluti patriam ducimus, iniquo laturam animo, si pietas Domini nostri ea nobis in prouincia illa beneficia largiretur, quæ littere Apostolicæ pollicentur: neq. sententiam mutabimus, nisi præsules ipsius nationis aliter nos instruerint, cum paucis contentemur, neq. montes auri cupiamus. Quod autem insolitas atq. inauditas litterarum nostrarum formulas esse contendis, procul à vero est: nam & Vvilielmi cardinalis Mecenſis, & aliorum reseruaciones inspeximus, earumq. sumus exemplaria secuti: sed illud fortasse te mouet, quod monasteria quoq. reseruari videntur; quod est pactionibus aduersum. Fatemur id quidem; neq. aduertimus priusquam litteræ mitterentur: at cum primū id resciuimus, mox patri clarissimo & humanissimo Gulielmo cardinali Rothomagēsi regia stirpe nato, qui nostri causa diuo Calisto verba fecerat, palā affirmauimus nos eis litteris neq. concordie nationis Theutonicæ quouis pacto repugnaturus fore; neque beneficia quæsituos, quæ principes nobis negaturi essent. Idq. procuratoribus nostris mandauimus, & demum Maguntino Colonienſi & Treuerenſi archiepiscopis præstantibus & integerrimis patribus id propositū nostris epistolis indicauimus. Nam cum nos pactionibus ipsis dū sancirentur interfuissemus, eisq. pro nostra virili fauorem tribuerimus, non sumus illi, qui factum nostrum impugnemus. Nā si vituperandi sunt qui leges transgrediuntur alienas, quid de his dicemus, qui suas ferre non possunt? Extant exempla maiorum, quæ ante oculos habere oportet. Romulus qui capitale dixerat, ne quis urbis siue vallum siue fossam transiliret, transgredienti Remo non pepercit, quamuis germanus ei esset. Mallius Torquatus filium suum percussit, qui contra edictum in hostem pugnauerat: & lepte filiam sacrificauit. Alius qui adultero effodiendos oculos sanciuerat, deprehenso in adulterio filio ut legis satisfaceret alterum sibi oculum, alterum nato effodi iussit. At fortius Canondas, qui cum leges Thurijs dedisset, capita-

A pitaleq. statuisset, si quis accinctus gladium in forum pergeret, ipseq. paulo post ex agro rediens non dimisso per inaduerſentiam ense in forum quasi ad excitatum progressus tumultum, ubi comonitus est se suæ legis corruptorem esse, versus ad eos, qui se redarguerant: at ego, inquit, vim legis mox ostendam, euagina toq. gladio iugulum aperuit: sunt tamen qui hanc laudē Zenchō tradunt. vtrunq. sit, intelligimus hic exemplis quam turpe quam foedum sit statutis quamquam proprijs aduersari: cum viri sapientes id flagitium morte redemerint, quod sic nobis ascribi queat & curauimus hactenus, & curaturi sumus. Hæc pro nostra reseruacione dixisse voluimus. Nunc ad communem beneficiorum collationem sermo percurrat, quæ tum, cum vacarent non his, qui virtutem: sed his qui pecuniā præferunt committi potius aſſeris. Fatemur in Romana curia quam regūt homines, non omnia esse nitida, nec ambigimus ipsos primæ Urbis antistites cum Christi Dei nostri vicariatū assumunt; homines remanere, & propterea in moribus falli, ac decipi posse. Sedent pij patres in thalamo: veniunt ad eos principes, & sortis alterius homines, & modo hunc, modo illum laudibus cumulant: dignū que grandi regimine aſſerunt. Credit Apostolica pietas, hisque beneficia mandat, quos commendatos accipit; atq. ita fit, ut aliquando virtus non agnoscat, cum internuncij, siue, ut aiunt, mediatores eiusdem prouinciæ aut amicitia victi, aut alijs de rebus decepti indignum digno preponunt. Homo est & inter homines uiuit: & in Romana curia auaros aliquos & seductores esse quis nescit, cum eò ex vniuerso orbe omne hominū genus confluat. At vitandos dices hisce vitijs inquinatos; non imus inficias si noscerentur: sed cauti homines vitia tegunt, & nulla hominum congregatio, quæ quidem maiuscula sit, malis hominibus omnino vacua est. Duo erant in exordio mundi Fratres, & alter occidit alterum: Octo fuerunt in arca regnante Diluuiō, & homine non caruere nequā, Canines qui seminaret. Duodecim sibi Christus elegit, quibuscum peregrinaretur in terris, & vnus inuentus est proditor. Paruus erat post Domini necem discipulorum conuentus; & reperi sunt qui fratribus illuderent. Nicolaus communionem probat vxorum: & periculum se passum in falsis fratribus affirmat Apostolus. Dum militat Ecclesia, dum peregrina est in terris, dū falsum nauigat vndosum, semper inter malos bonosq. percurrit: similisq. est sagenæ missæ in mare,

& ex omni genere pisciū congreganti. In area simul est cum tritico palea, in thecis adhuc grana cōsistunt: nō potest Romanus p̄sul introspicere, nec rimari hominum corda: Prauum est cor hominis & inscrutabile; quis cognoscet illud, inquit Ieremias? Ego Dominus scrutans corda, reas probans: Dei solius ea potestas est. Nullum animal homine versutius est, nullum fallacius, nullum insidiosius: mille sunt in homine latebræ, mille fallendi artes, mille nocendi modi: aliud in corde, aliud in ore gerit. Sæpe contemnere visus est aurum, qui sitientissimus eius fuit. Nihil ergo mirum est, si Romani Pontificis aliquando prouidentia fallitur, & beneficia malis artibus extorquentur. Illud autem constat, neq. Nicolao quondam, nec hodie Calisto plus auri ob commissas ecclesias datum esse, quàm ipsa conuenta permittūt: nisi forsitan expeditionis causa contra Turcas institutę Calistus super annatas aliquid acceperit sponte oblatum: quod profecto in tanta necessitate haudquaquā reprehensibile fuerit, & si crimen id esse putatis, necesse est ipsos Theutones vestros eius culpæ auctores fateamini; qui dum ecclesiarū regimina nimio prosequuntur ambitu, cum verentur ne sibi competitores præferantur, quibus possunt artibus illas procurant; in quo non minus peccant qui dignitates ecclesiasticas ambientes illis modis eas comparant, quàm qui eos adiuuant: sed & apud priscos longe his peiora vitia viguisse constat; apud Græcos, Romanos, Barbaros, quinimmo & apud Hebræos sæpe sacerdotia venisse legimus, & malis artibus quæsita, vt verum illud poeticum reperitur; Summus nempe locus nulla non arte petitus. Non hæc dicimus tanquam velimus asserere criminum excusationem, sed gementes temporum qualitates, & quid ex hac nostra deprauata natura pullulet, indicare volumus. Non imus igitur inficias esse apud nos nonnullos & auaritia & alijs vitijs inquinatos, quos damnamus, & abominamur; quinimmo summam adhibemus diligentiam illos cognoscendi, vt eos vitare ac punire possimus: at si hos omnino fugere, & eò ire velimus, vbi hæc hominū monstra desint, vltra Sauromatas, & glaciale cælum migrandū erit. Quære obsecro aliarum mores curiarū, omnes aliquo modo laborare inuenies. Agnosce quid apud vos agatur, & si non vis ferre testimonium, sine, audiamus quid alij dicant. Nonne dū prouinciam lustras passim rumores accipis populares, quibus vestræ curiæ culpantur? & vestri mores accusantur? alius can-

cel-

A tellarium, & ipsos criminatur scribas, alius consiliarios increpandos ait, alius auaritiam cubiculariorum, & alia vitia detestatur. Non est princeps, cui non subditi maledicant, nec curia est omnino à crimine munda. Lustrauimus & nos etate nostra multorum principum aulas, considerauimus regum mores: nullam regiam reperimus, quam non arpiæ foedarent; omnis prouincia suos habet Phineos, omne atrium suis deformatur inquinamentis: nihil est inter homines ex omni parte perfectum. At si velis conferre simul omnia, & minores sedes pro suis portionibus comparare maioribus, nullam inuenies curiam, in qua magis ex ordine, rectoque instituto quàm in hac Romana res gerantur, ne vsquam terrarum tantam doctrinam, tantam rerum experientiam, tot bonarum artiū studia, tot viros sanctimonie vite præclaros, quot in Romana reperias curia: vt recte hic esse domicilium, litterarum, & officinam virtutū quis affirmauerit. Quod si vitium aliquod est admistum, humanitati ascribendum est, quæ nusquam omnino candida reperitur, ac propterea non nunquam minus dignis sacerdotia concedi contingit. Verum si promotiones hinc sedis Apostolicæ: illinc capitulorū electiones confers, fateberis profecto tantum præstare Romanæ sedis ordinationem: quantum est primæ Sedis collegium singularium capitulis ecclesiarum præstantius ac sublimius: ac etiam si vnum fortasse Romanus Pontifex minus dignum promotione donauit, super mille inuenies rudes & ignaros, indoctos, hebetes, & prorsus ineptos ab ordinarijs esse promotos. Sed iam de causis transigamus, quas sine modo ad Romanam curiam euocari contendis. Non probamus quæ mensuram & modum excedunt: oportet tamen & vos iustos esse, non autem pecunia aut odio, vel amore pauperibus iustitiæ claudere ianuas. Vidimus & nos tribunalia vestra, & quomodo præbeantur in opibus aures nō ignoramus: **D** quid mirum si oppressos à suis iudicibus Romana sedes audientes subleuandosq. censet? patrociniū hoc orbis terræ ac refugium à Domino constitutū est, in quo pari lance debili ac potenti ius reddatur: est illud singulare, vt quamuis longinquis è regionibus huc litigaturi decurrant, sæpe tamen litem hic quam domi minoris faciunt. Tanta est aliquando apud eos non tabellionum tantum; sed etiam iudicum ingluuies ac rapacitas, quæuis & nostri hodie correctione egeat: sed ais, causas huc vel minimas trahi: causidicum te ostendis & aduocarorum consuetudinem

dinē seruas, nihil de maioribus causis refers, quas sacri canones
 ad Apostolicæ sedis examen remittunt: de his uelimus audire
 quid sentias. Vidimus aliquos ex praelatis uestris quamuis in
 maximis causis ad curiam citarentur, iudicium contēpsisse, nec
 minas, nec censuras ullas timuisse: & tamen nationis fauore ac
 protectione ufos: quid ergo grauius est, causas hic minores a-
 gitari, an maiorum recognitionem Romano Pontifici denega-
 ri? Stultitiæ profecto fuerit eum, qui tibi depositi causa centum
 debet decemq. mutuo tibi dederit, ex te repetere, & actorem par-
 uē atq. incertæ causæ se cōstituere, qui reus ē uestigio in magno
 reconueniendus iudicio dignoscitur. Tua natio si moderatione
 uti velit, operam in primis dabit, ne maiora iudicia primæ Se-
 dis contemnantur, exinde minoribus æqua constitui postula-
 re: si quid perperam, si quid indigne agitur emēdari curabit: Nec
 plura de causis apud doctum causidicū, quem si obstinato fuerit
 animo cōfundere magis, quā vincere dabitur. Ad indulgen-
 tias festinat oratio, quas miro carpis modo: nescimus quā ratio-
 ne, quo vultu, qua fronte. Nam quid obsecro est quod obijci in-
 dulgētis queat? nā quo pacto iniuriosum esse contendas, quod
 uoluntarium est? Si quis, inquit Pontifex, in expeditionem con-
 tra Turcas faciendam quattuor æra, sexue contulerit, remissio-
 nem peccatorum plēnariā consecutor: quid mali est? cælum piis
 mortalibus aperit, ad salutem uocat, ad opera misericordiæ inui-
 tat; neminem cogit, nulli minatur, spontanea contributio peti-
 tur, & maximam ob causam: nam quid maius esse potest, quā
 contra Turcas religioni Christianæ tutelam quærere? Illos in ar-
 mis uidemus, & in dies per Græciam & uiciniore regiones gen-
 tem nostram uirgere, & negabimus indulgentias esse conceden-
 das? Non uis cælū ascendere? mane in terra, in limo, in coeno te
 uoluta: nec est iustus, non uerus Christi cultor, non habet zelum
 secundum fidem, non sapit quæ Dei sunt, qui has indulgentias
 impedire nititur: nec indulgentias illas quisquam recte reprehē-
 derit, quæ pro tutela insule Cypri concessæ fuerunt. Sepe enim
 similibus ex causis priscos & sanctos patres indulgentias legi-
 mus elargitos: sed sunt qui reprobant indulgentias modo conce-
 di, modo suspendi, quod nos quidem non inuenimus factum in
 tempestate nostra, nisi ob causam Turcarum, quæ cum esset ce-
 teris & maior & periculiosior, id prorsus exigere uidebatur: nec
 scimus alias indulgentias, quā Cyprianas suspensas esse. Intel-
 ligimus

A ligimus tamen quorsum hæc querelæ tendunt. Fuerunt nonnul-
 li ex pontificibus uestris, qui Cyprios exquæstores ad se uenien-
 tes, nō aliter indulgentias in suis diocesisibus publicare siuerunt,
 nisi pecuniarum, quæ tum prouenirent alteram ad se portionē
 deferrent: & hi sunt qui suspensas esse indulgentias conquerun-
 tur; hinc illæ lacrymæ, hinc illa misericordia: piæ, iustæ, sanctæ
 apud hos Cypriæ indulgentiæ, iniquæ eadem detestandæq. iudi-
 cantur Turcicæ, quæ steriles sunt. Multa in hanc se partē dicen-
 da offerunt: sed nō est cur uerba in re manifesta perdamus. Illud
 finemus intactū, quod ad exigendos beneficiorum, quæ Romæ
 conferuntur, medios fructos, siue ut aiunt annatas, nullā permitti
 creditoribus morā accusas: quod tamen conuēta ipsa deposcūt.
 Verū est enim quod ais: uerū hoc ab eorum ingratitude ortū
 inuenies, qui cum ecclesias consecuti essent, dilationēq. faciendā
 solutionis obtinuisent: postquā litteras Apostolicas habuere &
 domū reuersi possessionē consecuti sunt, neq. in præstituta die,
 neq. post annos Apostolicæ cameræ satisfacere curauerunt, ex-
 cōmunicationis pœnā, cunctasq. cēsuras leui animo pēsitantes,
 quorum fuit non paruus numerus. Compulsa igitur Apostolica
 sedes (nam inde cardinalium victus est) aduersus iniustam rebel-
 lionem iustum inuenit remedium, & ingratitude obuiam per-
 gens, soluere ante tempus eos instituit, qui post tempus aliorū
 exemplo satisfactum iri non uidebantur. Subiungis deinde mille
 modis argentum ex Germania corrodere curiam; quod si dicta
 tua recte perpendimus, huc omnis querela conuertitur: tota est
 de pecunia lamentatio: aurum ploras, aurū gemis: uetustus est
 hic aduersus Italiam rumor: semper enim fuerunt homines ue-
 stri pecuniarū auidi, & à uero instabiles, qui dum lucris inhiāt,
 facilius sanguinem, quā pecuniam fundunt. Vbi faciendus est
 sumptus, hic conscientia remorsus: sed actus simoniaci criminis
 & sacrilegium ducitur, si quid exponant; at ubi recipiendum est
 argentum, plana sunt cuncta, ex lege liceat nec ne nihil consciē-
 tiæ metuitur, si quid in arca refertur. Nullam inuenies gentem,
 quæ sua ex regione facile asportari aurum sinant; communis est
 hic morbus, & in omnes æque prouincias effusus. Nam quem-
 admodum Germani ob hanc causam Italos infectantur odio, ita
 & Hūgari Germanos: Nam quid est quod Pannonicæ plebes æ-
 grius ferant: quā suo in regno Alemanos negotiari: à quibus
 omne egerunt regionis aurum? Eadem querela Polonorum est,
 Datio-

Datiorem, Suetioremque. In ipsa quoque Alemania plures gentes reperies, quarum altera alteram veluti argenti sui extortitorem odio infectetur. Nam quid odiosius est apud Baioarios & Austriales, quam Noriburgensium diligentia cunctas vel minutarum villarum nudinas peruagantium? Aspice metropolitanas curias, quis pontifex nec acerbo audit animo dioecesanos suos ad archipræsulem euocari, argentumque apud illum relinquere? At quemadmodum episcopi in suos metropolitanos: pari modo & plebani in suos latrant episcopos: sed necessarium est, ut potest suo loco dicemus, ordinatam esse rempublicam, & minores curias subesse maioribus: nec magni conuentus hominum omnino mundi & nitidi esse possunt, & omni vacare iniquitate. Maxima circa pecuniam misceri fraudes accidit, quae una res omnium, quae ad usum humanum spectant, mediatrix est. Verum quanto curia maior, tanto potentior est auaritia sinus: cum vitia simul ac virtutes ex subiectis populis eò confluant. Tua tamen indigna reprehensio est, quae aliorum culpam in summum Pontificem transfert. Ipse enim, ut ante diximus, id tantum quod sibi debetur accipit; nec beneficia vendit, ut ais, sed illis committit, quos arbitratur regendi peritos: si fallitur aliquando, non est mirum, in tanta negotiorum & curarum multitudine. Illud vero te praeteriisse haudquaquam decet, quod liberalitatem summorum Pontificum omnino taces: ais enim sine dilatione aliqua annatas exigi: at quam multi sunt, quibus annatae singulis annis vel toto vel ex parte remittuntur, prorsus omittis: & quam facilis fuerit Eugenius ad remissiones, quam liberalis Nicolaus, quam benignus Calistus silentio praeteris: calumnia est, eum qui mala profert, non simul bona referre; sed est profecto id genus hominum illiberale, qui cum multa receperint beneficia, pauxillum laesi omnium benefactorum memoriam ponunt: iniuriam tantum memores: eamque praedicant & magnificiunt, quibus sane haud dissimiles sunt, qui ex tua natione in Apostolicam sedem ora relaxant. Nam si qua gens est, quam prima Sedes honorandam extollendamque duxerit, ea Germania est, ut paulo post edocebimus: sed quoniam iam satis ostensum esse putamus ea grauiamina, quibus tuam nationem opprimi dicis, vel nulla esse vel minima: nunc tempus est ad id transeamus, quod tu secundo loco affirmas, hoc est de paupertate Germanicae gentis, quam licet olim potentissima & doctissima fuerit, his tamen Romanarum curiae

A curiae moribus, seu rapinis ad inopiam summamque impotentiam deductam esse dicis. Aduersamur in hac re tibi non minus quam in ceteris: nam neque pauper est Germanica natio, neque impotens, neque, ut tu te ais, ancilla; neque si sit, Romana curia culpanda est tanquam eius inopiae causa: quod ut manifestius declarem, ostendam in primis quae nam fuerit olim Germania, & quae sit hodie: quo facto liquebit nunquam Germanici nominis eas fuisse vires aut opes, quales sunt hodie. Repetamus igitur vetusta tempora, non dicimus aut Iani, aut Saturni, aut Iouis, nec rursus aut Romuli, aut Camilli, aut Alexandri magni, quibus regnantibus incomperum nobis est qualis fuerit Germaniae facies: C. Caesaris aetatem inspicere libet, cum ille militaret in Gallia, cum iam Christi noua per carnem natiuitas instaret, cum plenitudo temporis pene adesset: Quae nam tum, oramus, Germanorum opes fuerunt? quae possessiones? quae vires? Fatemur bellicosi, & in armis exercitati Theutones habebantur; ceterum vitam eorum describens in Commentarijs Caesar, Germanos omnes, ait, in venationibus atque in studijs rei militaris a paruulis institutos fuisse, labori ac duritiae studentes: in fluminibus se promiscue perluisse; pellibus animalium pro vestibus usus, magna corporis parte nuda; agriculturae non studuisse; maiorem partem victus eorum in lacte & caseo & carne fuisse; nec quemquam agri modum certum, aut fines habuisse proprios: sed magistratus aut principes in annos singulos gentibus cognationibusque hominum, qui una coierunt, quantum eis, & quo loco visum est, agri attribuisse, atque anno post aliud transire coegisse: ad frigora atque aestus euitandos non aedificasse accuratius: ciuitatibus magnam fuisse laudem, quam latissimas circum se vastatis finibus solitudines habere; vini usum apud eos incognitum esse: sic Caesar grauissimus auctor. Strabo quoque, qui situm orbis terrarum elegantissime conscripsit, cum prius dixisset: Statim igitur regionem trans Rhenum ad ortum vergentem Germani colunt, nationem Gallicam paulisper imitantes & feritatis abundantia, & proceritate corporum, & colore flauo. Postea tamen cum interiora Germaniae describeret, sic inquit: Sueuorum quidem gens amplissima, e Rheno siquidem usque ad Albim peruenit fluuium, eorum portio etiam trans Albim loca depascitur, quemadmodum Eumondori & Lancosargi: nunc autem isti transfluuium in fugam compulsi exciderunt. Commune autem est omnibus,

Germania
olim, & quae
sit Christiana
facta.

qui hunc tractum incolunt, vt aliò facile migrent; & propter vitus tenuitatem, & propter agrorum ignauiam colendorum, & propter pecuniarum inopiam; cumq. in tugurijs habitent. in diè habent supellectilem: plurimam ex pecoribus trahunt alimoniam, sicut & Nomades, domestica in carris tollentes instrumenta, quocunq. fors tulit & opinio, suis cum armentis conuertuntur. Is ergo fuit Germanorum status Strabonis tempore, quem vsque ad Tiberium Cæsarem vixisse constat. His similia de Germanis scribit Cornelius Tacitus, quem in Hadriani tempora incurrisse perhibent: parum quidem ea tempestate à feritate brutorum maiorum tuorum vita distabat: erant enim plerumque pastores, siluarum incolæ ac nemorum, cuiusmodi vitam inertem ac peregrinam esse Aristoteles auctor est, nec munitæ his vrbes erant, neque oppida muro cincta, non arces altis innixæ montibus, non templa sectis instructa lapidibus viscebantur. Aberant hortorum ac villarum deliciae, nulla viridaria, nullas confectiones, nulla tempe, nulla vineta colebant. Præbebant largos flumina potus, lacus & stagna inferuiebant lauacris, & si quas natura calentes produxerat aquæ. Rarum apud eos argentum, rarius aurum, margaritarum incognitus vsus, nulla gemmarum pompa, nulla ex ostro vel serico vestimenta, non dum miseris in viscera terræ mortales penetrare auri sitis adegerat. Laudanda hæc, & nostris anteferenda moribus. At in hoc viuendi ritu nulla fuit litterarum cognitio, nulla legum disciplina, nulla bonarum artium studia, ipsa quoque religio barbara; idolorum cultrix, atq. adeo dæmoniorum illusionibus labefactata, vt humanis sæpe hostijs litaturum esse apud illos, non sit ambiguum. Latrocinia laudi fuerunt, omnia foeda, omnia tetra, aspera, barbara, & (vt proprijs vtamur vocabulis) ferina ac brutalia. Talis tunc Germania fuit vsque ad Hadrianum Cæsarem: quamuis iam ceteræ orbis prouinciæ excultæ artibus ac moribus essent: sub illo autem Imperatore tota Germanica natio in potestatem Romanorum facta est post annos ducentos, quam Romano primùm milite debellari cepta est: exinde mitior facta ciuilem cultum accepit, eratque tunc longe angustior ac breuior, quam modo sit: siquidem Germania vniuersa inter Rhenum & Albim, vt alij volunt, Oderam, siue, vt alij rursus autumant, Vistulam ab occidenti ad orientem protensa solè, ab austro Danubij flumine, à septentrione Britanico oceano, & mari quod Balticum vocant vndiq. claudebatur.

Hadrianus
Imperator.

Germaniæ
fines.

Com-

A Cōparemus ergo cū veteri nouā, & primū de amplitudine dicamus. Danubius ac Rhenus, qui quondam Germaniæ limites clauferunt, nunc per medios Germanorum dilabuntur agros, Belgica regio, quæ Galliæ prius portio tertia fuit, nunc maiori ex parte Germaniæ cessit lingua & moribus. Heluetiorum quoque gens antea Gallica in Germanos trāsiiuit. Rhetia tota, & ipsum Noricum, & quicquid Vindelici nominis inter Alpes Italas ac Danubium fuit, ad Germanos defecit: ita vt etiam alpes ipsas cælo vicinas & perpetua niue rigentes nomen Germanicum penetrans in Italia quoque sedes posuerit, Brixinone, Marano, Bulzanoque in valle Athesis occupato. Austria, quæ apud priscos Pannonici iuris fuit, & Norici portio, in Germanicum nomen conuersa est. Stiria quæ veteres Vallenam vocarunt, Theutonicum morem atque Imperium subit. Corini quoque, quos modo Charintianos Carinolosque nominant, idem fecerunt; ita vt fontes Draui Sauique nominatorum fluminum Theutonicici iuris existant. Neque alpes vllæ inter Italiam atque Germaniam sunt, quarum summa cacumina non possideant, qui ad orientem non modo Albim, sed Oderam ac Vistulam transiuerunt: & in ipsa quidem occidentali Sarmatia Vlmerigorum & Gepidarum agros inuaserunt. Nam & Austria trans Danubium & Morauia, & quicquid Silesiæ ultra Oderam possident, Sarmatici quondam fuit soli, quin & in Oceano & Baltico sinu medias insulas sui iuris fecere Theutones, adeoque vestra natio germinauit, vt nomen vestrum verius à germinando tractum putemus, quam Straboni consentiamus, qui Germanos quasi Gallorum fratres dictos arbitratur. Vos forma & moribus & viuendi ritibus pares illis esse asseuerat: Sed tota aberrat via quando, neque similitudo morum, neque vos vlla inuicem beneuolentia conciliet, qua fratres appellari possitis, & vetustis vtrinque certetis odijs; quamuis circa Rhenum in vestitu tantummodo conformatio quedam existat. Verum ne longe vagemur, amplior est vestra natio quam vnquam fuerit, atque adeo magna est, ut nulli genti cedat. Faciem autem atque ornatum quis ignorat longe præstantiorem esse quam olim fuit? Nam agros vbique cultos videmus, nec desunt vineta, viridaria, violaria, pomaria, rustica & suburbana ædificia plena delicijs, villæ amoenissimæ, arces in montibus sitæ, oppida muris cincta, splendidissimæ vrbes, quas plerumque præterlabuntur flumina, aut amnes lambunt limpidiissimi lapideis aut ligneis pontibus

tibus permeabiles. Percurramus parumper Germanici nominis A
 vrbes, & quanta sit huius nationis gloria, qui nitor, qui splen-
 dor manifestius elucebit. Quid ea Colonia, quæ de cōiuge Clau-
 dij matre Neronis Agrippina dicta est, & trium Magorum offi-
 bus illustrata vel magnificentius vel ornatus tota Europa repe-
 rias? templis, ædibus nobilis, populo insignis, opibus clara, plum-
 bo tecta, prætorijs ornata, turribus munita, flumine Rheno & læ-
 tis circum agris lasciuiens. Transimus Gandauum populosissi-
 mam urbē, & totius occidentis in Burgensi oppido frequentissi-
 mum emporiū: quæ licet Gallici iuris esse videantur, Theutoni-
 co tamen sermone & moribus vestris vtuntur. Transimus niti- B
 das Brabantia ciuitates Bruxellam, Machliniam, Antuerpiam,
 ac Louanium: ad Rhenum reuertimur. Maguntina vrbs vetu-
 sta Variana clade insignis, templorum magnificētia, & priuatis
 ac publicis ædificijs exornata; nihil habet quod reprehendere
 queas, nisi vicorum arctitudinem. Vvormatia quoque etsi non
 magnæ amplitudinis est, nitidam tamen & amœnissimā urbem
 esse, nemo negauerit: in qua illæ Germanorum conuentus habi-
 tus est qui Romanæ Ecclesiæ, sedente Calisto secundo, inuestitu-
 ram episcoporum remisit; cum ab Othone primo vsq. in ea tem-
 pora Germanos episcopos ipsi Cæsares inuestire sibi vsurpāsēt: C
 in hac vrbe nos præposituram cum palatio nobili obtinemus, &
 eius causa in schola Heidelbergensi cancellariatum: neque Spi-
 ram quisquā contempserit populo plenā, & magnificis ædibus
 ornata; cuius nobile templū quamuis anno Iubilei conflagra-
 uerit, ita tamen postea restauratum est, vt felix incendium illud
 fuisse videatur. In hoc templo non pauci iacent Cæsares, inter
 quos Rodolphus est is, qui Austriae familiae auctor habetur. Ar-
 gentinæ vero tantus splendor, tantum decus, non ab re id ei no-
 men inditū fuit, quæ similitudinē Venetiarum exhibet, & mul-
 tiplicibus diuisa canalibus, qui naues in omnes ferme plateas D
 vehunt, eò salubrior atq. amœnior, quòd Venetias salæ, & gra-
 ue olentes, Argentinā dulces & perspicuæ percurrūt aquæ, hinc
 Rheni brachio, inde tribus alijs fluminibus urbē intransibus, &
 triplicem murorū ordinē ambientibus: ecclesia pontificalis, cui
 Monasteriū nomen est, secto lapide magnifice constructa in am-
 plissimam fabricam assurrexit duabus ornata turribus, quarum
 altera, quæ perfecta est, mirabile opus caput inter nubila con-
 dit. Sunt & alia sanctorū delubra, & monachorū cēnobia & am-
 plitudi-

A plitudine, & ornatu splendidissima: prætorium excellens, & ci-
 uium ac sacerdotum ædes, quas nec reges incoluisse piguerit.
 Omisimus Aquisgranum Germanici regni sedem, vbi palatium
 illud tota Germania nobilissimum Cæsarum, qui ex Theutoni-
 cis rerum potiti sunt, egregias ex lapide statuas ostentat, & delu-
 brum insigne, in quo reges vnguntur, singulis decennijs beatæ
 Mariæ Virginis interiorem vestem, quam vocant camisiam ve-
 nerabile sacrum populo exhibet, & magni Caroli caput inter
 reliquias seruat. Omisimus & Treuiros metropolitānam sedem,
 cuius auctorem Atrabam referunt Nini & Semiramis filium, &
 B Roma seniore trecentis & mille annis affirmant: sedente au-
 tem beato Petro salutiferam Christi religionem imbuisse. De
 Basilea non est cur verba fiant, quando eius nitor, eiusq. regen-
 di modestia & grauitas apud omnes peræque gentes in notitia
 sit, cum nostra illic tempestate generale concilium coactum fue-
 rit, vt supra retulimus: pari modo & propter synodi receptionē
 Constantia prætereunda est inter duos lacus constituta, quos
 Rhenus implet atque exonerat. Est memorabile oppidum in
 Heluetijs, quod Bernā vocant: cuius consulatus quoties in bella
 progreditur, facile in armis viginti millia pugnatorum exhibet.
 C Geneva quoq. regiū & magnū & splendidum oppidum ad lacū
 Sicaicum est, quem Lemanus fluuius patrem habet. Vnde Ale-
 manos dictos nonnulli autumant: hunc hodie fluuium Limacū
 appellant, qui propter Balnea tota Germania illustrata in agro
 Suicensium effluens, non longe ab oppido Lufembergio in Rhe-
 num exoneratur. Transimus Campidenam & Memmingam
 illustria oppida. Augustam Vindelicam ad Lycum fluuium ia-
 centem haud facile inuenies, quæ ciuitas altera superet siue ni-
 torem urbis, siue populi & cleri diuitias, & reipublicæ formam
 contempleris, sanctus Vdalricus hic præsedet. In Baioaria vix
 D oppidum reperias, cuius munditias non magnopere admireris,
 Saltzburgæ, quæ de fluuio dicta est, cui adiacet, olim Luuania
 nomē fuit, metropolitana sede, & diui Roperti vetustissimo tem-
 plo insigni, nihil est quod ad splendidissimæ ciuitatis magnificen-
 tiam desideres, siue publica spectes, siue priuata opera. Maior ta-
 mē est ea, Ratispona beati apostoli Petri delubro, & ponte, quo
 Danubius transmittitur lapideo, & pluribus Sanctorū ecclesijs
 memoranda: atq. in primis S. Emerami monasterio: & in hac vr-
 be sepe Theutonici Cæsares habuerūt conuētus, & Conradus cū

iturus esset in Asiam maximus certe Monachij nitor: nec minor A
 Straubingę, Landshute quoq. & Purgasifę haud facile platea-
 rum munditias atq. ædium magnificētias retulerimus. Pulchra
 est & amoenissimo sita loco Patavia hinc Eno, inde Danubio
 perfusa. Nam ibi maxima hæc duo flumina inuicē coniungun-
 tur tam pari magnitudine, vt nō facile iudices cui victoria cedat
 quāuis iudicio veterū superior Danubius Eno auferat nomē. In
 Austria cōplura sunt oppida digna nomine, inter quæ Nouaciui-
 tas nō infima est incolatu diui Cæsaris illustrata: sed omniū præ-
 clarissima est Vienna, quā prisci Flauianū appellauerūt: & hic
 credimus aras fuisse Flauianas, de quibus Ptolemæus cōmemo-
 rat. Hic ducum vetusta sedes, & palatia digna regibus, & tem- B
 pla, quæ mirari Italia posset: ex quibus diui Stephani delubrum
 admirabilius est, quàm nostris verbis exprimi queat, cuius tur-
 rim cum aliquando inspexissent Bosnensium legati, & tum ar-
 tificium, tum altitudinem diu admirati essent; in eam senten-
 tiam verba profuderunt, vt turrim illam pluris constitisse dice-
 rent, quàm regnū Bosnæ venundari posset. Tacemus priuatorū
 ædium splendorem & amplitudinem, quarum non paucas inue-
 nies ad regiam excellentiam fastigiatas. Ceterum hæc vrbes, &
 quæ memorauimus oppida extra Germaniam illam veterem, C
 in noua Germania continentur. At neque Germania ipsa vetus
 non illustrata est præclarissimis ciuitatibus, atque oppidis: quip-
 pe ad orientem super Oderam Vratislauia iacet vrbs Lateritia,
 ac non minus decora, quàm potens, cuius olim episcopatum au-
 reum, appellauere. Bruna in Morauia nobilior Olomutio est,
 quamuis eius pontifici pareat. Inter Prutenos notissima Gedani
 fama est: terra mariq. potentis oppidi, cuius populus ad præliū
 exiens haud minus quinquaginta millia bellatorum educere fer-
 tur. Naues eius in Baltico pelago complures negotiatorum na-
 uigant. Est Tornensis oppidi haud vulgare nomen, quamuis su- D
 per Vistulā ad Sarmatas olim pertinuerit. Bohemia quamuis
 Sclauonico sermone vititur, sub imperio tamen Germanico sese
 continet, & moribus vititur Theutonicis, & pauci sunt inter Bo-
 hemos saltem nobiles, qui non vtramq. nouerint linguā, & vn-
 dique cincta est ea terra Theutonicis plebibus. Illud quoq. Ger-
 manicam esse Bohemiam palam ostendit, quod intra ecclesias
 Theutonico tantum sermone instruere populum sacerdotibus
 permissum est: in coemeterijs autem Sclauonico. In hac prouin-
 cia

A cia Praga est caput gentis maxima, & pulcherrima vrbs: nec E-
 trusca Flōrētia minor nec deformior, verum flumine interfecta
 cui Moldæ nomen est, & multo maiori quàm sit Arnus; cu-
 ius regia inter opera Germanię admodum est excellens. Sunt &
 Colonia, & Blodo, & Litomexitia, & Pilzna, & Litumilitia, &
 Budouisia inter Bohemas insignes vrbes. Prætermittimus Tha-
 bor arcem hæreticorum munitissimam, & Nouamdomum, &
 plurima illius gentis populosa & præstantia oppida: prope O-
 ceani ripam haud paucas ciuitates memoratu dignas inuenies:
 sed omnibus præstat Lubecum altissimis ædibus templisque mu-
 nitum ornatissimis: cuius vrbs ea auctoritas est, eæ opes, vt ad
 eius nutum tria maxima regna Daniæ, Suetiæ, atq. Noruegiæ
 vel admittere, vel excludere consueuerint reges. Luneburga sa-
 linis quondam diues & ornatum oppidum, nunc ad egestatem
 redactū. Nam dū cleri affectat opes, suas amittit. Est Rostochiū
 & Magnopolis in Mediterraneis ciuitas Hildensemensis haud
 contemnenda: Verdia quoque Cæsarum patria. Bremis vetus
 metropolis, & Danorū gentis in Christo mater non sine laude
 nomen habet. Virginopolis quoque magna & insignis habetur
 & ipsa inter Saxones archiepiscopalis sedes: nec Martinopolim
 C quispiam contempserit: quo ex loco Federicus Barbarossa duos
 fratres de regno Bulgariæ dissidentes, cum se arbitrum elegis-
 sent, & ad eum in Saxoniam venissent: concordem domum remisit:
 quis enumeret vel Frisiæ, vel Hollandiæ, aut Vvestphaliæ, quot
 sint memorabiles vrbes? Traiectū quidā Frisijs tradunt potentē
 & splendidā vrbs. Dodacum excellens oppidum Hollandini
 suum dicunt: Vvestphali monasterio gaudent, & Osnaburga
 & Padeborna, & Mindena ciuitatibus minime paruipendēdis,
 & oppido Suslatensi, quod tempestate nostra cū Ecclesię Colo-
 niensi rebellasset magnis obsessum copijs, quamuis Saxoniarum dux
 D Vvilelmus cum potenti manu Bohemorū inter obseffores dies
 noctesque pugnam ciceret, nulla vi superari flectique potuit. In
 Hassia quoq. non pauca oppida commendanda, sed plura in Tu-
 ringia, quorum & maximum, & famosissimum est Erfordia po-
 pulo, & opibus plena: nec aduocatorum terra suis laudibus ca-
 ret, in qua Ægra est vrbs peramœna ex flumine qua perluitur
 nominata, qui quamuis iuris imperij sit, hypoteca tamen Bohe-
 morum facta, ad Silichensem familiā deuenit, cuius caput fuit
 Gaspar Silichius de nobis, vt nosti, benemeritus, vir rarissimæ
 X X 4 laudis:

laudis: nam trium Cæsarum, qui sibi inuicem successerunt cancellarius & quidem acceptissimus fuit, & coniugio ducali illustratus. In Franconia super Moganum iacet Frankfordia inter inferiores & superiores Theutones commune Emporiū, & vrbs quamuis magna ex parte lignea, pluribus tamen palatijs ornata lapideis, vt reges haud indigne recipiat: templa vero Deo sacra ex lecto lapide superbissima visuntur, & pons saxeus miræ longitudinis partem vrbs trans Moganum minorē maiori coniungit. Hic prætorium nobile, in quo sæpe principes electores conueniunt de rebus acturi communibus, & hic cum vacat Imperium Cæsarem eligunt. Postponimus Aschiafeburgium Marguntini tui refugiū, & omnium molestiarum laxamen tuarum. Herbipolis ad eiusdē fluminis ripam sita est ducalis & pontificalis sedes, templis & ipsa nobilibus memoranda, & arce munitissima. Bamberga quoq. illustris ciuitas delubro insigni & peruetusto; in quo sanctus Henricus Imperator eius nominis secundus reconditus est, & miraculis claret: transimus Forchemiam niueo pane famosam, & Anaspachum, & Rottemburgam, & alia pene infinita Franconum oppida, quorum neque munitio- nes, neq. ædificia quisquam contempserit. Norinbergorum oppidum flumine Pegnitia intersectum (nam hodie Franconibus datur) preterire non possumus. Dic rogamus, (nam hinc vxorē duxisti castissimam æque ac pulchram,) quænam facies huius vrbs, quæ amoenitas? quæ delitiæ? qui cultus? quæ forma regiminis? quid illi ad ciuitatem omni ex parte perfectam desiderare quispiam potuit? quis venientibus è Fræconia inferiori & procul spectantibus eius vrbs aspectus? quæ maiestas? quod decus ab extra videntibus? quis intra nitor platearum? quæ domorum munditiæ? quid sancti Seboldi templo magnificentius? quid splendidius diui Laurentij delubro? quid arce regia vel superbius, vel munitius? quid fossa? quid moenibus illustrius? quot ibi ciuium ædes inuenies regibus dignas? cuperent tam egregie cōstructas Scotorum reges inhabitare, quas mediocres Norimbergæ ciues habitant. Habent Sueui trans Danubium multas vrbes: regina tamen omnium Vlma est & ipsa potens, & non immunda ciuitas. Baioarij quoq. Danubio transmissio Eyfathiam, & Amburgam, & Nouum incolunt forum, & alia non pauca oppida, in quibus multæ munditiæ, multus nitor: quod si quis ad verum loqui voluerit, fatebitur nullam esse in Europa nationem, cuius vrbes

A vrbes mundiores aut aspectu lætiores, quàm in Germania sint. Possis forsitan ex Italicis vrribus nonnullas præferre, veluti Venetias, Genuam, Florentiam, Neapolim, quibus summus inest splendor atq. ornatus. At si nationem nationi conferas, non est quod has vrbes Germanicis anteponas. Noua quodammodo Germaniæ facies, & vrbes ipsæ veluti nudius quartus constructæ, atque erectæ videntur; quibus ex rebus constat nationem tuam non esse inopē. Neque enim pauperes ædificare magnifice possunt: quod si verum est quod aiunt, ibi opes esse, vbi negotiatores: fatearis necesse est opulētissimos esse Germanos, quorum pars maxima, lucris inhians, mercaturis intenta, alienas longe lateque prouincias peruagatur, ac sicuti Flaccus ait, Per mare pauperiē fugiens, per saxa, per ignes, non nisi diues domū reuertitur. Et adde venas auri atq. argenti, quas ignorauerunt prisca, apud uos repertas: in Bohemia montes Cuthin, in Saxonia Rambbergij, in Misnia Fribergij inexhaustas ostenderunt argenti mineras. Duces Austriæ in Enizanasis vallibus, & in Stiria apud sanctum Leonardum non longe à Volspergia argentū effodiūt. Rhenus aureas euoluit arenas, & in Bohemia fluuij sunt, in quibus ad magnitudinem ciceris aurea grana reperiunt: ferrum & aurichalcum, & æris magnam vim domi reperitis. In Hungaria quoque aurum, quod apud Crimitiā reperitur ipsi plerunq. contrectatis, magnasq. domos refertis opibus, quod supelectiles vestræ demonstrant, & onustæ auro argentoq. mensæ: nam quod diuersorium apud vos est, in quo non ex argento bibatur? quæ mulier non dicimus generosa, sed plebea, non auro nitet? quid torques equitū, & equorum fræna ex auro purissimo referamus? & tot calcaria, & vaginas gemmis tectas, & annulos, & balthea, & thoraces, & galeas auro fulgentes? quanta in Ecclesijs pretiosa supellex? quot reliquiæ margaritis & auro vestitæ? quis ornatus altarium ac sacerdotū? quid sacrarijs vestris inueniri ditius posset? Pauper ipse ingenio fuerit qui Germaniā pauperem affirmauerit: & si vos non amplius cupitis, omnia suppetūt, nā ea paupertas animi & auaritia potius appellāda est, quàm rerū indigentia. Hæc de opibus parce dicta sint. De potentia nunc nationis paululū differamus. Potentia Germanorū trifariā est diuisa: nam & prælati, & principes, & ciuitates, quamuis vnum habent caput, in cuius verba iurant Imperatorem Romanū, suo tamē arbitrio plerunq. mouentur, & quasi libertate potiantur, suis imperant

Venas auri & argenti.

De potentia Germanorū in spiritualibus.

imperant subditis. Inter praelatos tres sunt opibus, & potentia excellentes, atque inter electores Imperij honoratiores archiepiscopi, & archicancellarij per Germaniam Maguntinus; per Gallias & regnum Arelatenſe Treuerenſis: per Italiam Colonienſis: & Maguntinus quidem electorum decanus habetur, qui ubi neceſſitas ingruit, eos conuocat. Treuerenſis vero in electionem Imperij primam habet vocem. Colonienſis vero electoratus honore fungitur, ſed dux etiam Vveſtphalorum appellatur. His maximae ciuitates parent, opulentiffima oppida, & multi, & potentes, & nobiles: nec minor his Salzburgenſis archiepiscopus eſt, in ſua prouincia legatus, vt aiunt, natus: qui vt latam dioceſim ſua melius regeret, quattuor episcopatus ſuo aere fundauit, Gurgenſem, Seczuienſem, Chiemenſem, & Lenantium, hiſque curam ſacramentorum commiſit, quos ipſe ſibi aſſumere & conſecrare conſueuit. Sed Gurgenſis ei ſubtractus eſt, quem Romana ſedes bis noſtra tempeſtate aſſumpſit. In prouincia vero ſuffraganeos habet Salzburgenſis Ratiſponenſem, Patauienſem, Friſingenſem, & Broxionenſem, ex quibus Patauienſis ditior, Ratiſponenſis dignior, Friſingenſis antiquior, Brixionenſis turtior haberi conſueuit. Poſſident tamen omnes munitas arces, & oppida plena populis, plurimoſq. vaſallos habent. Nationis vero Germanicae primatem Magdeburgenſem archiepiscopum eſe tradunt, & ipſum potentem atque opibus abundantem. Bremenſis ſextus archiepiscopus Germanorum, & ipſe temporalis dominus; Validus ſeptimus Germanicae nationis archiepiscopus; inter Bohemos Pragenſis eſt, qui cum eſſet olim ſuffraganeus archiepiscopi Maguntini, inſtante Carolo Imperatore Sigismundi patre interfecto a dioceſanis Maguntino archiepiscopo ad ius metropoliticum ſublatus eſt. Sed hic nutante regno, & perſidam Huſſitarum haereſim admittente ad inopiam deductus iam pluribus annis paſtore caret. Inter Germanos episcopatus florentiſſimi ſunt Leodiienſis, & Traiectenſis, quorum ſi alter in bellum exeat, non minus quadraginta millibus pugnatorum eſt ſubiectis ſibi populis in armis habebit. Fuit & Herbipolenſis quondam ditiffimus, quem Francones ducem ſuum appellauere: hodie vero admodum attenuatus aſſiduis vexatus vicinorum bellis: ſi quid tamen regioni ingruat aduerſi, haud paruum exercitum in arma cogere poteſt magnis & potentibus vaſallis circumſeptus. Bambergenſis quoque diues eccleſia, quamuis inter Fran-

cones

cones ſita eſt, in Carinthia tamen haud parui momenti oppida poſſidet Villacum, ac Valspergam. Omittimus Auguſtenſem, Conſtantienſem, Hildeſemenſem, Eyſtatenſem, & alias quamplures eccleſias, ne taedium longitudo pariat: nam ſupra quinquaginta pontificales eccleſias Germani poſſident; in quibus diuites & potentes episcopi praesident, quibus Italici noſtri comparati plebani potius, quam pontifices dicendi videbuntur. Adde canonicatus & praelaturas eccleſiarum, quot praepoſiturae, decanatus, archidiaconatus, quot in his viri nobiles? quot iuris interpretes? quot theologi praesident? In Colonia, & Argentina ad primas praebendas nemo admittitur, niſi genere illuſtris: in Maguntina vetuſta & magna ei nobilitas probanda eſt, qui canonicatum expetit. In Leodio ſupra ſeptuaginta praebendas in maiori eccleſia numerant. In collegiatis delubris multo plures. Vratiſlauienſem episcopatum aureum quondam appellauerunt. Praeterimus opulentiffima monaſteria, in quibus & monachi vbertim aluntur, & hospitalitas cuiuſuis generis hominum magnifice obſeruetur; ſcimusque nonnullos abbates adeo in Germania potentes eſſe, vt principatus honore fungantur qualem, & Fuldenſem, & alios eſſe percepimus: quid dicimus? abbatiffas quoque eiufdem honoris participes nouimus, ſicut in Stira, & in Colonia ad vndecim millia virginum in vno monaſterio eſſe perhibentur, in quo ſolum illuſtres feminae admittuntur. Praetermiſimus ditiffimas praepoſituras, opulentiffimos archidiaconatus, vberriſimos decanatus, & parochiales eccleſias Italiciſ episcopatibus praefendas. Tacemus Theutonicorum fratrum, quos beatae Mariae vocant, qui nunc Polonico bello vexantur, quorum potentia par regibus eſt. Ad principes laicos impetus feſtinat orationis: nam quae natio ſub celo eſt tot clariffimis domibus, tot illuſtribus exornata principibus? Vbi tantam inuenies aut nobilitatem, aut armorum gloriam ſicut apud Germanos? Relinquimus militares familias, & quae torneamento dignae cenſentur, quarum pene infinitus eſt numerus: quauis nulli ad id genus ludi admitatur, niſi vetuſtiſſimi nobiles, quorum progenitores ſupra memoriam hominum & opibus & potentatu claruerunt. Eas recensere proſapias longum eſt, quae dici imperiales queunt: quoniam ex his ſepe lecti Imperatores fuere, inter quas clariffima ſunt Auſtriaca, ac Baioarica vetuſtiſſima Bruſuicenſis mater Ottonum de Ro-

mana

Quinquaginta eccleſias poſſident Germani.

mana Ecclesia optime meritorum. Saxonica iam defecit, & Luxemburgensis, quæ cum Romano imperio ditissimum Bohemiarum regnum Stirientibus inde pulsus ad se recepit, & ferocissimis Europæ gentibus Hungaris imperauit. Supererat ex hoc sanguine nobilissimus adolescens Ladislaus ex filia Sigismundi Cæsaris, & Alberto Imperatore natus: sed hunc crudelissima lues viij. Calend. Decembris anno superiori apud Pragam Bohemiarum metropolim immatura & acerbissima morte præripuit. Quo moriente & nobis simul & multis gentibus obtenebratus est Sol, cum expectabamus felices nuptias, & orbe toto nobilissimas. Iam enim legati Margaritam accersitum ierant Christianissimi regis Franciæ Caroli generosissimam filiam: sed dum altissimi sanguinis coniugium præstolamur, immaturum (proh dolor) funus extulimus, cumq. regem sepeliuimus, in quo suarum miseriarum vnicum solamen & Hungari, & Bohemi, & Austriaci, & Scleritæ, & Morauæ reposuerant; nec Christianus erat, qui non fidelium reipublicæ multa & magna de tanto rege promitteret: sed illi sua mors vita fuit, qui ex obscurissimis tenebris ad candidam lucem migravit: nobis eius obitus funestus est, & desendus, qui tot regna, tot gentes, tot dominia suo priuata domino in bella cernimus, & crudeles itura strages: sed leuius fit patientia quicquid corrigere est nefas. Hæc non potuimus ei regi verba non consecrare, quocum puero diu viximus, & à quo fuimus supra meritum dilecti, cum inter scribendum eius nobis obitus enunciaretur. Insignis hic annus fuit & tanti regis interitu, & Ioannis Portugalliæ infantis filij, qui à rege Cyprio gener ascitus, & in spem regni assumptus, non sine opinione recepti veneni diem obiit, simulq. Francisci Foscarum Venetiarum ducis, qui cum quinque & triginta annos magna gloria patriam gubernasset; tandem, ut sunt inconstantes populi, & nihil nisi præsentem vtilitatem pensitant grædæuus senex relinquere magistratus iussus est, qui per motus suorum ciuium ingratitude, & palatium simul & vitam reliquit. Sed iam reliqua prosequamur, quando & in regem, & in aratorem par est mortis imperium. Diximus tres archiepiscopos in electione Imperatoris vocem habere, sed cum his quatuor alij concurrunt ex principibus sæcularibus, quorum primus est rex Bohemorum: secundus comes Palatinus Rheni, qui & vnus est ex duobus Bauarijs: tertium Saxoniarum ducem faciunt, & vltimum marchionem Brandeburgensem: & in curia quidem Cæsaris

A Cæsaris rex pincernæ officium implet: comes dapiferi, dux marescalli, Marchio camerarij. Præter has ducales domus quamplurimæ sunt potentissimæ, ut Pomeraniæ, Magnopolenses, Moenienses, Cluienses, Gerlenses. Inter marchiones post Brandeburgenses, clarissimi Badenses & vetustate sanguinis, & opinione iustitiæ: comitum quoque claritudo inuenta est, ut ex his quoque Imperatores lectos inueniamus: si quidem comites de Nassau & de Rugra ciuitate imperauerunt, Langrauius Hassiæ, qui hodie viuit, ni recusasset, imperium obtinisset. Sunt & comites Morfatenses admodum insignes; ex quibus ætate nostra quattuor præstantissimi principes claruerunt, Theodoricus, qui Coloniensi ecclesiæ iâ super sex & quadraginta præsidet annos, & contra Sutfatenses, qui à se descuerant, multa & magna prælia vario euentu gessit: Henricus, qui longo tempore Monasteriensem gubernauit ecclesiam, & Guglielmus, qui cum electus ad episcopatum Traiectensem non admitteretur, diutino bello eam regionem afflixit. Sed omnium comitum, qui hac tempestate apud Germanos clarè, potētissimi sunt Wirtembergenses, nec marchionibus, nec magnis ducibus inferiores. Cluienses comites nostro tempore defecerunt. Ipse quoque Philippus Borgundionum dux quamuis Franciæ regio sanguine ortus, latissimas tamē, & diuites in Germania prouincias obtinet, quarum causa Imperij vassallum sese fatetur. Quam ergo & qualem esse horum potentiam principum formidabilem? quam terribilem putas si vnum in locum se ostenderit? Sed sunt adhuc opulētissimæ & populosissimæ ciuitates, quas vocant Liberas, quoniam Imperatori solum subijciuntur, cuius iugum instar est libertatis: neque profecto vsquam gentium tanta libertas est, quanta fruuntur huiusmodi ciuitates: nam populi, quos Itali vocant liberos, hi potissime seruiunt siue Venetias spectes, siue Florentiam, aut Senam; in quibus ciues præter paucos, qui reliquos ducunt, loco mancipiorum habentur, cum nec rebus suis uti ut libet, nec dari quæ velint, & grauissimis opprimantur pecuniarum exactioibus. Apud Germanos omnia læta sunt, omnia iocunda, nemo suis priuatur bonis, salua cuique sua hereditas est, nulli nisi nocentibus magistratus nocent, nec apud illos factiones, sicut apud Italas vrbes grassantur. Sunt autem supra centum ciuitates hac libertate fruentes: nam & in Rheno & in Danubio multæ sunt, & mari proximæ, quas appellant stagnales quamplurimæ, & in mediterraneis aliæ, quæ simul foederatæ iniurias principum

Centum ciuitates in Germania.

cipum proprijs armis propulsant. Quanta insuper vel principum **A**
 vel ciuitatum armorum peritia est? quantus usus? quanta in bel-
 licis disciplina? Nati in Germania pueri prius equitare quam lo-
 qui discunt, currentibus equis immobiles haerent sellis, lanceas
 Domixorum longiores ferunt: frigore ac sole durati nullo labo-
 re vincuntur. Nullus inermis aut Sueuus, aut Franco iter ingre-
 ditur eques, tam leuiter arma quam membra fert Germanus mi-
 les non solum nobiles, sed ciues quoq. ex plebe nati armamen-
 taria in domibus habent: & ad quosuis inopinatos incurfus siue
 rumores armati continuo prodeunt. Stupenda res est ac ferme in-
 credibilis, quanta peritia est equos regere, flectere, atq. in gyrum **B**
 ducere; quanta sagittandi ars, quantus lancearum usus, quae cly-
 peorum agilitas, quae stringendi, versandique gladios scientia,
 quae machinarum ac tormentorum experientia: Rideat necesse
 est reliquas armorum officinas, qui publica Theutonicorum ar-
 mamentaria viderit. Tot ibi maiores balistae, tot Catapultae,
 tot arietes, tot insolitae magnitudinis aenea tormenta visuntur,
 quas vocant bombardas, quarum & ipsi Theutones repertores
 habentur. Adde singularum copiarum duces, quos nostra ferunt
 tempora, quot apud vos clarent militiae ductores? quanta est Al-
 berti marchionis Brandeburgensis gloria? siue fortitudinem ho- **C**
 minis siue prudentiam exigit? Is ab ipsa pueritia in armis educa-
 tus pluribus interfuit bellis, quam alij fortasse legerint. Milita-
 uit in Polonia, Slesia, Prussia, in Bohemia, in Austria, in Hunga-
 ria, in omni ferme Germania nullus angulus, quem non calcaue-
 rit armatus: duxit copiosos exercitus, prostravit ferocissimos ho-
 stes, cum Norimbergensibus nouem bella gessit, in octo victor:
 in vno victus, in quo prodicione deceptus, quamuis pene captus
 videretur, fortitudine periculum subita superauit industria. In con-
 gressibus iniit pugnam primus, vltimus excessit de praelio ad sin-
 gulare certamen sepius inuitatus nunquam non strauit hostem: **D**
 in ludo quo solo tecti clypeo acutis sese lanceis impetunt septies
 & decies concurrat semper victor: in oppugnationibus urbium
 saepe primus murum ascendit. Quibus ex rebus non iniuria Theu-
 tonicus appellatur Achilles, nec profecto quemquam nouimus
 quem nostra sibi praeferat aetas, ne dicam equet. Neque enim in
 hoc homine tantum militares artes & Imperatoriae virtutes sin-
 gulari quodam modo relucet, sed nobilitas generis, proceritas
 corporis, venustas faciei, facundia linguae & virium robur, ad-
 mirabi-

A mirabilem eum efficit. Sunt & Vilelmus Saxoniae dux, & Geor-
 gius Raggiæ Braticis Bohemiae gubernator, quos laborum con-
 temptus rerum multarum experientia, oculus in rebus subitis
 perspicacissimus, incredibilis diligentia, solertissima cura, ani-
 mus inquietus, & nullius ignarus artis, quas bello necessarias
 ducunt Alberto proximos faciunt. Nec minor his Ioannes Hu-
 niates fama clarus, & magnis fultus copijs, & saepe cum parua mi-
 litum manu hostes profligauit. Incipit & nunc nomen sibi assumere
 Ioanes comes de Pulchro monte, qui Prutenorum causam fratrum
 defendens, magnas per has dies Polonis strages intulit. Longum es-
B set quot per Saxoniam, Sueuiam, Franconiamque viri clari sint re-
 censere numerosos exercitus ducere idonei, si quidem & Federi-
 cus comes Palatinus princeps elector, & Albertus germanus Im-
 peratoris & Carolus, ac marchio Badensis digni omnium iudi-
 cio existimati sunt, qui copijs in Turcas educendis recte praefi-
 cerentur. Haec Germaniae tuae potentia est Martine, quam si vel
 paruam vel contemnendam dixeris, non deerunt qui te contem-
 nant potius, & parui aestiment esse iudicij. Sed quonia de poten-
 tia satis dictum est: de moribus ac doctrina non nihil dicendum
 occurrit, ut liqueat in hac etiam parte nouam Germaniam vete-
C rem illam, quam tantopere laudas, haud parum superare.
 Et mores quidem hominum duplici via consideramus: nam & qua-
 les inter sese homines ipsi sint animaduertere solemus, & quale
 Deo cultum exhibeant. Vtramque superius viam apud veteres
 Germanos, auctoritate maiorum ostendimus, monstrauiusque
 in natione tua nec Deo verum cultum exhibitum fuisse: nec Theu-
 tones ad ciuilitatis usum exercitationem habuisse, qui etiam &
 vana simulacra colebant, liberos suos daemone immolantes, &
 rapinis caedibusque gaudentes, iniuriari vicinis, eosque bonis spo-
 liare in laudem trahebant. Nunc vero ad vos legitima Dei no-
D stri sacra deducta sunt, & vnum cum Sancta Romana Eccle-
 sia verum, & vnicum Deum Christum colitis, & quamuis ad-
 huc veterum nonnulla rapinarum vestigia maneant (nam hoc
 vnum est ex prisca barbariae vitium inter vos relictum) non tamen
 ea praedarum libertas est, quae olim fuit, nec ciuitates vestrae
 praedonibus, si quando in potestatem earum veniant, veniam
 praebent, sed eos acerbissimo rotarum supplicio enecant. Vidi-
 mus iudicia vestra, & consilij vestris, quae de republica gereban-
 tur (ut ante diximus) saepius interfuimus, omnia & prudenter &
 gra-

grauius administratis: nec facile à recto tramite deflectimini: **A** nec vobis ciuiles leges, nec iura defunt pontificalia: litterę quoque & omnium bonarum artium studia apud vos florent: Scholas quoque in quibus & iura, & medicina, & liberales traduntur artes in Germania plures vrbes habent, vt Colonia Agrippina, Louanium, Heidelberga, Praga, Erfordia, Vienna, Rostochiũ, in quibus viri claruerũt, & nostra quoque etate nõ inferiores clarẽt. Suscipiuntur hospites apud vos læto vultu, sed meliori corde, & primarij vrbiũ ciues hospitalitatẽ exercent, apud quos nulla suspicio fraudis esse posset: conuiuitis humanissime omnibus gentibus: tantũque hodie & hominibus vestris, & rebus nitor impositus est, vt præter sermonem patrũ nihil intra vos barbarum remansisse videatur; quod si qui vos amplius barbaros appellauerint, ipsi vero barbarissimi censendi fuerint siue Græci siue Latini: atque vtinã Hierosolyma, Macedonia, Thesalia, Achaia Peloponnesus, Epeirus, & illa Italię loca, quę olim magnã Græciã vocarunt, non magis quã Theutonia barbarizarent. Profecto non est quod priscam Germaniam quouis pacto huic præferas, quam modo videmus. Vellemus a mortuis aliqui ex illis tenebris resurgerent, aut Ariouistus ille, qui copias ingentes ex Germania ducens cum Iulio pugnauit in Gallia: aut Gannascus, **C** qui Claudio imperante ferocissimam Francorum gentem contra Romanos armavit; aut Vannius, qui Drusi Cæsaris amicitia potens seruis præfuit: aut Vangio & Sido, qui Vibium ex Hermundurorum regno pepulerunt, aut Verritus & Maloriges Frisij, qui legationem quondam ad Neronem gerẽtes, cum intrassent Pompei Theatrum, vidissentque quosdam cultu externo inter senatores sedere, & intellexissent id honoris earum gentium legatis dari, quę virtute & amicitia Romana præcellerent, nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse exclamauerũt, ac digredientes inter patres confedere, ob quam rem ambos **D** Nero ciuitate donauit. Nam si quis horum nunc audiri posset, audiremus eum profecto Germaniam non esse asseuerantem, terram ipsam, quam tam bene cultam videret: negaret enim quiuis horum eo se loco natum, in quo tantum nitoris, tantum vrbauitatis atque humanitatis inueniretur. Idem faceret & Boiocalus inter Asibarios olim clarissimus, & in exercitibus Romanorum probatus; idem Ciuilis ille, qui sub Vitellio ac Vespasiano res Germanicas conturbauit. Omnes isti si modo ẽ tumulis excita-

A citarentur, fortasse oculos attollentes, cũ inde Vrsam & Trionnes & Cynosurã cernerent, patrię cælum recognoscerent, & illis sub astris se quondã natos reminiscerentur: at cum terram inspicerent, negarent suam esse patriam, cuius faciem non cognoscerent. Quæ cum ita sint, audes dicere nationem Germanicam ad inopiam esse redactã, & ancillæ formã induisse, quæ domina gentium fuit, & imbecillum iacere spretam atque contemptam? Nõ est pauper Germania vt probauimus, non impotens, non contemptibilis, quæ tam longe lateque dominatur, quę tot clarissimis vrbibus illustrata est, quæ tot principes habet armorum gloria potentiaque sublimes. Sed refricabis sub Carolo magno vestri generis principe non Germaniam solum, sed Galliam atque Italiã, & Hispaniã Theutonibus paruissse: sub Ludouicis, sub Ottonibus, sub Henricis, sub Federicis latissime dominati sumus; nunc extra Theutonicam linguam nihil obtinemus, quando nec Italia iuris imperij certissima prouincia imperata facit. Fatemur Imperium vestrũ non esse quod sub Carolo fuit, & potentiã vestrã post Federicos non parum defecissse: sed nihil est quod Apostolicæ sedi possis imputare; nec si velit natio vestra impediri potest quin pristinam gloriã recuperet. Tibi persuasum est vnicũ esse **C** nationis tuæ malum, quod aurũ uestrum ad sedẽ Apostolicam deferatur; nolimus differere quantũ id sit, & quomodo Germanici homines Romanã curiam sectantes magnã eius partẽ in patriam suam referunt: testes sunt Ioannes Louaanus, Verchius, & Henricus Roscopius, atque alij complures, qui Romę ditati sumptuosissimas domus edificarũt: illud te minus perite arbitratum cernimus: quod in auro prouinciarum excellentiam felicitatẽque collocas, & vbi aurum est, ibi credis esse potentiã, atque Imperiũ: quod si ita esset, neque Philippũ, neque Cyrũ opulẽtissimos reges Scytharũ pauper superasset exercitus, neque ditissimũ Xersẽ Græci profligassent inopes, neque Dariũ prostrauisset Alexander diuitijs inferior, neque Persẽ Paulus Æmilius captiuũ adduxisset, neque Antiochũ Scipio Africanus trãs montẽ Taurũ repulisset. Stabãt falcati currus ebore, atque argento nitẽtes, & equorũ faleras cooperiebant gemmæ, nulla equitis galea, nullus militis gladius, nullus balteus non auro splendebat: quæ cũ vidisset Annibal: Satis hæc, inquit, Romanis erunt, & si sunt auarissimis: significans aurũ ad prædã expositũ esse, nec mēturus est: Victo enim statim Antiocho omnis gaza in Romanorũ potestatẽ est deducta, nec magnũ & **Y Y** opulen-

opulentissimum regem defendere aurum potuit. Virtus hominum, non pecunia prouinciam nobilitat, ubi virtus, ibi & opes annullantur. Memorabile est illud Romani hominis dictum, qui Romanos non auro imperare velle, sed hominibus aurum possidentibus ait. Quod si veterum annalia repetamus, inueniemus eas plerunque prouincias, atque urbes alijs imperasse, quæ minus auri possederunt: nam Romani, & Athenienses, & Spartani & Carthaginenses, non opibus aut auro, sed armorum peritia, & animorum fortitudine imperia parauerunt. Sunt tamen necessaria pecuniæ, & nerui reipublicæ appellantur, atque idcirco Europæ gentibus Afiani semper inferiores habiti sunt: neque Turcæ, quos hodie miramur, ex diuiti prouincia emerferunt, cum Asiā occupauerint: sed inhospita & pauper Scythia illorum patria fuit. Vnde & formidatissimus ille Thamerlanus erupit, qui nobis puerulis Armeniam, Cappadociam, Asiam, Bithiniam Cyliciam, Syriamque vastauit, & nobilissimam urbem incendit Damascum. Viris fortibus & animo excellenti præditis sapius auri copia, quam inopia nocuit. Siquidem magnas opes & delitiæ & voluptates consequuntur, quæ viros alioquin præstabiles emasculant, & vim omnem virtutis elidunt: atque hæc fortasse causa est, quæ vestrum imperium exinaniuit: nam cum vestri maiores agendo, instando, vigilando, res præclaras egissent, latissimasque prouincias ac robustissimas, & ditissimas gentes Germanico regno subiecissent, quo fortuna victoriam impulit, eo & spolia, & diuitias intulit, communes hominum pestes. Videmus enim Germaniam, ut diximus, argento & auro plenam, omnibusque delicijs affluentem, ita se ipsa contentam esse, ut arma foris nusquam afferat: quod si mos maiorum in hanc usque diem mansisset, vestrosque frequenter exercitus subactæ gentes in oculis habuissent, non esset minor vestra quam illorum potentia fuit: siquidem imperium testante Chrisippo iisdem artibus retinetur, quibus ab initio partum est: at patres vestri regni fines armis non pecunia propagarunt: armis ergo retinenda maiestas fuit, quibus etsi plurimum valet vestra iuuentus, ut ante relatum est, illecta tamen domesticis voluptatibus, extra Germaniam prodire non audet. Sed est alia maior ratio, quæ vestrum imperium comminuit: & ad nihilum rediget nisi occurratis, pluralitatem principum philosophi abhorrent, vos ea gaudetis: nam quamuis Imperatorem & regem & dominum vestrum esse fatemini, precario tamen ille imperare videtur.

A detur, nulla eius potentia est: tantum ei paretis quantum vultis, vultis autem minimum. Libertas omnibus in communi placet, neque ciuitates, neque principes quod suum est Imperatori præbent. Nulla ibi vectigalia, nullum ærarium, quisque suæ rei moderator & arbiter esse vult: hinc discordiæ inter vos crebræ, & assidua bella grassantur, ex quibus rapinæ, incendia, cædes, & mille malorum emergunt genera, quemadmodum ibi interuenire necesse est, ubi plura dominantur capita: nam quo pacto alijs dominantur, qui sibi ipsis nesciunt imperare? Nulla unquam ciuitas, nulla gens, nulla natio in alium protraxit imperium, nisi prius imperium ipsa subiuit. Discant suo principi seruire oportet, qui alijs cupiunt imperare: quod si vos Germani sic diuo Federico Cæsari obediretis, ut vestri progenitores primo Carolo paruerunt, haud dubium, quin prisca ad vos gloria rediret, quando viris, equis, armisque, & rei militaris peritia non minus, quam veteres abundatis. At vos, si vera sunt quæ tua tradit epistola, non solum Imperatori sua reddere iura non cogitatis; sed Apostolicæ sedi suum auferre priuilegium enitimini, ne maiori luminari minus inuideat, aut utriusque gladio desit acies. Sed de hoc postea disputabimus. Nam satis est ostendisse non esse in culpa Romanam Ecclesiam, si Germanicum elanguit Imperium, quemadmodum tua scripta videbantur asserere. Nam prima Sedes, ut postea suo loco monstrabimus, Imperium ex Græcis ad Germanos iustis rationibus transtulit, quod si modo sine urgente causa conaretur euertere, suum opus destrueret. Vos tamen si priorem cupitis eminentiam vindicare, prisca virtutes, prisca resumite mores. Fortitudinem ignauiæ opponite, liberalitatem auaritiæ, sollicitudinem diffidiæ, iustitiam iniquitati, & quod est in primis necessarium, unitatem diuisioni præferte, & capiti uestro tam spirituali, quam temporali suos honores, suam obedientiam reddite: quod si feceritis, haud dubium quin uetus nomen recuperantes, multis & magnis gentibus leges imponatis. Verum quia nonnullas ecclesias in Alemania suis dispoliatas possessionibus, & ad mendicitatem pene deductas non ignoramus, ut Herbipolensem, Vratislauensem, Constantiensem, & alias, respondendum illis est, qui huius rei culpam in Apostolicam sedem reijciunt, quæ medios fructus primi anni exigere solet. Quod si verum esset omnes ecclesias eadem calamitas oppressisset: ex omnibus enim id iuris pari modo recipitur. Sed sunt tres

Y Y 2 potif.

potissimæ causæ, quibus & monasteria, & ecclesiæ Germanicæ A nationis è priori fortuna exciderūt. Prima est, quoniã belli turbis quam frequentissime agitantur, in quibus si quid victoriæ iure acquirūt, veluti modestiores è vestigio facta pace restituere compelluntur; si quid amittunt, perpetuo apud hostē manet. Secunda causa est, quòd amicis & necessitudine iunctis quàm multa prælati elargiuntur; quod nisi faciunt, illi suapte ingenio Ecclesiæ bona expilāt. Tertia est, quòd omnes principū more magnocū apparatu viuere, neq. sine magno comitatu esse volūt; neq. tu aliter, quàm in aulis regalibus apud prælatos tuos instrui conuiuia vidisti. Quibus ex rebus facile intelligere potes ex his causis B Germanicas ecclesias ad paupertatē, si modo pauperes sunt, fuisse redactas, non quòd Romana curia ex ipsis aurum exhauriat. Hęc tantū de secunda parte sit dictū. Nunc tertia & vltima su Responso ad
ternā partē. perest, quā modo absoluemus: minarū plena est vltima pars litterarū tuarū, cui nunc responsionē cudimus. Ais enim optimates nationis tuæ à somno excitatos, id cogitare, vt iugū Apostolicæ sedis prorsus excutiāt, quod Romanæ curiæ exitiū putas. Recte sane optimates nō principes nominasti, quāuis medios plebeios quosdā homines dicendū fuerat. Nā quo pacto optimates quisquā eos appellarit, qui omnē recte viuendi rationē è patria sua C pellere nituntur? & magistrā fidei catholicæ Romanæ Ecclesiā persequūtur? nō est optimatū, neq. bonorū principū ea quærere, quæ sunt aduersa Christianæ religioni, bonisq. moribus. Peruersi homines ex obscuro sanguine nati quietū reipublicæ statū turbare conantur. Principes, vt sapientis sententia est, quæ sunt principis cogitabunt: principis autē propriū est iudicium & iustitiā facere, subuenire oppressis, subleuare iacentes, & Christi sacerdotes honorare, quod principes Alemanniæ haudquaquā negligunt. Imperatoris Federici, qui primus omnium est, nota omnibus mansuetudo est, modestia, æquitas, clementia, pietas, D religio, & in ecclesias Christi summa deuotio, cuius studio neutralitas illa quondam pestifera à natione tua deiecta fuit, & Apostolica sedes suam inter Germanos eminentiam recuperauit, adeoque Federicus ipse in confouendis Romanæ Ecclesiæ iuribus attentus ardensque fuit, vt ei potissimum vnionis Ecclesiæ gloria debeat. Nec Theodoricus herus tuus ecclesiæ Maguntinæ antistes huius laudis expers est, qui Romanæ fedi in omnibus tempestatibus, quibus æuo nostro conquassata est,

A est forti atque intrepido animo tulit opem: scimus & Theodoricum sanctę Coloniensis ecclesiæ præfulem, quamuis Eugenio Pontifici maximo ad tempus aduersatus fuerit, & sub Ioanne xxiiij. à quo pontificium honorem Bononiæ studens accepit, & sub Martino quinto, & sub Nicolao Eugenij successore summo semper honore Romanam Ecclesiam profecutum esse; nec dubitamus patrem illum ætate & sapientia plenum sub diuo Calisto tertio suis insistere moribus, & dignum sua nobilitate famulatum Christi vicario impendere. Domus vero Badensis, ex qua natus est Ioannes Treuerensis Antistes, nunquam primæ Sedi B fuit infesta, nec modo incipiet in Ioanne, vt confidimus; cum Ioannes ipse non paternis fraternisq. solum exemplis, verum etiam ex grandibus beneficijs acceptis tenetur summo sacerdoti assistere, à quo recens ante annos episcopale adeptus est cathedram; quod si secus ageret, & ingratus videri, & Badensi ortus sanguine negari posset. Sigismundus Salzburgenis archiepiscopus nō est qui facile ex recta sententia dimoueri possit: Erat hic præpositus Ecclesiæ suæ cum Basiliensibus procellis Romana fluctuaret Ecclesia, nec vsquam legatis defuit Apostolicis: iuuit pauper matrem suam, non deseret diues, nec in se crimen admit- C tet, quod in antecessore detestabatur, nec committet vt meliorē veritatis amicum præpositus, quàm archiepiscopus præstitit: qui modo primas Germaniæ Magdeburgensis gubernat ecclesias, prius quàm sacris imbueretur, magister militiæ fuit: sed cum in homine laico sacerdotis modestia deuotioque vigeret, assumptus ad episcopatum ita se gessit, vt à puero religioni dedisse operam videatur; nam & litteras quas ignorabat didicit, & ecclesiæ suæ clerum & populum in optimam viuendi frugem reduxit: episcopalem habitū, quod inter Alemanos perrarum est, interdium gerens, & ordinationes clericorum ipse celebrans: non est D quod persuaderi nobis possit eius vitę prælatum in Apostolicā sedem aliquid machinari: nec aliam de Breloxmensi archiepiscopo gerimus opinionem; nec enim auditū est sedem illam in Romanum aliquando Pontificē conspirasse: minus id modo attentabit, quando ei præest pater optimus & annis, ac moribus grauis. Quid ergo? an alij episcopi res nouas molientur? fortasse aliqui erūt nouitatis amatores, & qui priuata aliqua occasione Romanā sedē oderint, sed plures esse cōfidimus, apud quos veritatis & honestatis ratio valeat, qui Pontificū iura norint, & humanas

diuinaſq. leges minime confundendas exiſtiment. Sed dicat for-
 taſſe aliquis, ſæculares principes harum nouitatum inuētores
 eſſe; minime gentium id credibile eſt: ſunt enim admodum reli-
 gioſi: nō eſt. quod illis perſuaderi quicquam indignū queat. Ve-
 nerantur Chriſti Vicarium, & Romanæ Eccleſiæ quaſi matri re-
 uerentiam impendunt, Romam veluti ſacrariū veritatis, & vni-
 cum religionis domicilium colunt: niſi corruptorum hominum
 argutijs decipiantur; non eſt, quod eos contra Apoſtolicam ſe-
 dem moliri quippiā ſuſpicemur. Quibus ex rebus manifeſtum
 eſt; neque principes, neque optimates eſſe; qui nouitates ex-
 quirunt, ſed homines ex ima plebe, quamuis forſitan peritos,
 ſeditioſos tamen & inuidia atque ambitione cæcos, quibus,
 quamuis delirent & dementiant, non eſt tamen neganda reſpō-
 ſio, iubente Salomone vt etiam ſtultis reſpondeamus, ne ſibi ſa-
 pientes eſſe videantur. Prædicimus ergo hac in parte, non cum
 natione nos agere, neque cum prælatis aut principibus veſtræ
 gentis, neque cum optimatibus, quos recte vadere, & uia ſequi
 ſummę honeſtatis arbitramur: pugna nobis cum paucis eſt, qui
 cum ſibi docti videantur, nec pro ſua opinione dignis efferantur
 honoribus, miſcere omnia diuina & humana iura conantur, vt
 inter rerum mutationes cadentium aſſequi cathedras valeant, C
 primos in conuiujs accubitus teneant, & vocentur ab hominibus
 Rabbi: nam pulchrum eis videtur dicere hic eſt; & digito mon-
 ſtrari, vt Perſij uerbis utamur: ſed audiamus iam tandem, quid ſi-
 bi uelit horum temeritas nebulonum. Quid eſt quod pro liber-
 tate moliuntur? quid parant in Apoſtolicam ſedem? Non ſcribis
 tu hoc nobis, fortaſſe times deferri, commendamus cautionem
 tuam; nam cancellario nihil tam conuenit, quàm pectus arca-
 norum tenax. Non tamen nos latet hæc prouiſio: ſunt amici no-
 ſtri nullis obligati principibus, qui nobis omnia, quę apud uos
 aguntur notiā fecere, miſſis exēplaribus eius pragmaticę, quę D
 ab aliquibus excogitata in publicū deferri debuit. Eius duę par-
 tes ſunt: in prima referuntur omnia ferme grauamina, quę ſupe-
 rius enumerauimus, quibus ponitur modus, qui ſeruandus ſit in
 natione ueſtra circa prælatorum electionem, beneficiorum col-
 lationes, cauſarū auditores, indulgentiarum conſeſſiones, deci-
 marum exactiones, & cetera huiusmodi: in ſecunda ponuntur
 appellationes, ad quas recurrendum ſit, ſi forte Pragmaticę ſan-
 ctioni ſummus Pontifex obuiam ierit: inferitur & poena, qua
 ple-

A plectendi ſunt Germani non obediētes, & foedus principū pro
 cuſtodia ſanctiōis. Fama quoque ad nos delatū eſt inter prag-
 maticos ſermonem habitū eſſe de mittendis huc oratoribus, qui
 ex Romano Pontifice ſanctiōis ſuę confirmationē expetant,
 quaſi primam Sedem eo modo honoraturi, quod ſi optatum eū-
 dem habuerint, gratias agāt; ſi minus, nihilominus natio Prag-
 maticę ſubijciatur. Scimus, nihil horum placere diuo Imperato-
 ri, maiorique principum parti, quorum mentibus nihil ſuaderi
 non dignum ſanctumq. poteſt. Sed agimus, ut dictum eſt, cum
 ſeditioſis quibuſdam & perditis hominibus, quibus nullum ſce-
 lus graue uideri poteſt, quo creſcant & diuites in opibus fiant.
 B Hos ergo confutaturi reponimus ante oculos mētis hanc prag-
 maticā, & modū conſideramus, per quē inducere illā uolunt. V-
 trūq. horū damnabile eſt: nā pragmatica ipſa deteſtabilis eſt, ut
 quæ Sedē primā prorsus deprimit atq. inculcat. Modus quoq. in
 dictionis improbadus eſt: nā quāuis à uicario Ieſu Chriſti dene-
 getur, recipiendā affirmāt, & appellationes pro eius obſeruātia
 à primo Eccleſiarū throno interponendæ introducunt; quod eſt
 apud doctos & bonos viros aut hæreticū, aut hæreſi proximum.
 C Quid ſit igitur in primis dicamus, & quantū à ratione diſcedat
 oſtēdamus. Nō eſt huius loci quid pragmatica ipſa cōtineat cā-
 pitulatim explicare: ſummā vim eius reſpicimus quę huc tēdit;
 Ne Germanica natio iuſſionibus Apoſtolicis obedire cogatur: ne
 quid pecuniarum ad Romanam curiam deferatur: nam hoc eſt
 quod omnes ſibi quereleꝝ uolunt, hoc quæritur dum cauſę in par-
 tibus retinendæ dicuntur: dum prælatorum electiones ad metropo-
 litas referuntur, dum beneficiorum collationes ordinarijs re-
 ſeruantur, dum annatarum exactiones prohibentur: quæ res
 quantum rationis præſeferant examinemus. Poteſt hoc alicui
 dignum uideri, cuius iudicium ſingulare aliquod obtenebrauit
 D odium: qui ratione utatur, hoc profecto non laudabit. Nobis ſa-
 ne duabus ex cauſis hæc Pragmatica reſpuenda, & damnanda
 uidetur. Altera, quia ingratiudinē, & quidem deteſtabilem ſa-
 pit. Altera, quia non ſedi Apoſtolicę tantum, ſed vniuerſæ reipu-
 blicę Chriſtianæ damnosa eſt, & vniuerſum religionis catholi-
 cę ſtatum confundit ac peruertit. Ingratiudinem, quæ ineſt im-
 primis patefaciamus. Equidem nemo eſt, qui non eum ingratitudinis
 uitio notet, qui eam pragmaticā receperit, quæ matrem
 ſuam Romanam Eccleſiā eiectione uidetur: igitur deteſtabile ui-
 tium

tium ingratitude fert secum ea sanctio: quod mater sit Roma A
na Ecclesia Germanicæ gentis: quodq. pragmatica mortifera sit
primæ Sedi infra patebit: sed propalemus amplius ingratitude
istam, quod tunc faciemus, si quæ beneficia ex Romano folio
Theutonica gens receperit enucleatius ostenderimus: neq. enim
ingratitude illic esse potest, vbi nullum præfset beneficiū. Duo
& quidem maxima, & singularissima sunt beneficia, quæ vobis
ò Germani, Romana sedes contulit: alterum, quia vobis Christū
prædicauit verum & singularem Deum, cuius religio barbariem
omnem generi vestro deterfit: Alterum, quia Romanum Impe-
rium ex Græcis ad vos transtulit: cuius splendor gentem vestrā B
omnibus Europæ populis anteposuit. Ingentia hæc beneficia, &
quæ semper in oculis vestris, semper in ore esse deberent: Eratis
aliquando tenebræ ignari veræ religionis, salutis expertes, idolo-
rum cultores, mancipia diaboli, gehennæ serui: nunc filij lucis
estis, postquam Euangelium Christi suadente Romana Cathe-
dra suscepistis: Sic enim de vobis in commentarijs Cæsar scri-
bit: Germani multum ab hac consuetudine differunt: namque
neque Druides habent, qui rebus diuinis præsent, neq. sacrificijs
student: Deorum numero eos solos ducunt, quos cernūt, & quo-
rum opibus manifeste iuuantur, Solem, & Vulcanum, & Lu- C
nam: reliquos ne fama quidem acceperunt. At post Cæsa-
rem sub alijs Imperatoribus vsque ad Hadrianum, nulla fuit
spurcitia vestro non cognita generi. Saturnum, Iouem, Mercu-
rium, Bacchum, Cererem, Dianam, Venerem, ceteraque eo-
rum magis monstra quàm numina vestri maiores coluerūt, ita
vt etiam filios, vt dictum est, demonijs litarent: quem pernicio-
sissimum, & abominabile cultum Hadrianus omnium primus
exterminauit: non tamen Deorum superstitiones euertit, qua-
rum erat ipse sectator. Apostolica sedes vobis aperuit oculos,
& viam salutis ostendit, quæ missis prædicatoribus Christum D
vobis crucifixum euangelizauit, errorem vestrum repulit, quo
deterfo legem veritatis accepistis & cognitionem filij Dei: reli-
quistis vitiorum viam, & iter virtutis ingressi, qui vitam ex ra-
pto ducebatis, nunc ex vestris viuere bonis didicistis. Iam rapi-
nas odio habetis, iam furta damnatis, iam adulteria, iniuria-
que omnis generis prohibetis, iam inopibus commisereri didi-
cistis elemosynas elargiri, sacerdotes venerari, religioni pluri-
mum tribuere, & ita nitidi facti estis, ita circumspecti, ita ex-
culti

A culti sicut supra retulimus. Hæc autem si verum fateri vultis,
ex Christi vobis religione prouenerunt; cui cum placere studea-
tis, eius legi parere conamini, quæ turpia quæque inhihet, &
honesti præcipuam habetis curam. Christus igitur uerus & sum-
mus Deus a vobis cognitus barbarie uos exiit, Christus uos ni-
tidos urbanosque fecit, Christus uobis litterarum studia tradi-
dit, Christus faciem uestræ nationis expoliuit, Christus uestrū
nomen in cælum tulit: Christum autem ipsa uobis Apostolica
sedes uenerandum colendumque tradidit, & fidem ac legē ma-
nifestauit. Fateamini ergo necesse est, multa uos Apostolicæ
B maiestati debere; nam unde religionem inde & bonos mores
accepistis: si quidem ante baptismi gratiam, nihil immun-
dus, nihil tetrius, nihil spurcius, quàm uestra natio fuit. De-
cet igitur hæc beneficia recognoscatis, non autem recalcitretis,
ne uobis illud Eanij conueniat, qui benefacta male locata: ma-
lesacta esse putauit: quod tunc accidit cum ingratis homini-
bus bene fit. Nihil enim ingratitude aut frigidius, aut ari-
dus, aut damnabilius inueniri potest. Ea enim malorum om-
nium mater est, quæ non solum ex Paradiso terrestri primos
C parentes expulit, uerum etiam ex ipso cælo, quem Deus in-
habitat, Angelos deiecit. Cauete, Germani, ne uos hoc ui-
tio uobis prius incognito maculemini: quod uitare non pote-
ritis, si quid agatis, quod Apostolicæ sedi molestum existat.
Inestimabilia sunt enim quæ bona ex ea recepistis, quæ non
solum inter homines bene conuersandi normam uobis præbuit,
sed etiam qua possētis in cælum & ad ipsum Deum ascendere
scalam ostendit. Omittamus temporalia, terrenaque bona:
sint illa uobis undecunque uelitis. Dicite uos ea uestra uirtu-
te comparasse, sit ita: At certe fidem, religionem, & animarū gu-
bernationem nemo alius uobis, quàm Romana sollicitudo præ-
D buit. A Roma uobis spiritualia iura sacrique canones aduene-
runt, & grauari uideamini, exactiones pati, quas uocant annatas
nec tolerare potestis aliquod huc aurum ex Germania deferri?
quibus haud inconcinne cū Paulo dicat uobis Romanus præsul,
An graue putatis, quod tēporalia uestra metamus, si uobis spiri-
tualia seminamus? Sed dicat fortasse aliquis suo iudicio sapiēs
nostro demēs: Prædicauit nobis fateor, Apostolica sedes Christū
Iesum eumque Dei filium, & patri æqualem cum sancto spiritu
simili cultu uenerandum asseruit: crediderunt patres nostri ni-
mum

miū faciles ad credendū leues. At mihi, nescio quo pacto suadeas in Christo diuinitatem fuisse, vereorq. ne iter ad inferos fuerit, quod in cælum ducere arbitraris: Funesta vox & homine indigna Germano, quem nulla de religione dubitatio exagitare consuevit: nam Germani præ ceteris gentibus constanti & immutabili animo hærent fidei: stabile genus hominum, & pro vera fide mori promptum. Dubitanti tamen non est satisfactio deneganda; neque lumen in tenebris ambulanti subtrahendum. Dicemus in hac re pauca, quibus veritas elucescere possit, non more philosophorum, quos vix illuminatissimæ possint intelligere mentes; sed quemadmodum quisq. cum vicino suo loquitur, ita & nos cum eis agemus, qui de Christi diuinitate dubitant: cupimus enim etiam à piscatoribus intelligi, qui fidem ex piscatoribus accepimus. Præpono ergo Deum esse, & vnum esse, non plures. Via ergo probandi Christum Deum & tutissimā & apertissimā ex miraculosis operibus sumitur. Nam & ipse aliquando interrogatus, an Christus esset; ad opera quæ faciebat eos remittit. Vnde apud Ioannem legimus, quòd cum circumdedissent Iudæi Iesum in porticu Salomonis, dixissentque: Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam. Respondit Iesus: Loquor vobis, & non creditis: opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me. & paulo post: Si nō facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Facestant igitur dialecticorum argumenta, & oratorum argutiæ: nec philosophorum ostentationes adsint. Ipsa nobis opera Christi diuinitatem, veramq. doctrinam & sacram religionem confirmant. Producat igitur Virgo ab Angelo salutata; moxq. diuino plena spiritu cognatam eat visitatum, cogitet Ioseph eam dimittere, & ab Angelo prohibeatur. Dicat Elisabeth, & ipsa in senio grauida. Vnde mihi hoc? quod mater Domini ad me veniat? & in eius ventre gestiat puer, tanquam Saluatoris aduentu exultans. Pariat ipsa Virgo, & puerū foeno inuoluat in præsepio iuxta bouem & asinum, qui nihil noceant infanti, possessori & Domino suo alludant. Appareat lux magna pastoribus vigilas noctis supra gregem suum vigilantibus: & angeli natū mundi Saluatorem annuntient. Eant illi & Verbum quod factum est in Bethleem suis inspiciant oculis. Octaua die puer circumcideretur, & Iesus vocetur: quod prius ab Angelo prædictum fuerat. Oriatur noua stella insueti luminis in oriēte: & tres Magos tres

reges

A reges cum muneribus ad adorandum Puerum trahat. Veniant illi Hierosolymam, & quærant vbi sit natus rex Iudæorum. Vocentur sapientes, & scribæ, dicantq. secundum prophetarum testimonia in Bethleem Iudæ nasciturū populi ducem. Peragant illi suum iter, & stella supra domum pueri conquiescat. Ingridiantur reges horridam domum, & in stabulo Mariam salutent: neq. dedignati pauper tectum & inopem casam; apertis thesauris aurum, thus & mirrhā offerant Domino, & commoniti ab Angelo ne redeant ad Herodem, per aliam viam in suam regionem reuertantur. Post quadragesimū diem puer in templo præsentetur. Dicat Simeon iustus & senex sacerdos, dū in vlnis puerum accepit: Nunc dimittis seruum tuum Domine: quia viderunt oculi mei salutare tuum: cum responsum accepisset ab Angelo non visurum se mortem, nisi videret Christum Dominum. Sic illa mulier vidua & sancta, quæ supra lxx. annos in templo famulata sit, loquatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Israel, & hæc de Christo testimoniū perhibeat. Quærat Herodes puerum interficere, & à bimatu infra pueros in Iudæa iugulet. Ioseph autē ab Angelo moneatur tollere puerum & matrem eius, & in Ægyptum fugere, & deinde mortuo

C Herode per commonitionem angelicam redeat, & non in Iudæam timendam propter Archelaum habitet, sed in Nazareth duodecimum annum implens. Puer Hierosolymam cum Matre veniens, & templum ingrediatur, & sedens in medio doctorum ita eos audiat & interroget, vt stupeant omnes super prudentia & responsis. In anno trigesimo veniat ad Iordanem, & dum baptizatur à Ioanne Spiritus sanctus in specie columbæ super eū descendat, & audiatur vox de cælo, quæ dicat: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; & Ioannes ipse in vtero matris sanctificatus testimonium de ipso faciat dicens: Ecce agnus Dei; ecce qui tollit peccata mundi: hic est de quo dixi: post me veniet vir, qui ante me factus, qui prior me erat. Inuitatus ad nuptias deficiente vino in Cana Galileæ aquam in vinū conuertat. Quacunque iter faciat ægros ac debiles & omni morborum genere laborantes, vno verbo, vnoq. momento reddat incolumes: claudis ac pedum vitio afflictis, non modo gradiendi, sed currendi eis tribuat facultatem. His quorum cæca lumina in altissimis tenebris laborabant, oculos in pristinum restituat aspectum. Mutorū linguas in eloquium sermonemq. soluat. Surdo-

rum

rum patefactis auribus insinuet auditum. Pollutos & asperos elephantiae maculis repurget. Paralyticorum membra consolidet: ac non solum vires imbecillis reddat, debilibus integritatem restituat, ægris & languentibus sanitatem largiatur: sed ipsos quoque mortuos, & in sepulchro quatruidanos, velut è somno solutos ad vitam reuocet. Et quinque panibus, & duobus piscibus quinq. millia hominum fame laborantium pascat, & satiet, & insuper duodecim cophinos de fragmentis, quæ residua sint, impleri iubeat. Futura prædicat: secreta hominum pandat, cogitationes intelligat, demonia eiiciat, ventis imperet, & maris siccis pedibus super aquas ambulet: Ieiunet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: In deserto tentatus à maligno spiritu de vitio gulæ, de ambitione, de cupiditate non superetur; sed magno resistat animo. Ex templo vendentes & ementes deiciat. Clamantibus pueris, ò sanna filio Dauid: & increpantibus sacerdotibus: Nunquid audistis, inquit, ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem? Assumat tres ex suis discipulis in montem excelsum, & ibi transfiguretur ante eos: resplendeat facies eius sicut sol, & vestimenta instar niuis alba fiant: appareant illis Moises & Elias cum eo loquentes: lucida nubes obumbret eos, & vox de nube audiatur dicens: Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Appropinquante passionis tempore: ne discipuli eius inopinata persecutione atque ipsius morte turbentur improvisi, diem illis prædicat passionis & mortis suæ dicens: Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis; tradetur enim gentibus & illuderetur & flagellabitur & conspuetur: & postquam flagellauerint, occident eum, & die tertia resurget. Et iterum mortem suam & resurrectionem suam Iudæis signum quærentibus prædicat inquit. Soluam templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Nunquam litteras didicisse visus in templo doceat, & admirari omnes faciat. Dum quæritur ad interfectionem ante tempus, nemo in eum manus audeat mittere; & in Hierusalem quærentibus quibusdam ex gentibus Iesum videre; dicat ipse: Pater clarifica nomen meum; & veniat vox de cælo dicens: Et clarificaui, & clarificabo. Ingre-diatur ciuitatem obuiante plurima turba cum palmis & ramis oliuarum, sternentesque uestimenta sua in via, & clamantes, o sanna filio Dauid, Benedictus qui venit in nomine Domini. Eligens discipu-

A discipulos ad se vocet dicens eis: Venite post me; & faciam vos fieri pisces hominum. Appropinquante Passione sua dicat eis: Ecce post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur, & crucifigetur. In coena quoque prædicat se tradendum à discipulo, quæ notet manum in Catino secum tingentem; & alium, qui se scandalum parui facere dicat, ter se negaturum ante galli cantum moneat. Amputatam auriculam Malco restituat, milites sacerdotum ad se venientes solo verbo retrocedere & fugere cogat, dicendo: Ego sum. Ductus ad Annam, deinde ad Caipham mansuete contumelias ferat. Petrus, ut à Domino dictum erat, neget magistrum: & audito gallo recordetur magistri, & egressus amare fleat. Traditor quoque penitentia ductus restituto proditoris pretio abiens laqueo se suspendat: coram Anna & Pilato & Herode tanquam agnum se gerat: Pilatus palam attestetur, quia in eum nullam causam mortis inueniat; & tandem lotis manibus dicat: Innocens ego sum à sanguine iusti huius: Flagelletur, & crucifigatur, & Cruci titulus inscribatur: Hic est Iesus Nazarenus Rex Iudæorum: nec tollatur titulus quauis Iudæi petant. Latro quoque cum eo crucifixus, innocentiam eius testetur, dicens: Nos digna pro factis recepimus: at hic quid mali fecit? In eius obitu fiant tenebræ à sexta hora usque nonam super vniuersam terram, & velum templi scindatur in duas partes à summo usque deorsum, & terra moueatur, & petreæ scindantur, & multa corpora sanctorum, quæ dormierant surgant, & exeuntes de monumentis post resurrectionem eius veniant in sanctam ciuitatem, & appareant multis: & multi, qui aderant timentes exclament: Vere filius Dei erat iste. Sepultus & clausus lapide signato custoditus à militibus, exeat & descendat ad inferos, & antiquis inde patribus liberatis, tertia die (ut prædixerat) resurgat à mortuis: appareat discipulis suis, cum illis edat, & bibat, palpandumque se & atrectandum manibus præbeat; & ut ostendat glorificatum corpus, ianuis clausis introeat. Post hæc quadraginta diebus conuersatus cum eis loquens de regno Dei tandem videntibus cunctis ascendat in cælum. Quid dicemus? An eum qui talia agat, in cuius ortu tot signa fiunt, in cuius morte tota terra conturbetur, Deum esse negabimus? Sane efficacissimum est diuinitatis argumentum ostensio miraculorum: nam & ipse Dominus interrogatus à Ioannis discipulis: Tu es qui venturus es, an alium expectamus, ut est apud Matthæum: Euntes, inquit, renunciate Ioanni quæ audi-

audistis & vidistis. Cæci uident: claudi ambulant: leprosi mundantur: surdi audiunt: mortui resurgunt: pauperes euangelizantur. Et beatus qui non fuerit scandalizatus in me. At dicit aliquis Eliam quoq. & Eliseum, & potissime Moysen signa & portenta fecisse, non tamen Deos fuisse. Similiter & Apostolos quamplurimosq. Sanctorum mirabilia operatos esse. Scribitur enim in actibus Apostolorum: Per manus autem Apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe: desipiat tamen, si quis illorum aliquem Deum esse crediderit. At neque Moyses neq. Elias, neq. alius prophetarum neq. Apostolorum quispiam siue sanctus vir, miraculis coruscans filium Dei sese dixit: neq. enim mentiri & miracula facere quisquam potest: nam & apud Ioannem cæcus à natiuitate, quem illuminauit Iesus, dum gloriam Domini Phariseis aduersantibus, manifestat: Scimus, inquit, quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit: A sæculo non est exauditum, quod aperuerit quis oculos cæci nati: hic si non esset a Deo, non poterat facere quicquam: à Deo autem non esset qui se falso filium Dei diceret: neq. miracula facere posset, ad quem manifestissimum illud est quod apud Ioannem Nicodemus ait princeps Iudæorum: Rabbi scimus quia a Deo uenisti magister: nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Stat ergo sententia nostra: eum scilicet Deum esse, qui patratis tot mirabilibus operibus Deum se esse dicit: quando hæc miracula fieri ab eo nequeunt cum quo Deus non est: neq. Deus est cum eo qui falsus est, & filium Dei se mentitur. At hæc omnia de Christo miracula sacrosancta quattuor Euangelia tradunt, quattuor uberrimi testes ea scripserunt. Accedunt epistole Pauli apostoli, qui correptus à Domino ex persecutore Christi prædicator effectus, ex hoste defensor, sicut prædictum erat Benjamin: mane lupus rapax, & ad uesperam diuidit escas. Sunt & Petri & Ioannis, & Iacobi epistolæ: sunt Apostolorum gesta, quæ Lucas scripsit, in quibus uberrima de miraculis Christi testimonia proferuntur. Quod si tot auctoribus non credamus, non uidemus cur Moysi, & alijs ueteris testamenti scriptoribus fidem præstemus. Credunt Græci Herodoto, Thucydidi, Diodoro, Xenophonti: credunt Romani T. Liuius, Crispo Sallustio, Pompeio, Lucio Floro: credunt & aliæ gentes suis historicis: cur non credamus nos scriptoribus nostris? Sed minime illi cum nostris comparandi: illorum dicta sine discussione admissa sunt: at Eccle-

A at ecclesia Euangelia non recepit, nisi examinatione præhabita, & conciliorum indagine præuia. Erant plures Euangeliorum scriptores: non tamen Ecclesia alios recepit, quam quattuor, in quibus ueritatem multis indicijs & rationibus cognouerunt. Post hæc multi martyres pro fide Euangelica mortem sustinere, inter quos & puellæ & teneræ uirgunculæ non expauere supplicia. Huc accedit doctissimorum Sanctorum auctoritas, qui cum essent illuminatissimi, & omnium doctrinarum genere peritissimi, nequaquam Euangelio credidissent, nisi ueracem eius historiam cognouissent, ut Ambrosius, Hieronymus, Gregorius, Augustinus, & inter Græcos Chrysostomus, Nazianzenus, Basilus, Origenes, Athanasius, Cyrillus, & inter ueteres Cyprianus, Lactantius, Tertullianus, & Leo, & alij pene innumerabiles, quorum & sanctimonia & doctrina litterarum, & acumine iudicij singularem laudem meruere. Quod si electio locum habet, cum his potius errandum, quam cum alijs bene sentiendum. Et nos quidem si tanti errare uiri haudquaquam hi sumus, qui aliquos sine errore putemus. Neq. enim doctores nostri ut gentilium philosophi sibi aduersantur, uno ore, una uoce, atq. sententia omnes de Christo loquuntur. Huc accedit Romanorum auctoritas, qui cum Christi religionem acceperunt, primi mortalium erant siue armorum gloriam ponderas, siue lumen doctrinarum, & Imperij eminentiam: & hi tamen Euangelio collum submiserunt, quod minime fecissent, nisi & rationibus, & miraculis uicti fuissent. Græcorum quoque gens sapientissima Christo credidit, & legem euangelicam accepit. Idem Hispani & Galli fecerunt, qui cum essent uiri sapientes sequestratis idolis Christianam religionem ex Apostolica sede mutuati sunt: quod profecto non fecissent nisi aliqua illos ratio traxisset. Verus igitur Deus Iesus Christus, cui tot miracula, tot scriptores, tot sancti doctores, tot proceres, tot populi attestantur: sed illud omnem ambiguitatem, & omnem titubationem aufert, illud manifestissimam facit fidei nostræ rationem, quod longe antequam Christus nasceretur, eius aduentus ita per prophetas conscriptus & designatus erat, ut & natiuitas eius ex uirgine, & prædicatio, & signa, & mortis tormenta, & resurrectio, & in cælum ascensio facta tradi uideantur. Virginem parituram filium Dauid attestatur: Descendit sicut pluuia in uellus: & orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis donec auferatur luna. Nam sicut pluuia in uellus, sine strepitu descendit.

dit, ita & filius Dei sine suspitione hominū ex Virgine natus est. **A** Isaias quoque: Ecce, inquit, Virgo cōcipiet, & pariet filiū, & vocabitur nomen eius Emmanuel, quod interpretatū est: nobiscum Deus. Quòd natus puer inter bouem collocaretur & asinū, Isaias prädixerat: Agnouit bos, inquit, possessorē suum, & asinus pręsepe Domini sui. Et quòd nasciturus esset ex domo Dauid, idem Isaias testatur, inquit: Et erit in illa die radix Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini. De Magorum aduentu iterum Isaias testatur, dicens: Surge, illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuū, & gloria Domini super te orta est, & ambulabūt gentes in lumine, & reges in splendore ortus tui. Et Dauid: Reges, inquit, Tharsis & Insulæ munerā offerent, reges Arabum & Saba dona adducent. Quòd legem nouam daturus esset, Micheas propheta prädixerat dicens: De Sion exhibit lex, & uerbum Domini de Hierusalem. Nam prior lex in monte Sinai data est, non in Hierusalem. Et hoc etiā Moyses testatus est, hoc est de lege & prädicatione Christi. Inde ait Moyses: Et dixit Dominus ad me, Prophetā suscitabo eis de medio fratrum suorum sicut te, & dabo uerbum meum in os eius, & loquetur ad eos ea quæ præcepero ei, & quisquis non audierit ea quæ loquetur propheta ille in nomine meo, ego vindicabo in eū. **C** De sanitarum concessionibus prädixerat Isaias: Confortamini, inquit, manus dissolutæ, & genua debilia, consolamini qui estis pusilli animo, nolite timere, nolite metuere: Deus noster iudiciū retribuet. Ipse ueniet & saluos faciet nos. Tunc aperientur oculi cęcorum, & aures surdorum audient: Tunc saliet claudus uelut ceruus, & plana erit lingua mutorum. Et quòd mortuos suscitaturus esset etiam Sybillinis eloquijs traditum inquit Lactantius, cuius hæc referūtur uerba: Mortuorum autem resurrectio erit, & claudorum cursus uelox, & surdus audiet, & cæci uidebunt, & muti loquentur. Et quòd ex quinq. panibus & duobus piscibus quinque millia hominum satianda essent, eandem Sybillam apud Firmianum affirmare legimus: Et quòd uentis imperauerit, & mari, & morbis, & inferis eiusdem Sybillæ testimonium ponitur. Impium contra Dominum futurum iudiciū Dauid præuiderat inquit: Beatus uir qui non abiit in consilio impiorum, & in uia peccatorum nō stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit. Impijssimum namq. iudicium fuit, quo Christus damnatus est, & pestilentissima cathedra, ex qua protulerunt

sen-

A sententiam: sed quàm dilucide quàm ex ordine auctor sapientię consilium impiorum contra Christum habitum describit, quāuis annis multis præcesserit? Circūueniamus inquit, iustū: quoniā inutilis est nobis & contrarius est operibus nostris, & improperat peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostrę; promittit se scientiam Dei habere, & filium se Dei nominat. Et paulo post: Videamus ergo si sermones illius veri sunt, & tentemus quę euentura sunt illi, & sciemus nouissima illius; contumelijs & tormento interrogemus eum. Et infra: Morte turpissima condemnemus eum. Videtur hæc scriptura Phariseos & Scribas audiuisse, cum consilium iniuerunt ut Iesum caperent: uerum cursum passionis eius & innocētiam, & quòd pro nobis penas luit apertissime Isaias prophetatus est. Non est species ei, neque decor, & uidimus eū, & non erat aspectus; & desiderauimus eum despectum, nouissimum uirorum, uirum dolorum, & scientem infirmitatem, & quasi absconditus uultus eius, & despectus, unde nec reputauimus eum: uere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, & nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatū: ipse autē vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; **C** disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus: omnes nos quasi oues errauimus, unusquisque in uiam suam declinauit, & posuit Dominus in eo iniquitatē omnium nostrum. Et rursus idem Isaias ait: Ego autem non contradico, retrorsum non abij; corpus meum dedi percutientibus, & genas meas uellētibus: faciem meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me. Et Dauid psalmo lxxvij. In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me, impropriū expectauit cor meum, & miseriam, & sustinui qui simul contristaretur & non fuit, & qui consolaretur & non inueni: & dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Rursusq. Isaias ait: De angustia & de iudicio sublatus est, generationem eius quis enarrabit? quia abscissus est de terra uiuentiū propter scelus populi mei percussus eum; & dabit impios pro sepultura, & diuitem pro morte sua, eo quòd iniquitatem non fecit, neque dolus fuerit in ore eius. Et quòd inter latrones crucifigendus esset, ipse propheta testatur dicens: Et cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit. Ieremias autem non solū mansuetudinem Christi, sed etiam crucis lignum præscribit dicens:

Z Z cens:

cens: Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, & non cognoui quia cogitauerunt super me consilia dicentes: Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra uiuentium, & nomen eius non memoretur amplius: lignum autem crucem significat. Et Zacharias: Et aspicient ad me quem confixerunt: & rursus Dauid: Foderunt manus meas & pedes meos, & dinumerauerunt omnia ossa mea, & super vestem meam miserunt sortem. De resurrectione autem inquit Dauid: Ego dormiui, & somnum coepi, & surrexi, quia Dominus suscepit me. & iterum: Non derelinques animam meam in inferno, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem. & Osee: Dolores parturientis uenient ei, ipse filius non sapiens, nunc non stabit in contritione filiorum, de manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos, ero mors tua o mors, morsus tuus ero inferne: & alibi dixit, ab illo nos uiuificandos die tertia: quod etiam Sybilla tradidit, inquit: Et mortis fatum finiet, tertium diem dormiens, tunc a mortuis rediens in lucem ueniet primus. Ascensionemque Dauidico carmine cognoscimus: Dixit Dominus domino meo: sede a dextris meis. Neque enim Dauid cum esset rex alium Dominum suum appellare potuit, nisi Christum. Et Daniel ascensum ita praescribit: Et ecce in nubibus caeli filius hominis ueniet usque ad antiquum diem: Inquit enim scriptura: Et uidentibus illis eleuatus est, & & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Quod autem in Christo diuinitas esset, Isaias testatur inquit: Tantum in te est Deus & non est absque te, Deus uere tu es, Deus absconditus, Deus Israel saluator: confusi sunt, & erubuerunt omnes, simul abierunt in confusionem fabricatores errorum. Item Baruch: Hic est Deus noster, & non aestimabitur alius aduersus eum, hic adinuenit omnem uiam disciplinae. Et paulo post: Post haec in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus est. Humanitatem quoque Christi Ieremias praedicat. Et homo est, inquit, & quis cognoscet eum? Et Isaias: Emitteret eis Deus hominem, qui saluabit eos. Et Moyses in Numeris: Orietur stella ex Iacob, & exurget homo de Israel, & dominabitur gentium. Cum igitur tot miracula Christus fecerit, cum tot prophetae astipulerentur praesignantes aduentum eius, nouae legis dationem, & mortem ac resurrectionem, & in caelum migrationem, eumque Deum & hominem illi testentur, & ipse de se dixerit; non uidemus cur Christum Deum negare possimus & simul hominem. Praeterea suadet diuinitatem eius ipsa

A sa legis suae honestas. Nam quid aliud Christus docet quam caelestem in terris agere uitam, & inter mortales esse Angelos? Docet enim nos in primis Deum colere, & proximum sicut nos ipsos: opes ac blanditias mundi fugere: nullum odisse quamuis inimicus sit: uitare adulteria, stupra, fornicationes; ac ne dum manus, sed & cor & oculos habere castos: nihil concupiscere superfluum: in caelo non in terris thesaurizare, inani abstinere gloria, nihil rapere, dare pauperibus quae abundant bona, uisitare incarceratos atque infirmos, mortuos sepelire: abstinere uaniloquio, sobrietatem sectari, misereri inopum, litigia & iurgia fugere, ieiunare, abstinere, uitare conuiuia, non appetere primos recubitus, ambitionem fugere, subesse maioribus, subesse sacerdotibus. Haec Christi lex est, hoc testamentum eius, & haec mandata sua. Quid hic non laudabile? non uenerabile? non amplectendum? Et haec ergo uobis, o Theutonici, sedes Apostolica praedicauit, eum Christum docuit esse colendum: hoc beneficium uobis Apostolica sedes contulit, ex infidelibus Christianos fecit, ex barbaris Latinos, ex uitiosis honestos, & ex praescitis saluatos. Sed dices fortasse; Quo tu mihi pacto probabis Apostolicam sedem fuisse quae Germanis cultum Christi insinuauerit? Indigna uox, quae uiri docti ex ore prodeat, legito historias, si aliquem Apostolorum ad Germanos uenisse, qui Christum praedicauerit, aut alium inueneris, qui ab Apostolica sede missus non fuerit; cedimus tibi: At sicut neque Galli, neque Hispani, vel Angli, vel Itali, alium fidei magistrum habuerunt, quam primam sedem; ita & Germani ab ea docti sunt. Sed ne sine nomine praedicatorum uestrum relinquamus, & ut scias quis eum miserit, Bonifacius Martyr Euangelium uobis praedicauit a Beatissimo Gregorio missus: sic scripta eius reperiuntur ad Zachariam Pontificem dicata, in quibus se ab antecessore praedecessoris eius uenerandae memoriae Gregorio ordinatum, & ad praedicandum uerbum Dei Germanicis gentibus missum dicit: quod Zacharias ei respondens affirmat. A Gregorio ergo, a Romano Pontifice, ab hac prima Sede uerbum Dei recepistis, & Christum colere didicistis. Salus uobis ab Apostolico throno missa est, uita hinc habetis & schalam in caelum ferentem, & grauamini pecunias mittere ad curiam annatas soluere? auxiliu aliquod matri uestrae praestare? Graue uobis est his temporalia praebere, qui uobis spiritualia tradiderunt? Animalia bruta parentibus suis opitulantur: nam ciconias ferunt

tanto tempore victū ministrare parētibus, quāto ab illis alimen-
 ta receperunt. Qui altari seruit, inquit Paulus, de altari viuat. Et
 os boui trituranti alligandū esse scriptura negat. At uos omnino
 matrē vestrā excludere nitimini, & nullū eis putatis auxiliū esse
 prābendū. Ingratitudo hęc est ingens vitiū Deo & hominibus
 odibile: cuius tres gradus esse viri sapientes voluerunt. Primū nō
 reddere beneficiū: secundū dissimulare, quasi nō acceperis quod
 reddere debeas: tertium oblitum prorsus esse beneficiorum. Pos-
 sumus nos & quartū gradū adijcere, quē is tenet, qui pro bene-
 ficio, maleficiū reddit. Quos gradus omnes illi ascenderunt qui
 Germanicam nationē veteri iure suo priuare intendūt, quod vi-
 tiū Nicolaus Papa haud minus esse quā hęc sim tradit. Sic e-
 nim Mediolanensibus scribit. Vnde non dubiū est, quia quisquis
 cuilibet Ecclesię ius suū detrahit, iniustitiā facit. Qui autem Ro-
 manę Ecclesię priuilegiū ab ipso summo omniū Ecclesiarū ca-
 pite traditū auferre conatur, hic proculdubio in hęc sim labi-
 tur, & cū ille vocetur iniustus, hic dicendus est hęceticus. Quæris
 quod sit priuilegiū Romanę Ecclesię ab ipso Domino traditū?
 in prōptu est dicere. Priuilegiū huius sedis est, Pascere oues Chri-
 sti, & ligare ac soluere quę ligatione & solutione digna vidētur,
 dicēte Domino Petro: Pasce oues meas; & quodcumq. ligaueris
 in terra, erit ligatū & in cælo. Pastorē illū Dominus fecit & suc-
 cessoribus eius pastorālē curā commisit, vt postea dicemus. Hoc
 priuilegiū auferūt, qui pragmaticas sanctiones ad obligandū pri-
 mām Sedē statuunt: desinūt enim oues esse velle, & in pastorē re-
 bellant. Oues quę pastorem suum increpare volunt, non aduer-
 tentes quę propheta inquit: nunquid gloriabitur securis contra
 eū qui fecat in ea, aut exaltabitur terra contra eum qui trahit
 eam? Hęc tantū de ingratitude sint dicta, quā & si nonnulli ex
 plebe homines in se admittāt, nobilitas tamen Germanica, vt
 cōfidimus, prorsus excludet: neq. illi sedi aduersabitur, a qua di-
 dicit Christum colere, saluatorem & seruatorem, auctoremque
 suū. Sed iam quid mali in communi afferat hęc pragmatica san-
 ctio explicemus, omitta ingratitude, quod quidē, vt diximus,
 vitiū est perniciosissimū. Pragmatica igitur sãctio duabus de cau-
 sis iniqua & dānosa, abominabilisq. est: altera quia sedis Aposto-
 licę aufert eminentiā, & pastorālīs officij plenitudinē eripit: al-
 tera quia pauperē esse vult & abiectā & impotentē primām Sedē.
 Primū illud exitiabile malū est, vt paulo ante diximus, quod hęc
 resim sapit, Nicolao teste. Sed videamus quæ est ista potētia Ro-
 manæ

Quid mali af-
 ferat Pragm-
 tica.

sis iniqua & dānosa, abominabilisq. est: altera quia sedis Aposto-
 licę aufert eminentiā, & pastorālīs officij plenitudinē eripit: al-
 tera quia pauperē esse vult & abiectā & impotentē primām Sedē.
 Primū illud exitiabile malū est, vt paulo ante diximus, quod hęc
 resim sapit, Nicolao teste. Sed videamus quæ est ista potētia Ro-
 manæ

A manę sedis, quæ auctoritas, quæ eminentia. Hęc huiusmodi est,
 quia prima est omnium ecclesiarum, & cunctis ecclesijs veluti
 mater eminet filiabus. Ipsa quoq. caput est & princeps & magi-
 stra: nam ecclesiarum ceterarum dignitatem, & cathedras, vt in-
 quit Nicolaus Papa, Romana instituit Ecclesia. Illam vero so-
 lus ipse fundauit, & super petram fidei mox nascentis erexit, qui
 B. Petro æternæ vitæ clauigero terreni simul & cælestis imperij
 iura cōmisit. Non ergo quælibet terrena sententia; sed illud ver-
 bum, quo constructum est cælum & terra, per quod denique om-
 nia condita sunt elementa Romanam fundauit Ecclesiā, & ma-
 gistram omnium ecclesiarum illam appellat. Et Pelagius: Quā-
 uis, inquit, vniuersæ per orbem catholicæ Ecclesię constitutæ
 vnus thalamus Christi sint; tamen sancta Romana Ecclesia ca-
 tholica, & Apostolica omnibus synodicis constitutionibus cete-
 ris ecclesijs prælata est. Et Euangelica voce Domini & Salua-
 toris nostri primatum obtinuit: & Anacletus in nouo testamen-
 to, inquit, post Christum Dominum à Petro coepit sacerdotalis
 ordo: quia ipsi primo Pontificatus in Ecclesia Christi datus est.
 Et Leo Papa, ita Dominum nostrum Iesum Christum eam insti-
 tuisse ait, vt veritas quæ antea legis & prophetarum præconio
 C continebatur; per Apostolicam tubam in salutem vniuersitatis
 exiret; vt huius muneris sacramentum in beatissimo Petro Apo-
 stolorum omnium summo principaliter collocaret: vt ab ipso
 quasi quodā capite dona sua velut in corpus omne diffunderet.
 Et Agato Papa sic omnes Apostolicæ sedis sanctiones accipiēdas
 esse ait, tanquam diuina voce ipsi Petro firmatas. Et Stephanus
 Papa quintus. Quicquid statuit, quicquid ordinat sancta Roma-
 na Ecclesia perpetuo irrefragabiliter obseruandum asserit: nec
 aliter B. Gregorius asserit; qui nulli fas esse ait, vel velle, vel pos-
 se Apostolicæ sedis præcepta transgredi. Et vides vt prima dicitur
 D Romana Ecclesia, mater & magistra, & caput omniū aliarum,
 & princeps cui parere omnes oportet. Sed dicis, humana sunt te-
 stimonia, quæ affers & suspecta. Nā eorū uoce Romanā Eccle-
 siam extollis, qui præfiderunt in ea: suā agebant causam, se lau-
 dant, cū sedem Apostolicā magnificent. Nō moueor tantum Ro-
 manorū auctoritate Pontificū, sed illis vt credas & rationibus &
 Euangeliorū testimonijs cōprobamus: Petro (inquiūt illi) ait Do-
 minus: Tu es Petrus & super hęc petrā ædificabo Ecclesiā meā,
 & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, & tu vocaberis
 Cephias

Cephas, quod est caput. & : Pasce oues meas. & : Duc in altum A rete. & : Tibi dabo claves regni caelorum. & : Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in caelis: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos; & vocauit eum de nauis, iussitq. super aquam ambulare, & titubantem erexit, & piscatorem hominum eum se facturum ait: Tu me sequere. Quid haec tibi videntur? an ne ista sufficiunt testimonia, quae vicariatum Christi Petro creditum arguant? nam cui Apostolorum dictum est: Pasce oues meas, alteri quam Petro? Sane inter omnes potior Petri semper mentio habita est in Euangelio; nec aliquid arcanum sine eo gestum est; & ipsi Apostoli quamuis pari consortio honorem & potestatem acceperint cum Petro (nam omnibus dictum est: Quaecunque ligaueritis) ipsi tamen considerantes praecipuum quoddam in Petro priuilegium esse, eum caput & principem venerati sunt, ut ait Anacletus. Itaque hanc normam secuti sunt doctores sancti Hieronymus, Augustinus, & reliqui, quorum dicta magis sequi, quam discutere debemus. Sed quoniam sunt nonnulli tuae nationis homines parum pensum habentes, qui Thaboritarum sequentes errorem, neque Romani Pontificis primatum in Ecclesia necessarium, neque a Christo institutum putant, quibus & pragmaticae sanctionis auctores consentire videntur. Altius hanc quaestionem aggredi placet, ut si quando cum hisce hominibus in sermonem veneris, quamuis tuo ingenio eos refellere abunde possis: gladium tamen ex nobis habeas, quo temeritatem eorum confodias. Nam illos non solum scripta doctorum explodunt, & auctoritas Ecclesiae longe lateque diffusa per orbem: sed ipsa quoque naturalis ratio eis aduersatur, quae lex naturae dici potest fixa, immobilis, atq. inuariabilis. Audi ergo quo pacto istos reuincamus. Cum Christianis nobis quamuis malis quaestio est, qui Euangelium recipiunt, & Christum Dei filium pro nostra salute incarnatum passumq. profitentur. Hi nobis haudquaquam negabunt sacramenta in Ecclesia ab ipso Dei filio esse instituta, quibus ad salutem utimur: inter sacramenta & Ordo numeratur. Hic duorum sacramentorum, quae saluberrima & potissima esse videntur Eucharistiae ac Pœnitentiae ministerium in se continet: nam sacerdotes hac potissimum causa sunt instituti, ut purgantes per pœnitentiam homines a peccatis, & in gratiam Dei reducentes idoneos dignosq. faciant: quibus Christi corpus participetur. Deinde corpus Christi confici-

tes

Ates, illud eis administrant. Videmus autem ita comparatum esse, ut quæuis potestas ad principalem aliquem effectum ordinata inferiores potestates sibi subseruientes habeat: hoc ipsum artes ostendunt: nam qui ligna cedit, certe nauifaciuae deseruit, & hæc rursus gubernatoriæ, illa vero militari, siue oeconomicae: siquidem nauigatio in plures ordinari fines potest. Cum ergo potestas ordinis in eum finem constituta sit, ut purgatis hominibus corpus Dominicum tradat: palam est inferiores ordines ei seruientes esse præparantes quæ ad hoc opus necessaria ducunt: ut hostiarum, lectores, exorcistæ, acolythi, subdiaconi, ac diaconi; ex quibus tres priores populum disponunt, quartus uasa non sacra porrigit, quintus sacrorum vasorum curam habet, & panem uinumq. nondum consecratum ministrat; sextus Christi sanguinem populo dispensat: neque hi tres ordines curam populi postponunt: nam diaconi Euangelicam doctrinam populo tradunt: subdiaconi Apostolicam: acolythis luminum commissa diligentia doctrinam quoque ab eis tradendam esse ostendit: atque ita sex ordines ad septimum referuntur, qui Sacerdotalis appellatur. Ceterum ordinum huiusmodi collatio, cum sacramento quodam perficitur: sacramenta uero Ecclesiae dispensatores inquirent idoneos necessarium videmus, & aliquam potestatem esse in Ecclesia superiorem altioris ministerij, quæ ordinis sacramenta dispenset: neque enim ordinem a se ipso quisquam recipit. Hæc autem potestatem maiores nostri Episcopalem appellauerunt, quæ quamuis in consecratione Domini corporis Sacerdotalem non excedat: in his tamen superat, quæ populi gubernationem respiciunt. Nam & ipsa sacerdotalis potestas ab episcopali descendit: & quæ sunt ardua circa populi curam illi dimittit: ex quo fit ut summam regiminis, quod de populo Christiano geritur, ad episcopalem referri potestatem oporteat: & quamuis populi per diuersas dioeceses ciuitatesq. distinguantur, sicut tamen una est ecclesia sponsa Christi immaculata, ita unum oportet esse populum Christianum per totum orbem longe lateq. diffusum; & sicut in populo ciuitatum unus episcopus requiritur, ad quem summa rerum deferatur; ita & in tota Ecclesia per orbem dispersa necessarium est unum præsidere rectorem principem atque magistrum: cuius arbitrio maxima quæque & difficilia terminentur. Nam quo pacto pax & unitas in Ecclesia conseruabitur, nisi una sit omnium fides? aut quomodo diuersitas opinionum de fide tolletur, nisi

Z Z 4 iudex

ne obtruncatus fuerit? non est ambiguum, quin talium Apostolorum martyrio consecrata Romana sedes principatum inter reliquas obtinuerit: quemadmodum superius late deduximus. Ex quo fit, ut post Petrum omnes, qui Romanam rexere cathedram usque ad Calistum tertium, qui modo sedet, verum Christi vicariatum tenuerit. Nec alia ecclesia est, quae Romanae possit æquari, & quae non ei subijciatur, siue Constantinopolitanam quisquis antefere voluerit Imperio quondam orientali sublimem, siue Hierosolymitanam, quam nostrae salutis officinam possumus appellare, cui frater Domini magnus praefuit apostolus Iacobus. Nam Christus cum vicarium suum Petrum assumpsit, nimirum loco hanc dignitatem non cessit, quem Petrus ipse suo sanguine consecraret. Idque postmodum vniuersalis Ecclesiae consensu & approbatione susceptum est. Romana igitur Ecclesia, ut sacrorum canonum testatur auctoritas, à Domino, & non ab alio caput omnium est constituta, quae principis Apostolorum ac doctoris gentium sanguine dedicata spirituale sacrumque regnum ibi fundauit, ubi terrenum ac profanum usque ad summum creuit imperium. Certas res dicimus, & quas nemo refellere possit: nam quauis maiores nostri Apostolicas sedes appellauerint, quibus Apostoli praefuere, ut Hierosolymitanam, Anthiochenam, Ephesinam, Patracensem: & alias complures, cum tamen Apostolicam sedem nominamus ob Petri reuerentiam Romanam designamus: nec hodie Ecclesia est vlla ex Apostolicis, quae Christi fidem integram immaculatamque serauerit nisi Romana, quae Christi doctrinam, ut à Petro Pauloque recepit, ita in hunc usque diem seruauit, nullis vnquam tenebris offuscata, nullis erroribus deprauata. Quod si fuerunt aliquando vel Graeci, vel Syrii, vel Aegyptii, qui primatum sibi petiuerint, apparet illos haud equa petiisse, quorum successores Euangelium reliquerunt, & naue exeuntes in errorum pelagus deciderunt: ex Italis certe, ex Gallis, Hispanis, Germanisque ecclesijs nulla est, quae primatum vindicare possit; cum Apostolorum nullus ad eam venerit, & omnes auctoritate Romanae sedis institutos esse manifestissimum sit, & propterea illi tanquam matri ac magistræ & reuerentiam & obedientiam debent. At qui pragmaticam sanctionem capiunt, hi prorsus eminentiam primae Sedis, & auctoritatem explodunt, cum leges inter sese statuentes Apostolicæ dignitati frænum ponunt. Et sicut postea dicemus appellationes decreuerint quibus se aiunt ad futurum con-

A concilium appellare nisi Romanus Praeful suas se habere leges sinat. Tollunt isti priuilegium primae Sedis, & in haeresim lapsi aperta fronte & ore contumaci fatentur nolle se Romano Pontifici obedire. Quod non aliter accipiendum est, quam si se dicant non esse oues Christi, sed perditores: nam illas Pastor Romanus gubernandas ac pascendas accepit. Sed quid dicimus? maius est quod isti inceptant: siquidem non solum Apostolicæ sedi pasturam refugiunt, illique parere recusant, sed illam quoque si possint, conficere ac delere conantur: nam cum plurima iura sint Romani Pontificis, quibus eius curia fouetur & alitur, hæc omnia auferre nituntur. Maxime vero illud cautum esse volunt, ne quid auri ex Germania deferatur in Italiam, sicut sæpe testati sumus. Dices hoc non esse conficere ac perdere sedem, sed auferre illi delicias ac superfluitates, quibus in profundum malorum mergitur, & penitus labascit atque interit: sanare hoc est Romanam sedem, non perdere. Mittamus hanc litem, quae de nomine est, & ad rem ipsam veniamus. Cesset nomen vel mortis vel perditionis: non negas mihi (si bene capimus) pragmaticæ auctores negare annatas Ecclesiae Romanae, & pecuniarios census, hoc est velle Ecclesiam esse pauperem: nam id vtile putas, auferre voluptates, & casta remanebit Ecclesia. Intelligimus, hæc paupertas tibi Romanae Ecclesiae cordi est; negabis hoc: dicesque satis habere Romanam Ecclesiam ex patrimonio B. Petri, ac ex alijs regionibus. At nos dicimus parum esse atque incertum quod ex patrimonio habetur. Nam custodia sæpe plus requirit, quam ipsa conferant castra, & multa bella imminet, multae insidiae, multi raptores sunt. Et Bononiæ, quae primum est membrum, nunc ciuilibus discordijs agitatam nihil conferre videmus. Perusinos tantum praebere quantum volunt: reliquos populos nutare omnes ad res nouas paratos: Vicarios Ecclesiae censum tum dare cum placet: & Romæ quot fuerint mutationes antea vidimus. Martinus quintus cum redisset Romam vix aliquid possedit. Braccius cuncta occupauerat. Male igitur cum Romana sede actum sit, si de redditibus patrimonij gubernari debeat. Et propterea maiores nostri collegium cardinalium non super illis, sed super annatis sumptus habere voluerunt. Quod si sufficerent patrimonij redditus, posset Italia dicere, Cum sedes Apostolica mater omnium sit, cur nos Italici illam tantummodo nutriamus? Mater quidem, ut omnibus filiis lac praebuit, ita ab omnibus iuuanda est: nec tu di-

tu dixeris digne Italicos illā pascere, quia in Italia est & ab Ita-
 lis tantummodo regitur. Nam si respicies curiales ex omni gen-
 te cogniti sunt, Græcis, Latinis, Barbaris, & in ipsa quidem Ro-
 mana sedes ex omni natione sedisse constat; & qui nunc diuino
 numine sedet, non Romanus aut Italus natione, sed Hispanus
 est: ex qua gente sepe illustres rectores Romana Respublica si-
 ue Ecclesiastica, siue temporalis sortita est: constatque sedem
 cum extra Italiam fuit, non tam benignam Italis fuisse, quàm
 Romæ existens benigna & grata est omnibus. Sed illud palam
 est profecto quod necessitati Ecclesiæ ne dicam voluptati sum-
 ptus ministrare patrimonium B. Petri non potest. Dices: Quid
 opus est tot sumptibus? At ego neque tot equos, neque tot lon-
 gissimas vestes, neq. tot famulorum longum ordinē requiro: sa-
 tis fuerit in Palatio Papam etiam cum paucis ministris, Cardi-
 nales cum paucioribus, uitam sobriam castamq. ducere, pluris
 eos pauperes & bonos verebatur mundus; quàm diuites & ma-
 los. Modo de tua hac opinione videamus. Pauperem vis esse Ro-
 manum Pontificem, & inopes Cardinales, totamq. curiam men-
 dicare: id tibi satis esse videtur, si Romanus Præful, suiq. bene-
 vitant. Fatemur, qui sibi ipsi viuere velit, securissime paupertatem
 eligere, nam diuitiæ spinæ sunt (teste Domino) & sine illis
 expeditius iter ad vitam & facilius peragitur: at qui præsit alijs
 abundare oportet. Nam eum præclare agere conuenit, teste Phi-
 losopho: impossibile est aut certe difficile principem præclara
 agere cui desunt facultates: & nos quidem in omni lege sacerdo-
 tes fuisse diuites accepimus. In veteri testamento Moyse & Aa-
 ron, de quibus scriptum est, In sacerdotibus eius principes fue-
 runt populi, & cum data portio filijs Leui, non modo his deci-
 mas; sed oppida quoque & ciuitates fuisse assignatas. Vidimus
 in Ægypto sacerdotium mirifice abundare, cuius agri omni cen-
 su immunes fuerunt. In Persis quoque sacerdotum opes, qui &
 Magi vocati sunt florentes & maximæ habebantur. Apud Græ-
 cos Romanosque sacerdotia legimus abundauisse: inter Gallos
 Druidæ primo ferme loco habebantur, & omnium contentionū
 iudices: quod si dixeris: priores Ecclesiæ nostræ vsque ad Con-
 stantini tempora inopes fuisse, & modico contentos suis plebi-
 bus salubriter præfuisse: Respondebimus, eo tempore paruas
 fuisse Christianorum plebes, & latenter coluisse Christum. Nam
 Constantino primo imperante, publice Christianis Ecclesiæ cō-
 cessæ

A cessæ sunt. Prius autem non solum clerici & sacerdotes, verū &
 laici quoq. pauperes erant. Ex inopibus enim religionis nostræ
 principium est, & piscatores Christiani exercitus ductores fue-
 runt: si qui vero diuites sacris nostris imbuebantur, mox distra-
 ctis rebus, & bonis omnibus venditis ante pedes Apostolorū pre-
 tia ponebant: Apostoli vero prout cuiq. opus erat distribuebant.
 Quod si verū inquiris, inuenies in Apostolorum potestate fuisse
 reddendi, & ad eos pertinuisse bonorū omnium dispensationē:
 atq. ita fatebere subditis suis ditiores extitisse: siquidē priuatim
 omnes erant pauperes, nihil habentes proprij. In cōmuni verō
 B si quid erat, non tam aliorū, quàm Apostolorum fuit, quibus di-
 pensatio credita fuit. Tu ergo qui exemplo vteris primitiue Ec-
 clesiæ, cum pauper sacerdotiū optas, debes etiā cum eo plebem
 pauperē velle, & in vtrōq. statu priscos imitari mores, ne claudi-
 care videaris. Aut igitur & clerum & populum cum maioribus
 mendicare iube, aut cum seculo nostro diuitē esse vtrumq. fini-
 to. Sed pugnā te ingredi velle videmus: nam tibi persuasum est
 melius esse reipublice si clerus pauper fuerit. Nobis non sine ra-
 tione fuisse Moysen videtur, & alios legū conditores, qui sacerdo-
 tium egere noluerunt: nam quamuis, vt ante diximus, priuatim
 C paupertas multis vsui est (neq. enim Mendicorū ordines repro-
 bamus) his certe qui regimini aliorum præsumt paupertas pro-
 pria, opes vero pro gubernanda republica necessariae sunt: nam
 quomodo tu iudicē facias pauperem, quem nolis testem admit-
 tere? Quod si testimonium pauperis corruptū videri potest, non
 videmus, cur inopis iudicis sententia integra sit. Iudex autē est
 sacerdos, & præsertim episcopi, & summus Pontifex, quibus cu-
 ra commissa est animarum, qui si fuerint inopes; necesse est, nisi
 præclara eos virtus retineat, multa faciant ab honestate aliena.
 Sed omittamus munera inferiorum sacerdotum. De summo ma-
 D ximoq. dicamus, an pauperem tu Pontificem Romanū esse vo-
 lueris? Dices, Volo si bonus fuerit. At nos Pontificem maximū,
 quamuis optimum, non putamus his temporibus & pro præsen-
 ti statu rerum officio suo satisfacere bene posse, nisi facultatibus
 præditus sit. Quod vt plene monstretur, referendum est quam-
 breuissime, quod sit Romani Præfulis officium: quo cognito co-
 gnoscemus multis opus ei esse ad explendum quod sibi incum-
 bit debitum. Est igitur Pontificis maximi propriū munus Chri-
 sti oues ubique existentes pascere. Pasturam autem eam esse o-
 portet

portet, quæ in caulas Domini, hoc est in uiam salutis, omnes, **A** si possibile sit, perducere conetur. Conuenit ergo Romanum sacerdotem curare, ut Euangelium Christi, quod est optimum pabulum, omnibus sincere prædicetur, ut omnis error: omnis blasphemia, omnis planta, quam Christus non plantauit, eradicetur: ut pellantur e finibus Christianis impugnatores nostræ religionis, ut schismata remoueantur, ut bella sopiantur, ut furta, rapinæ, incendia, homicidia, adulteria, ebrietates, crapulæ, contentiones, similtates, odia, rixæ de medio tollantur; ut pax & iustitia osculentur, vigeatq. concordia, ut honoretur Deus, & illi laudes atq. hymni canantur. Postremo debet Romana sedes, veluti patrociniū orbis terræ, tutusq. portus afflictorum, & dulce refugium miserorum, omnibus ad se recurrentibus, non solum benignas aures adhibere, sed opem vltro afferre, consolari tristes, extollere iacentes, inopibus subuenire, erectos perperam e suis sedibus pontifices in pristinum statum restituere, nullum consolationis genus prætermittere, sicut & Fabianus Papa testatur, & Xistus qui ait: Quisquis vestrum pulsatus fuerit, licet, ut ad hanc sanctam sedem Apostolicam appellet, & ad eam quasi ad caput suffragium habeat. Et Zepherinus Papa: Quasi ad matrem appellandum esse ad primam Sedem ait, **C** quæ non potest obliuisci filium suum: & quis est qui hæc agere posse pauperem & inopem Papam affirmet? Patriarcha Constantinopolitanus inops, egenus, antiquus, plenus bonorum dierum, sede sua pulsus, quonam modo se haberet, si pauperem inuenisset Romanum præfulem? adde alios episcopos, qui suis Ecclesijs pulsi, panem Romani Pontificis edunt. Adde monachos & honestos sacerdotes in partibus infidelium pecunijs adiutos. Dices; laicos his esse ministraturos eelemosynam: Infelix episcopus, qui laicorum ostiatim panem mendicet: sed pone id fiat, quomodo restituentur episcopi exules, aut hæretici vel schismatici corrigentur? Intelligimus quod respondes, Implorandum esse se brachium sæculare. At nos ex te quærimus: an melius per se Romanus præsul hæc agat viribus suis fretus, an per alium? Non tu es in eo errore ut putes virum sapientem melius alteri committere quàm ipse agat: numquam pictor aliena manu lineam tam recte quàm sua ducet. Scimus insuper quàm præsto sint principes sæculi, alieno iussu arma capeffere, & nunc experimur: Nam quis clamantem Pontificem, & auxilia regum imploran- **D** tem

A tem audit? Vociferat, plorat, obtestatur, rogat ut Turcis in nos ruentibus opponatur; & nemo audit, omnes obdormiunt. Tantum patet sæculi principes: quantum proprijs sententijs iussio quadrat: Si mandabit Pontifex aliquem episcopum capi, torqueri, spoliari, occidi, inueniet proculdubio Pontifex celerem obedientiam: si iubeat ablata bona restitui: surdi sunt, non intelligunt litteras, non vident nuntium, non fuit Pontifex recte instructus, dicet. Sed dicamus parituros principes in tertiam personam: quid vero si principes ipsi aberrant? & ut sæpe vidimus, hæreticis succumbant erroribus? quid agimus? quid si rex coercendus? si arguendus Imperator? Nunquid Lotharius vxore legitima renuntiata Valdradam concubinam superduxit? Nunquid Imperatoribus Constantinopolitanis ob dementia Imperium ademptum est? Nunquid Henrici Federiciq. Cæsares contra Ecclesiam debacchati sunt, & digni anathemate putati? Quid ergo? An brachium contra se Imperator præbebit, aut pauper corripiet eum Romanus præsul? Ridiculum id putare: quod nisi diuina prouidentia Constantinus, & qui postea secuti sunt Cæsares Romanam ditassent Ecclesiam: profecto vix hodie fundamenta eius inueniremus. At infallibile diuinæ prouidentiae consilium, cum **C** voluit pauperem ipse tutatus est ecclesiam: & rursus cum voluit, suis eam se viribus, in auxilio tamen suo, tuendam reliquit. Habuimus Ecclesiam primitiuam inopem, sed tunc Christi nomen occultum fuit, & non nisi in martyrio vocabatur. Postea vero laus fuit nominare Christum. Designauit hoc Nabuchodonosor, qui primo capitale esse iussit statuam suam non colentibus, postea vero priuari bonis præcepit: qui Sidrach Deum non coleret. Quid mirum: si Christus tempus suum diues esse voluit, in quo suum nomen libere inuocare libuit? Hoc quippe tempus est, quod futurum designauit Dominus, dicens: Venite post me, & faciam vos piscatores hominum: omnium possessores rerum, quæ hominibus subsunt. Ridiculum, quod Papam pauperem uelis, Maguntinum tuum, & Coloniensem, & Treuerensem Archiepiscopos medicare; quis hoc ferat? quomodo ditior parebit pauperi? Sed forsitan nolis parere: redis ad necem Sedis; non es audiendus. Dices, diuitem uolo, & non archidiuitem: sane tantum præstare opibus Romanus Pontifex Maguntinum debet, quantum Maguntinus ipse suos plebanos. Replicas; ergo principibus sæcularibus potētioris uis esse Papam? non negamus. Nam **D** quan-

quanto potentior hæc sedes erit, tanto Maguntinus tutior erit, A
 tanto ceteri episcopi liberiores, tanto hæretici depressiores ha-
 bebuntur: nec Pontifices ex Mendicantibus assumpti uiri san-
 cti, temporalia bona & imperia recusauerunt. Nam Romana
 sedes subditos suos ut filios, non ut seruos habet: & nostra quidē
 sententia, si fuisset Romana sedes in auctoritate qua est hodie,
 cum primum Agarenorum impietas coepit: nunquam imperiū
 illud tam late perfusum esset, sed inops sedes erat, & Impera-
 tor Heraclius hæresi infectus, auarus, negligens permisit in re-
 ligionem nostram debacchari diuino iudicio Dei. Et Nicolaus,
 ut credimus, Constantinopolim non permisisset à Turcis occu- B
 pari, si eius opes ampliores essent: quæ autem fecerit Calistus,
 supra diximus. Illud nos tenemus, potentiam, opes, viresq. mul-
 to melius in sede Apostolica, quam in alio quouis sæculari thro-
 no existere. Nam sedes hæc fidei est, quæ nunquam errauit, aut
 erratura est; quia rogauit Dominus ut non deficiat fides Petri: re-
 liquos vero principes sæpe in hæresim lapsos fuisse legimus. Præ-
 terea, quoniam uideris existimare, paruam esse Romanam se-
 dem, & paruo indigere; necesse est ut eam tibi describamus: Sic
 enim & contemnere eā desines, & multis ei opus esse cognosces,
 Est igitur in primis Romanus Pōtifex imperator & caput Chri- C
 stiani exercitus, & rex sapiēs, qui sedēs in folio suo dissipat omnē
 malum: hunc ætate maturum, litteris eruditum, moribus orna-
 tum plerumque assumunt, dignum qui Christi Vicarium agat:
 huic assistunt cardinales Græci Latiniq. raro minus quàm sex-
 decim, uiri excellentes ex omni orbe delecti, quorum consilio res
 arduas summus præsul agitare consueuit: inter hos alii sangui-
 ne regio, aut alta nobilitate pollent: alij doctrina illustres habē-
 tur: alij uitæ sanctimonia clari: alij magnis in rebus uersati no-
 uerunt quo pacto respublica administrāda sit: omnes tamen pru-
 dentia bonitasq. commendat: hisq. datum est uacante sede pri- D
 mum præfulem eligere: ad eos super quadringentos ferme an-
 nos pertinuit, cum antea Romanus clerus applaudente populo
 summum Pontificem eligere consueuisset. Hos uiros Apostolo-
 rum loca tenentes, & senatorum Urbis uicem implentes, & qui
 causas maiores audiunt: familia sequitur ex episcopis abbatibus
 & uiris nobilibus ac doctoribus: neq. enim decet eos, qui tāta di-
 gnitate præfulgent ueluti mendicos incedere: habent enim audi-
 tores magistros aulæ, magistros domus, antecessores, quos uo-
 cant

A cāt Scutiferos, Dispensatores, & qui minoribus officijs præfunt.
 Nec facile Cardinalis infra xl. famulos habere potest, & totidē
 ferme equos, qui cum reipublicæ seruiant dies noctesq. non est
 alienum si ex reipublica uiuant. Videmus in ciuitate Lubicensi
 qui consulatum gerunt, omnes aureo splendore longum famu-
 lorum ordinem post se ducere. Idem faciunt reliquarum urbiū
 consules, quamuis aurum non ferant. Apud Italiae ciuita-
 tes quantus sit magistratuū fastus vix dici potest. Compara igitur
 cardinalatum & consulatum, & illos orbis, hos alicuius vr-
 bis uicem gerere scito, & tunc intelliges an superbus sit Cardi-
 B naliū status. Iniquus sis, si paruæ urbis rectores superbe incede-
 re uelis, orbis uero magistratus humiliter: nisi illud usurpare ue-
 lis, quia quanto quis altius ascendit: tanto humiliter se gerere de-
 bet: quod ad animam referendum est, non ad ornatum extero-
 rem, qui secundum dignitatem gestandus est. Ex his Cardinali-
 bus alij Episcopi, alij Presbyteri, alij Diaconi sūt, & inter eos tria
 sunt officia magni momenti, primus est Pænitentiarius, qui con-
 scientias hominum expurgat, & auditis peccatis pro modo cul-
 pæ pænitentiam petentibus elargitur: huic subsunt Pænitentia-
 rij minores haud pauci & Scriptores quinq. & viginti: Procura-
 C tores quoq. & qui corrigunt litteras: & hoc officium tempestate
 nostra gerit dominus cardinalis Firmanus integritate uitæ, &
 scientia diuini atq. humani iuris insignis: Alterū officium est Vi-
 cecancellariatus: neq. enim Romana sedes nomine Cancellarij
 utitur ob reuerentiam sancti Laurentij, cui hoc honoris tradūt,
 siue quod Papam ipsum Christi cancellarium putant: nos tamē
 apud ueteres cardinalem fuisse & nominatum esse inuenimus.
 Nam & Alexander iij. Pontifex maximus natione Senensi prius
 quàm Pontificio fungeretur Rolandus appellatione tituli san-
 cti Marci cardinalis & Romanæ sedis Cancellarius in ueteribus
 D historijs inscriptus inuenitur. Vicecancellario subseruiunt Audi-
 tores uiri graues, & doctrina excellentes: corā quibus causæ agi-
 tantur & diffiniuntur: suntq. raro infra duodecim: cuilibet uero
 eorū quattuor Scribæ assistunt, & Aduocatorū nobilis ordo, qui
 patrocinantur causis, uiri electi ex multis utroq. iureconsulti, qui
 cathedras diu in scholis publicis rexerūt, neq. hi neque auditores
 absq. magno examine admittuntur, & necesse est eos publice di-
 sputare, priusquā in hunc ordinē aspirare audeāt. Hi quoties pu-
 blica cōcistoria fiūt, si quid uel cardinales, uel auditores in cau-
 sis pec-

sis peccauerūt palam edicunt: ipsiq. Papę in faciē malefacta sua **A** exprobrant, quorum qui senior est, pauperum Aduocatus appellatur. Militant circa rotam (sic enim auditorij publici locus vocatur) & doctissimi expertissimiq. Procuratores, & qui Cursores appellantur, quorū est citare partem in iudiciū; hos vetustas Apparitores vocauit. Post hęc in cancellaria insignes viri laborant: est primus Præsides: tum maioris parci Abbreuiatores haud minus xxv. tū scriptores centū: in registro quoq. & magistri & scriptores sunt; & est duplex registrum; alterū supplicationū, alterū litterarū. Sunt & duo ignari litterarū monachi barbati, quos bulatores appellant, qui ex manibus tum Papę, tum vicecancellarij litteras accipiunt, si aliūde receperint, falsi crimen incurrūt. **B** Officium autem Cancellarię obtinet hodie Rodericus Borgia sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconus cardinalis diui Calisti Pontificis maximi nepos, quamuis iuuenili etate, moribus tamen & prudentia senilibus, & qui patruī doctrinam redditurus videatur. Tertium officium Camerariatū vocant, cuius est patrimonij Ecclesię curam gerere, & omnes Urbis magistratum inspicere actus, prouidereq. ne quid respublica detrimenti patiatur, armigeros Ecclesię tueri, & belli causas tractare, pacique consulere, & qui nerui reipublicę dicuntur, pecunia- **C** rum habere curam. Huic subest Vicecamerarius, qui ius reddit in causis summarijs, & circumspicit ciuitatem, & Auditor camerarę, qui ius dicit inter curiales: & Soldanus, qui manu prendit nocentes, & pro iussu Auditoris torquet punitque: & Procurator & Aduocatus Fisci, qui causas dicunt ad cameram pertinentes. Est & Thesaurarius, qui pecuniarum curam gerit: & Depositaris, qui eas custodit, exponitque iubente Thesaurario. Sunt deinde Clerici camerę, qui rationibus præsunt: & Tabelliones, qui conscribunt obligationes & liberationes: sunt & seruientes armorum, qui veluti Feciales indicturi bellum, aut pacem immittuntur. Sunt Tabellarij equestres pedestresque, qui possint diplomate vti dum litteras ferunt. Huic officio præsist Ludouicus tituli sancti Laurentij in Damaso presbyter cardinalis, & Aquilegensis Patriarcha, qui modo apud Rhodum Apostolicam classem regit, Turcasque quantum valet bello laceffit. Post hęc & alij ministri sunt soli Papę seruientes: Referendarij, qui supplicationes egentium Papę signandas offerunt: Secretarij, qui dictant epistolas Breuia nunc vocant, piscatoris annulo signan-

A signandas viri disertī, Græca atque Latina lingua periti. Cubiculariorū duplex est ordo: alteri penitentiorem obseruant thalamū, alteri concistorij ostium. Sunt Capellani, confessores, & nobili loco nati, Scutifeti qui mensę seruiunt. Sunt Protonotarij septem, qui de rebus grauioribus rogantur instrumenta consicere, quamuis horum numerus in immensum creuerit. Subdiaconorum quoque non leuis ordo est, quorum est de corpore beati Petri sumptum pallium cum Papa iusserit Archiepiscopis ministrare. In Capella quoque Sacrista episcopus est. Duo plerumque sunt episcopi, qui coram Papa celebrant diebus festis, in quibus cardinalibus missa non competit: Sunt qui Papę assistunt prælati, quos sibi delegit. Sunt Acolythi, sunt Cantores, sunt Clerici caeremoniarum, & inferiores ministri: quod si videres aut celebrantem Romanum Pontificem, aut diuina audientem, fatereris profecto non esse ordinem, non esse splendorem ac magnificentiam, nisi apud Romanum præsulem: cum in suo throno Papam sublimem videris, Cardinales à dextris sedentes, magnos prælatos a sinistris astantes: è regione Episcopos & Abbates, ac Protonotarios, & suo in loco Oratores regum, magnates in suo; ibi Auditores, hic Clericos camerę: **C** ibi Procuratores ordinum, hic Subdiaconos & Acolythos, ceteramque multitudinem humi sedere, profecto instar coelestis hierarchię diceres Romanam curiam, vbi omnia ordinata, omnia ex præscripto statutoque modo disposita, quæ profecto cum boni viri intuentur, non possunt nisi laudare. Intue ergo, & circue mundum, perlustra principum atria, & regum aulas introspecto: & si qua est curia similis Apostolicę, referto nobis. Nusquam inuenies tot viros litteris ornatos, moribus præditos optimis: nusquam tantam sapientiam, tantum ordinem, tantam obseruantiam. Et tu ergo dices, pauperem esse curiam oportere? inopem Papam & mendicantem? Vnde alantur tot magni viri sine sumptibus? Sed dices: Quid opus est tot viris? Respondemus: opus est, si volumus iudicare mundum. Nam Papa, & si doctus & sapiens est: non tamen tam verbo suo sapit, quàm consilio assistentium: & deciperetur forsitan aliquando, nisi astant viri sapientes, qui multa noscant. Præterea, non possunt (vt diximus) corripi crimina, nisi manu potenti. Si quis fuerit in populo pestifer admonendus, & nisi monitis pareat coercendus & abdicandus, vt si saluari non

vult, alios saltem non perdat; morbidam pecudem ex ouili abijciunt, ne reliquas inficiat. Diximusque non tutum esse alienam opem petere, quia saepe is sit morbidus, cuius auxiliū quaeras. Vnde fit vt salubre sit Ecclesiam esse potentem ne opprimatur ab hæreticis, malisque hominibus, & gregem suum ipsa tueri possit. Præterea diximus & veteris testamenti sacerdotes, bonis omnibus abundasse, quorum aliqui reges fuerunt sacra simul & profana regentes, & Gentilium sacerdotes opulentos fuissent. Et quamuis in Ecclesia primitiua, qui Christum induebant prædia venderent, & inter pauperes pretia distribuerent, Apostoli tamen distributores erant. Venditio autem ideo fiebat (vt Melchiades Papa dicit) quia futuram Ecclesiam in gentibus Apostoli præuidebant, & idcirco prædia in Iudæa minime sunt adepti: sed pretia tantummodo ad fouendum egentes. At verò cum inter turbines & aduersa mundi subcreveret Ecclesia; ad hoc vsque peruenit, vt non solum gentes, sed etiam principes Romani, qui totius orbis Monarchiam tenebant, ad fidem Christi, & Beatissimi Petri sacramenta concurrerent. Ex quibus, vir religiosissimus Constantinus primus fidem veritatis potenter adeptus, licentiam dedit per vniuersum orbem sub suo degentibus Imperio non solum fieri Christianos, sed etiã fabricandi ecclesias: & prædia cõstituit, tributa, & donaria immensa ipse cõtulit. Et Urbanus Papa dicit, quòd uidetes summi Sacerdotes & alij, atq. Leuitæ, & reliqui fideles plus utilitatis posse conferre, si hereditates, & agros, quos uendebant ecclesijs, quibus præsidebant episcopi, traderent, eo quòd ex sumptibus eorū tam presentibus quàm futuris temporibus plura, & elegãtiora possent ministrare fidelibus communē uitam ducētibus, quàm pretijs, coeperunt prædia & agros, quos uendere solebant, matricibus ecclesijs tradere, & ex sumptibus eorum uiuere. Res autē ipse in ditio ne erāt episcoporū, qui loco Apostolorū successerūt. Quòd si nõ deberent Ecclesiae bonis abũdare, male fecisset Constantinus Imperator, qui Romanã tãtopere ditauit Ecclesiã, qui (vt Damasus ait ad Hieronymū) multa illi bona cõcessit: malefecissent & Carolus magnus, & pater Pipinus, & Ludouicus filius, qui Ecclesiae multa donauerunt; male quoque vestri Othones, qui non solum Romanam Ecclesiam ditauerunt, sed etiam Theutonicas ditarunt: male Henricus is Imperator, qui sanctus habetur, & caelo creditur raptus, qui Bamburgensem ecclesiam & fun-

fundauit & ditauit, in qua sepultus claret miraculis. Male comitissa Matildis paternam hereditatem à Radicofono Tusciæ vsque ad Ceperanum Campaniæ medias vrbes & oppida beato Petro tradidisset, seu melius dicam restituisset. Male sanctus Siluester dona imperij accepisset. Male Damasus, Stephanus, Leo, Hadrianus, & quem sine controuersia Deo deuotissimum omnes fatentur, Gregorius in possessione tot bonorum perseuerassent. Sed quid dicimus? Prosperi verba hæc sunt: Expedi facultates Ecclesiae possideri, & proprias perfectionis amore contemni: non enim propriae sunt, sed communes Ecclesiae facultates. Et ideo quisquis omnibus quæ ipse habuerit dimissis aut venditis, sit rei suæ contemptor, cum præpositus factus fuerit Ecclesiae, omnium quæ habet Ecclesia efficitur dispensator. Denique sanctus Paulinus, vt ipse melius nosti, ingentia prædia quæ fuerant sua vendita pauperibus erogauit: sed cum factus esset episcopus, non contempsit Ecclesiae facultates; sed fidelissime dispensauit. Quo facto satis ostēditur, & propria debere propter perfectionem contemni, & sine impedimento perfectionis posse Ecclesiae facultates, quæ sunt profecto cõmunes, possideri. Quid sanctus Hilarius? nonne ipse omnia sua aut parentibus reliquit, aut vendita pauperibus erogauit? is factus Ecclesiae Arelatensis archiepiscopus, quæ illa tunc habebat Ecclesia non solum possedit, sed etiã acceptis fidelium numerosis hereditatibus ampliauit. Idē fecisse multos sanctos & in hac Romana, & in pluribus alijs constat ecclesijs; pluresq. legimus viros doctrina & vitæ sanctimonia memorabiles, qui cum fuissent monachi mendicantes ad Romani Pontificij dignitatem assumpti, diuitias Ecclesiae possederunt, vt Nicolaum tertium Vrsinum, & alios: pari modo & in cardinalatu Cartusienfes, aliosq. religiosos vidimus, qui professi paupertatem, in dignitate constituti suarū ecclesiarum bona conseruant, & pro dignitate statum ducunt condecentem, sicut est hodie Ioannes de Turrecremata sancti Xisti presbyter cardinalis theologica facultate sublimis, & scriptis voluminibus memorabilis. Audiuius à sancto viro Iacobo referri à se olim S. Bernardinum prædicantem auditum, cuius fama hodie redolet, pauperem ex animo, & magistro suo diuo Francisco similem: is cum aliquando de hominū cupiditatibus differeret, & in eos incidisset, qui episcopatū desiderant: Ego, inquit, neque episcopatum, neque cardinalatum cupio, at neque summum Pontifi-

ciū, nisi fortasse Imperium simul orbis cum Papatu consequi
possim: tunc enim possem reipublicæ Christianæ optime consu-
lere, leges statuere bonas, & legū obseruantiam inducere: at Papa-
tus sine Imperio nihil nisi mihi molestia fuerit, cū male viuentes
vellem quidem, sed non possem coercere. Hæc vir sanctus Ia-
cobus aiebat; erat enim festiuus & vrbanus homo, & tamē in lo-
co veritatem non prætermittebat, & altis sensibus utebatur. Li-
quet igitur meo iudicio, quando id auctoritatibus & rationibus
probatum est, Romanam Ecclesiam diuitem esse oportere: neq̄
diuitias ad voluptatem requiri: sed ad tria tantum; ad statum ho-
nestum & dignitati conuenientem tenendum: ad alendos paupe-
res, & ecclesias manutenendas: ad coercendos malefactores, qui
fidei sinceritati officiant. Quod si quis Pontifex his aliter utitur,
fatemur eum non recte agere: neq̄. magistri sui sequi vestigia.
Neq̄. enim inter consanguineos Christi hereditatem partiri de-
bet, aut in voluptatibus & delitijs illam consumere: si tamen ali-
quis sit, qui ex minoribus prælatibus abutitur bonis sibi creditis,
superioris est iudicio coercendus: quod si Pontifex aliquid ta-
le egerit, maximum Dei iudicium expectandum est: qui aut
Papam de medio tollet, aut alio modo prouidebit: neq̄. enim pri-
mam Sedem, quam suo arbitrio regendam retinuit, errare aut di-
labi patietur. Sed quid, obsecro, est quod in Romano præfule vi-
deamus indignum? an forsitan sicut plerisque principū videmus
ire venatum, aut aucupatum? an Pontifex Romanus aut canes
aut aues ad delicias pascit? Quis eum aliquando in spectaculis
aut ludis uidit? saltationes & coreas & cantus mulierum inspi-
cere? Vbi vnquam histriones vel pantomimi coram eo? quid? il-
le conuiuia lasciuia, aut ebrietatem sectatur? aut alea ludit? aut
scaccho? Aliena sunt hæc ab Apostolico Palatio. Studia Pontifi-
cis maximi & occupationes sunt diuinis interesse mysterijs, &
sacram rem facere diebus celebrioribus: audire legationes prin-
cipū, populorumque: signare supplicationes: consolari miseros:
peccatores coercere, prouidere viduatis ecclesijs: dicere suas ho-
ras. Vix illi superest tempus, in quo cibum sumat, & corpori
quantum necesse est somni tribuat. Ad hæc semper querelas au-
dit & lamenta, cum spoliatis & afflictis loquitur: nemo ad eum
venit vt consoletur eum, aut iocūditatis aliquid afferat, aut que-
runtur quia eiecti sunt episcopi vel alij, aut cupidi plura peten-
tes veniunt. Hic status Papæ: hæc voluptas. Sed ais fortasse, Car-
dina-

Adinales voluptati deditos. Sane omnium cardinalium in com-
muni cura est bene viuere, & tam conscientiam, quam famam
non lædere: quorum si quis est qui excedat, diximus nullum es-
se collegium omnino mundū, & inter Apostolos fuisse Iudā: sed
ais: In sancto quid facit aurū? quid multis gemmis, & ostro tecti?
& ministri serico vestiti? Certe & in hoc modestiam esse seruan-
dam putamus: nunquam tamen audiuius dignitatem suo ho-
nore spoliandam: quod si magisteratus sæculi suo fulgore utun-
tur, non est Christus suo decore priuandus, qui gloriatur in ser-
uis suis, & in ministris suis benedicatur. Diximus de magistratu
B Lubicensi & alijs. Profecto inuidia est sacerdotibus non præbe-
re honorem: verum ego humiles velim, & animo eo esse, vt
pompam non sibi, sed Deo querant, & auro clausi, luto se teneri
putent, & in opibus pauperes sint; si aliter agunt, sua sciunt se
expectare supplicia: populi tamen laudandi sunt eos honorantes
Christo enim honorem impendunt, qui ait: Qui vos recipit, me
recipit: & qui vos spernit, me spernit. Et quis non putet Saluato-
rem nostrum esse summo cælo intuentē ministros suos honore ful-
gentes contentari? Certe ministrantes Deo in veteri lege, non ab-
iecto habitu incedebant: quod si hodie in altari mane celebra-
ntem sacerdotem, aurea veste indutum viderit, & deinde lacerū
& incompositum; profecto irridebit eum populus. Decet quidem
qui reipublicæ præfunt, vt dignitate ante stant, ita etiā & vesti-
bus, & ornatu, & comitatu præcedere populum. Iulianus apo-
stata, cum suscepisset Imperium, pompam omnem, fastumque
è palatio amouit: in qua re dicit de eo Socrates in historia tripar-
tita, quia philosophi in ea parte non Imperatoris opus egit. Et
nos igitur aliud esse opus summi Præfulis & cardinalium, aliud
religiosorum dicimus. Quid plura? Monachos sancti Benedicti,
& sancti Bernardi, & Cartusienfes magnas in cōmuni opes pos-
Dsidere videmus, & castella, & oppida obtinere, quæ pro imperio
superiorum gubernantur: eos tamen viros sanctos, & cælo di-
gnos omnis Ecclesia iudicat. Quis est igitur qui hoc ipsum sum-
mo Pontifici negare audeat? cuius est omnem Ecclesiam regere,
& hostibus eius resistere? Et si quis pauperem esse cupit, vt prag-
matici uolunt, extinctā esse religionem uolunt, sed iam transe-
amus ad eum modum, quem seruare uolunt auctores pragmati-
cæ sanctionis. Audiamus quid dicant, & quā honeste acturi vi-
deantur. Ibimus, inquit, Romam, summo Pontifici sanctiones

nostras offeremus, atq. vt eas approbet summis rogabimus precibus, si morem geret votis nostris Romana maiestas, salua res est, bene iacta principia sunt: vtemur sine aduersario nostris legibus: si negauerit assensum, nos tamen propositum tenebimus, iubebinusq. Germanos omnes sanctioni nostrae parere: si quis cōtradixerit extorris esto. Quod si Papa in nos censuras fulminauerit ad futurum concilium appellabimus, formulas appellationum sua quæq. dioecesis habeto. Hic modus Pragmaticæ inuentus est: non tam sane argutus, quàm iniquus. Nam quid dici magis absurde potest? magis arroganter? magis temere? Si dabit Apostolica sedes, inquiunt, quod petimus, læti abibimus: sin autem, nostra nobis fatis est auctoritas; ac si dicas: nisi dederis tunicam, eripiam tibi: aut vestrum est id agere, & frustra petitis quod domi est, aut non licet vobis, & acquiescere superioris iudicio debetis. Si dat sedes quod petitis, cognoscite gratiã: si negat, laudate iustitiam. Neq. enim sedes negabit quæ concedenda putauerit: sed habita ratione sui vestriq. id faciet, quod in communi vtile sit. At vos repulsam ferre non vultis. Pluris ergo vestrum est quàm primæ sedis iudicium: At Ioannes Papa; si Imperator, inquit, catholicus est (quod salua pace ipsius dicimus) filius est, non præsul Ecclesiæ. Et ex gestis Bonifacij martyris, à quo vobis Germanis fuit Euangelium prædicatum, legitur de Papa, quod cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus, nisi deprehendatur à fide deuius. Et Stephanus Papa quartus; Enimvero, inquit, in speculum & exemplum sancta Romana Ecclesia, cui nos Christus præesse voluit, posita est omnibus, quicquid statuit, quicquid ordinat perpetuo irrefragabiliter obseruandum est. Et Nicolaus Papa clero Constantinopolitano: Si decreta Romanorum, inquit Pontificum non habetis, de neglectu, atque incuria estis arguendi: si vero habetis & non obseruatis, determinate estis increpandi. Quid igitur excusabimus ne pragmaticos, an temerarios appellabimus? Nicolaus certe sententiam tulit, sed non tam turpe est, neque tam temerarium leges aliquando infringere; quàm superioris loco sibi ipsi leges condere: quas inuito superiore & recusante seruare velis. Illud sæpe ex fragilitate atque incuria euenire potest. At qui leges inuito principe condit; is proculdubio principem negat, & denegatum abijcit, sibi que stultam libertatem arripit: quod, sicut antea dictum est, à fide procul abijt, & in hæresim cecidit. Nam fides recta hæc est.

A est. Romanæ sedis primatum credere & quod illa de Deo sentit, tenere, sicut Hieronymus ait ad Damasum scribēs: Puteus aquę viuæ hic est, & fons signatus, & hic saluationis arca & pascua benedictorum. Nam & in Constantiensi synodo id declaratum est, Romanam Ecclesiam super omnes alias habere primatum. Id conciliū declarauit, & nemo qui sapiat inficiatur consequens est, vt eius iudicium deuote sequamini, ne temere aduersemini, quod maiores vestri factitarūt, & vos facturos esse confidimus. Ceterum neq. illud quod sequitur de appellationibus piæ aures ferre possunt: nam si princeps est Romanus præsul, si pater, si dominus, si magister, quo pacto ab eo appelletur? facta subditōrū, inquit, Aurelius Papa, iudicantur à nobis; nostra vero à Domino iudicantur. Et Gelasius: Ipsi sunt canones, inquit, qui appellationes totius Ecclesiæ ad eiusmodi sedis examen voluerunt referri: ab ipsa vero nunquã prorsus appellari debere sanxerunt; ac per hoc illã de tota ecclesia iudicare: ipsam ad nullius remeare iudiciū. Nec de eius vnquã præceperunt iudicio iudicari: sententiamque eius constituerunt non oportere dissolui, cuius potius sequenda decreta mandauerunt. Idem Innocentius Papa, idem Symmacus: idem ratio ipsa decreuit. Nam si leges ciuiles neque à senatu, neque à principe sæculari appellationem admittunt; quanto minus ab Ecclesiastico primo principe appellandum erit? Nam si Papa simul & Imperator conferantur, quantum inter solem & lunam interest, tantum eos differre dicimus: & Papam soli, Imperatorem lunę assimilabimus. Præterea cū appellatio ab inferiori ad superiorem deferatur: Papa vero sit prior & maior omnibus, liquet non esse ab eo prouocandum. Sed audio quod tecum loqui potes: non quisquam singularis homo appellabitur: sed concilium, quod maius est & potentius Romano præfule. Nolumus hanc modo quæstionem ingredi, quæ longiorem tractatum requirit, & aliud ingenium quàm nostrum est. At idem Gelasius sacros canones ait sanxisse ne vnquam ab ea sede appellaretur. Et amplius ait de Romana sede: quod illos etiã quos synodus inique damnauerat, absoluit: quod dicto declarat à synodo ad Papam tanquam ad superiorem appellatum fuisse: eoque modo maiorem synodo Papam extitisse: Ex quo Symmacus manifeste synodū excludit. dum ait: Aliorū causas Deus voluit per homines terminari. Sed sedis istius præfulem, suo sine quæstione reseruauit arbitrio. Quocirca, si quid est,

est, quod grauius ille agat, nō est recalcitrandum, sed ferendum. **A**
 Ridiculū profecto est, quod nemo est tā paruae vrbis dominus,
 qui à se appellari ferat: & nos Papā appellationi subiectū dica-
 mus. At si me, ais, Pōtifex indigne premerit; quid agā? redi ad eū,
 supplex ora, onus leuet: at si rogatus, interpellatus, nolit subue-
 nire misero: quid agā? Quid ages vbi tuus te princeps saecularis
 vrget, vbi tuæ te ciuitatis magistratus opprimit? Feram, dices: nā
 aliud nullum est remedium: & hoc ergo feras. At hoc impiū est
 ais: nam Papa in edificationē, non in destructionē potestātē acce-
 pit: & hoc in edificationē esse putamus. Nam quid si tu appellas
 friuole, vt aiunt, vt iudiciū subterfugas, & maioris imperium? **B**
 Iterum dices, quid si me Papa iniuste premit? Iterum dicat quis,
 quid si tu iuste pateris, & cauillōse appellas? Tu dices, male agit
 in me Papa; & ille te male agere ait: cui credimus? priuato aut
 principi? maiori aut minori? Quis nō putet apud maiore esse ve-
 ritatē? Dices, iudicet superior; at superior Papa Deus est, & ipse
 suo tēpore iudicabit. Iudicabitur ne timeas Romanus Pontifex:
 at, inquires, durū est id iudiciū expectare. Respondemus, durius
 esse quod tu quæris: nam Deus omni hora potest iudicare Pon-
 tificem; tu concilij examen quæritas, quod nescimus an quo no-
 stro futurum sit: quis non videt calumniam tuam? velles nun- **C**
 quam esse concilium, quod appellas. Ariopagitæ, cum perplexā
 causam aliquando audissent, reum & actorem ire, & post centū
 annos reuerti iusserunt. Id tu tibi velles: at hæc delusio est, & ir-
 risio maiestatis superioris, contemptusq. sedis & orthodoxæ fi-
 dei: inuentio diabolica, & machinatio Satanæ, qui hoc modo il-
 laqueare animas nititur, cui nihil dulcius est, quā iudiciorum
 claudere tribunalia, & nullum permittere in terris superiorem:
 vt in confusione cuncta sint, absit obedientia, vincat contuma-
 cia, sibi quisque dominus sit, & alium pellere studeat, non ordo,
 non reuerentia, non vlla viuendi regula, & Deus postponatur, **D**
 audiaturq. diabolus. Nam quis dubitat si liceat à Romano Pon-
 tifice appellare ad concilium, quin omnes appellent in quauis
 causa iudicati? Si condemnabitur aliquis, si excommunicabitur,
 si vocabitur in iudiciū, si soluere aliquid requiretur, si fur resti-
 tuere duplum vel quadruplum, rapinam reddere, si adulter alie-
 nam vxorem, si prædō alienum agrum, si violentus inuasor alie-
 nam ecclesiam restituere iubetur, si mandabitur vsurario, ne vl-
 tra prauitatem exercent, si presbytero, vt concubinā relinquat,
 si de-

A si debitori, vt creditori soluat; se grauatū dicet, & concilium
 appellabit. O beatam vitam, in qua licet impune omnia gerere:
 ò rempublicam bene ordinatam, in qua nullum delictum puniri
 potest. Concilium, & si frequenter congregari debeat, ex de-
 creto Constantiensi, non frequentius, quā per decennialia co-
 gendum est. Recte sane decem impunitatis annos erummos tri-
 buemus; cum tamen appellationis remedium, vt canones aiunt,
 non ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiae sit
 institutum. Quod si Papa subiectus appellationibus erit, imple-
 bimus omnia iniquitatibus, & Romanum Præsulem, quem Dei
B vicarium in terris, & primum inter mortales, magistrumq. fide-
 lium, & iudicem cunctorum dicimus; minorem non dicam regi-
 bus, sed minimum communitatibus efficiemus; in quibus magi-
 stratus sunt ab omni prouocatione immunes. Inquires, at si pu-
 nior innocens, nunquid licebit prouocare? Quid si Pontifex ma-
 ximus innocentem punire pergit? Quid si concilium te innocen-
 tem damnat? ad quem prouocabis? ad Papam dices: & si rur-
 sus Papam inuenies iniquum, ad concilium redibis; atq. ita per
 circulum deludes iudiciū: & adijcies, deludendum est iudiciū,
 in quo damnatur innocens: nam iudex qui damnat innocentē,
C & iniuste agit; similis est violento latroni, secundum illud Eze-
 chielis: Princeps eius in medio eius quasi lupi rapientes prædam
 ad effundendum sanguinem. At nos nihil iniquius, nihil perni-
 ciosius, aut detestabilius in vrbibus esse censemus, quā iudiciū
 frustrari posse, & non esse finem litibus: nam & si permissum est
 appellari ab inferioribus, id factum est ne crassentur iudices in
 pauperes homines: sed vbi ventum est ad principē, filet prouo-
 catio. Neque enim maiestas superior tam prona est ad iniuriā,
 quā inferior: & si dicimus utiq. & superiores & Papæ aliquan-
 do iniurij sunt: igitur & huic malo obuiandum est. Responde-
D mus: Dum sumus in hac vita mortali, non esse possibile huma-
 nis legibus cuncta tolli pericula, & omnia mala è medio homi-
 num propulsari. Ideoq. legum latores cum duo imminere mala
 cernunt, & alterum lege posse vitari, alterum ferendum esse; id
 lege auferunt, quod perniciosius animaduertunt. Hinc publica
 lupanaria in ciuitatibus permissa videmus, ne iuuentus libidinis
 impatiens, legitimas matrimoniorū faces irrumpens adulterijs
 cuncta permisceat, aut virginibus vim inferat, licet fornicatio
 prohibita sit. Maiores ergo nostri, quamuis Romanum Pontifi-
 cem

est, quod grauius ille agat, nō est recalcitrandum, sed ferendum. **A** Ridiculū profecto est, quod nemo est tā paruae vr̄bis dominus, qui à se appellari ferat: & nos Papā appellationi subiectū dicamus. At si me, ais, Pōtifex indigne premerit; quid agā? redi ad eū, supplex ora, onus leuet: at si rogatus, interpellatus, nolit subuenire misero: quid agā? Quid ages vbi tuus te princeps saecularis viget, vbi tuae te ciuitatis magistratus opprimit? Feram, dices: nā aliud nullum est remedium: & hoc ergo feras. At hoc impiū est ais: nam Papa in edificationē, non in destructionē potestātē accepit: & hoc in edificationē esse putamus. Nam quid si tu appellas stiuole, vt aiunt, vt iudicium subterfugias, & maioris imperium? **B** Iterum dices, quid si me Papa iniuste premit? Iterum dicat quis, quid si tu iuste pateris, & cauillōse appellas? Tu dices, male agit in me Papa; & ille te male agere ait: cui credimus? priuato aut principi? maiori aut minori? Quis nō putet apud maiore esse veritatē? Dices, iudicet superior; at superior Papa Deus est, & ipse suo tēpore iudicabit. Iudicabitur ne timeas Romanus Pontifex: at, inquires, durū est id iudiciū expectare. Respondemus, durius esse quod tu quæris: nam Deus omni hora potest iudicare Pontificem; tu concilij examen quæritas, quod nescimus an eū nostro futurum sit: quis non videt calumniam tuam? velles nunquam esse concilium, quod appellas. Ariopagita, cum perplexā causam aliquando audissent, reum & actorem ire, & post centū annos reuerti iusserunt. Id tu tibi velles: at hęc delusio est, & irrisio maiestatis superioris, contemptusq. sedis & orthodoxae fidei: inuentio diabolica, & machinatio Satanæ, qui hoc modo illaqueare animas nititur, cui nihil dulcius est, quā iudiciorum claudere tribunalia, & nullum permittere in terris superiorem: vt in confusione cuncta sint, absit obedientia, vincat contumacia, sibi quisque dominus sit, & alium pellere studeat, non ordo, non reuerentia, non vlla viuendi regula, & Deus postponatur, **D** audiaturq. diabolus. Nam quis dubitat si liceat à Romano Pontifice appellare ad concilium, quin omnes appellent in quavis causa iudicati? Si condemnabitur aliquis, si excommunicabitur, si vocabitur in iudicium, si soluere aliquid requiretur, si fur restituere duplum vel quadruplum, rapinam reddere, si adulter alienam vxorem, si prædo alienum agrum, si violentus inuasor alienam ecclesiam restituere iubetur, si mandabitur vsurario, ne vltra prauitatem exerceat, si presbytero, vt concubinā relinquat,

si de-

A si debitori, vt creditori soluat, se grauatū dicet, & concilium appellabit. O beatam vitam, in qua licet impune omnia gerere: ò rempublicam bene ordinatam, in qua nullum delictum puniri potest. Concilium, & si frequenter congregari debeat, ex decreto Constantiensi, non frequentius, quā per decennalia cogendum est. Recte sane decem impunitatis annos crummosis tribuemus; cum tamen appellationis remedium, vt canones aiunt, non ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiae sit institutum. Quod si Papa subiectus appellationibus erit; implebimus omnia iniquitatibus, & Romanum Præsulem, quem Dei vicarium in terris, & primum inter mortales, magistrumq. fidelium, & iudicem cunctorum dicimus; minorem non dicam regibus, sed minimum communitatibus efficiemus; in quibus magistratus sunt ab omni prouocatione immunes. Inquires, at si punior innocens, nunquid licebit prouocare? Quid si Pontifex maximus innocentem punire pergat? Quid si concilium te innocentem damnat? ad quem prouocabis? ad Papam dices: & si rursus Papam inuenies iniquum, ad concilium redibis, atq. ita per circulum deludes iudicium: & adijcies, deludendum est iudiciū, in quo damnatur innocens: nam iudex qui damnat innocentē, & iniuste agit; similis est violento latroni, secundum illud Ezechielis: Princeps eius in medio eius quasi lupi rapiens prædam ad effundendum sanguinem. At nos nihil iniquius, nihil perniciosius, aut detestabilius in vr̄bibus esse censemus, quā iudiciū frustrari posse, & non esse finem litibus: nam & si permissum est appellari ab inferioribus, id factum est ne crassentur iudices in pauperes homines: sed vbi ventum est ad principē, silet prouocatio. Neque enim maiestas superior tam prona est ad iniuriā, quā inferior: & si dicimus vtiq. & superiores & Papæ aliquando iniurij sunt: igitur & huic malo obuiandum est. Respondemus: Dum sumus in hac vita mortali, non esse possibile humanis legibus cuncta tolli pericula, & omnia mala è medio hominum propulsari. Ideoq. legum latores cum duo imminere mala cernunt, & alterum lege posse vitari, alterum ferendum esse; id lege auferunt, quod perniciosius animaduertunt. Hinc publica lupanaria in ciuitatibus permessa videmus, ne iuuentus libidinis impatiens, legitimas matrimoniorū faces irrumpens adulterijs cuncta permisceat, aut virginibus vim inferat, licet fornicatio prohibita sit. Maiores ergo nostri, quamuis Romanum Pontificem

cem aliquando posse iniuriam esse non dubitent: non tamen appellandum ab eo sanxerunt: nam iniuriam ab illa sede rarissime venturam arbitrati sunt. Priuatos vero homines, si prouocare possint, non dubitarunt toties appellatos, quoties in eos sententia promulgaretur: quoniam sicut litigare homines iniuste audent; ita etiam prouocare audebunt, ac per eum modum nullus vnquam erit finis litiū. Nemo enim est, qui suas iniurias paruifaciat: nec solent homines iugum aliquod libenter ferre. Itaque si aliquid iniuste tolerandū est, tutius est reipublicae causa aliquem indigne pati, quam totam confundi rempublicam, quod per appellationes a Papa interponendas communiter accideret. Tollitur enim principatus Ecclesiae, & confunditur Christianorum status, totaque bene viuendi norma deletur, atq. hoc malum est, quod ex modo redundat Pragmaticae sanctionis: cuius inuentiones eam per appellationem a Papa interponendam tueri volūt: quare nescimus quid excogitari perniciosius possit: Atq. hæc sunt quæ ad tuas litteras volumus rescripsisse fortasse longius quam res postulauit. Sed traxit nos indignitas rei, vltius quam putauimus, dum verbū ex verbo cadit, ex quaestione quaestio redundat: tu veniā dabis & prolixitati & loquentiae nostrae. Neq. moleste ferēs si locuti liberius sumus: nam ita expostulare amicitia videbatur. Nunc ergo cū plane intelligas quæ referuntur grauamina inferri nationi tuæ aut nulla, aut longe minora esse quam fama feruntur; pragmaticae sanctionis inuentionem perniciosam esse comprehendas & in se ipsa, & in modo quo vel petenda dicitur, vel tuenda: cum nationem tuam ab hac Romana sede magnifice honoratam non dubites: cum primæ Sedis eminentiā Christianæ religioni & vtilem & necessariam inficiari non possis: tenearisque tanquam Christianus ex fide, quam in baptismo promisisti pro tua virili vnionē ecclesiae tueri, amicitia tuam rogamus, vt hæc quæ scripsimus legens, ea in animum tuum prius inseras, deinde patri optimo & colendissimo archiepiscopo Maguntino, ea consulas, quæ sunt officii sui, quem matrem suam Romanam Ecclesiam, cum impugnatur, deserere non decet: deinde cum eo iubente concilia nationis adiueris his qui affuerint principibus; suadeas ne statum Ecclesiae conuellere, ne patrocinium orbis terræ delere, ne portum oppresorum hominum destruere aditantur. Sed more maiorum suorum in deuotione Matris debita perseuerent: ostendāt se gratos, & vin-

A & uincere beneficijs Romanū Præsulem, potius quam rebellio- nibus studeant: immitentur clarissimum illud & memorabile si- dus vestre gentis Carolum Magnum, qui cum aliquādo in Apo- stolicam sedem, vt quibusdam videbatur, graue assurgere roga- retur, & iugum excutere (vt est in Decretis) non arrogantia vsus est, neq. rebellandū esse ait: sed in memoriam B. Petri Apostoli: Honoremus, inquit, sanctam Romanam Ecclesiam, & Apostoli- cam sedem: nam seruanda est cum mansuetudine humilitas; & licet uix ferendum ab illa Sede sancta imponatur iugū, tamen feramus, & pia deuotione toleremus. Illud uero praelatis eccle- siarum dixeris, ne superbiant, ne cornua erigant, ne calcitent; sed humili corde & pia mente magistram & dominam suam re- cipiant Romanam sedem; eiq. faueant & auxilio sint: ne si hæc patiat, & ipsi patiantur. Nec enim ruere fundamentū sine casu edificij potest. Hæc petra est, in qua fundata est Ecclesia. Non po- test conuelli sine publico damno. Cogitent quia facile est incipe- re bellum: finire arduum. Cogitent quia nō affligetur sine filia- bus mater: neq. lugente Romana, alię ridebunt ecclesie. Hæc re- gina est, hæc magistra, hæc caput ecclesiarum atq. refugium cuiuscunq. fidelis iniuriam passi. Ob quam rem po- tes episcopis Germanie dicere: quāuis & ipsi per sese id melius norint: quod Symmachus Pa- pa de Romana ecclesia scriptum reli- quit hoc modo: De hac mihi per Prophetā scriptū uidetur: Si hæc humiliabitur, ad cuius cōfugietis auxilium? & ubi requiretis glo- riam uestram? Vale.

FINIS.

INDEX

INDEX EORVM, QVAE NOTATV DIGNIORA VISA SVNT.

<p>A BBATIA sancti Saluatoris oppidum amenissimum. 396. D Actorum familia Tuderiti. 497. B Adolfus Nassau Maguntiam occupat. 267. 542. C Adria olim in continenti. deleta à Venetis. 137. B Adulatores principum. 141. C Aemilia regio. 340. A Aenea Siluij ortus. 98. A proficiscitur Senas ad studendū. 1. D fit secretarius Dominici Capranici, & cum eo Basileam proficiscitur. 2. revertitur in Italiam, & orationem habet Mediolani. 3. B fit secretarius cardinalis S. Crucis, & cū eo in Gallias proficiscitur. 3. D in Scotiam. 4. quæ egerit in concilio Basilien. 8. fit secretarius Martini quinti. 12. poeta laureatus. 13. secretarius Alberti Imperatoris. 13. B legatus ad Eugenium, & fit eius secretarius. 15. C. 17 dissoluit conuentum Frankfordia. 20 fit episcopus Tergestinus. 22. 23 ad Mediolanenses legatus Caesaris. 24 matrimonium inter Imperatorem, & Leonoram tractat. 28. C fit episcopus Senen. 29. C fit cardinalis. 49. A fit Pontifex maximus dictus Pius secundus. 54. Vide Pius. Aethiopsis militis audax facinus. 576. A Africani sepulchrum. 47. B Agato Papa de Apostolica sedis emimentia. 725. C</p>	<p>Agrigentum. 67. C Alanus Auinionensis cardinalis. 68. B Alba vrbs. 563. B Albanum oppidum. 563. C Albani lacus amenitas. 564. D Albis fluius. 689. D Albuncus fons. 253. C Alexander Papa tertius Senēsis. 114. B Alexander Picolomineus. 215. C Alexander Oliua de Saxoferrato cardinalis. 177. D moritur. 605. A Alexander Sfortia. 212. C. 585. B conuenit cum Picinino, & pacē concludit. 588. C Alfonfus cardinalis sanctorū Quattuor Hispanus ex Valentia creatur Pontifex maximus, vocaturq. Calistus tertius. 43. D Alfonfus Aragoniæ rex vocatus in successione regni Sicilia. 62. A contendit cum Imperatore de Mediolanensi ducatu. 24. B & cum Francisco Sfortia. 130. B eius res gestæ. 28. C moritur. 52. A Alfonfus Portugallia rex. 84. C Aliqua ad commentariorum intelligentiam. 642. Aloysius Gonzaga. 105. B Aloysius Actius. 226. B Alpes sancti Gothardi. 3. A Altouitorum familia. 91. B Aluminis inuentio. 339. B Alzegira vrbs instauratio. 487. A Amalphitanus dux. 171. B Amalphitanus ducatus. 48. A. 319. A Amanti omnia facilia. 611. D Ambrosius Picolomineus vnus ex fundatoribus Montisfoliuetana religionis. 483. C Amedeus</p>
--	--

INDEX

<p>Amedeus Sabaudia dux fit eremita. 4. B fit Papa in concilio Basilien. 12. 671. B. 331. eius abdicatio. 335. C Amiati montis situs, & amenitas. 396 Amurrates Turcarum Imperator superat Hungaros. 599. A moritur. 600. A Anachorita. 73. B Anacletus de primatu Ecclesiæ Romanæ. 725. B Anconitani Montemmartianum occupant. 587. C Anconā multi cruce signati confluunt. 445 & Pius eō profecturus Roma discedit. ibid. peruenit. 650. D & ibi egrotat. 653 moritur. 657. B Ancus rex Ostiam condidit. 554. D Andreas sanctæ Crucis. 205. A Andreas Picolomineus. 646. C S. Andrea caput Romam delatum. 352. 356. C eius tumulus. 48. A Angelus Capranicus fit cardinalis. 178. Angelus Pergula. 96. A Angliæ reges, & bella. 275. A. 295. B. 162. & 163. mirabilia. 4. D Anglici belli causa. 269. D Anglorum regis legatio in concilio Mantuano. 161 eius captiuitas. 162. A Anguillaria comes. 69. C. 70. A Anima quibus signis indicetur. 522. A Anio fluius. 250. B Annibal Carthaginensis. 705. D Anobi populi. 120. C S. Anthimi monasterium. 377. D Antipapatus Amedei. 333. A. 335. C S. Antoninus Florentinorū presul. 89. D Antonius Picolomineus Pij nepos. 195. D. 218. A dux militum in regno. 239. B eius virtus. 240. 453. 582. D regis Sicilia filiam uxorem ducit, &</p>	<p>Amalphitanum ducatum accipit in dotem. 319. C fit comes Celani. 608. C & dominus Castrileonis. 195. D Antonius alter Picolomineus Senarum archiepiscopus. 83. D Antonius Caffarellus. 205. A Auxur nunc Terracina. 237. D Apenninus mons. 97. A Apologia Aeneæ Siluij de rebus Germaniæ. 662 Apostolicus legatus in Germania. 163. D & in Gallia int ercipitur à rege. 606. Apostolicæ sedis dignitas. 131. D & primatus. 72. s. A. & deinceps. Aprutinum prælium. 191. B Aquapendentis profectio. 393. B Aquila obsessa. 76. A. 591. B regi se tradit. 607. C Aquilanorum ouium ingens multitudo fisco applicanda ipsdem Aquilaniis à Pio donatur. 559. C Aquisgranum vrbs. 693. A Aragonenses regnum Sicilia adipiscuntur. 62. A Ardea Turmi patria. 569. B Argentina vrbs. 692. C Ariminum. 461. 466. D Ariouistus. 704. C Aristoteles eloquens. 449. B Arma in Dalmatia sub Cruciatæ nomine collecta Bosniæ regi traduntur. 547 Armeniaci. 409. C Armeniacorum bellum. 277 Arnolphus rex Longobardorum. 138. B Arpinum. 576 Arx papæ. 567. D Asculus se dedit. 456. D Asia. 248. C Assisium. 63. B. 74. D eius restitutio. 69 Athesis fluius. 95. A Athila Aquileiam capit. 137. D Auarus nihil recte facit, nisi cum moritur. 639. A Auerrois sententia de sanguine. 527. D Augusta Vindelica vrbs. 693. C Augu-</p>
--	--

Augustinus Datus. 373. A. 393. C
S. Augustinus de morte Christi. 524. A.
 529. D
Auicenna. 528. A
Aurelianensis caedes. 273. A
Aurelianensis obsidio soluta. 283. D
Aurelianensis dux contra Henricū. 275
Auri copia saepius quā inopia nocet.
 706. B
Austria. 94. C
Austriaca familia. 94. D. 699. D
Austriacum bellum. 37. C
 & seditiones contra Imperatōrē. 443
 B
B *Adensium calamitas.* 404. C
Badensis familia. 674. D. 701. A
Baioarij. 97. D
Baioarica familia. 699. D
Baiona vrbs. 539. D
Baldus. 76. A
Balionum familia. 226. D
Balnea Senensium. 183. A
Balneoregienses. 204. C
Balticum mare. 40.
Baptista Bredus. 73. C
Barcinonensium legati ad Castellā regē
& eorum vrbs direptio. 316
Bartholomaeus Colleonus. 129. C
Bartholomaeus Rauennas Vitruuium re-
cuperat. 135. D
Bartholus. 76. A
Basilea. 693. B
Basilienses infestantur à Delphino. 96. D
Basiliense concilium. 2. C. 670
eius res gesta. 8. C. 288. D
deponunt Eugenium, & Martinum
creant. 12. D
Bastardi defectio à Burgundis. 415. D
Bauaria familia. 678. A
Beda. 516. B
eius sepulchrum Dulmeniae. 8. A
Belgradus olim Taurunum. 600. C
Belli consultatio in concilio Mantuano.
 151. A
& eius apparatus & copia. 168
& quā bene apparatus esset. 625
 & deinceps.

I N D E X.

Bellorum à Pio susceptorum causa & e-
uentus. 618. D. 620. A
Bellum Ferdinandi regis Siciliae. 182.
Bellum in Turcas omnium maximū à Pio
susceptum. 630. 638
S. Benedicti habitatio. 306. C
Beneuentum recuperatur. 64. B
eius restitutio 242. D
Bentiuolij. 98. B
Berengarius Foroiuliensis rex. 141. A
Berna vrbs. 95. A. 693. C
Bernardi Iustiniani oratio. 491. B
S. Bernardinus Senensis relatus inter
Sanctos à Nicolao V. 42. 254. C
S. Bernardus de sanguine Christi. 517
Bernardus Ptolomaeus motis Oliuetanæ
religionis fundator. 483.
Bernardus Boscus. 67. C
Bessarion cardinalis Nicenus legatus ad
Venetos. 579. A. 605. D
Bithynia insula in Vulsinensi lacu. 389. C
Blanca Mediolani ducissa. 105. D
Blondi Flauij opera, & obitus. 571. A
Bohemiae rex ad Imperiū aspirat. 228. B
Bohemorum legatio & heresis. 84. C.
 345. 435. B.
 & reconciliatio. 30. B.
Bohemica historia. 52. A
Boiocalus Asibarius. 704. D
Bombardæ. 245. D
Theutones inuentores. 702. B
Bonauentura. 522. D
Bonconuentum. 79. B
Bonifacius martyr Euangelium Germa-
nis prædicauit. 723. C
Boninignis familia. 80. A
Bonitium oppidum. 86. D
Bononia antea Boionia. 97. D
eius schola & laudes. 98. A
ingressus Pij. 99. D
Bononiensium legati in concilio Mantua-
no. 133. A
 100. C.
virii illustres. 147. A
bellum cum Venetis. 421. C
Borbonij bellum. 63. C
Borgia Calisti nepos. 99. D
Bornius iure consultus Bononiensis. 99. D
 Borsius

I N D E X.

Borsius Estensis & eius magnificentia.
 101. B. 102
fit dux. 37. 102. B
Bosfinensis regis emendatio. 22. D
Bosna regnum. 114. D
eius legati ad Pium. 547. B
occupatur à Turcis, & rex obrucatur
572. B
recuperatur ab Hungaris. 644. C
Bouille vbi Clodium occidit Milo. 565. C
Braccius Montonius Perusinus. 76. A
Braccius. 226. C
Brandeburgensis comes in concilio. 165. D
eius familiae nobilitas. 701. A
Brandus fons à Brenno. 71. A
Bremis vrbs. 695. B
Brennus Senarum conditor. 71. A
Brenta fluius. 137. B
Britannia & eius historia. 156. A
eius ducis legati in concilio. Ibidem
Britones. 270. A
Brolius Brandulinus. 126. D
Burdegala. 297. C
Burgundorum origo. 408. C
bellum. 277. A
oratores pro conficienda cruciata in Tur-
cas apud Pium, & eorum oratio. 610. B
Burgundorum dux. 4. B
donatur ense à Pio. 235. B
eiusdem oblatio pro bello. 125. D
Morbus & de bello deliberatio. 593. D
eius legati Pium Fibure conueniunt de
bello tractaturi. 606. B vide Philippū.
 C
C *Cecilia Metella sepulchrum.* 562. D
Casar Augustus. 76. A
Caij Caesaris testimonium de Germania.
 689. B
Caius Plinius. 70. D
Calisti tertij creatio, & votum contra Tur-
cas. 43
Aeneam cardinalem creat. 49
eius exercitus in Hungaria. 668. A
 moritur. 52. D
Calumnia aduersus Pium. 109. D
Camillus. 72. C
Camillia tertia Senarum pars 71. A

Campana Imperatori Graecorum missa.
 140. D
Canapina. 209. C
Candelarum triginta millia dum defferre-
tur caput sancti Andreae. 364. B
Canes agnoscentes Christianos. 377. B
Canondas qui Thurijs leges dedit. 682. D
Capriola monasterium. 182. C
Capua. 6. D
Cardinaliū creatio. 176. D. 235. D. 336. D
Cardinalium consensus de bello contra Tur-
cas. 628. B
Carolina herba. 399. C
Carlotta regina Cypri. 327.
Carolus caluus. 105. A
Carolus Gallie rex, & eius legatio. 118. A
Carolus sextus eiusq. amentia. 27. A. 272.
 moritur. 281. A
Carolus alius Gallie rex. 270. B. 285. D
pacem cum Burgundo facit. 289. D
promulgat pragmaticā sanctionē. 29. A
Carolus magnus. 71. A
multa ecclesie donauit. 740. D
Carolus quartus Florentinus vexat. 88. A
Carolus Ioannis Cathalanorum regis fi-
lius. 311. B
Carolus Gonzaga Mediolanensibus gra-
tus. 27. B
Carolus Andegauensis. 293. A
Carthago. 556. B
Castrum Leonis Antonio Picolomineo da-
tur. 195. D
Castrum Castriplani. 396. C
Castrum maris expugnatur. 240. D
Christi Saluatoris vita, & miraculorum
compendiosa descriptio. 714.
Christianorum cū Turcis victoria. 601. D
Christiana virgo. 389.
Christophorus Maurus Venetorum dux.
 453. C
Anconam appulit cum classe in bellum
cum Pio profecturus. 653. C
Cicco Brandolinus. 257. B
Ciceronis villa. 570. B
Cioctus Florentinus pictor. 75. B
Cisterna oppidū ad eccle. peruenit. 634. D
Civilis Germanus. 704. D

I N D E X.	
Ciuitas castellana redimitur.	63.C
Ciuitatis veteris murorum reedificatio.	238.C
Clanix.	78.A
Classis à Theanensi cardinali comparata pro bello in Turcas.	646.D
Clausura oppidum vbi caseus optimus.	483.A
Clemēs Torifex de sanguine Christi.	517.C
Cleobolus vnus è septē sapiētibz.	376.A
Clinense oppidum.	121.A
Cluensis dux.	118.
in concilio Mantuano.	612.B
e ⁹ discordia cū Coloniēsi p ^r afule.	120.C
& pax.	121.C
Clocestria dux.	281.A. 412.D
Clusium.	78.D
Colossus Rhodius.	375.B
Colonia Agrippina.	691.A
Coloniensis & Treuerensis Archiepiscoporum depositio ab Eugenio.	17.D
Columna Senis erecta vbi Imperator cum Leonora primo congressus est.	34.C
Columnenses.	70.B.
Compactata Bohemorum.	345.C. 437.C
Concilium Mantuanum.	108.
Conclauē in quo eligitur Eneas in Pontificem.	52.C
Concordia quā vtilis ciuitatibus.	81.
Cōcordia formula quę respicit electiones.	672.D
Coniuratio aduersus Pium.	197.C
Coniuratio Tiburtij.	213.
Constantia vrbs.	693.B
Constantiensis synodus Ioannem Gregorium & Benedictum Pontifices deponit.	664.D
Constantinopolis capitur.	38.D
Constantinus Græcorum Imperator interficitur.	39.A
Constantius Imperator.	138.D
fidem primus potenter adeptus.	740.B
Constitutio vt Romæ Pontifex eligeretur moriente Pio extra urbem.	65.B
Consultatio de vrbs discessu.	246.D
Consiliatio de republica Christiana.	347.D
& de bello in Turcas.	158.
Conuentus in Nouacitate.	41.D
Conuentus apud Asciasburgum.	23.D
Cornelius Tacitus.	70.D
de Germania.	690.A
Corinthus.	110.D
Corneti portus.	238.B
Corporis Christi festum celebratur. Viturui a Pio.	384.A
Corfinium.	1.D. 78.C. 200.A
fit ciuitas Pientia dicta.	377.C
Coruorum accipitrumque pugna.	273.C
Cosentia vrbs.	244.D
Cosmas Medices Florentinorum ditiss.	88.D
Cotoniola villa.	126.D
Coturnicum ingens vis apud Neptunium capitur.	659.C
Creatio cardinalium.	176.D
235.C. 336.D	
Crepi oppidum.	411.C
Creula episcopatus Senensis arx.	84.A
Criptaferrata monasterium Græcanico ritu.	610.A. 570.B.
Cripte oppidum.	392.D
Crucesignati.	59.A
Crucesignatorum ingens multitudo Anconam confluit ad bellum à Pio Turcis indictum.	645.
Crudelitas Ioannis Valachi.	595.
Crustumij populi.	504.D
Curis. Titi Tacij & Numæ Pompilij patris.	503.B
Curia Romana doctrina, & rerum experientia.	685.
descriptio.	536.C
Curia nulla à crimine munda.	685.A
Curia nimius fastus, & luxus.	624.
Curialium doctrina.	513
& natura.	136.D
Curialium constitutio.	65.B
Curatorum cum Horatijs pugna.	564.B
Cynthianum castellum.	565.C
Cyprus.	320.B
oratores Cypri.	301.D

Dama-

I N D E X.

D Amasceni sententia de Hipostasi Christi.	522.C. 515.B. 516.C
Dantes Aldigherius.	90.C
Danubius fluius.	691.A
Dauid propheta.	719.D
Decreta tria Gallorum regis perniciosissima.	505.D
Decretum Pij sua profectio in Turcas.	632.D
Delicta impunitate crescunt.	509.A
Delphini Gallia fuga, & reconciliatio.	277. 282. 293.C. 297.D
res gesta.	294.
fugatur à Carolo patre.	298.C
coronatur rex Remis dictus Ludouicus.	285.D
Digentina riuus.	504.B
Disceptatio inter Predicatores & Minoritas de sanguine Christi.	511.D
Dominicus cardinalis Firmanus.	50.A
moritur.	52.D
Dominicus de Dominicis Torcellanus episcopus Theologus insignis.	514.B
Dominicus Lucensis orator ad Venetos & Hungaros.	549.B
Donidei oppidi expugnatio.	218.A
Duces in bello pro Ferdinando Sicilia regē.	176.C
Dulcis Anguillaria comes.	70.B
Dulia adoratio erga Sanctos.	234.D
Duodecim, ordinis nomen Senis.	71.C
Dyetherus Maguntinus.	260.A
eius simoniaca electio.	116.A
depositio.	267.A
cedit Adelfo.	635.
E Berardus episcopus Spoletanus.	66.A
Eboracensis dux.	162.C
Ecclesia an pauper vel diues esse debeat.	732
Egidius cardinalis legatus moritur.	470.C
Electores imperij.	698.A. 700.D
Eluetiorum pax.	112.A
Embryo sine sanguine viuuit.	521.B
Epar generatiuum sanguinis.	57.A
Episcoporum precedentia aduersus protopnotarios.	115.D
Epistola Papiensis de morte Pij.	646.
Erfordia vrbs in Turingia.	695.D
Eridanus nunc Patus.	104.A
Euersi Anguillaria comitis origo.	70.A
eius callida mandata.	69.B
Viturnium occupat.	135.D
Romæ hostis Pontificij.	208.B
Pij uitæ insidias parat.	562.A
Eugenius quartus.	288.D
deponitur in concilio Basiliensi.	12. 333. 671.B
Eneam absoluit, & de rebus Ecclesie agit.	16.
deponit Coloniensem, & Treuerensem archiepiscopos.	17.C
restituit.	21.
eius captiuitas & bella.	128.C
moritur.	23.
Examiliū id est Isthmum muro à Venetis munitur.	631.
F Acinorosos plectere non semper tutū.	217.C
Falluntur humana iudicia.	506.D
Fama celeritas.	56.C
Fani obsidio.	586.D
expugnatur.	629.A
Fantinus legatus ad Bohemos & eius constantia.	45.B. 457.A.
captiuitas.	440.
liberatio.	442.C
Federicus Vrbinas.	77.B. 212.C.
eligitur copiarum ductor à Pio.	176.C.
488.C. 47.A	
Federicus Barbarossa.	695.C
Federicus Imperator Romam petit, & Senis uxorem suscipit.	33
coronatur à Nicolao V.	35.
eius cum Sigismunda inimicitia.	91.C
excusat se nō posse ad re cōcilij Mantuanū & ed oratores mittit.	73.D. 84.C
alia eius legatio.	117.B
reconciliatur Matihæ Hungarorum regi.	596.C. 603
Felicis V. antipapæ creatio.	12.D

BBb 2 Fer-

I N D E X.

Ferdinandi Aragonensis legitimatio. 62. C
 eius successio in regno Sicilia & corona-
 tio. 63. D
 confirmatur à Pio. 64. A
 eius bellum & rebelles. 170. 171. 189.
 mittitur ad auxilium à Pio. 171. D
 res gestæ. 242. D. 246. A. 318. C
 in Appulis. 236.
 eius belli progressus. 240. A. 246. 253
 Theanensem & Sinuessanum agrum ex-
 currit. 579. D
 fugit. 508
 eius legati in concilio Mantuano. 133. B
 pacem Sinuessano tribuit. 609. C
 eius victoria. 453. D
 pacem cum Farentino facit. 459.
 Ferraria eiusque origo, & qui in ea fuerint
 dominati. 101. B
 ingressus Pij. 103. 172
 Fesula. 88. A
 Ficulla. 203. B
 Fides recta qua sit. 744. D
 Florentia ingressus Pij. 87. 174.
 eius urbis origo, res gestæ, factiones. 88
 edificiorum magnificentia. 91
 prima in Herruria vrbs. 31. C
 Florentinorū legati in conc. Mantuano. 133.
 eorum bellum cum Venetis. 130. C
 dissuadent bellum Turcarum. 614. B
 Florentiola. 97. B
 Fœdus Burgundi cum Anglicis. 280. C
 Fœdus inter Pium, Venetos & Burgundū
 contra Turcas. 633. C
 Formellum. 209.
 Formicarum bellum. 274. B
 Forteguerra patroni Senen. Ecclesiæ. 1. C
 Fortune nomen inane. 70. A
 D. Francisci nobile templum. 75. B
 Franciscus Piccolomineus fit cardinalis.
 17. A
 legatus in Ticeno. 226. C
 Franciscus Sfortia. 126. D
 Mediolanum obsidet. 25. B
 ingreditur Mediolanum. 28. B
 eligitur dux. 130. A
 eius fortuna & dotes. 131. A
 Mantuanū cōcilium adit. ibidem. 149. D

auxilium mittit Ferdinando Aragonē-
 si. 171. D
 recusat imperium exercitus ecclesiasti-
 ci contra Turcas. 632. C
 Francisci Interamnensis Apostolici legati
 fraus. 161. A
 Franciscus Carraria Romanum oppidum
 obsidet. 146. B
 Franciscus Paruipassus. 100. C
 Franciscus Gonzaga fit Mantua comes.
 105. B
 Franciscus Petrarca. 90. C
 Franciscus Philelphus. 131. D
 Francia & castella regum apud Baionam
 conuentus. 539. D
 Franconia prouincia. 696. A
 Frangepania gens. 115. C
 Francfordie conuentus. 40. D
 laudes. 635.
 Frascatum olim Luculli villa. 609.
 Fulgineum. 74. D
 Fulginenses. 63. B

G
 Abiorum arx. 569. A
 Galathes Herculis filius. unde
 Galli. 404. A
 Galeatius Sfortia. 87. A
 Galganus Burgbesius legatus ad Alphon-
 sum Sicilia regem. 47. B
 Galli Siciliae domini. 62. A
 in Cathelonia. 315.
 eijciuntur à Genua. 229. 230. 537. B
 eorum bellum infelix cum Turcis.
 598. A
 & causa alterius belli. 269. D
 afflicti. 288. C
 eorum regis legatio in conc. Mantuano.
 135. C. 160.
 alia legatio. 342. C
 indignatio in Pium. 595. B
 querela de regno Sicilia. 158. A
 rex morbum curat. 285. D
 inducias petunt de bello Siculo. 485. C
 Galli Senones. 70. D
 Gandaniorum bellum. 417. C
 Gebeltari expugnatio. 487. A
 Genua vrbs. 693. C
 Gen-

I N D E X.

Gentilhomines, ordinis nomen Senis. 71.
 C. 393. C
 Gentilis de Sala. 203. A
 Genua à Saracenis direpta. 141. B
 tumultuat. 229. B. 537. B
 Genuensium legati in conc. Mantuano.
 133. A
 bellum cum Venetis faciunt. 144. D
 necantur plurimi in Cypro. 321. A
 Cyprum vastant. 321. B
 promittunt Pio decem triremes pro cru-
 ciata. 642
 Georgius Bohemus. 85. B
 Georgius Scanderbecus. 169.
 Gerardi cuiusdam Galli vanæ promissiones
 de societate Iesu. 591. D
 Germani Nicolao V. obedientiam præ-
 stant. 23. D
 gratulantur Aeneæ Siluio ob cardina-
 latum. 49. C
 eorum legati in conc. Mantuano & obla-
 ta contra Turcas. 163. D
 eorum dissidia. 111. C
 Germania querelæ in sedem Apostolicam
 633. D
 Germania qua olim, & qua sit Christiana
 facta. 689. A
 eius fines. 690. D
 diuitia. 697. B. 699
 potentia. 697. D
 quinquaginta pontificales ecclesias possi-
 det. 699. A
 amilia nobiles. 701.
 ciuitates libera. ibidē
 Germania duo maxima beneficia accepit à
 sede Apostolica. 712
 Gillos & Hantranter latronum princi-
 pes. 39. C
 Gonzaga domus. 105. A
 Gotfredus Bullionius. 125. A
 Goibi. 73. B
 Gradaria expugnatur. 629. A
 Graeci Ecc. Latina reconciliantur. 671. A
 Grauamina quibus se opprimi Germania
 querebatur. 664. C
 Gregorius errorius excommunicatur. 372. B
 S. Gregorius Papa quat tuor concilia velu-

ti euangelia venerabatur. 665. A
 De Primatu Ro. Ecclesiæ 725. C
 Gregorius Lollius Pij consanguineus & au-
 licus. 65. D
 Gualdum ad Picinimum defecit. 63. B
 restituitur. 69. C
 Guarrinus Veronensis. 103. D. 228. A
 Gueifarum partium duces. 87.
 Guido Spoletanus rex. 141. A

H
 Hadrianus Papa. 139. D
 Hadrianus Caesar. 690. D
 Hadriani moles redimitur viginti millibus
 aureis. 63. C
 Hassia prouincia. 695. D
 Hedui. 408. D
 Heluetia. 294.
 Henricus Imperator. 79. C
 Hæricus Anglorū rex timidissimus. 161. A
 Henricus alter Angliæ rex 281. 509.
 Galliam inuadit. 279. moritur. 280. D
 Hæricus castelle rex legatos mittit ad Pium
 84. C
 Heraclea deleta. 140. A
 Herbipolis vrbs. 696. B
 Hieronymus archiepiscopus Creten. Anco-
 nae cruce signatos recipit Pij nomine.
 645. B
 Hierosolymitana ecclesia. 730. B
 Hippodromus. 562. D
 Hippolita Blanca filia latinam orationem
 habet coram Pio. 107. A
 Hiscla insula. 340. B
 Holzer seditiosus in Vienna. 445.
 eius conuratio deprehenditur, & de eo
 supplicium sumitur. 543. D
 Homo bestia. 210. C
 Hostia cruenta. 202.
 Hostis non contemendus. 420. C
 Hungariae situs & gentis origo & res ge-
 stæ. 596.
 Hungarorum ingens cedes. 599. B
 auxilium impetrant à Pio.
 571. D
 Hungari in Italia. 141. A
 eorum rex. 84. C
 legati. 403. B

I N D E X.

oratio in concilio Mantuano.	150. C	Ioannes Casarinus legatus in Gallia inter-	606. D
Huffita heretici.	85. A. 439. B	cipitur.	
eorum principes cremantur.	665. A	Ioannes Rhenati regis filius.	170. A
Hyalius Protogenis,	375. C	Ioannes Lysura.	21. A
Hypostatica vniio Christi.	343. D	Ioannes Huniates in Hungaria.	599. B
I		Turcas vincit.	601. C
I acobus Apostolus Missam ordina-		Ioannes Medices.	89. C
uit.	518. C	Ioannes Burgundus Parisios capit.	277. C
Iacobus Picininus.	76. D	interficitur.	280. A
contra Senenses.	46. D	Ioannes Ptolemæus.	132. A
Ecclesiasticam ditionem inuadit.	63. B	Ioannes de Castro aluminis inuentor.	
& multi populi ad eum deficiunt, Vide		339. B	
Picininus.		Ioannes Aurispa.	103. D
Iacobus Appianus Plumbini dominus.	2. C	Ioannes Capistranus.	59. A
Iacobus Lucensis.	65. D	Ioannes Virellensis Fulgineum capit.	
Iambeccarij.	98. B	75. A	
Ieremias.	721. D	Ioannes Malauolta.	185. B
Ilcinum fit ciuitas.	377. B	Ioannes Varuici comes, & eius bellum in	
Imperatoris legati in concilio Mantua-		Anglorum regem.	161. C
no.	158. A	Ioannes Capistranus vir sanctus cruce signa	
Imperium isdem artibus retinetur, qui-		torum dux in Germania.	600. D
bus ab initio partum est.	706. D	Turcas vincit.	601. C
Imperium ex Græcis in Germaniam trans-		Ioannes de Turcremata theologus.	
latum.	707. C	741. D	
Inducia super bello regni Sicilia frustra		Isaias propheta.	720. A. 721. B
tractata.	485. C. 498. D	Isidorus Ruthenus moritur.	551. C
Indulgentia.	686. C	Isthmum Veneti muro muniunt.	631. A
Ingenia arma tenentium varia.	134. C	Italia trepidatio ob aduentum Caesaris.	
Ingratitudinis tres gradus.	714. A	31. B	
Innocentij Decretalis.	521. D	Italia legati in conuentu Frankfordiensi.	
Insula in Aegeo emersa.	51. D	41. A	
Interamna.	73. A. 501. B	Italarum omnium præter Florentinos con-	
Interamnenfis episcopus priuatur.	509. D	sensus de auxilijs contra Turcas mitten-	
Ioanna puella res gesta in Gallijs.	281. C	dis, & deinceps.	630. A
sauciatur.	286. B	Iubileum sub Nicolao V.	361. B.
capitur.	287. A	Iulianus Apostata.	743. C
comburitur.	287. D	Iuturna lacus.	567. D
Ioanna regina.	62. A	L	
Ioannes Boccaccius.	90. C	L abyrinthus Clusii.	78. B
Ioannes Caruaial fit Cardinalis.	21	Lac à pastore Pio oblatum.	401. C
eius virtus & legatio ad cruce signatos		Lacedæmon.	110. D
in Peloponnesum traducendos.	447. C	Lactantius Firmianus.	720. C
Ioannes ex familia comitum.	239. B	Ladislauus Hungariæ rex puer.	34
Ioannes Cathalanorum rex.	311. B	fugam parat.	37. A
Ioannis Dragula Valach. immanitas,		petitur ab Hungaris recusante Impera-	
& captiuitas.	544. D	to.	599. C
Ioannes Dux Calabria.	223. B	moritur.	602. B. 700. A
		Lati-	

I N D E X.

Latitia omnium gentium ob electionē Pij	56. B	Lucerenses regi se permittunt.	585. B
Lansedonia.	33. C	Lucretia à rege Sicilia amata	47. 639. D
Latinus cardinalis Ursinus.	65. A. 363. C	Ludovicus Minorita ad orientales missus.	231. C
Laudomia Pij soror.	379. B	Ludovicus Baioaria dux.	111. C
Legationes orientalium ad Pium.	231. I.	Ludovicus Andegauensis adoptatus in fi-	
Legati ad Germanos.	112. D	lium à regina Sicilia Ioanna.	62. A
Legationes varia.	84. C	Ludouici Sabaudia ducis legati.	77. B
Legationes varia in concilio Mantuano		Ludovicus Pontanus in concilio Basiliensi	
114. C. 136. B		16. A	
& eorum pollicitationes.	156. 158.	Ludovicus Gonzaga.	104. C
Legationes Italarum in concilio Mantua-		Ludovicus Sabaudus Carlotam Cypri re-	
no.	133. A	ginam uxorem ducit.	323.
respondent Pio de bello in Turcas.	613. C	Lodovicus Gallia Delphinus Caroli filius	
Legati Imperatoris ad Eugenium neutra-		118. A. 192. D	
litate deponunt.	21. B	fugit.	293. 297. D
prestant obedientiam Nicolao V.	23. B	coronatur rex.	300. D
Leges ex duobus malis illud prohibent,		Legatos mittit ad Pium.	342. C
quod perniciosius videtur.	747. D	pragmaticam extinguit.	336. 338.
Leges pacis inter Pium & Dominicum Ma-		Indignatur contra Pium	380. B. 595. B
latestam	549. C	& eius mutatus propositus.	405.
Lemanus fluuius vnde Alemanni.	693. C	Luna aurea Pij Pont. insignia.	75. D
Leo magnus	515. C. 516. D. 529.	Lundonia.	5. B
de primatu Romanæ Ecclesiæ.	725. C	Lupanaria quare permittantur.	747. D
Leodensis Ecclesiæ discissio.	273. A	Luporum voracitas.	279. B
Leodensium bellum.	418.	Lusitaniæ regis legati in concilio Mantua-	
& cum eorum episcopo reconciliatio.	604. A	no.	158. A
Leonardus Iustinianus.	148. C	M	
Leonardus Beneuolentus.	47. B	M Acareus.	450. B
& eius oratio.	394. D	Maguntia.	116. A
Leonora Portugallia regis soror nubit Im-		occupatur.	542. C
peratori.	28. C	eius vetustas.	692. B
illi obuiatur Senis tractante Aenea.	34.	Maguntini præsulis perfidia.	260.
Leonidas Stoicus.	375. D	deponitur à Pio.	269. A
Lesbos capitur, & eius situs.	448. D	Maguntinorum bellum.	268. D. 404. C
Ligula flumen apud Volscos.	29. A	pax	604. C. 635. C
Lilij insula Antonio Picolomineo data.	195. D	Malatestarum familia origo & res gesta	
Litteræ Valachi ad Turcarum Imperato-		461. C	
rem.	546. C.	& potentia.	468. A
Longobardi.	73. B. 126. C	Mallianum oppidum.	72. D. 649. B
Lubecum vrbs.	695. B	Maloriges Frisius.	704. C
Lucas Sclauus Urbetellum Picinino ven-		Mammeus pons.	250. D
dit.	46. B	Mandata Pij ad Burgundum.	593. D
Lucenses.	88. A	Manichæi.	114. D
		eorum persecutio.	227. D
		Mantua.	60. B. 104. C
		eligitur pro conficiendo concilio.	59.

I N D E X.

Mantuanum concilium indicitur.	59.D	Missa à S. Iacobo Apostolo ordinata fuit	518.C
eius initium.	108.A	Mithylene.	448.C
progressus & ordo.	149.C	S. Monachæ corpus Ostiæ inuentum.	555.B
finis & summa rerum in eo gestarum.	168.A	Monachij vrbs.	694.A
Marcus Pompeius.	449.A	Monasteriū S. Saluatoris in Amiata.	397
S. Marci Euangelista corpus.	140.B	Monita Pij vtilissima ad Senenses.	199.D
Margarita Rhenati filia.	293.D	Monouassia.	187.D
Margarita Angliæ regina.	405.D	Mons Flasconis.	204.C
D. Maria semper virginis deuotissimus		Mons Martianus.	135.B
fuit Pius.	656.B	occupatur ab Anconitanis.	587.C
S. Mariæ Palatioli monasterium.	568.	Mons Rotundus.	504.D
Martinus Papa V.	288.C.664.D	Montis Aragonū infauista obsidio.	582.D
S. Martinus Papa & martyr Tudertinus.	497.B	Montis flori obsidio & deditio.	481.D
S. Martini monasterium.	387.D	Montis oliucti descriptio.	482.D
Martinus Mayer scribit Aeneæ Siluio car-		Morea.	110.D
dinali querens de grauinibus Germa-		Meribus multa tribuenda.	552.C
niæ.	661.A	Mors bona malam vitam redimit.	625.D
& ad eum Aeneas Siluius apologiam re-		Mors Pij Anconæ.	657.B
scribit.	661.	Morte Domini non cruenta saluari homi-	
Matildis comitissa.	101.C.104.C.741.	nem potuisse.	536.B
Matthæus Fugel Pij cubicularius.	73.C	Multa tolerantur in populo quæ in clericis	
Matthæus Reginus.	198.B	non feruntur.	615.A
Matthias eligitur rex Hungarorū.	602.C	Multitudo recte gubernatur cum ex vnus	
legatos mittit ad Pium.	84.C	voluntate dependet.	728.C
Maumeth pseudopropbeta.	59.A	Mundanum capitur.	479.B
Maumethes Turcarum Imperator.	326.D		
imperium suscipit.	600.A		
fugit vulneratus.	601.A		
S. Mauritius.	332.B		
Mediolanenses se in libertatē vdicat.	24.C		
eorum bellum.	129.		
diffidia cum Florentinis.	88.D		
Memnon.	375.D		
Michael Fullendorfus Eneæ socius in le-			
gatione moritur.	32.C		
S. Michaelis Arcægeli miraculum.	256.C		
Micheas propheta.	720.B		
Milites aliquando bellum trahunt ne ces-			
sent stipendia.	589.		
Militia perfida.	181.D		
Minoritarum cum Prædicatoribus disce-			
ptatio.	511.D		
Mintius.	104.C		
Mirabelli comitum deditio.	478.		
Miraculum Senensis monachi.	225.B		

N Annes Picolomineus.	83.C
Narnia.	73.A
redimitur.	63.C
Pius ad eam diuertit Anconam profi-	
ciscens.	649.D
Narsetes Iustiniani eunuchus.	120.138.A
Natura humana.	529.A
Nauis antiquissima inuenta sub aqua in la-	
cu Nemorensi.	566
Nauium cursus in lacu Vulsiniensi.	391.A
Neapolio Vrsinus Ecclesiasticus ductor.	
	259.A.581.C
Neapolitanum regnum.	61.D
Nemorensis lacus olim dictus Dianæ spe-	
culum.	565.D
Nepefis.	209.D
Neptunus castrum.	569.
Nero vbi occisus.	210.D
Nicens cardinalis legatus in Germania.	
	228.A

Ni-

I N D E X.

Nicolaus tertius Vrsinus.	741.C	Palumbaria.	211.B
Nicolaus V. creatur.	23.	Pamachius patricius Romanus Xenodo-	
numerat inter sanctos Bernardinum Se-		chium edificauit in Portuensi vrbe à di-	
nenssem.	42.	no Hieronymo commendatum.	557.B
moritur.	42.	Panicale oppidum.	406.D
Nicolai Eymerici directorium.	520.C	Pannetius.	375.D
Nicolaus Oxanus.	88.C	Pannonij.	95.A
Nicolaus Picininus copiarum dux clarus.		Panttheon.	194.A.365.A
3.D.76.B.		Papa caput, & magister Ecclesiæ.	728.B
capitur.	128.A	non esse appellationi subiectum.	745.B
vide Picininus.		& deinceps.	
Nicolaus Cusa Frankfordiæ.	20.A	Papiensis cardinalis.	337.B
Nicolaus archiepiscopus Panormitanus		scribit epistolam de morte Pij.	646.
in concilio Basiliensi.	16.A	Parisorum direptio.	277.C
Nicolaus Stella Perusinus.	76.D	Patauia vrbs in Germania.	693.A
Nicolaus Estensis.	102.B	Patauina & aliarum ecclesiarum prouisio	
Nobiles Perusia.	77.A	182.B	
Norici.	95.A	Patriarchatum orientalium reconciliatio	
Norimbergerum oppidum.	696.C	cum Romana Ecclesia.	186.D
Normannia.	270.A	Patrimonium B. Petri recuperatur.	63.D
Novem, ordinis nomen Senis.	71.C	Patritius Patritius Senensis vnus ex funda-	
Novumcastellum Casaris opus in Scotia.		toribus Mōtis oliuetana religionis.	483
7.D		S. Paulinus.	741.B
Nuceria ad Picinum deficit.	63.B	S. Paulus de sanguine Christi.	516.B
restituatur.	69.C	Paulus Eemilius.	705.D
Nullum animal homine versutius.	684.A	Paulus Fulgosius archiepiscopus Genuen-	
Numicus annis.	566.B	sis ducatum patriæ suscipit quod Pio	
		significat.	537.B
		Pauperis vita quietior quam diuitis.	
		664.A	
O ddo Perusinus.	136.A	Pax inter Federicum Imperatorem &	
Oenotrij Sabinam incoluere.	501.D	Matthiam Hūgariæ regem.	596.C.603
Ophiusa nunc Rhodus.	374.B	Pax inter Gallia & Angliæ reges.	14.C
Oratio Pij ad cardinales pulcherrima bel-		Pax inter Ferdinandum & Picinum.	
lum contra Turcas sumendum osten-		590.D	
dens.	618.C	Pax finis optimi regiminis.	728.C
Orientalium legati ad Pium & eorum ora-		Pelagius de Romana Ecclesia preminentia	
tiones.	231.C	725.B	
Orlandus præsul Florentinus.	100.D	Peloponessus.	110.C.578.C
Ostia vrbs.	554.C	recuperatur à Venetis.	613.D.631.A
		Perccenum.	100.C
		Perpiniani obsidio.	317.C
		Perusia.	75.D
		Pestis Vrbem inuadit.	379.D
		& Viternum.	387.D
		eius cura.	12.A
		Petrioli balnea.	484.
		S. Pe-	

I N D E X.	
S. Petri Apostoli epistola.	115.D
primatus inter ceteros discipulos.	726.
SS. Petri & Pauli copita.	355.B
Petrus Mellinus Romanus.	500.D
Petri cardinalis sancti Marci petulantia.	66.C
Petrus eremita multos pro Gottifredo milites collegit.	592.B
Phalaris monasterium.	378.D
Philippus Maria Mediolani dux.	3.A
contra Ecclesiam.	128.C
bello afflictus.	129.A
eius liberalitas in captiuos.	543.B
moritur.	24.B. 129.A
Philippus Bononiensis cardinalis Nicolai quinti frater.	68.B
Philippus Auria.	145.C
Philippus Audax.	271.A
Philippus Ioannis filius Burgundiae dux.	280.B
pacem cum Carolo facit.	289.
Delphinum suscipit.	299.C
fauet Anglis.	4.B
in conuentu Ratisponensi.	39
eius legatio in concilio Mantuano.	117.D
eius votum in Turcas eundi.	349.A
eius inclyte res gesta.	480.C
eius voluntas contra Turcas.	424.A
Piceni bellum.	258.
Picinus Nicolaus, & Iacobus.	46.D
Picinus ad Francos deficit.	174.A
& in regnum transit contra Ferdinandum.	180. 191
eius progressus.	208.A. 212.B
Celani comitatum inuadit.	505.C
fugatur apud Troiam.	455.B
conuenit cum Alexandro Sfortia, & cum eo pacem facit.	588.C
eius concordia cum Ferdinando.	633.D
Picolomina familia origo.	1.B
restituitur ad regimen reipublice Senensis.	72.A. 206.A
Pientia fit ciuitas.	377.C
Pius in ea.	425.
ludi ibi editi.	433.D
Pierinorum edificiorum descriptio & templi consecratio.	425.B
Pierius Picolomineus.	83.D
Pipinus.	139.D. 142
multa Ecclesiae donauit.	740.D
Pippo Florentinus.	91.A. 144.A
Pisanum concilium.	473.A
Pisa.	88.A
Pisanorum bellum cum Venetis.	144.C
Pithacus Mithyleneus.	448.D
Pius II. Pont. Max. eligitur.	54.
coronatur.	58.A
deliberat bellum aduersus Turcas, & concilium Mantuanum indicit.	59.
confirmat Ferdinandum in regno Siciliae.	64.A. 171.
discedit ab Vrbe Mantuae versus.	65. 68
ad Corsinianum diuertit.	78.
ingreditur Senas.	79.D
Florentiam.	86.
Bononiam.	99.D
Ferrariam.	103.
Mantuam.	105.
in concilio Mantuano quid egerint.	108
aufert prouocationem ad futurum concilium.	166.
edit legem de precedentia.	115.C
reuertitur Romam.	210
Hungaris auxilia mittit.	133.D. 403.B
571.D	
respondet legato Veneto.	493.B
Tybur tendit.	248
suadet bellum in Turcas.	610. 613. 618.
se in bellum profecturum deliberat.	625
& res Ecclesiae Romanae ordinat.	627.
decretum suae profectionis promulgat.	632.D
scribit Genuensibus qui classem promiserant.	642.
Roma exit Anconam profecturus & eius iter.	646.C
Anconam peruenit.	650.D
egrotat.	653.
moritur.	657.B
Planum oppidum.	398
Plantiorum monumentum.	250.D
Plinij mors.	242.C
Pluralitas principum diuisionis mater.	728.C
Poggius.	

I N D E X.	
Poggius.	103.D
Polonorum legationes in concilio Mantua no.	136.B. 310
Polonia rex in Hungaria regnaturus accersitur.	598.C
Polycrates.	71.B
Pons in Tyberi factus.	72.B
Pontificem max. his temporibus diuitem esse oportere.	733.D
Pontifcorum & aliorum oppidorum expugnatio.	577.B
Popularis ordo Senis.	71.C. 393.
Porfena.	78.B
Portugalliae rex.	84.C
Portus Claudij.	556.D
Portuensis vrbs.	557.A
Potestas Petro a Christo tradita ad successores deriuatur.	729.C
Predicatorum disceptatio cum Minoritis de sanguine Christi.	511.D
Praneste vrbs.	309.B
Præputium Domini.	532.C
Praga vrbs Bohemorum caput.	695.A
Pragmatica sanctio in Gallia.	290.B
extinguitur.	336.D. 338.A. 343
in Germania recipitur.	711.C. 724.D
Primatus in Ecclesia necessarius.	726.
Principatus non appetendus sapienti.	458.A
& ijs modis facile retinetur quibus ab initio partus est.	624.C. 706.D
Principum rara charitas.	334.D
Principum pluralitas abhorrenda.	706.B
Principibus subditi maledicunt.	685.A
Præuilegium Ro. Ecclesiae est pascere oues ac ligare & soluere.	724.B
Prophetia cuiusdam sancti uiri.	74.D
Prosper Columnensis cardinalis.	68.B
moritur.	551.C
Prosper Adurnus.	229.B
Prouentus Ecclesiae Rom. trecentum milium nummum singulis annis.	623.B
Prouocatio ad futurum concilium sublat.	166.C
Prussia.	49.C
Quarta sunt in vna prouincia sanctae leges saepe in altera damnantur.	552.C
Quarti anni consilia gerendi belli in Regno & in Piceno.	559.B
Quibus artibus maiores nostri Ecclesiae imperium pepererunt.	624.C
Quid mali afferat pragmatica.	724.D
Quod semel Verbum Dei assumpsit nunquam dimisit.	515.B
R	
Radicofanum Senensibus conceditur.	83.C
Ragusa.	114.D
Raguseis auxilia mittuntur a Pio.	574.A
Raspantes Perusia.	77.A
Ratispona vrbs.	693.D
Ratisponensis conuentus contra Turcas.	38.D
Rauenna olim in aqua.	137.B
Rebellio quorundam oppidorum comitatus Fani & recuperatio.	549.B
Reformatores ordinis nomen Senis.	71.C
Regni instabile solium.	329.C
Remis vrbs capitur.	185.C
Responsum Pij ad Bosna regem.	548.D
& ad ducem Genuen.	538.B
Respublica pœna & premio continetur.	493.D
Rhenatus rex Siciliae.	61.B
eius bellum.	418.B
Rheni insula.	121
& eius fluminis glacies.	173.D
Rhodus insula & eius historia.	374.B
Rhodia militia magister.	373.D
Riccardus ex Mediauilla	522.D
Robertus sanctus Seuerinus	100.B
Roma libera.	207.A
eam ingreditur Pius.	210. 505.B
Romanorum oratores pro Pontificis reditu.	204.D. 500
queruntur de discessu Pij in bellum contra Turcas.	633.B
Romanae sedis descriptio.	736.C
Romana reipublica ordinatio.	65.B
Romana Ecclesia omnium ecclesiarum caput, & magistra, & ceteras ipsa fundauit.	725.A. & deinceps.
eius inconcussa fides.	720.C
Romandiola olim Eemilia.	98.A
Ro-	

I N D E X.	
Romanum pontificem diuitem esse oportet & quara.	732.
& deinceps eius officium.	733.D
Rossani principis perfidia. 170. A. 186. A	138.
Rotbarites Longobardorum rex.	397. A
Rotbaris alter rex.	103. D
Rouerium.	115. A
Rusciani.	70. D
Ruffelana colonia.	330.
S Abandia.	77. B
eius dux.	136. B
legati in concilio Mantuano.	212. D
Sabellus.	567. D
Sabellum castrum.	503. D
Sabini superstitioni.	501. D
eorum limites.	539. A
Sacerdotale imperium quale debet esse.	733
Sacerdotium pauper etiam plebem paupe rem habere debet.	171. B
Salerni princeps.	579. B
Salone fons.	693. D
Salzburgge vrbs.	243. C
Sammitis.	400. D
Sancta Florentia oppidum.	511. D
Sanguis Christi in triduo passionis a corpo re separatus an diuinitate vnitus perse nerauerit.	526. A. 521. B
Sanguis an ad humanam naturam perti neat.	105. A
Sanguinis Christi miraculum.	449. A
Sapho.	14. D
Sarantana vallis descriptio.	189. B
Sarnensis pugna.	78. D
Sarteanum.	43. C
Sarzana oppidum.	241. C
Scafati expugnatio.	367. A
Scala Basilica sancti Petri a Pio constru cta.	302. B
Scanderbechius.	607. B
eius legati ad Pium.	668. C
eius inges victoria contra Turcas.	597. B
Sclauonicus sermo.	705. D
Scipio Africanus.	190. B
Scopetum tormentum.	5. D. 6. J
Scoria & incolarum mores.	227. C
eius regis mors.	523. A
Scotus.	582. D
Secessus Pij apud Albanum.	568. C
Secures antiquorum sculpta.	115. B
Senderouia amisso.	70. D. 31
Senarum origo & imperium.	31. B
timet aduentum Caesaris.	47.
vexatur a Picinino.	71. D
discordia magna ciuium.	72
renuunt restituere gentilhomines pe tente Pio.	183. C. 186. C
eius reformatio.	175. D
eam ingreditur Pius.	133. A
Senensium legati in concilio Mantuano.	401. D
& ad Pium in Abbatia.	83. D
eorum ecclesia sit Metropolis.	184. D
conceditur indulgentia eidem ecclesie.	175. D
& Francisco Picolomineo comendatur	155. B
Senogallia.	476. B
capitur.	629. A
expugnatur iterum.	408. D
Sequani.	605. C
Seruantur ad penitentiam pessimi.	502. A
Seuerus mons.	604. A
Sextus Pontificatus Pij anni initium.	131. A
Sfortie familia origo.	126. D
Sfortias Attendolus.	128. A
Sfortiani milites.	508. D
diripiuntur.	128.
vnus ex illis virtus.	61. D
Sicilia.	61. D
eius regnum ad ecclesiam pertinet.	52. B. 63. A
petitur a Gallerum rege.	341. D
& eius concertatio.	344.
Sigismundus Imperator.	3. B
pacem componit inter Eugenium & Ba silienses.	670. C
moritur.	10. D
Sigismundus Austriae dux. 19. C. 94. 164. D	185. A
excommunicatur.	238. D
Sigismundus Malatesta. 64. 87. C. 92. B	eius

I N D E X.	
eius consilium in concilio Mantuano.	152.
fidem frangit.	196. D
eius perfidia.	225. D
accusatur.	234. C
eius mores.	91. C
excommunicatur.	238. D
damnatur.	338. C
eius victoria & perfidia.	275. A
vincitur.	476. D. 586. C
oratorem ad Pium impetrat a Venetis	490. B
& a Pio pacem.	634.
S. Siluester dona imperij accepit.	741. A
Siluius Picolomineus Pij pater.	78. D
Simouettus Camertes.	130. C. 182. A
Simplicius Papa Tyburtinus.	252. C
Sinuessanus ducatus Antonio Picolomi neo datur.	236. D
Sinuessani agri direptio.	579. D. 581
pax & affinitas cum Ferdinando.	609. C
Smaragdus primus Italiae exarcus.	101. C
Soldanus.	324. D
Solotrum vrbs.	96. A
Soranus dux maxima ducatus parte mul tatis pacem petit.	575. B
Sorianum oppidum.	63. C. 379. A
Spira vrbs.	692. C
Spoletum.	73. A
eius arx redempta.	63. C
Stamate Græcus subtilis latro.	148. B
Stephanus Papa deprimatu Eccl. Roma na.	725. C. 744. C
Stephanus Porcarius necatur.	43. A
Strabo de Germania.	689. D
Styria.	95. A
Sublacense monasterium.	305. A
Suecia rex regno eijcitur.	51. D
Sueui populi.	689. D
Sudarium Christi.	373. A
Sulmona expugnatio.	506. D
Suizzari.	95. D. 244. B
Summa oppidum.	242. B
Sussasense oppidum.	693. D
T Albotis virtus.	295. D
Talliacorium.	70. B
Tarentinus princeps rebellat.	171. A
eius legati.	133. C
pacem cum Ferdinando facit.	459. B
moritur.	637
Telchines populi.	374. B
Tempesta Valida apud Ostiam dum ibi es set Pius.	551. D
Terracina olim Anxur.	64. B
eius deditio atq. situs.	237. A
Terræmotus in regno Neapolitano	51. C
Thameulanus.	706. B
Thaurinum oppidum.	48. B
Themista fluius in Anglia.	5. A
Theanensis cardinalis legatus in Piceno.	480. B
& apud Pisus classem comparaturus.	646. D
Theodoricus Colonienfis Antistes.	110. C
moritur.	551. C
Theophrastus.	449. B
Theutones male affecti in Papam & Im peratorem.	41. B
S. Thomas Aquinas.	50. D
Thomas Cantuariensis mausoleum ditissi mum.	5. B
Thomas Morea despotus. 111. A. 310. A	310. A
Anconam appulit cum capite D. An drea Apostoli.	354. B
Thomas Sarazaneus.	4. A
eius amicitia cum Aenea.	15. B
in conuentu Francfordia.	18. D
fit cardinalis.	21
fit Pontifex dictus Nicolaus V.	231
vide Nicolaus.	
Thomas Paleologus.	236. C
Tiburcius & Valerianus auctores tumul tuum Romæ.	192. D
capitur Tiburcius cum coniuratis.	213. A
strangulantur.	417
Toccus & Clemens Tyburtini seditioni.	248. D
Tolfa.	340. A
Tornense oppidum.	694. D
Tuti-	

Totila Gothorum Imperator.	88.A
Traiani nauale.	557.B
Traractum oppidum.	170.A
Trasymenus lacus.	77.C
Treuerensis Coloniesisque archiepiscoporum depositio ab Eugenio facta.	17.D
Treuri.	693.B
Trigurienses.	114.D
Troia in regno capitur.	458.
Troianum bellum.	248
Tudertum.	496.C
Tumultus Romæ.	192. 198
Turcarum, origo & progressus.	58
profliantur.	48.B. 601.C
eorum bellum in Hungarorum.	447.D
Turres oppidum olim Cures.	503.B
Turris Græca olim Octavi.	241.D
Tusculum.	570.A
deletum à Romanis.	670.
Tybur & eius amœnitas.	247. 250.
quò secedit Pius.	579.B
Tyrannorum & Baronum quorundam depositio.	245.B
V	
Vacumna dea apud Sabinos.	502.B
Vademontis comes.	244.C
Valachi origine Itali & Italico vtuntur sermone.	544.D. 597.B
Valentinensis ac Diensis comitatus in Gallia Ecclesiæ recuperatur.	404.A
Vannius Drusi Cesaris amicus.	704.C
Ubi virtus ibi & opes.	706.A
Vesij populi.	63.C
Vene auri & argenti apud Germanos.	697.B
Veneti in Britannia populi.	271.C
Venetensis ciuitas schola à Pio donatur.	137.C
Venetiarum origo.	137.A
& libertas.	141.A
Venatorum viri illustres.	148.C
eorum bellum contra Fraciscum Sfortiam.	130.
cum Turcis.	74.C
legatio in concilio Mantuano.	136.B
142.D	
& ter quersatio.	154.B

I N D E X.

Turcis bellum indicunt.	578.A. 605.
adiuant Sigismundum Malatestam.	585.D
& pro eo oratores ad Pium mittunt.	491.A
Ceruiam emunt.	550.A
Peloponnesum recuperant & Isthmum muro muniunt.	631.
Venetorum classis eorum ducem ferens Anconam appellit in bellum cum Pio profectura.	653.C
Verdea oppidum.	111.C
Veritas sæpe succumbit.	374.C
Verona.	137.D
Verritus frifius.	704.C
Verruchium & alia Castella expugnatur.	488.B
Vestfalia.	120.C
Vicentia.	137.D
Vicouarum.	305.A
Victoria Christianorum contra Turcas.	601.C
Vienna olim Fauianum.	95.A. 694.A
eius coniuratio.	543
Vilhelmus Rothomagensis cardinalis.	68.B
Vir bonus etiam famam contemnere nouit.	512.A
Virgilij villa.	104.C
Virginopolis vrbs.	695.B
Virtute quaruntur regna.	130.D
Vita hominum quam caduca.	388.B
Viturium petit Pius.	378.D
& ibi festum corporis Christi celebrat.	384.A
discedit.	387.C
eius vrbs factiones.	205.B
occupatur ab Euerfo.	135.D
redimitur.	63.C
Vinus fluuius.	399.B
Vlma Suenorum vrbs.	696.D
Ungues & capillos crescere.	528.B
Vormiensis ecclesia.	49.
Vratislauia vrbs.	694.C
Urbanus ex Auinione Italiam petit.	470.C
Vrbetellum.	46.B
redditur Senensibus.	48.D
Vrbs petus & eius factiones.	201.C
redi-	

I N D E X.

redimitur.	63.C	X	
Vrsinorum familia.	70.B. 214.B	X	Antus Bentiuolus. 98.C
Utinum.	59. 73	X	Xerxes superatur à Græcis. 705.D
Vestfali populi.	695.	Z	
Vulsinensis lacus.	388.	Z	Ephirinus Papa. 734.C
Uormatia vrbs.	692.B	Z	Zinzannum oppidum. 308.D

ERRATA SIC CORRIGITO.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Primus numerus paginam, secundus lineam indicat.

1. 34. lege trinominus. 8. 19. continuato. 15. 15. litteris. 20. 21. ad Eugenium. 26. 28. eam. 29. 1. duce. 29. 22. suffectum. 30. 23. publice. 31. 6. illi. feruitura. 31. 18. excitatos. 31. 34. feruilem. 32. 12. magistratum. 37. 9. Casati. 37. in postilla. promouit. 38. 13. dirimerent. 39. 24. domum. 42. 2. excindi. 47. 24. tractata. 51. 13. deligeretur. 56. 4. ciuitas. 59. 9. apparuit. 67. 3. Basilea. 72. 31. persecutione. 73. 11. religioni. 76. 35. vexaret. Ibidem. 39. capiundi. 84. 15. obtigerant. 86. in postilla. diffuasio, & dele verba de Tarentino. 90. in postilla illustribus. 94. 16. postulatis. 96. 34. dicitur. 97. 24. coniectari. 100. 39. cum. 101. 16. in. 102. 20. profectus. Ibidem. 28. lapillos. 108. 4. religiosi. 112. 10. sui. 113. 32. capitulo ecclesiæ. 116. 5. legem. 116. 16. Maguntinæ. 123. 11. postquam. 123. 17. Philippum. 125. 11. deligeretur. 128. 39. Venetus. 129. 3. pacem suavit. Ibidem. 15. cepere. 131. 19. Siagnum quo. 140. 5. autem. 142. 23. adorfus. 143. 27. acre. 155. 10. dele () 176. 14. parata. 197. 25. arce. 198. 3. tumultuante. Ibidem. 5. maturandum uer. 202. 33. fame. Ibidem. 39. conclusit. 206. 17. volentes. 209. 39. facinorosorum. 215. 5. percuraque. 241. 24. cepit. 243. 30. in campum. 244. 21. opperijt. 249. 26. arce. 250. 5. olineta. 252. 20. iunxerint. 253. 5. separata. 256. 35. inuitum. 257. 22. Vi se ad prælium. Ibidem. 18. priusque. 261. 21. velle. 262. 19. ficcine verum procul &c. Ibidem. 26. dele punctum. 267. 7. mereri. 268. 8. effert. 271. 28. quisque. 273. 12. nefandam. 284. 16. cepit. 287. 27. modo. 293. 32. non. 388. 28. vineam. 394. 2. sapitis. 399. 16. millium. 400. 17. ardore. 447. 31. tata. 453. 13. hac. Ibidem. 28. filii. 457. 21. partem. 465. 39. à. 467. 25. ita vt iam. 472. 16. &. 481. 27. saluis. 507. 34. is. Ibidem. 27. Picininum. 508. 19. vlti. 538. 23. coactus. 552. 7. caram. 556. 12. punit. 568. 36. vmbra. 596. 26. fontibus. 597. 3. ijs. 605. 23. Agarytum. 609. 39. regia. 611. 26. parturum. 629. 34. veritus. 654. 23. ijs. 664. 1. qua. Ibidem. 18. errantem. 665. 2. Hussitarum. 666. 24. vestrum. 669. 27. rectum. 670. 1. illis. 673. 20. virginopolis. 675. 28. prædicante. 679. 2. quod. 683. 7. his. 729. 12. virtute.

Sunt & nonnulla alia, quæ ideo omisimus, quoniam nec sententiam obscurare, & à quouis nullo negotio emendari possunt.

R E G E S T V M

a A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.
 AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN OO PP
 QQ RR SS TT VV XX YY ZZ.
 AAa BBb.

Omnes Quaterniones, a Ternio.